PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

INNUMERABILIBUS INDICIBUS LOCUPLETATA; SED, PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM AUTEM UNUSQUISQUE PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, DUOBUS PARTIBUS CONSTAT SIMUL ET DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCA. LATINA, PENITUS EXARATA, OCTODECIM ET DUCENTIS VOLUMINIBUS EST VALIDA ET IMMENSA, NONAGINTAQUE ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA SUBDIVIDITUR, ET DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM, UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALI AMPLECTITUR, ET FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEDET NUMERUM. POSTERIOR AUTEM HANCCE VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS EMITUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CCXII.

PETRUS DE RIGA ET ÆGIDIUS PARISIENSIS. ODO DE SOLIACO PARISIENSIS EPISCOPUS. GUNTHERUS CISTERCIENSIS MONACHUS. HELINANDUS FRIGIDI MONTIS MONACHUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

SÆCULUM XII.

HELINANDI

FRIGIDI MONTIS MONACHI,

NECNON

GUNTHERI CISTERCIENSIS,

OPERA OMNIA.

ACCEDUNT

ODONIS DE SOLIACO PARISIENSIS EPISCOPI,

PETRI DE RIGA ET ÆGIDII PARISIENSIS,

SCRIPTA VEL SCRIPTORUM FRAGMENTA,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1865

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CCXII CONTINENTUR.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

PETRUS DE RIGA

ET

ÆGIDIUS PARISIENSIS

NOTITIÆ

(OUDIN, *Comment. de script. eccles.*, tom. II, pag. 1551)

I.

IN PETRUM DE RIGA.

Petrus de Riga, canonicus et cantor primum Beatæ Mariæ Remensis, deinde canonicus regularis ord. divi Augustini in abbatia Sancti Dionysii Remensis, natione Gallus, patria Vindocinensis, florebat, ut vult Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ et infimæ Latinitatis*, columna 138, ab anno 1160; anno autem 1170, ut vult Guillelmus Cavus in *Historia scriptorum ecclesiasticorum*, ad 1170, pag. 682; quem inter doctores sui temporis doctissimum vocat Joannes Trithemius. Cum floreret ille eodem tempore quo Petrus canonicus et cantor Beatæ Mariæ Parisiensis, inde factum est ut sæpe confundantur tam in titulis mss. codicum quam etiam in assignandis operibus. Scripsit carmine vario *Auroram* vel *Bibliothecam* inscriptum opus, quo plurimos sacræ Sripturæ libros exponit carmine prorsus pro sæculo insigni, quod ms. in multis Galliarum, Angliæ atque Germaniæ, bibliothecis reperitur. Hujus quindecim mss. codd. in bibliotheca Galliarum regia, nempe 4139, 4140, 4141, 4142, 4143, 4144, 4145, 4146, 4392, 4393, 4394, 4395, 4396, 4397, 4398; duo mss. codices in bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, ordinis divi Benedicti, plures in Colbertina et Victorina; idem ms. in bibliothecis Præmonstrati, Bonifontis Cisterciensis, et Bellævallis Præmonstratensi ordinis bis, in episcopatu Remensi; in bibliotheca Fratrum Prædicatorum Lugdunensium. Ac nullus auctorum qui tantum et tam frequenter transcriptus sit, quamvis opus vere egregium impressum non sit. Ecloga Thomæ James quam Oxonio-Cantabrigiensem appellat, recenset exemplaria quatuor hujus *Auroræ* mss. libro II, pag. 53: Oxonii, in bibliotheca Magdalenæ, cod. 3; Cantabrigiæ, in bibliotheca collegii Sancti Benedicti, codd. 43, 371 et 395. Hujus Petri *Auroram* ad varios mss. codices collatam, olim editioni paratam habui (1). Nullus sane qui tanto successu Scripturam carmine reddiderit. Ejusdem *Tropi et phrases Scripturæ* mss. in citato collegio S. Benedicti Cantabrigiensis, cod. 395. Idem inscriptum *De tropis theologicis*, ms. in bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, littera GG. 13 et littera E. 17. Item inscriptum *Summa de tropis loquendi*, ms. ibidem, littera PP. 10, et B. 6. Incipit: *Videmus nunc per speculum et in ænigmate*, etc.; sed spectat hoc opus ad Petrum Cantorem Parisiensem, librariis et exscriptoribus sæpe Petrum Cantorem Parisiensem cum Petro de Riga, cantore Remensis Ecclesiæ, perperam confundentibus. Ambrosius de Altamura in *Bibliotheca Dominicana*, ad annum 1263, pag. 19, hunc Petrum Remensem absque auctoritate et ratione suis ordinis Prædicatorum Fratribus assignavit, eam forsitan ob causam quod ms. *Aurora* hujus Petri in bibliothecis quibusdam Fratrum Prædicatorum conventualibus invenitur. At mortuus erat Petrus de Riga ante ordinem Dominicanorum natum, quem alii fere omnes claruisse circa annum 1160, alii circa 1170 ut Cavus asserunt qui parce admodum ac disjecte de Petro Ri-

(1) Editionem *Auroræ* molitis Caspari Barthio, Christiano Daumio, Andreæ Rivino et Casimiro Oudino fata intercessere. FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, t. V, pag. 277.

gano locutus est. Hæc ego tantum in primo hujus A operis molimine, sed latius de *Aurora* petri Rigæ loqui operæ pretium duximus, editione ista altera quæ ad compendium non cogit. *Auroræ* totius carmine expressæ vario, Prologus prosaicus incipit : *Frequens sodalium meorum petitio, cum quibus conversando flores meæ infantiæ exegi, ut librum*, etc. Ordo *Auroræ* talis est qualem depingit Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, tomo II, fol. 265, verbo *Petrus de Riga.*

In Genesim incipiunt carmina.

Primo facta die, duo, cœlum, terra leguntur :
Et firmamenti sphæra sequente die, etc.

Incipit Exodus.

Hæc duodena Patrum sunt nomina, qui quasi ple- [bis
Semina Judaicæ, tot tribuere tribus, etc.

B

Incipit Leviticus.

Vox autem Domini Moysen vocat, imperat illi
Ut sua verba ferens, plebis in aure serat, etc.

Incipiunt Numeri, seu liber Numerorum.

Alloquitur Moysen Deus, et jubet ut numeretur,
Omnibus ex tribubus, fortis ad arma cohors, etc.

Incipit Deuteronomium.

Hæc sunt verba quibus Moyses instruxit Hebræos,
Et velut altera lex, dicitur illud opus, etc.

Incipit liber Josue.

Post Moysen Josue populo dominatur Hebræo :
Terram quam Moyses non dedit, ille dedit, etc.

Incipit liber Judicum.

C

Post Josue de Judicibus narratio fiat,
De quibus auxilium sumpsit Hebræa tribus, etc.

Incipit liber Ruth.

Ad Ruth festinat Petri stylus, hujus ut actus
Depingat tenui carmine, sermo brevis, etc.

Incipit in libros Regum.

Post librum de Judicibus, sacra lectio tractans
De Regum titulis, nobile ponit opus, etc.

Incipit in Canticum canticorum.

Solus Origenes cum doctos vinceret omnes
In libris aliis, tamen in libro Salomonis, etc.

Incipit in librum Tobiæ.

Qui legis historiam Tobiæ, discute sensum
Qui latet, ex petra longe fluenta bibes, etc.

Incipit in librum Danielis.

D

Postquam subjectos sibi rex Babylonis Hebræos
Vicit et afflixit, ense, dolore, fame, etc.

Incipit liber Judith.

Eustochio, Paulæque favens Hieronymus, actus
Transtulit insignes, historiamque Judith, etc.

Incipit liber Esther.

Donec ad Æthiopum terras veniatur ab Indis,
Rege sub Assuero subdita terra fuit, etc.

Incipit prologus Machabæorum.

Magnus Alexander quo primum Græcia rege
Floruit, e terris magna trophæa tulit, etc.

Incipiunt recapitulationes Veteris Testamenti. Et primo agitur per versus sine A.

Principio rerum post quinque dies, homo primus,
Conditus in sexto creditur esse die, etc.

Tum sequuntur aliæ sine littera B, aliæ sine C, aliæ sine D, et sic consequenter cum exclusione omnium litterarum alphabeti. Opus quidem ingeniosum et laboriosissimum, sed cujus carmen haud ita purum tersumque esse potuit.

Incipit prologus in Novum Testamentum.

Post legem veterem respira, Petre, refulget
Lex nova, fac versus de novitate novos, etc.

Incipit prologus super Actus apostolorum.

Dixi me finisse librum, sed rursus in Actus
Poscor apostolicos, continuare stylum, etc.

Incipiunt Actus apostolorum versibus Leoninis hexametris.

Tiberii nono decimo regnantis in anno,
Dum serviret adhuc diro Judæa Tyranno, etc.

Hæc autem duo ultima poemata in *Actus apostolorum* falso Lucas Wadingus Alexandro de Villa Dei, Minoritæ, attribuit, cum illa sint pars hujus *Auroræ* Petri de Riga, qui multis annis Alexandrum de Villa Dei præcedit.

Auctor Magni Chronici Belgici ait eum obiisse Remis anno 1209, atque fuisse canonicum regularem ordinis divi Augustini in abbatia Sancti Dionysii Remensis, et *Bibliothecam* cognominatum. Vulgo tamen in mss. codicibus clericus aut cantor aut presbyter Remensis appellatur, qui patria Vindocinensis erat. Ita hic auctor, sed fuisse illum *canonicum regularem*, argumentum decretorium est auctoritas Ægidii Parisiensis poetæ, qui aliquanto post mortem Petri de Riga, correxit *Auroram* ejus, cui contemporaneum illum fuisse, eumque olim familiarem habuisse et amicum, satis probabile est. Hic itaque Ægidius, qui circa annum 1210 vel 1220, imo et an. 1200, ut postea dicemus, scribebat, in prologo quem ad *Auroram* a se correctam præmisit, incipiente *fraternæ charitatis quasi quamdam sapit dulcedinem*, etc., expresse Petrum de Riga fuisse canonicum regularem S. Dionysii Remensis, his verbis ait : *Dicimus imprimis quod quidam canonicus regularis Sancti Dionysii Remensis, Petrus nomine, Riga cognomine, juxta illud,*

Petrus Riga vocor, cui Christi petra rigat cor, etc.

Hæc nos ex ms. codice Sancti Victoris Parisiensis, littera KKK. 27, fol. 62, ubi dicta *Aurora* Petri Rigæ cum commentariis et correctionibus Ægidii Parisiensis. Initio autem operis hujus præmittitur hic in fronte versiculus.

Incipit hic Rigæ bibliotheca Petri.

Opus vero istud utpote sacrum, proponit legendum scholaribus, in locum profanorum auctorum.

Ergo poetarum potius quam dicta canora,
Hæc tibi proponi, turba scholaris, ama.

Et in fine operis rogat corrector operis magistros Parisienses et Aurelianenses ut illud suis discipulis prælegant.

Quæ tibi dat tellus metra Vindocinensis alumna,
Prælege Parisius, Aurelianis habe.

Et paulo ante ad librum et ad versus suos sic ait :

Vobis hexametris absit Gualteridos uti
Pentametris elegis Vindocinensis amat.
Vos elegi magis elegi, quia legis amicos
Vos metricæ metrica censeo lege legi.

Viderat Cæsar Egassius Bullæus, ut refert sæculo IV *Historiæ Universitatis Parisiensis*, fol. 768, in catalogo illustrium Academicorum, mss. codices duos hujus auctoris apud M. Jacobum Mentellum doctorem medicum, manu alicujus magistri glossis et scholiis illustratos, sicut et vidimus unum supra dictum in bibliotheca S. Victoris Parisiensis, alterum in bibliotheca Præmonstrati, et apud Bellam-Vallem alios duos, quæ in archiepiscopatu Remensi A est. At opinor hos versus *Auroram* in scholis commendantes, non spectare ad *Petrum de Riga*, sed ad commentatores, eo quod in pluribus *Auroræ* mss. codicibus et antiquioribus non compareant, ut ipsi vidimus. In ms. Bellæ Vallis post *Auroram* subjiciuntur sequentia, quæ desunt in antiquiori ms. Bonifontis ordinis Cisterciensis in Thierascia.

Oratio Petri Rigæ, qui librum composuit.

His te, Petre, tui, etc. *Vide infra ad calcem fragmentorum.*

Item oratio cujusdam, qui diruta redintegravit.

Me simul in serie, etc. *Vide ibid.*

NOTITIA ALTERA IN PETRUM DE RIGA.

(Polycarpus Leyser, *Historia poetarum medii ævi*, Halæ Magdeb. 1721, 8°, p. 692.)

Petrus de Riga, Anglicus (2), magister (2*), Remensis Ecclesiæ clericus (3), vel canonicus Ecclesiæ quæ vulgo dicitur S. Dionysii de Besturne (4). Unde et nomen ejus in codice quodam ms. hoc offendi: Petrus de Remes. Siquidem is fuerit Petrus, quem vixisse memorat Ægidius Parisiensis tempore Cœlestini III papæ, qui sedi Romanæ præfuit ab a. 1191 ad a. 1198 vel ad finem sæculi XII, vel ad ipsum sæculi XIII initium erit referendus. Ita vero dictus Ægidius (5):

Quem intepuisse dolemus
Petrum in divinis verbotenus alta sequentem.

Ægidius, nisi fallor, respicit Petri senectutem et *Auroram*. Non itaque a vero aberrare puto auctorem catalogi librorum manuscriptorum collegii Corporis Christi in Oxonia, qui Petrum a. 1170 claruisse vult (6). Gv. etiam Caveus (7) eum an. 1170 vel paulo post floruisse observat. Aliis diem obiisse creditur circa a. 1263 (8).

Scripsit I. *Heptateuchum*, *duos libros Regum*, *Evangelia* etiam metrice, non solum historicum sensum, sed etiam allegoricum, in quantum potuit, breviter exprimens, narrante Henrico Gandavensi (9), quem sequitur G. Caveus (10). Pleniorem operis notitiam præbet Joann. Trithemius (11), qui ita: « Scripsit Petrus opus metricum insigne super Bibliam, quod *Auroram* prænotavit, ut sequitur: In *Genesim* lib. I, Init.: *Initium mundi quales.* In Exodum lib. I, Init.: *Hæc duodena patrum.* In *Leviticum* lib. I. In.: *Vox autem Domini Moysen.* In *Numeros* lib. I: *Alloquitur Moysen Deus.* In *Deuteronomium* lib. I: *Hæc sunt verba Dei.* In *Josue* lib. I: *Post Moysen Josue.* In *Judicum* lib. I: *Peccat. Hebræus ait.* In *Ruth* lib. I: *Ad Ruth festinat pe.* In *Regum* lib. III: *Monte manens Estra.* In *Can-* B *tica canticorum* lib. I: *Solus Origenes cum do.* In *quartum Regum* lib. I: *Regnavit Salomon.* In *Danielem* lib. I: *Postquam subjectos sibi.* In *Tobiam* lib. I: *Qui legis historiam.* In *Job* lib. II: *Librum Job Moysi quidam.* In librum *Judith* lib. I: *Eustochio Paulæque.* In librum *Hester* lib. I: *Usque sub Æthiopes quæ.* In libros *Machabæorum* l. I: *Magnus Alexander.* In *Evangelicam historiam* lib. I: *Claruit Herode jus re.* In *Actus apostolorum* lib. I: *Tiberii nonodecimo. Recapitulationum* lib. I: *Hæc de lege nova et vet.*

In codicibus manuscriptis quibus sum usus, inscribitur liber memoratus *Aurora*, item *Bibliotheca*. Inde factum forte ut auctor quidam haberetur Petrus de Aurora, qui super Biblia metrice scripserit (12).

Continere *Auroram* paraphrasin Testamenti Vet. et Novi, usque ad Epistolam ad Romanos inclusive perperam tradit catalogus bibliothecæ Bodleianæ C ex dono Thomæ Bodleii (13). Totam historiam Biblicam a Genesi ad Apocalypsin in *Aurora* enarrari non minus falso perhibet catalogus librorum manuscriptorum collegii Universitatis in Oxonia (14).

Versus numerantur in *Aurora* 15,056 (15).

Non solum Petrum nostrum agnoscit auctorem *Auroræ*, sed interpolatorem insuper Ægidium quemdam, quod sequentia, quæ in Guelpherbytano codice ms. leguntur, declarant: *Scire cupis, lector, quis codicis istius auctor. Petrus Riga vocor cui Christus petra rigat cor, prologus illius, qui hunc librum correxit et suppletiones de suo apposuit, et ubicunque invenitur obelus inter duos punctos per totum librum ibi sunt dicta et versus illius.* Et paulo post in eodem ms. hæc adduntur:

Scire cupis, lector, quis codicis istius auctor.

(2) V. Inscriptionem codicis ms. in Catalogis mss. Angliæ et Hiberniæ, t. I, p. II, p. 120, n. 1068, 4, I.

(2*) V. l. c. et Thom. Smithi Catalogum bibliothecæ Cottonianæ, p. 113, *Vespasianus* D. V. I.

(3) V. Henricus Gandav. *De S. E.*, cap. 22.

(4) V. Catalogos, l. c.

(5) In *Karolino*. V. Franc. Duchesnii *Histor. Francor. Script.*, tom. V, p. 323.

(6) V. Catalogos l. c., p. 53, n. 1655, 188.

(7) *De S. E.*, p. m. 592.

(8) V. Ambrosium de Altamura *biblioth. Dominicanæ*, p. 19, apud Jo. Alb. Fabricium not. n. ad Trithemium *De S. E.*, n. 388.

(9) *De S. E.*, cap. 22.

(10) *Hist. lib. script. eccles.*, ed. 1688, p. 682.

(11) *De scriptor. eccles.*, n. 388.

(12) V. Catalogos mss. Angliæ et Hiberniæ, t. I, p. II, p. 12, n. 476, 8, et in Indice.

(13) V. Catalogos cit. part. I, pag. 145, n. 2702, 103.

(14) V. Catalogos cit. p. II, p. 5, n. 143, 4.

(15) V. l. c.

Audi quid breviter dicat ad ista liber.
Petrus et Ægidius me conscripsere : sed ille
Auctor, corrector ultimus iste fuit.
Ille prior Remis, hic Parisiensis alumnus :
Hic levita gradu, presbyter ille manens.
Simplex clericus hic ; sacri ordinis ille professor .
Ambo graves annis : hic vir, et ille senex.
Alter adinvenit operam, sed in ordine peccans
Omnia dimisit sensibus ire vagis.
Alter acu typica distinctis versibus unum
Consuit in corpus, atque revinxit opus.
Alter abundantis studii ; sed auctior alter,
Quis proponendi debuit ordo geri.
Dulcius ut saperet modulamine condita metri.
Incipit hic Rigæ bibliotheca Petri.

Hinc Petri de Riga *Aurora* ab Ægidio Parisiensi aucta et emendata, adducitur ab Henrico Langhtono in catalogo librorum manuscriptorum collegii S. Trinitatis apud Cantabrigiam (16). Dici debe- B bat : Petri et Ægidii ; non : Petri Ægidii liber, qui dicitur *Aurora*, in Catalogo codicum quos G. Laudus donavit bibliothecæ Bodleianæ (17).

Non Petrum de Riga, sed Petrum Comestorem auctorem *Auroræ* facit Chronicon quoddam ms. in codicibus mss. Thomæ Bodleii (18), forte prænominis paritate deceptum.

Gaudent libri Scripturæ ab auctore translati carmine elegiaco, exceptis Cantico cant corum, Lamentationibus Jeremiæ, libri Jobi, et Actibus apostolorum, qui carmine hexametro, eoque rhythmico, scripti sunt. Non ergo satis accurate dicitur *Auroram* gaudere versibus hexametris et pentametris, in catalogo librorum manuscriptorum bibliothecæ Bodleianæ ex dono Thomæ Bodleii (19) aut versu elegiaco (20), aut versu heroico (21).

Exstat Compendium Auroræ ipso Petro auctore (22); et Epitome libri Petri de Riga qui inscribitur Aurora (23). Recapitulationem inferius me- C morandam hic indicari existimo.

Typis edita nondum est integra Aurora, quam ad varios collatam manuscriptos codices se editioni paratam habuisse testatus est Casim. Oudin (24).

Estheræ liber evulgatus est a Casp. Barthio (25).

Bina disticha de Ruben ex *Aurora* deprompta inseruit Thomas Rudborne *Historiæ majori Wintoniensi* (26).

A Distichon quoddam de Aoth ex Aurora sumptum habet idem Rudborne (27).

Duo disticha de Juda Machabæo ex eadem *Aurora* decerpta sistit idem (28).

Integram *Auroram* edere nunc nolumus, sed specimina solum ex ea aliqua. Tres inprimis codices manuscriptos consuluimus, duos Helmstadienses unumque Guelpherbytanum.

Præmitto ordinem librorum V. et N. T. quem servant codices Helmstadienses. In primo hæc series observatur : Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomion, liber Josue, Judicum, Ruth, Regum primus, secundus, tertius, Cantica canticorum, Regum quartus, Lamentatio Jeremiæ, Daniel, Job, Tobiæ liber, Esther, Judith, Machabæorum, Evangelium Lucæ, Marci, Actus apostolorum. Codex alter Helmstadiensis hoc ordine procedit : Pentateuchus, libri Josue, Judicum, Ruth, Regum, Tobiæ, Danielis, Judith, Esther, Machabæorum, Job, Lucas, Marcus, Actus apostolorum, Cantica canticorum, Lamentationes Jeremiæ.

Observatu curiosum est finitis Actibus legi in codice posteriori : *Explicit Vetus et Novum Testamentum. Incipit prologus super Cantica canticorum.* Videturque auctor eum librum canonici vulgari non vindicasse.

Speciminum loco dabo.

I. *Prologum* ex codicibus priori Helmstadiensi et Guelpherbytano mss.

2. Subnectitur in codice priori Helmstadiensi ms. *Auroræ Recapitulatio utriusque Testamenti*, quæ in altero posita inter Machabæorum et Jobi libros. Similis ea est Fulgentii libro absque litteris. Textum ipsum ex binis codicibus Helmstadiensibus dabimus.

3. *Singularia* quædam ex Petri de Riga Aurora *excerpta*, quæ a textu in primis Scripturæ S. abludere videntur, eaque historica, notabimus.

II. Petri de Riga *Speculum Ecclesiæ* carmine exstat manuscriptum in bibliotheca Caroli Theyeri n. 288 (29).

III. Exstant et *Carmina* Petri de Riga manuscripta in bibliotheca Bodleiana ex donatione Keneldi Digbaei, n. 104 (30).

(16) N. 35, v. Catalogos mss. Angliæ et Hiberniæ, t. I, p. III, p. 96, n. 290.

(17) D. n. 94. V. Catalogos cit. p. I, pag. 60, n. 761.

(18) N. 14. Tr. 10, v. Catalogos l. c., pag. 100, n. 1979.

(19) N. 105. V. Catalogos l. c., p. 145, n. 2702.

(20) V. Catalogos cit., p. III, p. 96, n. 287, 32.

(21) V. l. c., n. 290,35.

(22) V. l. c., p. 133, n. 1319, 43.

(23) V. Thomæ Smithi Catalogum bibliothecæ Cottonianæ, p. 130. *Titus* D. XX, 10.

(24) Supplem., p. 475, apud Gv. Caveum *De S. E.*, p. m. 592.

(25) *Adversar.*, lib. XXXI, cap. 15. — Diversitates lectionum quas hic ex codd. Helmstad. affert Leyser adhibuimus in textu Barthii emendando. Edit.

(26) L. III, c. 3, in *Anglia sacra*, ed. Londin., 1691, p. 204.

(27) L. c.

(28) L. c., c. 7, p. 209.

(29) V. Catalogos mss. Angliæ et Hiberniæ, t. II, vol. I, p. 202, n. 6658.

(30) V. Catalogos cit., t. I, p. I, p. 82, n. 1705.

II.

NOTITIA IN ÆGIDIUM PARISIENSEM.

(Oudin, *ubi supra*, p. 1723.)

—

Ægidius Parisiensis, gradu seu conditione diaconus, artes liberales atque grammaticam præsertim D Parisiis diu professus est, arteque poetica præsertim excelluit, qui inter primarios sui temporis poe-

tas recensetur a Guillelmo Britone, in fine suæ *Philippidos*.

O si Gualterus ille, vel Ægidius esset
Tempore! quam clare niteant tua bella cothurno!
Totus Alexander, et qui processit ab illo
Antiochus, bis sexque duces plebs esse dolebunt
Respectus splendore tui : succumbet et ipsa
De te composito mordax gira pigra libello,
Horum si similem mereatur habere poetam.

Hic Ægidius anno circiter isto 1200 scripsit *Instructionem puerilem* in quinque libros digestam, quam Ludovico Philippi Augusti filio adhuc parvulo dedicavit, qua eum ad amorem virtutis exemplo Caroli Magni adhortatur : unde opus istud *Carolinum* inscripsit. Habetur ms. in insigni bibliotheca Colbertina, codice 4507, cui titulus litteris minio exaratis : *Incipit Carolinus* (31) *Ægidii scriptus ad instructionem illustris pueri Ludovici Franciæ regis filii*. Alium operis hujus ms. codicem habuit Parisiis Jacobus Mentelius, quem transcripsit Marquardus Gudius manu sua, dum Parisiis hæreret, ut constat ex catalogo bibliothecæ dicti Gudii, qui a. 1706, in-4°, Kiloni impressus est apud Bartholdum Reutherum. Illic enim inter mss. codd. 334, in-4°, pag. 572, dicti catalogi. Prologus aliquot carminum.

Interius si quam videatur habere medullam,
Hoc jam præmissis adjiciatur opus.

Initium libri primi.

Primus apostolici studio declarat honoris,
Septennem Carolum gessisse insignia regis.
Subdit ut ante pater rex est de consule factus,
Hilduicus subsedit iners, in claustra reclusus, etc.

Hic ad calcem libri quinti de professoribus ex urbe Parisina oriundis agit, ut eorum retundat injuriam, qui aiebant nullos viros doctos, ex ipsa urbe, ubi constituta esset Academia, esse oriundos. Hos refert sæculum IV *Historiæ Universitatis Parisiensis*, ad a. 1198, fol. 526 et 527, tanquam faventes et

A honori Parisiensium consulentes. Idem Gilo seu Ægidius Parisiensis, poeta sui temporis habitus insignis *Historiam primæ expeditionis Hierosolymitanæ* post Fulconem *libris* IV absolvit (32), quos habes in Collectaneo *Historicorum Franciæ* Andreæ Duchesnii, tomo IV, p. 898, sub hoc titulo : *Incipit liber quartus a Domino Gilone Parisiensi, cum cæteris sequentibus eleganter scriptus*. Usus est versibus leoninis, ut Fulconem quem excipiebat imitaretur.

Interpolavit quoque et emendavit *Aurorum* (ita dictum opus Petri de Riga) scholarum pulpita jam occupantem, meliorique ordine disposuit. Habetur hæc *Aurora Petri Rigæ* cum commentariis M. Ægidii Parisiensis, ms. in bibliotheca S. Victoris ad
B muros Parisiensis littera KKK. 27, fol. 62. Prologus Ægidii qui *Auroram* correxit, incipit : *Fraternæ charitatis quasi quamdam sapit dulcedinem, et in Domino jacit quis cogitatum suum*, etc. Hæc autem leguntur in præfatione codicis ms. Paulinæ bibliothecæ Lipsiensium.

Scire cupis, Lector, et cætera, quæ jam supra leguntur apud Leyserum.

[Hæc inter alia *Auroræ* adjecit Ægidius : 1° Præfationem metricam, ad Odonem Parisiensem episcopum, quam ex codice Helmstad. exhibet Leyser, p. 737; 2° Epilogum. Excipit Epilogum narratio quædam quæ quidam Ægidii nomen non præfert, ei tamen non incommode adjudicatur. Eam edidit
C laudatus Leyserus, p. 740.

Adnectitur et *Auroræ* ejusdem Ægidii tractatus *De pœna infernali metricus*, ibid., p. 742.

Mysterium de agno paschali per Mag. Ægidium, velut singulare scriptum adducitur inter codices mss. quos G. Laudus donavit bibliothecæ Bodleianæ, quod tamen non nisi excerptum quoddam ex *Aurora* esse videtur.]

(31) Prodiit *Carolini* liber quintus, sed mutilus, inter *Scriptores* Chesnii, tom. V; integrior postea in *Recueil des historiens de France*, tom. XVII. Edit.

(32) Fallitur Oudinus. Hanc Historiam scripsit Gilo alter Parisiensis, S. R. E. cardinalis, Tusculanus episcopus, qui anno 1142 obiit : vide *Patrologiæ* t. CLXXIII, et *Histoire littéraire de la France*, tom. XVII (in-4°, Firmin Didot. 1832), pag. 26 et 36.

FRAGMENTA
EX LIBRO PETRI DE RIGA CUI TITULUS :
AURORA,
VARIIS IN LOCIS OBITER INSERTA
Cum Ægidii Paris. additionibus.

—

I. — PROLOGUS PROSAICUS.
(Fabric. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, V, 277.)

Frequens sodalium meorum petitio, cum quibus
D conversando florem infantiæ exegi, ut librum Geneseos stylo metrico depingerem, et inde aliquas Allegorias elicerem, instanter persuasit. Ad hanc

fateor suasionem animus meus in dubio pependit, A incertus an scriberet an obmutesceret. Vires enim ingenii tanto operi minime sufficere considerabam. Sed alia de parte petitioni sodalium obviare formidabam. Neque enim fas erat offendere illos, cum quibus in scholis ab infantia conversatus sum, cum quibus grammaticæ libros percurri, et Ciceronis aureos flores legi, et elegi, et Labyrinthium Aristotelis non filo Dædali sed Filio Dei duce introivi aliquantulum, inspexi, sed non penitus introivi. Assidua ergo sociorum prece vel potius fraterna charitate devictus, opus injunctum arripui, cogitans historiam Genesis versibus texere, studensque de ipsa aliquas allegorias elicere, tanquam nucleum de testa, granum de palea, mel de cera, ignem de B fumo, medullam de ordeo, vinum de azymo. In quo opere ita studui desudare, ut videas quadam consonantia sibimet concordare, s. Christi margaritam cum Moysi adamante, flores Ecclesiæ cum herbis Synagogæ, aurum Christianorum cum ferro Judæorum, legem novam cum lege antiqua, molam cum mola, rotam cum rota. Porro visum est etiam huic libello juxta operis tenorem hoc nomen congruenter imponere : *Aurora*. Nec immerito. Sicut enim Aurora terminum nocti imponit ; principiumque diei adesse testatur; sic et libellus iste tenebras umbrarum et veteris legis obscuritates discutiens veritatis fulgore et allegoriarum scintillulis micantibus totus refulgeat. Vel ideo certe tam clari nominis majestate hanc paginam insignivi, quia C sicut angelus, teste historia quam percurro, post luctamen nocturnum locutus est ad Jacob : *Dimitte me, aurora est*, sic et ego post luctamen et laborem, quem in hoc opere exercui, quodammodo libellum meum ejusdem verbo allocutus sum : *Dimitte me, Aurora est*, quasi dicatur, finem impono huic operi, quia figuras et umbras explicui, et veritatis fulgor patenter illuxit.

II. — PROLOGUS METRICUS.

(Leyser, p. 701.)

Initium mundi : quales in origine prima
 Traxit ab artificis conditione vices ;
Quæ fabricæ contenta dedit ; quæ semina rerum ;
 Omne creatoris munus opusque Dei.
Quodam chirographo Moyse duce carminis hujus
 Est animus motus commemorare mei.
Hujus adhuc putei, velut eruderator in altum.
 Ad typici sensus vim penetrare volo.
Sic quæ figurali mysteria clausa sigillo
 Sensibus historicis eliciturus ero.
Nec quam nil operer sed sic magis optima secter
 Ridiculo debent seria nostra legi.
Credo supervacuo non indulgere labori,
 Credo lectori, credo valere mihi.
Consona nam cum sint fidei nostræque saluti,
 Hæc ego non alio ducor amore loqui.
His ego fraternum meritis mihi venor amorem.
 His ego munificum venor habere Deum.
Da, tua facta, Deus, ut prosequar ore fideli
 Et sit sermo tuus vatis in ore tui.
Tu gressus dispone meos. Tu pectus adauge.
 Tu sensus aperi. Tu plue verba mihi.
Porro sit mecum, qui se fidei profitetur
 Esse receptorem, Christicolamque tuum.
Myntologi (33) cedant, et apud gymnasia vatum
 Hic habeant primum præcipuumque locum.
Hic rerum figens oculum simul ire videbit
 Grammaticos apices, eloquiumque sacrum.
Hic adhibens studium juxta genus omne Latinum
 Dicendi inveniet elicietque modum.
Ergo poetarum potius quam dicta canora
 Hic tibi proponi turba scholaris ama.
Hic tibi magna seges ubi qui semel inspicit, et si
 Primo discredit, postea nemo neget.
Sustineas igitur, et me procedere fas sit,
 Si fieri possit, invide, pace tua.
Nam nihil efficeres, ubi tot tutoribus uti
 Spero ; sed esset opus claudere labra tibi.
Hæc, ut præmisi jam, nunc dicenda videto
 Lector et hoc vigili primitus aure nota.

III. — PROLOGUS METRICUS ALTER,

Qui est Ægidii Parisiensis, et præmittitur Novo Testamento.

(Leyser, p. 737.)

Incipit prologus ad Odonem Parisiensem episcopum.

Utile cum dulci studio miscere sategi,
 Quando hæc inclusi mystica lege metri.
Ex se res quod ametur habet. Modulatio præstat,
 Ut magis e facili possit in aure bibi.
Nil æque cupio, quantum ut sit fructus in istis,
 Mentem lectoris ædificasse mei.
Res ideo tractare sacras post illa reducor,
 Quæ quondam ex animo forte fuere levi.
Sicque decebat, nisi tot jam ante negotia lusi,
 Ut cuperem vel nunc ad meliora rapi.
Munus ab Ægidio missum tibi suscipe, quæso,
 Magne pater, præsul Parisiensis, Odo.
Sæpe aliquo volui vobis servisse videri,
D Nec satis adverti, quomodo posset agi.
Donec eo libro, qui bibliotheca vocatur,
 Causa ad rem faciens, et satis apta, datur.
Vulnificabat enim defectio magna libellum,
 Cui neque quæ decuit janua prima fuit.
Post faciens saltum, de paschali nihil agno
 Dixit. In hoc languens, deficiensque, loco.
Forsan materia est nimis ardua visa canenti.
 Forsitan et fessus rapuit actor onus.
Quocirca, a sociis crebro multumque rogatus,
 Istum defectum tollere velle. Tuli.
Insuper in libris Tobiæ, Judith, et Esther,
 Et Machabæorum, mystica multa dedi.
Post toto veteri supplevi in corpore legis,

(33) Forte *Mythologi*.

Ut magis adverti, quidquid abesset ibi.
Quidquid non remis visum est debere quod auri,
Id plerique suis inseruere libris.
Deinde Evangelio, quidquid quasi fessus omittit,
Maxima supplendi cura laborque fuit.
Totque fuere, qui hæc perscribere vix ego gessi
Spem, si tentarem, posse nocere mihi.
Postea collegi per singula, quæ caput idem
Textus, et expositor promptus ubique fui.
En ego perscripsi vobisque in minima misi,
Sicut dilecto præcipuoque pater.
Non quia non esset modulus faciendus ad aures
Tanti pontificis ardui ore chely.
Verum materiæ pro majestate putentur
Sicut quæ deceant et satis apta dari.
Sunt nonnulla quibus, veniam peto non bene mis- [sis
Sed fuit id fieri lege necesse metri.
Esse etiam clemens optatur ad omnia lector
Nam neque inest elegis forma venusta nimis.
Nec cito prosiliant nosci in commune, sed ante
Privati incipiant et sine teste legi.
Imo sub examen veniant prius. Inde favorem
Sub titulo vestro, si meruere, ferant.
Tunc tandem dicant esse hæc supplemina nostra.
Ac tu lector ubi sic decet esse nota.
Nam quia sum libri consutor factus ubique
Versiculis nostris prætitulatur aens.

—

IV. — FRAGMENTA EX GENESI.

(Leyser, p. 727.)

Gen. ii. *Perhibet auctor primam linguam Hebræam fuisse, Adamum, somno immisso, prophetam factum, visionesque suas scripto tradidisse.*

Mox Deus adduxit animantia singula terræ :
Præbeat ut cunctis nomina rebus Adam.
Hebraiceque loquens imponit nomina rebus
Omnibus ille. Prior illa loquela fuit.
Post in Adam misit virtus divina soporem.
Non somnus, sed erat exstasis, ille sopor.
In qua perspicuæ causas vidisse supernas
Fertur, et evigilans inde propheta fuit.
Judicium per aquam, per flammam, vidit, et ortum
Christi prædidicit, Ecclesiæque fidem.
Ista prophetiæ mysteria novit ibidem.
Inque suis libris hæc reseravit Adam.

Gen. iii. *Adamum ex terra Damascena creatum perhibet :*

Post ejecit Adam Deus extra, de paradiso
In terram, cujus pulvere factus erat.
Inque Damasceno campo, de quo prius illum
Transtulerat, posuit, cultor ut esset ibi.

Ibid. Statuit Eliam et Enochum in paradisum terrestrem venisse :

Obstruitur paradisus, et ignea spatha, tuendo
Pro ligno vitæ, ponitur ante fores.
Ac ideo gladius versatilis esse refertur,
Quod tandem vellet hunc removere Deus.
A Helias et Enoch paradisum cum subiere,
Præbuit ad tempus ille remotus iter.

Gen. iv. *Tremorem capitis signum Caino a Deo datum dicit :*

Dat Deus ergo Cain signum, cito ne perimatur,
Et motus capitis, et tremor, illud erat.

Ibid. Nomen uxoris Caini revelat :

Ille vagus in terra Noth cum conjuge mansit.
Conjugis illius Calmana nomen erat.

Ibid. Adamum columnas futurorum indices posuisse refert :

Et quasi novit Adam primum dixisse : futurum
Judicium duplex : scilicet ignis, aquæ,
In geminis artem scripsit, posuitque, columnis.
Exstitit hæc laterum. Marmoris illa fuit
B Ut non hæc per aquam pereat; non illa per ignem
Si sit deficiens una sit una manens.
Ut nobis Josephi declarant scripta : columnam
Marmoream tellus Syrica servat adhuc.

Ibid. Quomodo musica inventa sit exponit :

Aure Jubal varios ferramenti notat ictus.
Pondera librat in his. Consona quæque facit
Hoc inventa modo prius est ars musica, quamvis
Pythagoram dicant hanc docuisse prius.

Ibid. Lamechi historiam variis circumstantiis auget :

Lamech venator jaculo pollebat, et arcu :
Qui videndo diu lumine pauper erat.
Hic, pro deliciis pecorum, vel pellibus, arcum
Gestabat. Carnis non erat usus adhuc.
C Hujus erat ductor juvenis, cujus documento
Vulnerat ille Cain, dum putat esse feram.
Rem Lamech discit. Dolet, et transverberat arcu
Hinc juvenem, cujus livida membra facit.
Post Lamech metuens merita, vidensque, quale [esset
Jure Cain pœnæ supplicioque datus :
Cœperat uxores ipsum ne forte necarent,
Aut male tractarent, extimuisse suas.
Idque verebatur, quod eis odibilis esset,
Ut jam difficilis decrepitusque senex.
Ergo volens super hoc seipsum præmunire per [astum
Talia conjugibus insimulare studet.
D De peccante Cain punitio septupla fiet ;
Per septem decies septupla pœna mei est.

Gen. iv. *Adamum luxisse mortem Abelis per centum annos refert :*

Jam post Abel, quem centum luxerat annis,
Uxorem rursus ingravidavit Adam.
Jusserat hoc Dominus carnem sumpturus, et illam
Nolens de reproba sumere carne Cain.

Cap. xix. *Quatuor cum Sodoma periise urbes narrat :*

Post hæc præmissa Sodomam forat ignis, et urbes
Quatuor æquales æqua ruina trahit.
Quinque ruunt urbes, Dominusque pluit super illas
Ignem flammivomum, sulphureosque globos.

Cap. xxviii. *Scalæ Jacobi xii assignat gradus :*

Illa gradus habuit quasi bissenos : quia bissex

Exstant discipuli, qui docuere fidem.

Cap. XXXVII. *De pulchritudine Josephi pronuntiat hæc :*

In vultus alios vigili minus usa labore
Hinc natura dedit, quidquid habebat opum.
In pueri vultus tantum fuit illa decoris
Prodiga. Post munus pene remansit inops.
Commendant pueri decus : os roseum; gena florens;
Scintillans oculus; mens pia; pura caro.
Os; lumen; dentes : imitatur; reddit; adæquant :
Pura; nitens; niveum : lilia; sidus; ebur.

Gen. XXXIX. *Illiciti Putipharis erga Josephum amoris mentionem facit :*

Sulphureo vitio dicitur esse notatus
Phutiphar iste fuit captus amore Joseph.
Nam qui scit, quos non laqueo prædetur amoris
Os, in quo certant lilia mista rosis.
Magnus habebatur antistes regis. Eoque
Phutiphar a vitio non alienus erat.
Nunc etiam tales absorbet, eoque laborant,
Qui mundi regimen et loca summa tenent.

—

V. — EX LIBRO EXODI.

Exod. XXVI. *Occasione circulorum aureorum quinquaginta numerum librorum canonicorum profert :*

Ex auro circli decies sunt quinque parati,
Per quos velorum copula facta fuit.
Circlis auratis decies sunt quinque notati
Libri, quos implent aurea verba Dei.
Quot circli, tot sunt libri. Nova lex habet octo.
Lex antiqua tenet cum quater octo decem.
Isti terdeni libri sunt et duodeni
Antiquæ legis, si numerando legis.
Quinque Moys : Josue; Judex; Paralipomenon; Job;
Bis bini Regum; Ruth; David; et Salomon;
Ezechiel; Daniel; Isaias; Jeremias;
Esdras; Philo; Syrach; plena vigore Judith;
Hester amœna genis; Tobias; et Machabæi;
Scripta prophetarum sunt duodena simul;
Nempe Neemiæ dedit hospitium liber Esdræ;
Et Ruth judicibus hospita facta subest (34);
Scriptorisque sui Baruch librum Jeremias
Post libri recipit posteriora sui.
Hinc Evangelii scriptores quatuor augent
Librorum numerum continuantque suos.
Post Apocalypsis, Paulique volumen, et Actus
In numerum veniunt, canonicusque liber.

Postea de libris novi fœderis clarius :

Hebræos libri quadraginta duo ditant.
Octo libris vernat plebs tua, Christe Jesu.
Ex Evangeliis sunt libri bis duo. Quintus
Est Apocalypsis mystica verba gerens.
Sextus apostolicos luce liber exserit actus,
Septimus et Pauli scripta profunda nimis.
Ultimus ex scriptis Jacobi, Petrique, Joannis
Et Judæ, trahitur conseriturque liber.

A *Ex.* XXXIII. *De Israelitarum angelo tutelari hæc habet :*

Audierat Moses : Tecum meus angelus ibit;
Hunc petit, ut melius indicet illud ei
Genti cuique suus custos datur angelus. Hinc est,
Quod gens Judeæ sub Michaele jacet
Nemo nisi Michael adjutor in omnibus istis.
Exstitit. In libris hoc Danielis habes.

—

VI. — EX LIBRIS REGUM.

III Reg. IV. *De sapientia Salomonis :*

Invenit voces, quibus adjuvare solebat
Ægrorum morbos, subsidiumque dabat.
Obvia spiritibus invenit verba malignis,
Inde fugabat eos non remeare sinens,
B Deque characteribus fuit auctor, quos pretiosis
Insculpsit gemmis, mira potenter agens.
Quos cum radice, quam novit, naribus ægri
Ponens, pellebat dæmonis omne genus.

Cap. X. *Reginam Austri de ligno crucis aliqua prædixisse auctor perhibet :*

Post reditum regina suum quod dicere præsens
Noluit, hoc absens per sua scripta docet.
Indiciis certis regi post nobile lignum
In saltus positum nuntiat esse domo :
In quo privetur vita pendens homo, cujus
Pro nece jus regni perdet Hebræa tribus.
Hoc metuens Salomon rex, intra viscera terræ
Abscondit lignum, delituitque diu.
Donec promeruit piscina probatica circa,
C Christe, tuum tempus istud habere sibi.
Esse crucem dicunt hoc lignum mobile, cujus
Virtus exstinxit lumen, Hebræe, tuum.

—

VII. — EX LIBRO RUTH.

Ad Ruth festinat Petri stylus hujus ut actus
Depingat tenui carmine sermo brevis.
In terra Judæ sub quodam judice plebem
Cœpit confundens ægra vigere fames.
Hac urgente fame timet Elymelec. Fugit. Exit
De Bethlem, remanens in regione Moab.
Uxor adhæret ei Noemi, puerique gemelli,
Hic Maalon, Chelion ille vocatus erat.
Sed vir ibi Noemi viduam moriendo reliquit
Cum pueris. Sponsam duxit uterque puer.
D Dicitur hæc Orpha, Ruth dicitur illa. Decemque
Post annos sponsis mors viduavit eas.
Effundit lacrymas, profert suspiria, natis
Orba suis mulier, et viduata viro.
Has lacrymas redimit ridentis gratia famæ,
Quæ terram Judæ narrat habere cibos
Ergo redire parat. Redeuntem gente relicta
Ruth sequitur. Sequitur et simul Orpha comes
Has Noemi remanere monet : Non est meus, inquit,
Ut vester, populus, participesve Dei.
Sed neque de vobis possum sperare nepotes.
Natos quos genui mors tulit una duos.
Audit, et abscedit, et tunc redit Orpha, sed illam
Ruth sequitur, quamvis illa resistat ei.

(34) Ruth liber jam superius numeratus fuit, isque si tollatur calculus ad XLI non XLII assurgit.

Hanc licet impediat Noemi, jubeatque reverti
Ad populum, tamen hæc instat, et inquit ei :
At quemcunque locum disponis pergere, pergam.
Qui Deus, aut populus, est tuus ille meus.
Quæ te suscipiet morientem terra, sepulcrum
Post metam vitæ conferet illa mihi.
Ruth sanctam notat Ecclesiam de gentibus ortam
Quæ primum coluit idola plena dolis.
Nunc colit et recolit sacra vera, Deumque fatetur
Hunc solum, sancti quem coluere patres.
Quæ perventuram se sperat, quo caro Christi
Conscendit, postquam pertulit ille crucem.
Ruth Noemi sequitur, cum gens conversa priore
Moribus et meritis est imitata patres.
Intrat cum Noemi Ruth terram plebis Hebrææ.
Cum nova cœperunt hordea falce meti.
Hæc petit arva Booth, ubi spicas carpit eundo,
Obsequiis gratam se facit esse suis.
Est ibi dispositum propter sua fata, quod illam
Ex Abrahæ genitus semine ducat homo,
Et qui dicatur in stirpe propinquior illi,
Sed vir talis eam ducere posse negat.
Mox alii cedit, et se discalceat ille,
Seque suo privat jure, locoque suo.
Iste Booth : Dominus vobiscum; primus ad illos
Dixit, qui segetes falce secante metunt.
Laude favente decem majorum Ruth datur illi :
Namque secundus erat iste propinquus ei.
Hunc attende locum tu qui legis ista. Joannis
Baptistæ formam continet iste locus.
Nam velut iste prior cognatus se negat illam
Ducere, sed post hæc jungitur illa Booth.
Sic et præcursor, quem plebs credebat Hebræa
Christum : Non Christus nominor, inquit eis.
Est sponsus, quem vos nescitis, et ejus amicus
Stat foris, et gaudens credit, et audit eum.
Hoc verbo se præcursor discalceat : ejus
Corrigiam non sum solvere dignus, ait.
Hocque modo Christus se calceat, hujus amictu
Carnis dum regitur, ut sociemur ei.
Ergo Ruth Ecclesiam, signatque Booth Crucifixum.
Jungitur illa Booth : jungitur ista Deo.
Majorumque decem benedicit sermo duobus,
Ut det eis fructum, qui dare cuncta potest.
Hic notat illa decem benedictio, quod benedici
Gens salvanda Jesu nomine semper habet.
Nomen cerne Jesu : jota littera prima vocatur,
Demonstratque Jesum, significatque decem.
Vita per hoc nomen datur omnibus, et benedici
Absque Jesu solo nomine nemo potest.
Ille Booth generavit Obeth de Ruth. Pater iste
Efficitur Jesse. Fit pater iste David.

—

VIII. — EX LIBRO JUDITH.

Nabuchodonosorem cum Cambyse eumdem fuisse docet in libri Judith prologo his verbis :

Eustochio Paulæque favens Hieronymus Actus
Transtulit insignes historiamque Judith.
Qui magis ex sensu sensum, quam verba secutus
A Ex verbis, egit scripta labore suo.
Rex Nabuchodonosor Cambises dictus in anno
Regni bis sexto grande peregit opus.

—

IX. — LIBER ESTHER.

(Barthius, *Adversaria*, lib. xxxi, cap. 15, p. 1456, in-fol. Textum Barthii emendavimus ope codd. Helmstad., quorum varias lectiones affert Leyserus in *Historia poetarum medii ævi*, p. 697.

Donec ad Æthyopum terras veniatur ab Indis
Rege sub Assuero subdita terra fuit.
Huic soli regi regio centena ministrans
Prona jacens humilis sub pede regis erat.
Susis in urbe thronum posuit, quæ quaslibet urbes
Non est æquales passa fuisse sibi.
B Tertius annus erat regni, cum larga paravit
Prandia rex ducibus principibusque suis.
Præstitit hic epulum centum septemque diebus,
In regis celebri sidereaque domo.
Quam festiva fuit domus hæc si consulis actus
Regis Alexandri scire legendo potes.
Præbebat robur argentea massa columnis
Quas manus artificis sculpserat arte nova.
Tectum fulgebat instar cœli cameratum
Cum cœlo certans pene decore pari.
Illic ridebant vincentes sidera gemmæ,
Lux inerat thalamis sidereusque nitor.
In septem gemmis errantia sidera septem
Illic aspiceres cursibus ire vagis.
C Chrysopasus solem, lunam complexa smaragdus,
Mercurium jaspis, chrysolitusque Jovem.
Marti nubit onyx, Venus est juncta berillo,
Saturnum magnes luget adesse senem.
Gemmarum porro bis sex sculptura figuris
Bis sex signorum par similisque fuit
Vervex, Bos, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Statera,
In septem gemmis signa tot ista nitent.
Scorpius, Arcitenens, Capricornus, Fusor aqua-[rum,
Pisces, in gemmis quinque vigendo nitent.
Sic duodena cohors gemmarum cum duodeno
Ordine signorum ludit honore pari.
Postquam sumpserunt regalia fercula finem,
Convivas alios regia mensa vocat.
D Rex jubet ut populus, qui Susis in urbe moratur,
Conveniat, senis festa diebus agat.
Extra septa domus astabat porticus, horto
Proxima florigero deliciisque dato.
Rex jubet hic omni populo præclara parari
Fercula, pincernas stare, novare scyphos :
Plurima convivis ex horto gratia fluxit
Condibatque cibos visus odorque datos,
In speciem pascens oculos, nareis in odorem;
In gustum fauceis nobilis hortus erat,
Quælibet arbor ibi confert tria ; fit medicina
Morbis ; fit fessis umbra, fit esca fami.
Non aliquam sterilem prudens natura reliquit.
Non illic arbor vivere virgo potest.
In medio splendens stat vinea nobilis auro,

Argento, gemmis, ignea, clara, micant.
Materies inerat argentea vitibus ejus,
Aurea palmitibus, quam superabat opus.
Distincti vario gemmarum sidere botri
Pene videbantur gignere velle merum.
Illic fulgebant tentoria picta, columnæ
Argentum, funes purpura, byssus, erant.
Insignit lectos nitor argenti, rubor auri,
Seque smaragdinus miscet utrique color
Convivas ridere facit, quæ ridet in auro
Gutta sapora meri, dulcis, odora nimis.
Quorum materies ibi non erat aurea, servi
Exsilium faciunt omnia vasa pati.
[Convivas prandere facit qui pauperat illic
Gustus humum, gustus aera, gustus aquas.
Convivas reficit studio non absque palati
Terra feris, aer alite, pisce fretum (35)].
Convivas mulcet in odore, sapore, colore,
Dedignans species Bacchicus ille liquor.
Non aliquis potum speciebus adulterat illum,
Non Thetidi Bacchum caupo maritat ibi.
Ut potum sumat non est conviva coactus,
Ad libitum sumit pocula quisque suum.
Porro decens Vasthi regina paravit in aula
Regis comparibus prandia digna suis.
Colligit hic dominas patriæ, quas purpura vestit,
Quas stirps nobilitat, quas beat oris honor.
Posthæc rex hilaris post Bacchi pocula, mittens
Eunuchos, Vasthi jussit adesse sibi.
Ut ducibus monstret quanto stellata decore
Eniteat facies, lumina, colla, genæ,
Illa venire negat. Rex iram concipit, illam
Consilio procerum privat honore suo.
Mox jubet inquiri rex omni parte puellas,
Insignes, dignas regis amore toro
Qua faciem Vasthi redimant, quas forma venustet
Quas honor et sensus nobilitetque genus.
Maturant regis famuli præcepta, puellæ
Adsunt egregiæ perspicuæque genis.
Inter quas cunctis sit regi gratior Esther,
Quam quasi spina rosam prompsit Hebræa tribus.
Arte, cibis, aliæ proprium juvere decorem,
Non hæc mendicat quamlibet artis opem.
Pigmentis, oleo myrti, niveoque decore
Auget naturæ quæque puella decus.
Cum cultu vario dabat hæc protector earum
Aggeus eunuchus, nilque negabat eis.
Sufficit huic soli naturæ gratia, cujus
In specie multas illa refudit opes.
Mista rosis nubunt in vultu lilia; nullum
Artis adulterium separat illa duo.
Compluit hanc tanto natura decore quod ejus
Plusquam mortales judicat esse genas.
Ad se post annum dictas intrare puellas
Rex jubet; ingrediens vespere, mane redit.
Quarum nulla, nisi vocet hanc ex nomine princeps,

A Regis in amplexus ausa venire fuit.
Tempus adest igitur gratum, cum debuit Esther
Ad nutum regis ejus adire thorum
Illa fuit quam mors orbarat utroque parente,
Quam Mardochæus fovit amore patris
Hic Judæus erat, hæc ejus filia solo
Affectu, patrio sanguine neptis erat.
Cujus consilium, doctrinam, jussa, studebat
Fortiter in factis omnibus illa sequi.
De Babylonis humo qua transmigraverat ille
Transtulit hanc Susas, hic faciendo moram.
Sed nunc ad rerum seriem redeat stylus. Esther
Supplex ad lectum principis ire parat.
Hæret in hanc oculo rex, nec minus hæret amore,
Totum prædatur forma venusta virum.
B Et cognovit eam rex et dilexit amice.
Pro Vasthi regni fecit habere decus.
Copulat hanc igitur sibi, dat diadema, per unum
Mensem conjugii festa manere jubens.
In regno data pax per mensem floruit istum
Et sitiens et egens sanguine mucro caret.
Ne pacem rumpat gladius, conjunctio regis
Totius regni sibula facta fuit,
Nam per cursores majestas regia pacem
In toto regno jusserat esse ratam.
Eunuchi gemini, servantes ostia regis,
Hoc spatio regi damna necemque parant.
Non latuit Mardochæum tam flebile mortis
Consilium, nepti nuntiat ille dolos.
C Exhorrens tantum scelus Esther, omnia regem
Ex Mardochæi nomine scire facit.
Res est quæsita, res est inventa, reosque
In cruce suspendi principis ira jubet.
Hoc facinus libris committitur, inquibus actus
Regum scriptoris penna notare solet.
Post hæc rex exaltat Aman, qui traxerat ortum
Ex infelici germine regis Agad,
Regis, cui vitam concessit mucro Saulis,
Quem Samuel gladians consocrat ense Deo.
Dictus Aman dives opibus, sublimis honore,
Multis florebat Susis in urbe bonis.
Huic plebs, huic proceres, huic plurima turba potentum
Sæpe genu flectunt dum terit ille vias.
D Solus erat Mardochæus qui, legis Hebrææ
Jussa sequens, flexum spernit habere genu.
Sæpius hæc expertus Aman, qua vindicet arte
Dedecus hoc, cœpit volvere corde malo.
Nec placet huic sic puniat hunc ut gentis Hebrææ
Quæ manet in regno puniat omne genus.
Rhetoricis igitur phaleris sua verba colorans
Affectum regis ad sua vota trahit.
Impetrat ut princeps sua scripta sigillet et omnes
Judæi pereant, qui regna sua colunt.
Per varias varios legatos dirigit urbes
Quas habitando colit vulgus, Hebræe, tuum.
Igne perire, pati ligni suspendia, tundi,

(35) Uncis inclusa desunt in textu edito.

Verbere, transfigi vulnere, scripta docent
Luxque statuta fuit et tempore fixa fuere,
Cum debet peragi flebile stragis opus.
Flebilis hic rumor Mardochæi ferit aures
Infigit cordi vulnera dira dolor.
Sacco membra tegit, clamando concutit aulam,
Vesteis ungue secat, fletibus ora rigat.
Reginæ mandat ut sit medicina dolori
Ut cum rege loquens exerat inde preces.
Hæc Mardochæo jejunia mandat, ut omnis
Gens sua jejunet Susis in urbe manens.
Esther adit regem. Pius ille tetendit ad istam
Aureolam virgam quam tenet ille manu :
Oscula dat virgæ regina ; dat oscula princeps
Stanti reginæ, sidus utrumque stupens ;
Cumque suos oculos in forma pasceret, inquit,
« Si, Regina, petis dona, petita feres.
Dimidiam regni partem tua forma meretur,
Quod cupis ergo petas, fiet id absque mora. »
Esther ait regi : « Precor hac in luce venire
Ad mea dignentur prandia rex et Aman. »
Adsunt : utuntur epulis, plauduntque Lyæo
Quem per convivas aurea vasa pluunt.
Rex hilaris factus post largi nectaris imbrem
Protulit hæc : « Esther, quæ cupis, illa pete. »
Inquit : « Rex et Aman veniant precor ad mea soli
Prandia cras ; regi tunc mea vota loquar. »
Exit Aman lætus, assurgit vulgus eunti,
Inclinat caput hic, flectit, ille genu ;
Mardochæus ei nullos impendit honores,
Nec solo motu sedis honorat eum ;
Iram dissimulans abit hic, declarat amicis
Quanta sit ipsius gloria, quantus honor.
Adjungens quod eum cum rege vocaverit Esther,
Ut secum sumant luce sequente cibum.
Nil tamen esse putat quod tanto splendet honore.
Si Mardochæo vivere detur adhuc.
Uxor et affines illi responsa dederunt,
Ut magnam Xitius præparet ille trabem.
In qua Judæus pereat suspensus et illud
Suggerat et moveat regis in aure prius.
Ut pede festivo detersa nube doloris
Sic ad reginæ prandia lætus eat.
Consilio credit ; parat ergo trabem crucis instar
Ex oculis vertex cujus ad astra fugit,
Rex nullum somnum capit illa nocte, jubetque
Libros afferri, regia scripta legi
Dumque fidem Mardochæi describeret, istud
Factum, cujus ope regia vita stetit.
Rex inquit : « Tantæ fidei quæ reddita merces ? »
Respondetur ei : « Præmia nulla tulit. »
Atria regis Aman subit hoc in tempore, vota
[(36) Præconcepta promens consiliumque datum,
[Intendit postquam fuerit sibi copia, regi]
De Mardochæo suggerat omne malum,
Cognitus est : patuere fores, a rege vocatur,
Cui rex verbum dirigit, ista loquens :

A « Quid fieri deceat homini quem gratia regis
Sublimare cupit crescat ut ejus honor. »
Ille putans de se dictum quo regis ab ore
Prosiluit, fauces solvit ad ista suas :
« Quem rex insignem fieri cupit, induat, ornet
Purpura præfulgens et diadema micans.
Regis equo sedeat cui frenum fulgeat auro
Quem phaleræ fingunt pictaque sella tegit.
Ducat equum primus de principibus, celer urbem
Introeat, cives ad nova jussa vocet :
Qui tali clamore sonat : Quem regis honorat
Gratia, sic claro debet honore frui. »
« Hunc Mardochæo, rex inquit, confer honorem,
Nil prætermittas inde caveto tibi. »
Regia jussa timens quamvis invitus honorans
B Judæum, properans omnia complet Aman.
Nubilus inde domum redit, hoc exponit amicis,
Corde gemens, vultu turbidus, ore fremens.
Rex mittit famulos ad Aman, festinet ad Esther
(37) [Prandia. Suscepit mensa parata duos.
Rex hilaris factus post blandi nectaris haustum,]
Inquit reginæ, « Quæ cupis illa pete. »
Respondit regina : « Mei populi peto vitam
Cujus damna, neces, plebs inimica sitit. »
Rex ait : « Hoc facinus disponere quis ausus ? »
Intulit hæc : « Agit hoc iste cruentus Aman. »
Iras in regem pariunt hæc verba, stuporem
Incutiunt in Aman, hic dolet, iste stupet.
Rex hortum subit iratus, detergat ut ejus
Nubem tristitiæ forma serena loci,
C Corruit ante thronum reginæ criminis auctor,
Orans ut regis leniat illa minas.
Rex rediens pronum prope lectum conjugis illum
Inveniens, profert aspera verba nimis.
Proh pudor! hic hostis in regis dedecus, ipsum
Nec metuens, Esther vult violare decus.
Arbona respondet, stat lignum, brachia cujus
Pro Mardochæi morte paravit Aman.
Inquit rex : « Expiret Aman suspensus in illo ;
Puniat auctorem pœna parata suum. »
Obtinet effectum velocem jussio regis.
In cruce suspensum vita relinquit Aman.
Impetrat hæc iterum regem regina precando,
Ut damnet scriptis scripta priora novis ;
D Ut perfecta salus Judæis detur et hostes
Illorum pereant subjaceantque neci.
Ut crudelis Aman pueri bis quinque necati
In ligno corvis dent alimenta cibi ;
Ut Mardochæus regis mereatur amorem,
Totum possideat quidquid habebat Aman.
Omnia rex fieri cito præcipit, omnia fiunt,
Nullam senserunt regia jussa moram.
Cod. Helmstad. 1 addit :
Rex qui facit convivia tempore in alvo
Virginis est, mundo gaudia festa parans.
Regis ad has epulas Synagoga vocatur ut intret,
Quæ dedignatur atque venire negat.
Respuit hanc, et captivam sibi Christus adoptat

(36) Hæc omittuntur in textu edito.

(37) Hos versus omisit Barthius.

Ecclesiam. Sic fit nubat ut Esther ei.
Hanc infestat Aman, mundanus quisque tyrannus,
Sed perit ars ejus et manet hujus honor.

Hic subjunguntur in utroque codice Helmstadiensi versus sequentes :

Inde quod evasit mortis gavisa periclum,
Festum plebs summo fecit Hebræa Deo,
Quod debere coli veteres statuere futuris
Et festo nomen imposuere Phurim.
Solemnizat adhuc Judæus et excolit Esther,
Illud ab antiquo perpetuando decus.

—

X. — DE SANCTA SUSANNA.

(Vide *Patrologiæ*, t. CLXXI, col. 1287, inter Hildeberti Cenomanensis Carmina miscellanea.)

—

XI. — DE RUBEN.

(Wartons, *Anglia sacra*, I, 204.)

Tu primogenitus, virtus mea, tuque doloris
Principium, donis imperioque prior :
Sicut aquæ liquor es effusus ; crescere nunquam
Posses ; læsisti nempe cubile patris.

—

XII. — DE AOTH.

(Ibid.)

Qui populum servet, qui dextram conterat hostis :
Illa Dei pietas pro pube mittit Aoth.

—

XIII. — DE JUDA MACHABÆO.

Post patris occasum Judas Machabæus, ut hostes
Exstinguat, gentes conterat, atque parat.
Fratribus et sociis, et cognatis et amicis
Fultus et adjutus, vulnus in hoste facit.

—

XIV-XVI. — EX EVANGELIO.

Tange, Camena. — Tres recepit. — Trina domus.

(Vide *Patrologiæ*, tom. CLXXI, col. 1388, 1389, inter Hildeberti *Carmina miscellanea.)*

—

XVII. — EX EVANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

(*Hist. litt. de la France*, XVII, 35.)

Ventre Joseph cernensque stupensque Mariam
Quærit ut abscedat, clamque relinquit eam ;
Sed monet angelus hunc in somnis ut sua fiat,
Conjuge nil in ea cogitet esse mali ;
Conceptum puerum sacro de Pneumate credat,
Imponensque Jesu nomen honoret eum
Qui salvet populum, qui mundum mundet ab omni
Crimine, fit miseris spes, medicina reis.
Paruit ille sacris monitis vir, virginis esse
Gaudens, cum sancta Virgine virgo manens.

—

XVIII. — RECAPITULATIO UTRIUSQUE TESTAMENTI.

(Leyser, p. 703.)

Incipit prologus in brevi recapitulatione, quæ sequi- A *tur de omnibus, quæ superius diffusius pertractata sunt.*

Hæc de lege nova veterique volumina complens
Facturus finem, si licuisset, eram.
Hic fuerat standum, nisi quod diversa voluntas
Ecce mihi surgit, consiliumque novum.
Nam lector quæcunque prius diffusius egi,
Ut docilem reddam cuncta, resumo tibi :
Supra personas, et res, et nomina multa,
Descripsi, memori si bene mente tenes.
Ne qua tibi desint ea magna parte resumo,
Et brevibus verbis, breviore stylo.
Quæres : hexametro qui me nunc lege gerebam,
Cur iterum claudis hic vehor ipse rotis.
Hoc est pentametris cur rursum versibus utor,
B Nam nequeo longæ tædia ferre moræ.
Ad metam properare juvat : vicina videtur,
Hactenus effusum quæ mihi sistat iter.
Porro quæ subdo, nova sunt, quamdam novitatem
Dum sequor in verbis, artificemque modum.
Nec tu culpandi studio, quæ seria dixi,
Otia dicturus, ludicra nostra putes.
Quidquid id est attende libens. Deservit in usum
Nostra rudimenti cura laborque tui.

Explicit prologus.

—

INCIPIUNT RECAPITULATIONES UTRIUSQUE TESTAMENTI.

Prima distinctio sine A.

Principio rerum post quinque dies homo primus
Conditus in sexto creditur esse die.
C Exprimit hic Christum, qui sexto tempore mundum
Ingrediens fit homo nos redimendo cruce.
Fit conjux ex osse viri, dum somnus in illum
Mittitur, et Christi mors fuit ille sopor.
Ecclesiæ signum fuit hæc de corpore Christi
Terreni generis sumpsit origo fidem,
Per ligni vetiti gustum nos ille peremit.
In cruce nos redimit ille cruore suo.

Sine B.

Ense Cain fratris transfodit viscera sanguis :
Fusus de terra clamat in aure Dei.
Judæus Christum perfodit cuspide, cujus
Sanguis sic clamat, quod male nostra lavat.
Pravos in terra fundatos exprimit Enos,
D Mœnia de cujus nomine facta legis.
Seth, cujus nomen surrectio dicitur, illum
Monstrat qui surgens de cruce summa tenet.
Enos, qui nomen Domini prius invocat, illos
Insinuat, qui spe gaudia vera petunt.
Quem redimit post septenas decies genituras
Et septem, Christus exstat imago, Lamech.
Septimus a primo patre translatus fuit Enoch :
Quos recipit requies septima signat eos.

Sine C.

Ne pereat mundus lignum Noe rexit in undis :
Per lignum per aquas hos pie Christe (37) lavas.

(37) C. in Ch. aut saltem in voce Christus a littera C. ordinaria diversa habetur, scribiturque plerumque in codicibus veteribus mss. Ch. in Christus per Græcum X. Quamvis vero hæc vox excusari possit, tamen in aliis versibus auctor aut scriba adversus institutum pugnavit quo littera C. abesse debebat.

Sem signat quosdam justos, aliosque profanos,
De quo profluxit illa propago patrum.
Gentilis populi, qui noverat inter Hebræos
Vivere porro, Japhet esse figura potest.
Frater, qui patrem derisit, signat Hebræos,
Qui rident Christi probra, crucemque (38) negant.
Is, quem vir justus pro patre suo maledixit,
Judæos signat, quos modo mundus habet.
Quos patres egere reos in sanguine Christi
His verbis proles, post mala nostra lavat.
Nemroth qui turrem construxit (39) ad astra minantem
Est Satanas quærens alta, sed ima tenens.
Mansio signat Heber, ubi prima loquela remansit,
Ædem, Christe, tuam, qua manet una fides.
Rex dominusque Salem panem vinumque litavit,
In quo signatur Christus utrumque potens.

Sine D.

Æterni Patris typus est Abraham pater: aræ
Ille suum natum consecrat, iste suum.
Nil Isaac patitur, aries fit victima: Christi
Nil patitur numen, cum moriatur homo.
Ismael ac Isaac sacra testamenta figurant:
Exprimit ille vetus. Exprimit iste novum.
Hirsutus rufus Esau notat, exprimit illos:
Qui tinxere manus sanguine, Christe, tuo.
Fratri prælatus Jacob notat genus istud
Prætulit Hebræis qui cor opusque notat.
Est Laban Satanas, cujus nomen sonat album:
Nam tegitur falso sæpe colore Satan.
Parca Rachel manet in partu, ventri sed avaris
Jacturam pensat largus in ore nitor.
Proles nobilitat uterum Lyæ: sed egenas
Et steriles habuit, et sine flore, genas,
Pulcra Rachel sterilis mens est intenta supernis,
Fraterno parcens utilis esse lucro.
Lya viget partu, quod (40) lucra per utile verbi
Semen in ecclesiis actio sancta parit.

Sine E.

Dum vir cum Jacob luctatur missus ab alto,
Claudus in instanti sit patriarcha loco.
Cum sic luctatur Christum Synagoga fatigans
Claudicat, et (41) titubat hinc mala multa parans
Lot sanctos signat, quos mundi finis ab illis
Dividit, ac salvat, quos mala flamma vorat.
Uxor Lot notat hos, quos primum gratia Christi
Traxit, post faciunt ad mala prima viam.
Hanc patriam, qua nunc Samaria fungitur, una
Filia Lot signat, ultima nata Sion:
Doctrinis contra Dominum maculatur iniquis
Illius aut hujus incola turba loci.

Sine F.

Est Ruben primogenitus, populum notat illum
A Quem prius elegit gratia summa Dei.
Ille cubile patris violat, dum, quam sibi Christus
Conjungit, carnem cogit inire crucem.
Scribere quos Simeon notat occidere prophetas
Postque prophetarum membra perempta Jesum
Quem manus illorum clavis terebravit acutis
Qui murus noster et petra nostra manet.
Auctores sceleris in Christi morte Levitas
Presbyterosque notat insinuatque Levi.
Judas designat Christum, quem laudat in altis
Angelus, in terris pronus adorat homo.
Bina luce solet catulus dormire leonis,
Postque duos surgit evigilatque dies.
Sic et tertia lux de somno suscitat illum.
Qui stirpis Judæ dicitur esse leo.
B Est asinus validus Issachar recubans prope metas,
Quid bona sit requies, optima terra, videns:
Doctoremque notat, qui robustos gerit actus,
Ad veram requiem lumina mentis habens.
Quæ vitæ meta, quis mundi terminus exstet,
Commemorans, et in his mente cubare studens,
Ecclesiam signat Zabulon, quæ fluctibus hujus
Atteritur vitæ, supplicioque patet.
Dan judex, coluber in largo calle; Cerastes,
In stricto veniens: stabit iniquus equo.
Ex hoc ascendens Antichristus trahet ortum,
Ut Scriptura docens inde loquendo sonat.
Hic erit ut coluber mordens, tanquamque cerastes
C Illis qui rectis gressibus ire volunt.
Est equus hic mundus; est sessor quisque superbus.
Mundi terminus est ungula pedis equi.
Ille quidem veniens in mundi turbine perdet,
Quos poterit mordens dejiciensque retro.
Bella Gad accinctus hunc præcedendo movebit;
Accinctus veniens stabit et ipse retro.
Discipulos notat hic ad Christi bella paratos,
Quos præit et sequitur gratia larga Dei
Panis pinguis Afer, pinguedine panis abundans:
Ejus delicias regibus ille dabit.
Altaris sanctus cibus illo pane notatur,
Qui reges, populos, Ecclesiamque cibat.
D Nephtalin emissus cervus dicatur, ad omnem
Cursum succinctus, verba decoris habens:
A Domino missos celeres portare per orbem
Splendida verba Dei denotat ille viros.

Sine G.

Joseph venditus est, et Christus venditus: ille
Præficitur populis, omnibus iste præest.
Benjamin ante lupus prædam rapiens sibi mane
Arripuit sero, dividit ille cibos.
Ad typicum sensum venio. Saulum notat ille
Ex cujus natus dicitur esse tribu.
Iste prius prædam rapuit sibi more lupino,

(38) *Fidemque* rectius ut C careat vocabulum.

(39) Ad C. tollendum potuisset scribi: *Qui turrim Nimroth exstruxit*, vel: *Nemrothus turrim qui struxit.*

(40) Lego *quo*, quia littera *d* abesse debet.

(41) Rectius: *ac*.

Dum furit in sanctos prosequiturque pios.
Post Paulus factus jam desinit esse superbus,
In populum Domini dum pia verba serit.
Manasses populis prior est, Ephremque secundus,
Quem præcedenti prætulit ecce Deus.
Est Thamar Ecclesia, quæ sanctos concipit actus,
Dum tanquam baculo nititur illa cruci.
Filo coccineo cujus manus hæsit : Hebræos
Monstrat pollutos Christe cruore tuo.
Nos vero frater alius monstrare videtur
Ecclesiæ matris nutrit utrosque sinus.
Diva coacta subit cum terræ principe stultam
Insinuans animam, quam mala vana trahunt,
Job patiens Christum passum notat; ejus amici
Schismaticos, quorum corda superba tument.
Filius iste Saræ de bassa (42) rex Idumeæ
Quartus successor post Esau nituit.
Sed de stirpe Nachor frater qui dicitur Abræ
Creditur hic natus sicut Hebræus sit.
Hoc ex principio libri, quem scripsit habetur
His ubi præmittit codicis ille locus.
Nachor enim natos octo conjux sua Malcha
Edidit, et primus Ilus fuit inter eos.
Pro quo, scilicet Ilus a quo descendit, ab illo
Dicitur in terra Ilus, nomine Job, vir erat.

Sine H.

Ægypti princeps muliebrem vivere sexum
Imperat, et mergi cogit in amne mares.
Dæmon femineos et molles diligit actus,
Ac sanctos odit prosequiturque viros.
Vitalem Moses hoc tempore prodit ad ortum,
Per quem Judæis lex fuit orta Dei.
Quem fiscella neci furatur scirpea ripæ
Fluminis impositus flens puer auget aquas,
Aure bibit parvi vagitum filia regis;
Tolli jussit; ali fecit; amavit eum.
Ista sacram notat Ecclesiam, quæ credula Chri-
[stum.
Ad fontem lavacri cernit adesse sacri.
In ripa lacrymans Moyses Christum lacrymantem
Denotat : in cunis flevit uterque puer.
Aaron, qui populos emundat sanguine, Christum
Signat, qui lavit sanguine cuncta suo.
Quam tetigit lepra Moysi soror, est Synagoga
Quæ lepram patitur credere dura Deo.

Sine I.

Bella movens Amalech tanquam cruce factus ad
[arma
Languet Hebræorum parte levante manus.
Prævalet et superat Hebræos, quando relaxat
Palmas, et cessat fructus ab ore precum.
Quod, cum dependent, admotæ mox ope petræ
Sustentant rectas Hur Aaronque manus.
Hoc sua tela modo marcent, dum mente levatur
Ad cœlum clamans, corde vel ore precans.
Hocque modo celebrat tractans arcana sacerdos
Tunc manuum supplex astat utramque levans :

A Prætentans oculos nostro sermone vocatus
Rector Amorrhæus fertur obesse Sion.
Nosce per hunc Satanam cum se transformat, ut
[exstat
Angelus et fallat qua valet arte bonos.
Ogque Basan rector quem conclusum vocat auctor,
Vel concludentem, denotat esse Satan
Nam conclusus adest cœlo concludere quærens
Est præsens mundo nos lacerando modo.
Porro senos dies septem sacrus replet ardor
Totque loquelæ sunt, quæ sacra verba docent,
Per quos credentes ardescunt Pneumate sacro,
Tot sunt sermones, quos modo mundus habet.

Sine K.

In ligno botrus pendens est, in cruce Christus :
B Profluit hinc vinum; profluit inde salus.
Sunt duo vectores botri gentilis Hebræus :
Hic prior; ille sequens : cæcus hic, ille videns.
Qui prior est dorsum curvans cæcatur Hebræus,
Ne videat Christum credere durus ei.
Sed plebs quæ sequitur gentilis lumine recto
Hæret in hunc Christum mente fideque videns.
Sabbata contemnens homo ligna legens notat illos,
Qui mala multiplicant et sine pace manent.
Uti thuribulis Abyron Dathan et Chore tentant
Contra jussa Dei, schismaticosque notant.
Sed sicut tellus tales absorbuit offas,
Sic et schismaticos puniet ira Dei.
Qui faciunt altare recens, qui schismata quærunt,
Qui baptisma novant, Ecclesiamque premunt.
C Conductus Balaam fuit, ut maledicat Hebræis,
Sed maledicta magi sunt benedicta magis.
Insidet hic asinæ; mutum loquitur pecus; ensem
Non videt angelicum sessor; asella videt.
Muta prius plebs gentilis, loquitur modo laudes,
Christe, tuas : istud signat asella loquens.
Ejus erat sessor quivis, qui falsa docebat
Sacra coli, donec respuit illa deos.
Donec Christus adest, qui consilii fuit alti
Angelus, et gentes subjugat ille sibi.
Cum Zambri scortum Phinees ferit, et notat illum
Qui verbi gladio pessima quæque secat.

Sine L.

Est Josue Christi typus : hic divisit Hebræis
D Terrea regna patris; regna dat iste suis.
Si nos iste viros Jericho transmittit ad urbem,
Per quos agnoscat gentis et urbis opus.
Est Jericho mundus, duo testamenta redemptor.
Misit ad hunc, hominum facta per ista probans.
Funis coccineus pendens hærensque fenestræ
Servat ab hoste Raab resque genusque suum.
Nos servat roseus fusus cruor in cruce Christi
Cuspide costa patens ista fenestra fuit.
Gens Hebræa tribus Jericho circumsonat urbem,
Inde ruit murus sicque triumphat eam.
Non armis, sed verborum virtute sacrorum.
Vicit amatores orbis in orbe fides,

(42) Bassus alioqui notat inferiorem. Forte Hagar eo nomine veiut ancilla et inferior Sara, notatur.

Cujus ubi sonus insonuit mox corruit orbis
Tota superstitio perfidiæque status.
Peccat Achor rapiens aurum; petra vindicat auri
Peccatum; damnat aurea furta Deus.
Schismaticos notat hic, qui miscent aurea scriptis
Verba sacris: istos puniet ira Dei.
Sæva tribus procerum, quam ditat sanguinis ortus
Monte stetit Garizim, ut benedicit ibi.
Infima sena tribus, quæ non ita sanguine vernat,
Monte stat opposito verba severa movens.
Hi quibus incumbit benedictio, corda figurant
Quæ faciunt summæ pacis amore bonum.
Hi quibus incumbit maledictio corda figurant
Intuitu pœnæ quæ vitiosa cavent.
Ara notat mentem, quæ carnis conterit æstus,
Et motus animæ sub ratione premit.
A patre donantur aræ duo munera nobis;
A patre qui regnat munus utrumque datur.
Cum caro jejunat datur arida terra petenti;
Cum gena rore madet humida terra datur.

Sine M.

Post Josuæ de principibus narratio fiet
A quibus ad Juctan fulsit Hebræa tribus.
Sic post te, pie rex, pie dux, pie Christe, periti
Rectores veniunt nostraque bella gerunt.
Si sacra vana colens populus peccaret Hebræus
Istos tradebat hostibus ira Dei.
Si prece pulsaret cœlos sacra vana relinquens,
Hostes terga dabant istud agente Deo
Sic te jussa Dei spernente tuus viget hostis,
Si pulses precibus æthera, victor eris.
Peccat Hebræus adhuc: rex Eglon prævalet illi:
Pressus et afflictus supplicat ille Deo.
Plangit, suspirat, Gideon respirat in illo,
Sperat qui flenti gratus adesse parat.
Pugnis dexter Aoth pugnat, cruri datur ensis
Dextro: rex Eglon corruit, ille redit.
Signat Aioth justos, qui nulla parte sinistri
Ut sint a dextris singula dextra gerunt.
Sexcentos Sangar in vomere percutit hostes,
Doctoresque notat qui sacra verba serunt.
Vellus rore fluit, prius aruit area: vellus
Judæos; gentes arida terra notat.
Legis nube Deus prius irroravit Hebræos:
Sed fuit a tanto plebs aliena bono.
Vellere siccato post hæc fluit area: spretis
Judæis genti gratia larga fuit.
Concha repletur aquis expresso vellere: concha
Virginis impletur sancta liquore sacro.
Delbora sive Jachel proba quæ ligno caput hostis
Perforat, Ecclesiæ quæque figura fuit.
Quippe sacro ligno, signo quasi, Susara Satan
Vincitur, orbatus juris honore sui.
Hinc sequitur Jepte, pro cujus laude triumphi
Vinea nata fuit hostia facta Deo.
Claret in hoc Christus: caro cujus in arbore pen-[dens
A Hostia pro nostra facta salute fuit.
Faucibus exsultat asini Sanson, cruce Christus:
Sternitur hinc hostis, vincitur inde Satan.
Fons novus edente salit, et prodest sitienti:
Nos lavat et renovat crux sacra fonte sacro.

Sine N.

Dux fortis Gazam petit, ut societur amico,
Ducat ut Ecclesiam tartara Christus adit.
Fraude ducem sepelit hostilis turba: sepulcro
Christi custodes ponit (43) Hebræa cohors:
Hostibus ille gravis stellarum tempore surgit
Iste sub aurora læta trophæa refert.
Hic urbis portas, prædam tulit ille beatam:
Prævalet ille suis; prævalet iste suis.
Arduo rapis adit victor dux hoste subacto.
B Victor Hebræorum Christus ad astra redit.
Quod caput illius spoliavit amica capillo
Sacro; quod diris hostibus ille datur;
Quod visum perdit; quod ludit; quod molit; istud
Discute tu lector qui sacra verba legis.
Est ratio quasi vir fragilis; caro dedita dulci
Luxuriæ dici Dalida jure potest.
Illa comam radit, dum te caro lubrica fallit:
Est coma rasa Dei gratia rapta tibi.
Ista de causa te deludit tuus hostis:
Qui ruit e cœlo, qui mala quæque facit.
Sic oculos perdis, quia pulvere te vitiorum
Cæcat, ut mittas corde videre Deum.
Teque facit torquere molam, dum circuit orbem,
C Corque tuum miserum per mala multa rotat.

Sine O.

Ecclesiam Ruth designat de gentibus ejus
Vir Christus caste qui sibi jungit eum.
Anna prius sterilis inventa parens Samuelis
Munere cœlesti facta subinde fuit.
Factaque de sterili fecunda figurat: eamdem
Ecclesiam plenam fructibus esse piis.
Spretus Heli nascens Samuel marcescere legem
Designat veterem, lege sequente data.
Ad gentes legis transire decus gladiati
Patris Heli juvenes arcaque capta petunt
Nititur arte Saul rex, ut parvi citharistæ
Guttas sanguineas regia tela bibant.
Sic et Judæus in Christum perfidus, ejus
D Esuriit, sitiit, vulnera, vincla, crucem.
De parvis Isai minimum reperimus inungi:
Sic agit in minimis gratia larga Dei.
Respicit hic humiles aliena quibusque superbit
Nam tales abjicit, atque resistit eis.
Jure David verum David expressit, quia Christum
Edidit ex ejus stirpe beata parens.
Bersabee nuda regi placuit, quia legem
Christus amat, cujus lucida verba micant.
Rex illa privat Uriam: sic Christus Hebræum.
Lege sua; damnum nescit uterque suum.
Quam gerit Urias Uriam littera perdit:
Quæ gerit Hebræus per sua scripta perit.

(43) Ut littera N. absit, substituatur: *Addit* aut simile vocabulum.

Getheum David exstinguit, Christusque superbum
Qui dicebat : Erit pes super astra meus.

Sine P.

Trans hominem Salomon sensu cum rebus abundans
Fulsit, et affluxit istud et illud habens.
Dignam laude domum cujus certare decori
Non audent aliæ dedicat ille Deo.
Ecclesiam, multo quam Christus honore beavit,
Construit ex justis sidereisque viris.
Regis in æde sacra non est audita securis,
Nullus in ætherea sede tumultus erit.
Naturas hominum ; cantus avium ; medicinas
Herbarum, stellas ætheris ; alta maris ;
Vim venti : vires gemmarum, fluminis iram ;
Et rerum latebras est tibi scire datum.
Fit thronus ex ebore ; Salomon ebur induit auro :
Non meruit similem mundus habere thronum.
Rex Salomon Jesus est ; majestas numinis aurum,
Virginitas ebur est ; virgo Maria thronus.
Sub Roboam, sub Jeroboam : divisio regni
In duo facta fuit istud, agente Deo.
Designat Roboam Salomonis filius illos
Nascenti domino qui tribuere fidem,
Jeroboam servos illos ostendit Hebræos,
Quos in fine necat filius ille necis.

Sine Q.

Igneus Heliam rapit ad sublimia currus :
Non ope non curru fertur ad astra Deus.
Hospes inops mulier Heliam pascit, et ille
Pascit eam : magis hæc pascitur, ille minus,
Non huic defecit oleum farrisve medulla,
Nec minui poterat ille vel ille cibus.
Ecclesiam mulier signat Christumque propheta :
Hunc cibat hunc reficit moribus illa bonis.
Est Christi corpus et chrismatis unctio victus :
Hinc cibat Ecclesiam gratia larga Dei.
Iste cibus semper expenditur ; iste redundat
Semper ; nec minui sive perire potest.
Sumptus in altari panis manet integer ; illum
Semper sumis ; eum sumere semper habes.
Ascendat calvus, pueri clamant Helyseo ;
Sed necat ursus eos, devorat ille simul.
Jure notat calvus Christum : calvaria nempe
Dicitur esse loci pars, ubi Christus obit.
Ursi sunt illi duo : Titus, Vespasianus :
Jerusalem cives hic secat, ille necat.
Clamantes : Crucifige Jesum ! crucifige ! necantur,
Et patrum culpas tota propago luit.
Das famulo baculum, tradas Helisæe ministro :
Nil agitur surgit te veniente puer ;
Non hominem salvat præmissæ littera legis :
Cœpimus adventu vivere, Christe, tuo.

Sine R.

Totus fit Naaman mundatus, dum subit undam :
Nos penitus mundat quos aqua sancta lavat.
Peccans Ozias Judæam denotat ejus
Fœtet pollutum labe fluente caput.

A Sic et Judæos Dominumque fidemque negantes
Polluit impietas, et mala fama necat.
His Ezechias, cui judex addidit annos,
Signat eos, quibus est danda beata quies.
Josias sanctum pascha facit idola tollit :
Pascha Jesus faciens idola quæque fugat.
Fit Sedechias cæcus delatus ad hostes ;
Subjectus Satanæ lumine mentis eget.
Sanctus Esaias pandit loca mystica, tanquam
Sint evangelicum quæ sua lingua sonat.
Castus homo natus Enathot patiendo loquendo
Te signavit in hac laude benigne Jesu.
Hos tua lingua Jesu docuit : nos passio lavit
Utilis ecclesiis illa vel illa fuit.

Sine S.

B Qui mala corripuit Ezechiel notat illum,
Qui mundi rector omnia recta docet.
Dum populo loquitur, labor et dolor opprimit illum,
Cum docet his plebem fert patiturque crucem,
Electrum nitidum, binæque videntur ab illo
Virgæ quæ latet hic mira figura fuit.
Fulget in electro nitor argenti rubor auri.
Emicat in Domino cum deitate caro.
Argentum carnem ; deitatem denotat aurum ;
Carne Dei Verbum copulat ista duo.
Virga prior virgo ; crux altera virga vocatur :
Illa decore placet ; ista vigore valet.
Vita datur mundi, Christum pariente puella ;
C Vipereum frangit crux benedicta caput.
Floruit et viguit pudor in Daniele ; per illum
Et vigor exprimitur innuiturque pudor.
Efficitur Daniel, qui floret carne pudica,
Quem non ad vitium cæca libido trahit.
Qui carnem macerat, qui rerum culmen abhorret
Lubrica contemnit cum Daniele viget.

Sine T.

Cum mœcham ducis Osee : signas crucifixum
Ecclesiam mœcham pronuba mœcha viro.
O prior Ecclesia prius idola vana colendo,
Mœcha quidem fueras corde dolosa Deo.
Sed conversa modo sis regis amica superni,
Numina falsa cavens carmina vera canens.
D Nunc Domino laudes celebras sponso canis hymnos :
Glorificas illum moribus, ore, fide.
Pro sponso laudis modo psalmis, vocibus, hymnis,
Cum quo gaudebis ac sine fine canes.

Sine V.

Porro Joel sonat incipiens hominemque petentem :
Prima sacra menti dona notare potest
Pastorem plebis in Amos pastore notabis :
Ille gregi, plebi profuit iste Dei.
Pascens Abdias centenos pane prophetas :
Altos doctores pontificesque notat.
Num tales debent cœlestis nectare pani
Pascere credentes Ecclesiæque fidem.

Tales commendat sermonis gratia, tardos
Lacte cibant solido fortia corda cibo.

Sine X.

Tam sermone Jonas, quam naufragio, notat illum,
Qui patris est sermo naufraga corda docens.
Mittitur hic; missus metuit; metuens fugit; intrat
Vas fugiens; somnum vase receptus init;
Unda tumet; missa sors hunc facit in mare mergi;
Pisce voratur homo; supplicat ille Deo;
Pisci præcipitur, ut quem tenet evomat offam;
Auctoris verbo paruit ille sui.
Tertia quando dies primum jubar attulit orbi
Evomit in terram bellua jussa Jonam.
A domino servus et filius a patre missus
Dicitur: hic Domino paruit ille patri
Puppe Jonas dormit: moritur Jesus in cruce. Servi
Ille sopor: domini mors pretiosa fuit.
Puppis ligna crucem: Domini tumulum gula ceti
Signat. In hoc per tres dormiit ille dies.
Tertia facta dies vomuit de ventre prophetam:
De tumulo Dominum suscitat illa dies.

Sine Y.

Cernit mente locum, pronuntiat ista Michæas:
Quo paritura Deum regia mater erit.
Nomine teste Nahum consolator notat illum
Qui nos confortat et bona verba sonat.
Fortis luctator Habacuc, qui cornua vidit,
In manibus Domini quisque fidelis homo.
Qui Domino credit, qui salvatum cruce mundum
Prædicat et toto spargit in orbe fidem.
Illos insinuat Sophonias speculator,
Qui Martham spernunt esse Maria volunt.
Præcipit Aggæus Domini domus ut renovetur
Ut juvenescat opus quod senuisse videt.
Unus septenis lapis est ornatus ocellis,
Quem Zacharias mente stupente videt.
Hic est justitiæ sol, quem septena replevit
Gratia, cui penitus omnia nuda patent.
Nuntiat angelicus Malachias dona piorum,
Pœnas pravorum judiciique diem.
Ille figurat eum, qui dicitur angelus alti
Consilii, qui fons est et origo boni.
Mathan, Achiam, Sadoch, Abian, Aian,

A Tobi tres pueros, magnificantque Jesum
Esdram, Zorobabel, Esther, Judith, Machabæos:
Non sine Susanna quæ fuit æqua viro.
Cum supradictis quos carminis ordine puri
Continet hos, tenet hos, lex vetus illa viros.
Explicit de antiquis patribus. Incipit de novis.

Sine Z.

Isti sunt in lege nova baptista Joannes
Cum patre, cum matre, virgo Maria parens.
Petrus et Andreas, Paulus, Jacobusque Joannes,
Custos virgineus qui sine labe fuit.
Thomas, Matthæus, Philippus, Bartholomæus,
Jacobus et Judas non malus imo bonus.
Matthias, Marcus, Lucas, Simeon, Timotheus,
Barnabas et Titus hi docuere fidem.
B Explicit de patribus Novi Testamenti.

XVII. — EPILOGUS.

Oratio Petri Rigæ qui librum composuit.

His te, Petre, tui merito mediante laboris,
Consociet Christus connumeretque bonis:
Ut cum te luteo solvet de carcere, regni
Consortem faciat participemque sui.
Qua ne fraudari possis mercede, beate
Vivere te faciat et sine labe mori.
Amen.

Item oratio cujusdam qui diruta redintegravit

Me simul in serie qui libri abrupta redegi,
Nec comes, at servus hic tibi, Petre, fui.
C Sed quis sim taceo, volo namque latere, minusque
Mundi, plus oculis cognitus esse Dei.
Novit enim Dominus ob publica commoda fratrum
Quis super hoc motus, qualia vota tuli.
Cumque sit illud opus quod nonnisi cœlitus hausit
Mens tua, divinum turba beata canet.
Fratribus hoc factum pro commoditate legendi.
Si qua tua est merces in regione poli,
Me quoque munificet propter suppleta libelli,
Portio perpetui quantulacunque boni.
Et tu, lector, habe partem precis hujus utrique.
Si nostrum cupias idque preceris agi,
Dicito: Fiat; ego respondeo: Sic cupientem
Te quoque contingat hac prece posse frui.
Amen.

ÆGIDII PARISIENSIS

VERSUS

De numero librorum utriusque Testamenti et modo legendi.

(Leyser, *Historia poetarum medii ævi*, p. 741).

De numero librorum utriusque Testamenti, et modo legendi.

Clauditur iste liber in quadraginta libellis.

D Dat triginta duos lex vetus. Octo nova.
Sunt ita dispositi mira brevitate libelli,
Præscripti numeri monstrat ut ordo tibi.

Ore styloque Dei digestus et editus orbi
Canon Scripturæ creditur esse sacræ.
Qui tamen excipit hos : Tobi, Judith, et Machabæus,
Et Baruch, atque Jesum, pseudographumque librum.
Sed licet excepti, tamen hos authenticat usus
Ecclesiæ, fidei regula, scripta Patrum.
Scito quod ista Dei digito digesta fuerunt.
Altus hic est puteus, grandis abyssus inest.
Omnia non caperes si sæcula multa videres,
Et studio vigilans, et ratione vigens.
Spiritus ista docet doctor, qui conditor idem,
Quique scienda dedit, hic quoque scire facit.
Scire facit, si mente studes, si sedulus instas.
Cum prece dans studium, cum studioque precem
Sic studuere patres, ut pagina sacra pateret.
Sic reserant sancti clausa sigilla libri.
Simplex multiplicem cortex hic continet escam.
A Littera ceu cortex. Sensus ut esca triplex
Historicum, typicum, moralem discute sensum.
Si cupis hoc typico te satiare cibo.
Cum legis historiæ textum, bibitur quasi dulcor
Lacteus, aut potius simplicis haustus aquæ.
Nec multum juvat hic. Cum quis tamen appetit, ejus
Spiritus exemplis ut recreetur agit.
In typico sensu vini sentitur acumen.
Potus inebriat hic, exhilaratque magis.
Qui bibit hoc vinum scripturæ, saltibus altis
Venatur, reperit, consequiturque Jesum.
Moralem vero cum dat tibi lectio sensum,
Tunc quasi mellitum sugis in ore favum.
Hæ sunt deliciæ, quibus intus pascitur, et fit.
B Dives mens hominis moribus inde bonis.
Horum tu quodcunque feras ut præmia justis
Vel quæ sunt, discis, flagra ferenda malis.
Proximus inde Deo propter condimen honoris,
Inde timoratus et bene cautus eris.

EJUSDEM

VERSUS DE PŒNIS INFERNI.

(Ibid., p. 743.)

Tractatus de eo, quod pœna apud inferos non sit æterna. Et rursum e contrario quod ipsa sit æterna. Bene enim potest utrumque sustineri. Et hoc docetur his versibus magistri Ægidii.

Sæpius in sacris pœnæ fit mentio scriptis,
Quæ punit reprobos tartareosve reos.
Quare post finem libri bene debuit hujus.
Mentio supplicii quantulacunque sequi.
Hic sibi doctores quasi dissentire videntur,
Forsitan et quædam dogmata parva serunt.
Quod sit, vel non sit, ea pæna perennis, eorum est
Mutua lis, et in hoc quia tueantur habent.
Inde vir illustris urbis Matthæus alumnus
Lauduni, breve quid tradere dixit in his.

Versus magistri Matthæi Laudunensis.

Manibus inferni non est data pœna perennis,
Namque duplex in eis est data pœna reis.
Credo quod in cœlis largitur gloria jugis,
Cum sit ab æternis motio nulla jugis.
Manibus infernis sic est data pœna perennis
Nam lapsis in eis fit fuga nulla reis.

Versus magistri Ægidii.

Iste quasi tetigit, quod posset utrumque tueri,
Scrutari placuit utraque dicta mihi.
Sique sua est, in quo brevior, sententia : visum est
Illud ut exsequeres uberiore stylo,
Manibus esse volunt pœnam plèrique perennem.
C Oppositi plures inficiantur idem.
Est opus attendi, quid et hi sectantur, et illi,
Ad quod ut attendas hoc breve dogma dedi.
Distinguendo solent diverse sumere pœnam
Unde fit ex variis utraque secta modis.

Quod pœna inferni est æterna.

Est instrumentum, quod punit, pœna : vocari
Nomine sic pœnæ furca latronis habet.
Pœna potest etiam dolor in patiente vocari,
Sive ex illatis anxietudo malis.
Hoc utroque modo pœna est inferna perennis,
Perpetuusque rogus, perpetuæque nives.
Sic etiam nunquam patientum passio cessa.
Semper qui patitur hic alibive dolet.

Quod pœna inferna non est æterna.

D Alterius sectæ restat documenta videre.
Augustinus ait : Est quasi pœna duplex,
Et quasi de nivibus est transitus ad gravis æstum
Ignis, et ad gelidas rursus ab igne nubes.
Hic jam non est ipsa anxietas, neque pœnam
Ardores dicit, frigora sive nivis.
Hæc duo pœna duplex. Est quædam pœna nivalis
Algor. Et igneus est altera pœna calor.
Hæc vero sibi sunt contraria, nec retinendo
Hoc proprii quod habent, insimul esse queunt.
Hæc simul esse nequit : subjecto in simplice sicut
Spiritus est, duplex dissona pœna sibi.
Nam patiens istum dum sustinet, altera cessat

Interea. Quare neutra perennis erit.
Altera sentitur, sed neutra simul, patienti.
Sicque nec in sensu perpetuatur ei.
Judicium simile est. Ex omnibus ergo perennis
Dici nulla potest, quæ variamen habet.
Posset enim dici revera pœna perennis:
Si calor aut algor semper inesset eis.
Sed nunc sentitur calor, et nunc algor, et uno
Instanti pariter neuter inesse potest.
Imo magis physice si disquiratur, oportet
Altera ubi perstat, altera pœna vacet.
Ignis enim non est calor in nive, sed nivis algor.
Sic neque sentitur algor in igne nivis.
Imo magis, cum, qui punitur, transit ad ignem,
Ipsum jam punit ignis in igne calor.

Solatio, ubi ostenditur quid melius tenendum est.

Non cadit a vero, qui sic intendit, et idem
Subtili graditur artificique modo.
Explicui, quid id est, sed abominor hoc male dictum:
Pœna quod infernis nulla perennis inest.
Nam quasi dicitur hoc, tanquam si dicere restet,
Quod neque puniri debeat ullus ibi.
Aut quod eo lapsis sit abinde redemptio, circa
Scripturæ volitum, sanctaque dicta patrum.

Nulla pœna perennis inest infernis.

Simplex quis sermone capi posset bene in illo,
Est tamen in sensu vera loquela suo.

Determinatio.

Nam si sumatur subjecti ex parte perennis,
Tunc sensum falsum falsa loquela facit.
Infernis vero post verbum juge perennis
Sensus opertior hic, sed bene verus erit.

Opinio prior et melior et facilior, qua dicitur, quod pœna inferna, sive quæ infernis infertur, est æterna.

Verior illa prior retinetur opinio, vera
Cum sit, et hæc hæresin velle fovere sapit.
Hanc ideo reprobo, nolim in commune fateri,
A Unde sit infirmis forte ruina mali.
Dicere tutius est, quod quisque fatetur, et absque
Omnibus involucris, et sine nube, patet.
Dicere quod jugis est: in cœlo gloria justis.
Ex æquo est justis, pœna futura malis.
Nam quanto est major, qui offenditur, hoc quoque major
Debet pœna geri, qua satagatur ei.
Verum infinite est magnus Deus. Ergo suis est
Pœna infinite magna ferenda reis.
Æternus Deus est. Æternaque pœna ferenda est
His, quibus offensus per male facta Deus
Hæ ubi jam dixi sit sufficientia dicti:
Nam bene cuncta reor exposuisse tibi.
B Ægidii nescit Threniensis musa, docendis
Se quibus implicuit, ut libet esse brevis.
Nam ubi deducat in apertum cuncta tenorem,
Sicut mens dictat, desipuisse putat.
Cumque aliquid lego, rectus ibi mox quæritur ordo,
Omniaque ut pateant, inque tenore bono.
Si secus invenio, supplendi cætera voto
Sæpius haud possum continuisse manum.
Hæc mihi causa fuit, ut Rigæ inventio Petri
Cresceret adjunctis bibliotheca metris;
Nam bene non poterat plena integritate doceri,
Si non sciretur quidquid abesset ibi.
Hoc autem adjuncto jam detruncatio nulla
Librum deturpat, plenaque summa patet.
Hoc quoque fecit, ut hos simili de themate scriptos
C Adjicerem versus post tua dicta meos.
Sed præjudicium nolim pro versibus istis
Versibus ut fiat, docte Matthæe, tuis.
Tu brevis es, prolixus ego. Subtiliter ipse
Incedis; petitur semita lata mihi.
More meo dixi. Si plenius aut magis apte.
Non ideo tua sit musa molesta meæ.
Cesset in hoc livor. Sit mutua gratia nobis.
Inque vicem nostrum dicat uterque vale.

Explicit de pœnis infernalibus.

De libro Ægidii Parisiensis cui titulus: *Carolinus*, « scripto ad instructionem illustris pueri Ludovici, Francorum regis filii, » et nondum typis edito, vide *Histoire littéraire de la France*, tom. XVII (in-4°, Paris 1832, Firmin Didot), p. 36.

ANNO DOMINI MCCVIII.

ODO DE SOLIACO
PARISIENSIS EPISCOPUS

NOTITIA

(*Gallia Christiana*, nov. edit., t. VII, col. 78)

Post decessum Mauritii episcopi, si Radulfo abbati Coggeshalensis monasterii in Chronico Anglicano fides (1), ab universo clero et populo, rege annuente, episcopus electus est Petrus, cantor Ecclesiæ Parisiensis, qui pontificatus honorem, ne ab altiori gradu gravior fieret casus, recusavit. Is autem omnium fere scriptorum illius ætatis litteris commendatus, natus est Parisiis, vel Remis ex Radulfo. Ad litteras ephebus mentem appulit, quas factus supra ætatem doctus, in Academia Parisiensi cum magna laude palam professus est; sed quod eximium ejus animi ornamentum fuit, antiquorum vindex morum, severiorisque disciplinæ diligentissimus fuit exactor, quibus cum virtutibus præfulgeret, facile Parisiensis Ecclesiæ præcentoris honorificentissimum hæc in Ecclesia munus consecutus est. Ad Tornacensem cathedram aliquando evocatus humiliter vocationem declinavit (2). Denique post recusatum quoque Parisiensem episcopatum, auctore Radulfo, cum a Willelmo Remensi archiepiscopo cleroque et civibus rogatus, ut decaniam illius Ecclesiæ susciperet, Parisios ut hanc a capitulo licentiam impetraret proficisceretur, ad Longum Pontem ordinis Cisterciensis monasterium appulit, ubi gravi infirmitate decumbens, habitum sanctæ religionis suscepit, vitamque beato fine complevit, cujus corpus e loco in quo sepultum fuerat, ad structuram ædificiorum motum, suavissimum exhalavit odorem. Legitur ejus epitaphium in claustro monasterii Longi Pontis, in quo mors ejus ad XIV Kalend. Junii, anno 1180, consignatur; sed recentius est epitaphium. Melius itaque Guillelmus Nangius, Vincentius Bellovacensis, Albericus, et monachus S. Mariani auctor horumce temporum, ad annum 1197 de Petri obitu loquuntur, seu etiam Radulfus ipsius mortem anno 1198 assignat, utpote cujus adhuc mentio est in charta Odonis anno 1197. In Necrologio Parisiensi (3) de eo legitur : VII *Kal. Octobris obiit Petrus præcentor et diaconus, qui dedit nobis quadraginta libras ad emendos reditus.* Varia composuit opera, quæ in diversis bibliothecis adhuc mss. asservantur. Sola ejus *Summa*, quæ dicitur *Verbum abbreviatum*, Montibus impressa fuit anno 1639. Quibusdam nævis aspersam ejus doctrinam fuisse volunt. Narrat Cæsarius Petrum ejusque discipulos hunc in errorem impegisse, ut crederent panem in eucharistia consecratum non esse, nisi etiam vini accederet consecratio, et vice versa.

Petro tamen omisso, auctor est Petrus Blesensis (*epist.* 126) vacantem per obitum Mauritii Parisiensem cathedram ambiisse multos, inter quos senes nonnulli collecta a longo tempore ad emendum episcopatum pecunia, sacram hanc dignitatem nundinari non erubuerunt, sed eorum artes elusit capitulum : elegerunt quippe virum minime cogitantem, nedum optantem, sed tam generis claritate quam nobilitate morum decoratum, Odonem de Soliaco ; tres enim celeberrimas juxta ac nobilissimas totius orbis Christiani familias consanguinitate attingebat, Franciæ scilicet et Angliæ regum ac comitum Campaniæ. Filius quippe Erchembaldi de Soliaco, ex Henrico Stephano Campaniæ comite et Adela filia Guillelmi regis Angliæ in recta linea descendebat, quorum filius alter Theobaldus Magnus Campaniensis genuerat Adelam, Ludovico VII Francorum regi nuptam. Fratrem quoque habuit Henricum Bituricensem archiepiscopum. Odonis vitam et mores ante episcopatum graphice depinxit epistola citata Petrus Blesensis, qui quæ ipse viderat, narrat, ex quibus pauca hæc excerpsimus. Parisius militiæ scholaris tirocinia posuit Odo, at inter exercitia liberalium artium doctrina cœlestis meliora ei charismata influebat, teste ejus pædagogo Petro de Verno, qui Petri Blesensis fuerat discipulus, eleemosynas condiebat lacrymis. Vix pubertatis annos

(1) *Ampliss. collect.*, tom. V, pag. 846.
(2) *Gall. Christ.*, tom. III, col. 214.
(3) *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, pag. 214.

adeptus, Romam petiit, quo tempore Gregorius VIII successit Urbano, ubi vidit Petrus Blesensis honorem a papa ei exhiberi non multo inferiorem episcoporum reverentia. Cum vas suum in sanctificatione et honore ab infantia possedisset, insolentiam tamen carnis vigiliis, jejuniis et disciplinis domabat. Uberem reditum quem habebat in Anglia dispersit pauperibus, indeque tres scholares honestos ditavit. Talibus bonis operibus vacans, electus est unanimi Parisiensis capituli consensu, ut qui jam cantor in Ecclesia Bituricensi fructificari cœperat, Parisiis episcopus plus fructuum afferret. Hæc pluribus explicat Petrus Blesensis, et in fine epistolæ de genere regio Odonis, quo regum Galliæ et Angliæ consanguineus erat, quædam subdit, quæ fuse explicat Petrus Gussanvillæus in notis; neuter autem Odonem canonicum regularem, ut Victorini volunt, tradit. Porro electus vocatur Odo in litteris Amelinæ, Calensis abbatissæ, datis anno 1196, in quibus ipsum, decanum, cantorem Parisiensem et priorem S. Martini arbitros instituit controversiæ quæ Mauritii temporibus orta fuerat inter Ecclesiam Parisiensem et monasterium Calense super libertate et exemptione monasterii Calensis ab Ecclesia Parisiensi et jurisdictione episcopi et archidiaconi (4). Seipse adhuc electum nuncupat Odo in sententia ab ipso et arbitris lata inter idem monasterium et archidiaconum, anno 1197 (5). Hoc ipso anno, episcopatus primo, subscripsit chartæ cessionis Petri de Donjon militis factæ Ecclesiæ Parisiensi apud Jardum in curia reginæ Francorum Adelæ. Eodem Victorinis concessit annualia semipræbendarum Ecclesiæ Parisiensis (6). Dedicavit renovatam post incendium S. Petri Latiniacensis basilicam. Institutus anno 1198 ordo SS. Trinitatis, cujus fundatores Felix et Joannes ab Innocentio III ad Odonem Parisiensem episc. missi, cujus consiliis adjutus Joannes Regulam scripsit, quam nonnullis adjectis approbavit summus pontifex anno exeunte. Eodem per totam Galliam auctoritate apostolica publice prædicabat Fulco Parisiensis presbyter (7), cujus ad sermones innumeri confluebant populi totaque patria in melius mutata est.

Vigebat tunc temporis in Ecclesia Parisiensi prava quædam consuetudo, sive profana festivitas (8), quam stulti ejus inventores festum fatuorum nominabant, quæ in Kalendis Januariis celebrabatur, in qua innumerabiles abominationes et nefandæ enormitates, ut ipse Odo loquitur, a laicis, et, horrendum dictu! ab ipsis clericis in ecclesia ad gradus altaris inter missarum solemnia et divinas laudes, turpiter et scandalose committebantur. Inoleverat jam diu inveterata illa consuetudo in multis Ecclesiis, contra quam acriter insurrexerant Patres et concilia, nec tamen abolere potuerant. Hanc ergo nefandam festivitatem ab Ecclesia sua exstirpare cum suscepisset Odo, Petri sanctæ sedis apostolicæ legati auctoritate fretus, decretum edidit anno 1198 quo non solum abominabilem illam festivitatem prorsus interdixit, verum ipsius loco festum Circumcisionis Domini solemniter celebrari præcepit. Neque tamen his decretis profana illa festa, de quibus consule Cangii Glossarium ad vocem *Kalendæ*, sublata sunt et antiquata, cum eorum nonnullis in Ecclesiis superiori fere sæculo superessent adhuc vestigia. Jus dixit eodem anno Odo pro canonicis Sancti Victoris, qui litigabant pro justitia domorum et terrarum suarum cum Guidone domino Villarisbelli. Discordantes quoque monachos Compendienses et canonicos Sancti Clementis ejusdem urbis composuit cum Hugone abbate S. Dionysii et Petro de Corbolio. Anno 1199, episcopatus secundo, dedit ad hostisias et ad censum terram de Marna, ea lege ut homines ad curiam episcopi apud S. Clodoaldum venirent. S. quoque Stephani Ecclesiæ Bituricensis patroni, in cujus gremio ab ineunte nutritus fuerat ætate, festum, in quo non minora patrabantur, quam in die Circumcisionis, magnis Ecclesiæ solemnitatibus annumeravit, clericisque et canonicis tam pro festo sancti Stephani quam Circumcisionis de mensa episcopali stipendia assignavit anno eodem episcopatus tertio.

Bullam accepit ab Innocentio III, III Idus Novemb., indictione secunda, pontificatus secundo, omnia privilegia episcopi ad normam decessorum suorum recensente et confirmante. Scripsit eidem summus pontifex epistolam quæ est 4 libri I, ut qua valebat apud Philippum Augustum auctoritate et gratia eum sapientibus monitis induceret ad recipiendam Ingeburgem rejecta Agnete. Interdicti in regem Philippum et regnum hanc ob rem decreti observantissimus Odo e sede sua a militibus regis ejectus (9), pedes ire compulsus est, equis et manticis ac rebus suis omnibus spoliatus: at soluto postea interdicto, ob injuriam Odoni illatam rex illum exemit anno 1200, quandiu vixerit, ab omni exercitu et equitatione, quam regi ad bellum proficiscenti subministrare tenebantur episcopi.

Circa id tempus cum Octaviani sedis apostolicæ legati visendi causa ad domum Genovefanam venisset (10), ibique cum eo mensæ accumbere vellet, ortus inde tumultus non sedatur, nisi datis ab Octaviano litteris, quibus significabat nullum propterea detrimentum libertati ecclesiæ S. Genovefæ accessurum. Eo quoque tempore moniales Campellæ, utpote incorrigibiles, ad monasterium S. Faræ tum sicuti est hodie reformatum traduxit Odo, harumque in locum duodecim canonicos sæ-

(4) *Hist. Ecclesiæ Paris.*, tom. II, pag. 214.
(5) Ibidem.
(6) Ibidem, pag. 292.
(7) *Spicil.*, tom. IX, pag. 520.
(8) *Hist. Ecclesiæ Paris.*, tom. II, pag. 216.
(9) *Spicileg.*, tom. IX, p. 529.
(10) *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, pag. 280.

culares subrogavit. Bituricensis archiep. electioni accersitus a clero ejusdem Ecclesiæ, unde ad pontificalem apicem assumptus fuerat, adfuit anno eodem, ubi electus ut quem vellet archiepiscopum diceret, Guillelmum Caroliloci abbatem elegit die 23 Novemb. Pontificatus ejus annus IV componitur cum anno Incarnationis 1200 in chartulario sancti Evurtii Aurelianensis. Donationem factam a Guidone de Levis fratribus de nemore Guidonis confirmavit, eosque a decimis liberos declaravit anno 1201, episcopatus quarto. Una cum Petro archiepiscopo Senonensi anno eodem ex pluribus variisque leprosorum domibus duas fecit, alteram Meloduni pro viris, alteram vero Corbolii pro mulieribus, ut honeste omnes viverent (11). Transegit cum abbate S. Maglorii pro *tonleio*, cujus loco assignavit ei abbas 30 solidos. Thomas de Brueriis cessit ei post mortem jus omne quod habebat in capellam de Pleisseis. Ab Innocentio deputatus est X Kal. Junii, pontificatus quarto, cum abbate Latiniacensi, ut a clericis Resbacensibus obedientia et honor debitus Ansello Meldensi episcopo exhiberentur. Approbatam jam ab eodem pontifice prolem a Philippo ex Agnete susceptam, datis mense Januario litteris legitimam approbavit. Quæ ab initio episcopatus Odonis magnis partium animis agitata fuerat (12), exeunte anno eodem causa inter Odonem et Joannem abbatem S. Genovefæ super possessione juris parochialis Sancti Stephani de Monte, ad votum episcopi terminata fuit IX Kalendas Januarii (13), Innocentii pontificis anno IV, cujus sententiam, qua interdictum in burgum S. Genovefæ, institutioque et destitutio capellani de Monte episcopo interdicitur, cætera vero ad jus parochiale pertinentia confirmantur, Genovefanis significarunt delegati anno 1201, mense Martio. Insequenti, episcopus et abbas ne lites postea recrudescerent, compositionem fecerunt mense Junio (14), qua jus omne parochiale penes episcopum stetit, cui cessit abbas capellam S. Genovefæ de Ardentibus, præbendamque et vicariam in Ecclesia Parisiensi. Hanc compositionem summi pontificis nomine approbavit Helias abbas S. Columbæ Senonensis (15), mense Januario 1202, et ipse summus pontifex VII Kalendas Aprilis, pontificatus VI. Hac autem facta compositione, Theobaldus canonicus S. Genovefæ curam animarum parochiæ de Monte suscepit ab Odone anno 1202, mense Junio, episcopatus quinto.

Fecit eodem anno Odo potestatem Victorino abbati amovendi ad libitum presbyteros e parochiis quas habent in diœcesi Parisiensi. Capellæ in parochia Sancti Saturnini de Campiniaco exstruendæ assensum præbuit (16). Scripsit litteras anno 1202, episcopatus sexto, pro fundatione capellæ de Renemolin, cujus capellanus debet esse frater de S. Trinitate, ad institutionem et destitutionem episcopi. Statuta condidit pro capella in domo eleemosynaria de Cruce reginæ (17). Eodem anno, episcopatus sexto, comitissæ Trecensi concessit 120 libras Pruvinensis monetæ, quas Th. quondam comes Blesensis dederat in feodum Erchembaldo quondam domino Soliaci, patri ipsius Odonis et Theobaldi nepoti, qui eas comiti Henrico consanguineo suo pro 550 libris Pruvinensis et Meldensis monetæ obligaverat. Dissidium habuit Odo hoc anno cum capitulo S. Clodoaldi pro ecclesia quam ædificaverat in loco nemoris de Marna, quod fecerat exstirpari, cujus terminandi causa, episcopi se arbitrio commiserunt canonici. Orta inter episcopos Parisiensem et Belvacensem de limitibus utriusque episcopatus in loco de Moinel contentio sopita est, limitibus distinctis metisque positis anno 1202, mense Novembri, in crastino S. Martini (18). Dedit eodem anno chartam de furnis Adæ de Monsterel canonici Parisiensis in Campellis (19). Insequenti, de mandato summi pontificis cœmeterium pro leprosis de Villapetrosa benedicit, episcopatus sexto. Assignavit ecclesiæ de Vanviis parochianos de Yssi sitos in terra S. Petri Latiniacensis in compensationem permutationis cum Genovefanis factæ. Denarios 13 censuales apud S. Clodoaldum permutavit pro hostisia Guillelmi de Moudon. Jussi Innocenti III visitavit mense Maio cœnobium Sancti Medardi, ubi quædam edidit statuta præsentibus Roberto Sancti Germani a Patris, Joanne Sanctæ Genovefæ abbatibus, aliisque multis. Monasterium quoque sancti Maglorii in nativitate sancti Joannis Baptistæ visitavit, nonnullaque pro bono ejus regimine statuit. Ordinavit anno eodem collegia canonicorum suæ diœcesis (20), decretaque sancivit pro electione et residentia decani et cantoris S. Germani Antissiodorensis mense Octob. Idem statuit in ecclesiis S. Marcelli et S. Clodoaldi mense Jan. episcopatus septimo (21). Approbavit fundationem capellæ de Cramoel an. 1203, epis. septimo, eodemque anno donatus ab Adamo de Munsterolo canonico Parisiensi decimam de Espieriis et quatuor libras Parisienses pro quatuor perpetuis matriculariis sacerdotibus, quos cum tribus laicis Odo tam de suo quam de capituli patrimonio instituit anno 1204, episcopatus septimo, ut ecclesia interdiu noctuque ab ecclesiasticis viris contra prædones et irreligiosos custodiretur (22). Cessit eodem anno pro augendis matriculariorum rediti-

(11) *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, pag. 220.
(12) Petr. Bles., pag. 794 et 795.
(13) *Hist. Eccles. Paris.*, tom. V, pag. 597.
(14) *Hist. Eccles. Paris.*, tom. II, pag. 153.
(15) Ibidem, pag. 281.
(16) *Hist. Sancti Martini a Campis*. p. 489.
(17) *Hist. Ecclesiæ Paris.*, t. III, p. 73.
(18) Ibidem, t. II, pag. 221.
(19) *Hist. Sancti Martini a Campis*, p. 198.
(20) *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 221.
(21) Ibidem, p. 222.
(22) Petr. Bles. p. 788.

bus capitulo Parisiensi præbendam et vicariam, quam facta compositione ipsi contulerant Genovefani (23).

Multa etiam alia Ecclesiæ Parisiensi bona contulit, quorum intuitu capitulum anniversarium ei assignavit (24), pro quo ipse 60 solidos Parisienses apud Brunellum largitus est, et clericis chori 40 libras Parisienses ad reditus rei gratia comparandos an. 1204, episcopatus octavo. Concessit eodem abbatiæ Autonii Parisiensis easdem immunitates, quibus cæteræ Cisterciensis ordinis abbatiæ gaudent (25). Decimam de Soiseio pro 30 libris Parisiensibus emit anno 1204, mense Junio, a Guipone de Caprosia. Mense eodem donavit capellam S. Nicolai monialibus de Footel ad opus infirmariæ. Capellaniam a Guiberto fundatam, a se vero dotatam pro anniversario H. Bituricensis archiepiscopi fratris sui instituit in capella sua de S. Clodoaldo, episcopatus octavo. Approbavit eodem aliquot arpennos terræ presbyterio Capellæ prope Parisios faciendæ concessos. Fundatam Sancti Honorati ecclesiam confirmavit (26). Fecit potestatem Guidoni de Caprosia exstruendæ ecclesiæ et dotandæ in vico de Lois, et capellæ in vico de Meencourt (27). Donatum excepit a Guillelmo de Firmitate feodum *en Port-rois*, ad instituendas ibi moniales (28). Anno 1205, episcopatus octavo, canonicorum S. Marcelli residentiam ad rectam lineam ordinavit (29). Collegium quoque canonicorum de Campellis emendavit, cujus præbendas ad augendum Dei servitium ex undecim viginti duas fecit (30), quod a summo pontifice statutum jam fuerat III Kal. Januarii, pontificatus VII. Emit decimam de Orceaco et de Maudestor a Burchardo de Orceaco (31). Guidoni Fossatensi abbati recognovit nullum præjudicium monasterio oriturum ob pontem quem in portu qui dicitur *Olins* fieri permittebat abbas. Cessit monachis de Diogilo jus parochiale vallis Derlandi anno 1203, qui vicissim episcopo cesserunt quod anno 1205, episcopatus nono, assignavit ecclesiæ sanctæ Genovefæ, unum modium bladi infra festum Omnium Sanctorum in grangia eorum de Gonessa. Confirmavit anno eodem legata ecclesiis Parisiensibus a Malcione regis camerario (32). Primus auctor monasterii Portus regii merito censendus est Odo (33), quippe qui cum Mathilde de Garlanda uxore Matthæi de Marliaco e diversis donationibus præsertim a Monmorenciaca familia factis hoc fundavit cœnobium pro virginibus, anno 1206, quod sicut et abbatiam Sancti Antonii eodem anno A. abbati Cisterciensi ordinanda tradi-

A dit (34). In chartulario Calensi morticinii jus pro decimis de Pompona concessisse legitur mense Aprili. Ejus curis et opera ad metropolitanam Turonum sedem hoc anno evocatus est Gaufridus de Landa archidiaconus Parisiensis.

Tanta aquarum diluvies mense Decembri facta est, quanta nusquam visa aut audita Parisiis fuerat : Odo itaque solemnem ad B. Genovefam indixit supplicationem, cujus ad majorem basilicam delatis reliquiis imminutæ sunt aquæ. Mense eodem Matthæus comes Bellimontis concessit Odoni locum in quo sanctus Dionysius carcere detentus ferebatur, qui dicebatur capella S. Catharinæ, haud longe ab ecclesia S. Dionysii de Carcere situm, ea lege ut comes unum, Odo vero duos sacerdotes ibi insti-
B tuerent, quod concessit Odo, qui inibi capellam solemniorem erexit, quatuorque capellanos in ea servituros instituit anno 1207, mense Aug., episcopatus decimo (35); atque hæc sunt initia ecclesiæ Sancti Symphoriani. Instituendus capellanus de Grousiaco committitur Odoni a Guillelmo de Garlanda mense Apr. Astitit mense Julio elevationi corporis S. Benedicti apud Floriacense monasterium. Ratam habuit mense Augusto ædificatam a Sangermanensibus capellam apud Choisiacum. Contentionem inter capitulum Sancti Germani Antissiodorensis et domum S. Trinitatis exortam mense eodem definiit (36). Festum sancti Bernardi primi Clarevallensis abbatis in Ecclesia Parisiensi datis hanc in rem stipendiis celebrari primus instituit in
C crastino S. Bartholomæi apostoli (37). Decimas omnium novalium tam faciendorum quam factorum aliis non assignatas in diœcesi Parisiensi capitulo concessit (38). Una cum Hugone decano aliisque a sede apostolica deputatis judicibus ratam habuit compositionem inter monachos Sancti Dionysii et moniales de Footel initam super prioratu de Argentolio VII Kalendas Septembris, eademque die terminata tandem est lis (39) quæ inter episcopum Parisiensem et monachos S. Dionysii inerat pro monasterio Argentoliensi, quod ex judicum sententia remansit prioratus a S. Dionysio dependens, episcoporum vero et archidiaconorum jurisdictioni subjectus, cujus rei gratia abbas et monachi as-
D signaverunt episcopo sex modios bladi apud Herblaium, quorum unum ad mandatum 50 pauperum singulis annis faciendum assignavit capitulo Odo (40), qui cum maxime necessariam esse cancellarii Ecclesiæ Parisiensis et academiæ residentiam agnosceret, statutum super ea cum decano et capitulo Parisiensibus confecit anno eodem, quo et Remensi

(23) *Hist. Eccles. Paris.* II p, 225.
(24) Petr. Bles. p. 792.
(25) *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, pag. 209.
(26) Ibidem, t. III, pag 76.
(27) Ibidem, t. II, p. 226.
(28) Ibidem, t. II, pag. 225.
(29) Ibidem, p. 226.
(30) Ibidem, p. 228.
(31) Ibidem, p. 230.
(32) Ibidem, p. 295.

(33) *Hist. Ecclesiæ Paris.*, p. 225.
(34) Ibidem, t. II, p. 209.
(35) Petr. Bles., p. 792.
(36) *Hist. Eccles. Paris.*, t. III, p. 74.
(37) Petr. Bles., p. 789.
(38) Ibidem, p. 791.
(39) *Hist. Ecclesiæ Paris.*, t. II, p. 72.
(40) Petr. Bles., p. 790; *Hist. Ecclesiæ Paris.*, t. II, p. 302.

archiepiscopo defuncto, alter archidiaconus ecclesiæ Parisiensis Albericus, procurante imprimis Odone, suffectus est. Philippus rex anno 1207 Odoni indulsit, ut 60 tantum libræ pro tallia ab hominibus Ecclesiæ Parisiensis solverentur, quando regalia in manus regias devenirent, declaravitque ex summa 240 librarum, quæ ultra prædictam post obitum Mauritii fuerat exacta, nullum deinceps episcopum vel Ecclesiam Parisiensem passuros detrimentum. Quædam adhuc hoc anno ordinavit pro ecclesia S. Germani de Derenciaco (41), et probavit donationem factam Sangermanensibus apud Bulenvillers a Milone, filio Theobaldi Cocherelli. Denique vigilantia illa pastoralis, quam super universum gregem suum exhibuit, maxime elucet in egregiis illis statutis, quæ non solum ad suæ diœceseos informationem, verum etiam ad totius Ecclesiæ utilitatem condidit duabus in synodis, quæ pluribus ad fidem ms. codicis S. Victoris Parisiensis nævis expurgata, typis edita sunt auctoritate Francisci de Harlai, Parisiensis archiepiscopi, an. 1674.

Quanti autem pro eximia sapientia Odonem faceret, satis aperte ostendit summus pontifex Innocentius III, cum plurima magni momenti negotia ad ipsius arbitrium remisit; verbi gratia cum eum una cum Michaele de Corbolio canonico Parisiensi judicem fecit cujusdam controversiæ, quæ vertebatur inter Stephanum episcopum Tornacensem et Bernardum de Insula pro quadam præbenda ecclesiæ Tornacensis ipsi Bernardo a Cœlestino III concessa. Hunc etiam arbitrum constituit idem Innocentius inter Lingonensem episcopum et capitulum ipsius libro I Epistolarum decretalium, cap. *Cum olim.* Eidem dirigit caput 5, *ex parte de corpore vitiatis*, ubi ait Michaelem presbyterum, qui lepræ vitandæ causa sibi virilia amputaverat, posse altari ministrare. Odoni adhuc committit inquisitionem et examen super vita et moribus electi Cameracensis eodem libro primo Decretalium. Epistola sic incipit : « Eam de discretione tua fiduciam obtinemus, ut si quando tibi committimus quæ ad honorem divinum et utilitatem ecclesiasticam pertinere noscuntur, gratia et timore postpositis satagas promovere. In hac parte nobis coadjutor existens, qui ex injunctæ servitutis officio secundum prophetam debemus evellere et plantare quæ in ecclesia Dei evellenda fuerint et plantanda. » Exstat tomo I *Anecd.*, col. 669, epistola Adami abbatis Persenniæ ad Odonem Parisiensem episcopum scripta, quæ tota est de amore et humilitate. Sub finem gratias ei agit de charitate duabus pauperculis mulieribus tempore famis impensa. Legitur quoque tomo I *Ampliss. Collect.*, col. 1014, A. monachi (ejusdem fortasse Adami) ad Odonem epistola, quem arguit quod suæ diœcesis presbyteris tallias imposuerit, aliaque nonnulla ei insinuat et exprobrat.

Demum Odo postquam egregii et sancti pastoris partes implevisset per annos circiter undecim, ætate

A adhuc matura, natus quippe annos 40 aut 42, sed laboribus fractus, viam universæ carnis ingressus est III Idus Julii, anno 1208, et quia ecclesiæ magna ex parte a decessore Mauritio constructæ quasi coronidem posuerat, multaque bona contulerat, velut ipsius fundator et benefactor in meditullio chori primus episcoporum Parisiensium sepultus est sub æneo sepulcro pontificis effigiem exhibente, cum his versibus circum inscriptis :

Quem cathedræ decoravit honor, quem sanguis avitus,
Quem morum gravitas, hic jacet Odo situs.
Præsulis hujus erat, quod habent hæc tempora raro,
Mens sincera, manus munda, pudica caro.
Lenibus hic lenis, toga nudis, victus egenis.
Vita fuit juvenis clara, probata senis.
B *Bis sexcenteno Christi, quartoque bis anno,*
Tredecimo Julii transiit Odo die.

De eo Necrologium Parisiensis Ecclesiæ : « III idus Julii de domo Sanctæ Mariæ obiit domnus Odo de Soliaco, episcopus Parisiensis, qui dedit nobis stationem panis, vini et carnium in festo Pentecostes reddendam; instituitque ut natale sancti Stephani deinceps solemne celebraretur in ecclesia tantum Parisiensi; et ut singuli clerici, qui in missa responsum vel alleluia in organo triplo vel quadruplo decantarent, sex denarios annuatim perciperent super præpositura Parisiensi. Dedit et clericis chori, non vero canonicis, qui in Circumcisione Domini nocturnis intererunt, tres denarios; C singulis autem pueris duos denarios in redditibus capitii percipiendos. Dedit insuper clericis matutinarum medietatem oblationum crucis, quæ proveniunt sexta feria in Passione Domini. Instituit item quod festum beati Bernardi Clarævallensis deinceps celebretur in dimidium duplum in Ecclesia Parisiensi ad XIII. Kal. Septembris, et ad hoc assignavit decimam, quam emerat apud Buch. Præterea dedit unum modium bladi annuatim percipiendum in decima, quam habuit de pace Sancti Dionysii, ad faciendum mandatum per manum succentoris, qui ministrabit necessaria in mandato, et si quod fuerit residuum, erit succentoris. Dedit et unum pallium, duas cappas, unam casulam cum dalmatica et tunica e samicio, et albam paratam cum D stola et manipulo parato et amictu, et missale ad servitium majoris altaris, et psalterium ad servitium chori, et bassamum cum crystallo, pallium paratum cum aurifrigio, librum ordinarium, sandalia et caligas et tapetum episcopale; insuper et imaginem beatæ virginis octo marcharum argenti ad reponendum sacrum succintorium. Statutum est autem a capitulo, quod ejus anniversarium solemniter ad majus altare celebraretur canonicis chorum tenentibus. Concessit autem capitulum sacerdotem altari sancti Stephani deservientem, quicumque fuerit, in distributione canonicis parem esse. »

Præclara quoque Odonis mentio est ad hunc

(41) *Hist. Sancti Martini a Campis*, p. 297

diem apud scriptores coætaneos : in vetere Martyrologio A dicitur benefactor singularis ecclesiæ, cujus vigilantia solers in gregis custodia facile deprehenditur ex sanctissimis constitutionibus, aliisque præceptis synodalibus de septem sacramentis. De eo chronicon Autissiodorense : « Odo Parisiensis episcopus obiit vir æmulator virtutis, et vitiorum egregius insectator, qui inter cætera bona quibus enituit, id habebat præcipuum, quod in beneficiis ecclesiasticis conferendis, non ad genus, non ad munus, non ad preces, sed ad mores scientiamque respiceret, nec nisi dignos ad dignitates ecclesiasticas promoveret : hinc est quod ejus studio Guillelmus ad Bituricensem, Gaufridus ad Turonensem, Albericus ad Remensem archiepiscopatum promoti sunt, quorum prior Caroliloci abbas B exstitit, alii duo Parisienses archidiaconi sibi invicem successerunt, viri insignes ac timentes Deum, honestatisque ac justitiæ præcipui sectatores. Ipso præterea satagente ac suggerente actum est, ut dominus papa principes et populos per Gallias concitaret ad debellandam Albigensium hæreticorum perfidiam. » Legendus Stephanus epistola 218, ubi celebratur Odo a nobilitate generis, honestate, auctoritate dignitatis est et prudentia. Exstant ad eum Petri Blesensis epistolæ 160 et 227, præter eam de qua in superioribus. Ex his autem omnibus liquido constat quam temere Rigordus libro *De gestis Philippi Augusti*, et sanctus Antonius tomo XVII, cap. 9, scripserint Odonem a Mauritio decessore suo moribus et vita longe dissimilem fuisse, cum ab omnibus sui ævi scriptoribus inter celeberrimos, sapientissimos ac piissimos sui temporis antistites annumeretur. Quam bene hanc in rem observavit Antonius Pagi (42), scriptores quandoque calamo abuti et falsa narrare !

(42) Tom. IV, p. 715.

ODONIS DE SOLIACO

PARISIENSIS EPISCOPI

SYNODICÆ CONSTITUTIONES

(MANSI, *Concil.*, XXII, 675.)

In nomine sanctæ Trinitatis incipiunt prohibitiones et præcepta observanda ab omnibus sacerdotibus, data a venerabili Odone Parisiensi episcopo.

—

CAP. I. *De modo et tempore celebrandi synodum.* C

1. *Fit Jovis in luce synodus quæ proxima Lucæ.*
Lux Jovis hac replicat tertia Pascha sequens.

In principio synodi, antequam cantetur, *Veni, creator Spiritus*, quæratur utrum præsentes sint abbates et sacerdotes qui tenentur synodo interesse. Et hoc facto incipiat episcopus alta voce, *Veni creator;* quo finito dicantur orationes, his precibus præcedentibus, *Pater noster; Et ne nos*, etc. *Benedicamus Patrem*, etc. *Post partum*, etc. *Lætamini in Domino*, etc. *Fiat pax*, etc. *Dominus vobiscum*, etc Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis*, etc. *Actiones nostras, quæsumus, Domine*, etc. *Deus qui salutis æternæ*, etc. *Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per sanctorum tuorum, quorum corpora* vel *reliquiæ* D *in ecclesia* præsenti *requiescunt, merita gloriosa, ut eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Infirmitatem nostram, quæsumus, Domine, respice*, etc. *Deus a quo sancta desideria*, etc. *Per Dominum*, etc. Finitis orationibus residebunt, et legetur lectio; qua lecta fiet sermo.

CAP. II. *De eodem.*

1. Finito sermone, licentiabit episcopus laicos et scholares, et alios clericos qui non debebunt synodo interesse. Hoc facto, legantur præcepta synodi.

2. His expletis, dicantur capitula quæ sunt addenda, et in fine districte præcipiatur ut serventur sacerdotibus. Deinde sequuntur preces pro necessitate locorum et personarum.

3. Districte præcipitur sacerdotibus ut jejuni intrent synodum; in jejunio enim debet fieri et oratione.

4. Districte præcipitur ut induti albis et stolis intrent sacerdotes synodum illam, quæ celebratur tempore paschali; illam vero quæ fit Septembri, superpelliciis tantum et stolis.

5. Prohibetur sacerdotibus, ne causas adducant ad synodum, aut aliqua negotia quæ non pertinent ad quosdam, et ne sibi tunc minuatur (43), cum debent synodo interesse, prohibetur.

6. Præcipitur districtius, ut omnes presbyteri, maxime curam animarum habentes, veniant ad sy-

(43) Id est, venam aperiri faciat quispiam ad sanguinem eliciendum prætextu morbi, ut forte criminis alicujus conscius absens synodo, contumaciæ non damnetur.

nodum; et si gravi infirmitate detenti, aut alia necessitate inevitabili, venire non potuerint, suum capellanum mittant, aut clericum, loco suo. A

7. Præcipitur in eundo et redeundo a synodo honeste ambulent presbyteri, et honesta quærant hospitia, ut in eis circumspecte se habeant, ne status clericorum vertatur in contemptum et opprobrium populo. Præcipimus in virtute Domini nostri et Dei, et obedientiæ, ut honor maximus et reverentia debita singulis sacramentis sanctæ Ecclesiæ, præcipue a sacerdotibus et clericis, exhibeantur, et ut laici similiter exhibeant in quantum sacerdotes moneant eos et exhortentur.

CAP. III. *Capitula baptismum tangentia.*

1. Baptismus cum reverentia et honore celebretur, et cum magna cautela, sub hac forma : *N. ego* B *baptizo te, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Et caveat maxime in distinctione verborum et in prolatione, in quibus tota virtus consistit sacramenti et salus puerorum. Et in Romano sub eadem forma doceant frequenter sacerdotes, laicos baptizare debere pueros in necessitate; et post inundationem ea faciant sacerdotes pueris quæ solent fieri post immersionem.

2. Pro baptismo nihil omnino ante exigatur, sed post laudabilis consuetudo exigi potest.

3. Fontes sub sera clausi custodiantur propter sortilegia. Chrisma similiter et sacrum oleum sub clave servetur.

4. Semper sacerdos interroget laicum diligenter, C cum in necessitate baptizaverit puerum, quid dixerit et quid fecerit. Et si invenerit laicum discrete et modo debito baptizasse, et formam verborum in Romano integre protulisse, approbet factum: sin autem non, baptizet puerum modo debito. Et hic est modus : *Petre, si es baptizatus, non te baptizo; si non es baptizatus, ego baptizo te*, etc.

5. Ad elevandum parvum de fonte, tres ad plus recipiantur; quod enim amplius est, a malo est.

CAP. IV. *Capitula de sacramento confirmationis.*

1. Sacerdotes frequenter moneant populum ad confirmationem puerorum.

2. Post baptismum debet suscipi sacramentum D confirmationis.

3. Quod si confirmandus adultus fuerit, confiteatur prius, et postea confirmetur.

4. Sæpe dicatur laicis ne exspectent diu ad confirmandum pueros adventum episcopi, sed ducant eos ad eum, nisi adesse audierint prope; et quod possent nomina mutari pueris, si velint, in confirmatione, aut si visum fuerit expedire.

5. Nullus sacerdos confirmare aut consecrare virgines præsumpserit; solius episcopi est confirmare, virgines consecrare, ecclesias dedicare, ordines dare.

CAP. V. *Capitula de sacramento altaris.*

1. Summa reverentia et honor maximus sacris altaribus exhibeatur, et maxime ubi sacrosanctum corpus Domini reservatur et missa celebratur.

2. Linteamina altaris et indumenta sæpe abluantur, ad reverentiam et præsentiam Salvatoris nostri et totius curiæ cœlestis, quæ cum eo præsens adest quoties missa celebratur.

3. Calices quibus infirmi communicantur decorentur, et mundi custodiantur, ut devotius communicent infirmi.

4. Ampullulæ vini et aquæ in ministerio altaris mundæ et integræ habeantur; similiter ampullulæ chrismatis et olei sancti.

5. Non permittant presbyteri diacones (comminatur episcopus eis qui hoc non servant) deferre infirmis sacrosanctum corpus Domini, nisi in necessitate, cum sacerdos absens fuerit; sed semper sacerdos cum magna reverentia et maturitate deferat in pixide eburnea bene clausa, propter casum, et cum lucerna præcedente, cantantes (44) septem psalmos pœnitentiales cum litania pro infirmo, eundo et redeundo. Si longa via fuerit, addant quindecim psalmos et alias orationes : sic enim debitum persolvunt infirmo, et audientes invitant ad exhibendam Deo reverentiam et honorem et orationem.

6. Frequenter moneantur laici ut, ubicunque viderint deferri corpus Domini, statim genua flectant tanquam Domino et Creatori suo, et junctis manibus, quoadusque transierit, orent.

7. In pulchriori parte altaris cum summa diligentia et honestate sub clave sacrosanctum corpus Domini custodiatur.

8. Nulli clerico permittatur servire altari male ornato [F. nisi more servato] in majori ecclesia, ut nisi in superpellicio aut cappa clausa.

9. Nullus bis in die missam audeat celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in magna necessitate.

10. Nullus antequam matutinas dixerit canonicas, et Primam, præsumat absque aliqua necessitate celebrare missam.

11. Ad horas beatæ Virginis semper tertius versus dicatur, capitulo, ut observat H. S. Maria mater gratiæ, et cantentur in ecclesia cum nota et devotione, vel in regendo an cavendo.

CAP. VI. *Capitula de confessione.*

1. Sacerdotes circa confessionem maximam curam adhibeant et cautelam, scilicet ut diligenter peccata inquirant; usitata, sigillatim; inusitata, non nisi a longe per aliquam circumstantiam, sic tamen ut ex peccatis detur materia confitendi.

2. Ad audiendum confessiones communiorem [*al.* eminentem] locum in ecclesia sibi eligant sa-

(44) Sacerdotem intelligit cum comite clerico et aliis quotquot adeunt.

cerdotes, ut communiter ab omnibus videri possint; et in locis abditis, aut extra ecclesiam, nullus recipiat confessiones, nisi in magna necessitate vel infirmitate.

3. In confessione habeat sacerdos vultum humilem, et oculos ad terram, nec aspiciat vultum confitentis, maxime mulieris, causa debitæ honestatis, et patienter audiat quæ dixerit in spiritu lenitatis, et ei pro posse suo pluribus modis persuadeat ut confiteatur integre; aliter enim dicat ei nihil valere.

4. *Incestum faciens, deflorans, aut homicida,*
Pontificem quæras; papam, si miseris ignem.
Sacrilegus, patris percussor, vel Sodomita,
Si percussisti clericum, Simonve fuisti.

5. Sacerdotes majora reservent majoribus in confessionibus, sicut homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestum et stupra virginum, injectiones manuum in parentes, vota fracta, et hujusmodi.

6. Sunt tria in quibus nullus habet potestatem absolvendi, nisi dominus papa vel ejus vicarius, nisi in necessitate, scilicet in injectione manuum in clericos vel quosvis religiosos, in incendio, per quam sententiam sunt vocati Simoniaci; nihilominus tamen talium rei remittendi ad episcopum.

7. In dubiis semper confessor consulat episcopum aut sapientes viros, nisi ex necessitate; quorum consilio certificatus, solvat securius aut liget, maxime prælatos suos.

8. Audita confessione, semper confessor interroget confitentem si velit abstinere ab omni mortali; aliter vero non absolvat eum, nec injungat ei pœnitentiam, ne inde confidat, sed moneat ut iterum faciat quidquid boni poterit, ut Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.

9. In injungendis parvis pœnitentiis sibi caveant sacerdotes; secundum enim qualitatem culpæ et possibilitatem confitentis debet esse qualitas pœnitentiæ; alioquin quod minus est requiretur ab eis.

10. *Cum furto raptus, cum fenore Simonis actus,*
De sic possessis eleemosyna fit ab ipsis.

11. In furto, rapina, usura, fraude sibi valde caveant sacerdotes: non alias injungant pœnitentias, scilicet missarum, eleemosynarum, et hujusmodi, priusquam reddiderint; non enim tale dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

12. Nullus missas quas injunxerit celebret, nec tricenarium nec annuale, et pro minus nullus triennale et quinquennale.

13. Frequenter presbyteri moneant ad confessionem, et præcipue ab initio Quadragesimæ instanter præcipiant venire generaliter ad confessionem.

14. In confessione caveant sibi confessores ne inquirant nomina personarum cum quibus peccaverint confitentes, sed circumstantias tantum et qualitates; et si confitens indicaverit, arguat eum confessor, et secretum illud teneat sicut confitentis peccatum.

15. Nullus ira, vel odio, vel etiam metu mortis in aliqua audeat revelare confessionem signo vel verbo ullis, generaliter vel specialiter, ut dicendo: « Ego scio quales estis. » Et si revelaverit, absque misericordia debet degradari.

16. Omnes præcipiant instituta jejunia servari, ut jejunium Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, nisi ex magna et rationabili causa contra fiat, et sextæ feriæ; ex debito enim tenentur facere talia jejunia.

CAP. VII. *Capitula circa matrimonium.*

1. Matrimonium cum honore et reverentia celebretur, nec cum risu et joco; nec contemnatur, etiamsi secundæ et tertiæ fiant; antequam fiat, semper tribus Dominicis aut tribus festivis diebus æque distantibus, quasi tribus edictis, perquirat sacerdos a populo sub pœna excommunicationis de legitimitate sponsi et sponsæ qui debent conjungi, et ante fidem datam de contrahendo matrimonio, et ante hæc tria edicta nullus audeat aliquo modo matrimonia celebrare.

2. Prohibeant firmiter laicis, per excommunicationem, sortilegia fieri; malefici quoque et celantes consanguinitatem et alia impedimenta matrimonii, votum, ordinem, consanguinitatem, affinitatem, disparem cultum, compaternitatem, quæ tantum quatuor a matrimonio excludit personas, compatrem, commatrem, filiolum, et fratrem et sororem spiritualem, scilicet, filium vel filiam patrini [*Suppl.* excommunicati publicentur.]

3. Nullus sacerdos audeat perficere matrimonium in casu dubio, inconsulto episcopo, sed ad eum semper referat omnes matrimonii dubietates, si opus fuerit.

4. Prohibetur districte sub pœna suspensionis ne ullus sacerdos aut capellanus exigat aliquid ante benedictionem nuptialem, sive pro testimonio ferendo, sive pro matrimonio celebrando, occasione ferculorum quæ debentur pro nuptiis; celebrato autem matrimonio recipiat fercula sua, et exigat, si necesse fuerit, sicuti consuetum est.

5. Prohibeat sacerdos in ecclesia publice sub excommunicatione ne alter conjugum transeat ad religionem, aut recipiatur nisi per episcopum.

CAP. VIII. *De sacramento extremæ unctionis* (45).

1. Cum reverentia deferatur oleum sanctum ad infirmos, et eos ungant sacerdotes cum magno honore et orationum celebritate quæ ad hoc sunt ordinatæ, et nihil inde penitus exigatur, sive a paupere, sive a divite: sed si quid gratis datum fuerit, gratis accipiant.

2. Ad sacramentum extremæ unctionis moneant

(45) Vide concilium Nannetense, cap. 4.

populum sacerdotes, non tantum divites et senes, sed pauperes et juvenes omnes tempore discretionis, maxime a quatuordecim annis et supra, et ad omnes communiter, ut se paratos exhibeant, cum necesse fuerit.

3. Doceant frequenter populum hujusmodi sacramentum licite iterari, et sæpe recipi, scilicet in qualibet magna infirmitate unde metus est mortis; et post susceptum licite reverti ad opus conjugale eum qui convaluerit de infirmitate.

4. Librum qui dicitur *Manualis* habeant singuli sacerdotes parochiales, ubi continetur ordo servitii extremæ unctionis, cathechismi, baptismatis et hujusmodi.

5. Habeant singuli Canones pœnitentiales, et ordinarium officium Ecclesiæ, secundum usum et modum qui servatur in ecclesia majori.

6. Moneantur sacerdotes ne testamenta sua ordinent per manum laicalem, et ipsi frequenter prohibeant laicis ne sua testamenta faciant sine præsentia sacerdotis, dicat episcopus quod non faciant eis in unum (46).

Hic incipiunt communia præcepta synodalia.

1. Præcipitur sacerdotibus ut omnes reditus et possessiones ecclesiæ scribant in missalibus suis, et prohibetur penitus presbyteris et parochianis ne de his quæ sunt ecclesiæ aut presbyteris alienant ab ecclesia, nisi per consilium episcopi.

2. Prohibetur districte ne pro interragio corpus sepeliri differatur, sed post sepulturam exigant laudabiles consuetudines. Idem dicimus de similibus.

3. Quicunque reædificaverit in cœmeterio excommunicetur, si principalis pars domus per se ceciderit.

4. Tribus diebus continuis vocetur excommunicandus, et nisi justitiæ se obtulerit, et fidem dederit quod veniet ad diem sibi assignatam, ac diem adversario nuntiaverit, excommunicetur : et excommunicatus nullo modo absolvatur, nisi modo a majori, præterquam in articulo mortis, et tunc tamen data cautione, quod stabit judicio Ecclesiæ.

5. Presbyteri super citationibus faciendis credant his qui dederint fidem; sed super excommunicationibus faciendis non credant sine litteris. Sententias audacter ferant, latas districte servent, ut citius quam sententiæ deficiant, nemini parcentes, aut timore, aut amore, nec pro absolutis eos habeant, nisi eis bene constiterit.

6. Mortuæ in partu scindantur, si infans credatur vivere; tamen si bene constiterit de morte earum.

7. Sacerdotes audito parochianorum suorum obitu, statim absolvant eos cum psalmis pro defunctis, et collecta.

8. Item inhibetur ne faciant designationes ecclesiarum in manu abbatum, vel quorumlibet patronorum, sed in manu episcopi vel prælati sui.

(46) Locus hic corruptus est, et deest quidpiam.

9. Non permittantur prædicatores super arcas celebrare, nec pulsare campanas per vicos, nec loqui in ecclesiis, nec præsentare reliquias, sed tantum deferant ferenda, et sacerdotes pro illis loquantur.

10. Exhortentur populum semper presbyteri ad dicendam Orationem Dominicam, et *Credo in Deum*, et salutationem beatæ Virginis.

11. Moneant semper populum, et maxime mulieres, ne faciant vota sua, nisi cum magna deliberatione, et assensu virorum, et consilio sacerdotum.

12. Nullus sacerdos vel capellanus teneat in domo sua aliqua occasione mulierem, nisi sit mater aut soror, aut talis de qua visum sit episcopo quod careat omni suspicione inhonesta.

13. Prohibetur penitus universis sacerdotibus ludere cum deciis, et interesse spectaculis, vel choreis assistere, et intrare tabernas causa potandi, et sine amictu, scilicet cappa vel pallio vel superpelliceo, et comite clerico vel laico intrare domos alienas, aut discurrere per vicos et plateas, et ne habeant cappas alatas et vestes inordinatas omnino prohibetur.

14. Nullus clericus vel regularis accipiat decimam de manu laici, nisi per manum episcopi.

15. Nullus clericus fidejubeat Judæo vel feneratori, nec obliget pro pignore aliquo modo ornamenta ecclesiæ vel libros Judæo.

16. Nullus recipiatur ad prædicandum, nisi sit authentica persona, vel ab episcopo vel archidiacono missus.

17. Nullus clericus faciat jusjurandum antequam fuerit episcopo præsentatus.

18. Frequenter moneantur laici ut non retineant decimas, quas in periculum animarum suarum retinent.

19. Nullus clericus potest sibi retinere decimas jure hæreditario possessas; sed auctoritate episcopi possunt clerici fructus recipere, ita tamen quod semper laborent, et quod ad ecclesiam revertantur.

20. Die Dominica præcedente, synodum sacerdotes qui capellanos non habent in suis parochiis, semper inquirant publice in ecclesia si qui sint infirmi in parochia, et tertia sequenti die visitent eos, si aliqui fuerint infirmi, etiam non requisiti, et faciant quidquid fuerit ad salutem animarum, ne mora quam facturi sunt in synodo fiat occasio periculi; eorum nihilominus tamen etiam saluti procurantes provisionem, quam solent facere per capellanos vicinos qui remanent, et diaconos proprios.

21. Sacerdotes die octavo semper renovent sacramenta ad fontem benedictum oleo et chrismate, et sanctam eucharistiam, ne vetustate aliqui ad indevotionem moveri valeant aut errorem.

22. Si negligentia evenerit ut, prælecto Canone

et peracta consecratione, nec vinum nec aqua reperiatur in calice, debet statim infundi utrumque, et sacerdos reiterabit consecrationem ab illo loco Canonis : *Simili modo postea quam cœnatum est.* (*Luc.* XXII), usque ad finem, ita tamen ut illas duas cruces omittat quas singulariter fecit super panem. Quod si de simplice vino vel de aqua sine vino fiat consecratio, vinum reputatur pro sacramento, sed aqua non reputatur; et ideo ista negligentia de aqua posita sine vino, major, et majori pœnitentia emendanda est.

23. Si quid ceciderit de sanguine Domini super corporale, rescindendum est ipsum corporale, et in loco reliquiarum observandum ; si palla altaris inde tincta fuerit, rescindenda pars illa, et pro reliquiis servanda. Si super infulam, casulam, vel super albam decurrat, similiter fiat. Si super quodlibet vestimentum, comburenda est pars illa, et pulvis in sacrarium reponendus est; si vero in terram ceciderit, lingenda est terra; est tergendus et radendus locus ipse, sive lapis, sive lignum, sive terra, et pulvis in sacrario reponendus.

24. Porro si in ipsum sanguinem musca, vel aranea, vel aliquid tale ceciderit, quia non sine vomitu et periculo corporis aliquando sumi potest, igne cremandum est, et tunc sanguis Domini sumatur; illud tamen quod intus ceciderit prius debet in calice vino perfundi, et quanto cautius fieri poterit, ablui, et postea super piscinam comburi, et illam ablutionem sacerdos sumat. Quod si de corpore Domini super quodlibet aliud vestimentum, non incidatur, sed vino abluatur, et a ministro sumatur vinum ipsum. Quod si in [*f.* id] primo datum rejicitur, prout diligentius poterit recipiat, et conjunctum cum vino in calice sumatur; sed integrum sumi non potest, eo quod ore alterius projectum est.

25. Reus autem hujus negligentiæ, et qui cum eo particeps fuerit culpæ, competenti subjaceat disciplinæ; si autem supra lignum vel lapidem ceciderit, modus supradictus de sanguine Domini tenendus est.

26. Prohibetur sacerdotibus ne nimis festinent venire Parisios occasione synodi, et ne magnam faciant moram sese visitando et reficiendo tam in via quam in civitate. Quidam enim iter arripiunt præcedenti Dominica, vel a die Lunæ, summo mane, et moram faciunt usque ad sequentem Dominicam, et magnum imminet periculum saluti animarum.

27. Districte præcipitur ut quilibet sacerdos habeat in celebratione missæ, propter munditiam vestimentorum circa altare, unum manutergium.

28. Præcipitur presbyteris ut cum in Canone missæ inceperint : *Qui pridie*, tenentes hostiam, ne elevent eam statim nimis alte, ita quod possit ab omnibus videri a populo, sed quasi ante pectus detineant, donec dixerint : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI); et tunc elevent eam, ut possit ab omnibus videri; et post talem susceptionem tam corporis quam sanguinis, et vini puri, aliquantum ab expuendo abstineant; et si abstinere non possunt, in piscinam hoc faciant suaviter et urbane : vinum autem potius rubeum ministretur in calice, propter similitudinem albi vini cum aqua.

29. Prohibetur districte sacerdotibus ne habeant secum prolem quam in sacro ordine susceperint propter scandalum; et ne in suis domibus habeant scaccos et aleas vel decios, omnino prohibetur.

30. Prohibetur districte sacerdotibus ne accipiant gazeras vel admodiationes, nisi de decimis, quoniam esset species negotiationis, et ne habeant in pallis suis pecias nisi blavi vel nigri coloris.

31. Similiter præcipitur presbyteris quod immobilia de bonis ecclesiæ acquisita ecclesiis suis tantummodo legent (nam de jure aliud facere non possunt); de mobilibus vero suis rationabile faciant legatum.

32. Item præcipitur sacerdotibus ut frequenter Dominicis et aliis festivis diebus in aliqua parte sermonis proponant fideliter populo Symbolum fidei, et eis diligenter distinguant articulos fidei, et in singulis confirment populum, auctoritatibus et rationibus sacræ Scripturæ pro posse suo propter hæreticos.

33. Sciatis quod excommunicati sunt omnes illi in synodo qui fidem dederunt vel acceperunt de celandis matrimoniis; et excommunicatio ista recitetur in parochiis a singulis sacerdotibus.

34. Prohibetur sacerdotibus ne habeant capellanos habentes cappas manicatas, sicut nec ipsæ personæ debent habere; præcipitur enim omnibus habentibus ecclesias ut ad singula tempora ordinum se ordinandos offerant; et hoc intelligitur in juramento quod fecerunt.

35. Item præcipitur sacerdotibus districtissime, et sub pœna magnæ emendæ, ut custodiant præcepta synodalia quæ scripta sunt in libellis suis. Quidam enim, licet jam elapsi sint tres anni ex quo prædictos libellos habuerunt, ita sunt negligentes, quod nondum habent pixidem eburneam, nec tabernaculum ubi reservetur cum honore corpus Domini, nec fontes sub clave, nec chrisma vel oleum in aliqua capsula.

36. Prohibeant sacerdotes ne fiant choreæ, maxime in tribus locis : in ecclesiis, in cœmeteriis et in processionibus.

37. Prohibeant sacerdotes per excommunicationem, et maxime tempore vindemiarum, singulis diebus Dominicis, ne aliquis Christianus retineat apud se marchum vindemiarum, quem Judæi calcant aliquo modo, propter illam horribilem immunditiam quam in contemptum sacramenti altaris faciunt; et si remanserit, detur porcis, vel expandant ad opus pro fimo.

38. Prohibeant per excommunicationem sæpe ne carnifices permittant Judæos laniare carnes suas, nisi totum detineant Judæi.

39. Item districte præcipitur presbyteris ne ho-

stias, licet non sacratas, dent pueris ullo modo; et inhibetur ne celebrent sine caligis.

40. Item prohibetur districte ne sacerdotes cultellum portent cum cuspide, nec clerici eorum.

41. Item districte prohibetur sacerdotibus ne permittant prædicare aliquos ignotos sive illitteratos, etiam extra ecclesiam, sive in viis, sive in plateis, sive in aliis locis parochiæ suæ; et sæpe de Dominicis diebus sacerdotes moneant, et etiam sub pœna excommunicationis inhibeant parochianis suis ne tales audiant, propter pericula hæresum et errorum quos seminant.

42. Item districte præcipitur presbyteris quod moneant parochianos suos et parochianas, quod provideant Ecclesiæ Parisiensi, quæ multum indiget albis, et stolis, et toallis, et hujusmodi.

43. Item moneant sollicite et assidue parochianos suos ut in Albigenses hæreticos se accingant, et iterum eamdem habebunt indulgentiam quam alias habuerunt.

44. Item moneant presbyteri sub pœna excommunicationis omnes illos qui crucem habuerunt, et votum suum non sunt prosecuti, quod crucem suam et proponant resumere, et portent.

45. Item præcipitur omnibus presbyteris quod excommunicent in generali omnes illos qui fecerunt conspirationes contra presbyteros suos vel contra ecclesias suas.

46. Item præcipitur presbyteris ut cum aliquis confitetur eis se fidem dedisse alicui mulieri de matrimonio contrahendo cum ea, et post fidem datam cognovit eam, non dent ei licentiam contrahendi cum alia, quoniam sequens carnalis copula cum illa cui fidem dedit matrimonium confirmavit.

47. Item districte præcipitur presbyteris, et sub excommunicatione, ne aliquos matrimonio clandestino conjungant vel benedicant.

48. Item excommunicentur omnes illi qui faciunt se conjungi clandestine, aut benedici, et omnes illi qui interesse præsumunt sacerdotes.

49. Item præcipitur presbyteris ut, quoties dubium erit quando aliqua jejunia vel processiones institutæ fieri debent, sicut in festo sancti Marci, petant a decano loci, et sine ejus consilio ea facere non præsumant.

50. Item præcipitur presbyteris ut quando mulieres post puerperium veniunt ad purificationem, dent eis tantummodo panem benedictum, et corpus Domini eis nullo modo propinent, nisi expresse petant, et prius confessæ fuerint.

51. Item moneant presbyteri parochianos suos in confessionibus et in prædicationibus suis ut saltem semel in anno peregrinando visitent ecclesiam Parisiensem.

52. Præcipitur districte omnibus presbyteris ut pro domino rege faciant specialem commemorationem, quando poterunt.

53. Item præcipitur presbyteris quod singuli scribant nomina parochianorum suorum confratrum Ecclesiæ Parisiensis, et etiam scribant pro quanto quilibet est confrater.

54. Item præcipitur presbyteris ne recipiant capellanos sine conscientia episcopi vel archidiaconi.

55. Item præcipitur presbyteris quod nihil exigant a parochianis suis, eo quod testimonium dant pro eis, quando debent matrimonium contrahere.

56. Item prohibetur districte ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate; claves enim non habent, nec possunt absolvere.

57. Præcipimus omnibus decanis quod inquirant de cætero, et in scriptum redigant nomina omnium presbyterorum qui in decanatibus suis decedent, eaque deferant ad synodum recitanda, ut oremus pro eis, et moneantur singuli presbyteri ut faciant servitium speciale : hoc enim libentissime debent facere, quia, cum decesserint, fiet similiter pro eis.

58. Item districte præcipitur presbyteris omnibus quod excommunicent ter in anno, scilicet in Pascha, in Nativitate Domini, et in festo Ecclesiæ, omnes illos qui scienter celant feuda Paris., et omnes illos qui sciunt super hoc aliquid, nisi illud revelaverint Parisiensi episcopo vel ejus mandatario.

59. Item præcipimus singulis presbyteris quod annuatim, idque in crastino S. Trinitatis, anniversarium omnium confratrum B. Mariæ per totam Parisiensem diœcesim celebretur.

(60) Præcipimus ut moneantur non Judæis præstare rotas, secundum quod præceptum est; alioquin compellantur per excommunicationem (47)

(47) Male has constitutiones Binius retulit ad Gregorii VIII pontificatum, qui obiit an. 1187, cum Odo Parisiensis episcopus non fuerit nisi post novem ut minimum annos. Mauritio enim successit, qui anno demum obiit 1196.

Gabr. COSSART.

ODONIS PARISIENSIS EPISCOPI STATUTA ET DONATIONES PIÆ.

—

(Ex Append. ad Opera Petri Blesensis ed. Petri de Gussanvilla, p. 778 et seq. passim; et *Gallia Christiana*, t. VII. Instrum., p. 79 et seq., 1227.)

—

A

I.

Charta Odonis qua concessit ecclesiæ Sancti Victoris Parisiensis annualia semipræbendarum Ecclesiæ Parisiensis.

Ex annalibus mss. Sancti Victoris ad ann. 1197.)

ODO, Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, æternam in Domino, salutem.

Quanto venerabilis ecclesia Sancti Victoris famæ suæ sinceritatem et bonæ opinionis odorem suavius circumquaque diffundit, in qua fervor regularis observantiæ non tepescit, sed per Dei gratiam de die in diem gratiora percipit incrementa, tanto etiam et fratres ibidem divinis obsequiis mancipatos uberiori charitate debemus amplecti, et eorum tranquillitati et commodis specialibus imminere. Licet autem eidem Ecclesiæ annualia vacantium præbendarum in Parisiensi Ecclesia a prædecessoribus nostris Parisiensibus episcopis fuissent olim pia liberalitate concessa, et munimentis authenticis confirmata; tamen multoties contingebat, ut dimidia præbenda vacante, et eo qui dimidius canonicus exstiterat integrato, ecclesia S. Victoris privaretur. Attendentes igitur eamdem ecclesiam concesso sibi beneficio minus rationabiliter defraudari; et intelligentes dimidiam vacare præbendam, quoties de integra præbenda dimidia canonicus investitur, præsertim cum juxta consuetudinem Parisiensis Ecclesiæ, dimidiam et integram pariter habere non debeat, et integra præbenda dimidiari non possit: habita super hoc pleniori deliberatione, et communicato prudentum virorum consilio, præfata ecclesia S. Victoris concessimus de conniventia Parisiensis capituli et assensu, ut cum a nobis vel successoribus nostris dimidio canonico præbenda integra conferetur, ecclesia S. Victoris primo anno dimidiæ præbendæ beneficium annuale sine diminutione percipiat, sicuti et integrarum annualia præbendarum percipere consuevit. Ut igitur præscripta concessio perpetuæ robur obtineat firmitatis, eam præsenti scripto sigilli nostri impressione munito fecimus commendari.

Actum anno Incarnati Verbi 1197, pontificatus nostri anno primo.

II.

Litteræ Odonis episcopi Parisiensis, pro abolendo festo Fatuorum, et restituenda solemnitate circumcisionis Domini.

(Anno 1198.)

[Ex Chartulario illustrissimi domini Joannis Baptistæ de Contes, decani Ecclesiæ Parisiensis. *Charta* 156].

ODO Dei gratia episcopus, H. decanus, R. cantor, MAURICIUS, HEIMERICUS et ODO archidiaconi, GALO, succentor, magister PETRUS cancellarius, et magister PETRUS de Corbolio, canonicus Parisiensis, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, æternam in Domino salutem.

Cum dominus Petrus, S. R. Ecclesiæ titulo Sanctæ
B Mariæ in Via-Lata cardinalis, in partibus Gallicanis legationis officio fungeretur, super corrigendis quibusdam quæ in Ecclesia Parisiensi audierat corrigenda, mandatum suum nobis sub hac forma porrexit:

« Venerabili in Christo Patri et amico charissimo Odoni, Dei gratia episcopo, et dilectis suis H. decano, R. cantori, Mauricio, Hamerico, et Odoni archidiaconis, G. succentori, magistro P. cancellario, et magistro P. de Corbolio, canonico Parisiensi, P. divina miseratione Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, salutem et sinceræ dilectionis affectum. Quanto nobilis Parisiensis Ecclesia in regni capite et urbe tam celebri constituta, de cujus plenitudine omnes accipiunt,
C puriores radios circumquaque diffundit, et ubique terrarum famosius prædicatur, tanto ad ordinandum ipsius Ecclesiæ statum, et exstirpandum penitus quod ibidem sub prætextu pravæ consuetudinis inolevit, uberiorem oportet maturitatem et diligentiam adhiberi, ut de cujus fonte fere ad universa mundi climata scientiæ rivuli derivantur, vitæ et honestatis poculum degustatur; et ubi litteraturæ viget magisterium, ubi morum elegantia reluceat cæteris ad exemplum. Sane cum in partibus Gallicanis legationis officium exsequentes, in ipsis visitationis nostræ primordiis ad eamdem Ecclesiam venissemus, ex fideli relatione quamplurium didicimus quod in festo Circumcisionis Dominicæ in eadem Ecclesia tot consueverunt enormitates et opera fla-

gitiosa committi, quod locum sanctum, in quo gloriosa Virgo gratam sibi mansionem elegit, non solum fœditate verborum, verum etiam sanguinis effusione plerumque contingit inquinari; et eatenus adinventio tam perniciosæ temeritatis invaluit, ut sacratissima dies, in qua mundi Redemptor voluit circumcidi, festum Fatuorum nec immerito generaliter consueverit appellari. Attendentes igitur quod in eis diebus calamitatis et luctus, quos turbatio temporum et terrarum, et præcipue desolatio terræ Orientalis, graviori perfudit amaritudine, potius debemus orationibus et lacrymis indulgere, quam hujusmodi vanitatibus et turpitudinibus deservire; volentes etiam a sanctuario Domini omnem spurcitiam et occasionem contaminationis excludere, auctoritate legationis qua fungimur, districtius inhibemus ne in Ecclesia vestra de cætero in præscripta solemnitate a quibuslibet aliquid attentetur quod clericalem professionem non deceat, aut videatur Dei reverentiæ derogare; sub interminatione anathematis prohibentes ne deinceps sub consueta enormitate eadem agatur solemnitas. Vobis quoque eadem auctoritate districte præcipiendo mandamus ut in hac parte Dei timorem et solam honestatem habentes præ oculis, ita prædictam solemnitatem, dilatione et occasione cessantibus, ordinare, et quod resecandum videritis, resecare curetis; ne circa cultum Ecclesiæ vel statum clericum aliquid possit honestati contrarium deprehendi. Si quis autem contra formam vobis super hoc constitutam temeritate qualibet venire præsumpserit, ipsum nostra freti auctoritate, ab officio et beneficio, et insuper ab introitu chori et capituli suspendatis, et tandiu pro suspenso habeatis, suspensionem capitulo denuntiantes, donec de præsumptione sua satisfactionem exhibeat competentem. Nihilominus etiam omnes illos eidem sententiæ vinculo præcipimus innodari, qui se occasione prohibitionis hujus aut constitutionis vestræ a servitio Ecclesiæ in vigilia vel in die solemnitatis ejusdem malitiose duxerint subtrahendos. Quod si omnes his exsequendis nequiverint interesse, aut si forte, quod absit! aliquis vel aliqui vestrum etiam præsentes se super his discordes exhibuerint, vos, frater episcope, cum decano et reliquis de prænominatis quod vobis injungimus, adimplere celeriter et exsequi procuretis. »

Nos igitur, intellecto et cognito quod præscripta solemnitas Dominicæ Circumcisionis minus regulariter ageretur, volentes in statum canonicum revocare quod in scandalum Ecclesiæ temere noscitur pullulasse, auctoritate præfati legati, adhibita maturitate consilii, supradictam solemnitatem ordinavimus in hunc modum : In vigilia festivitatis ad Vesperas campanæ ordinate sicut in duplo simplici pulsabuntur. Cantor faciet matriculam in omnibus ordinate; rhythmos, personas, luminaria herciarum nisi tantum in rotis ferreis, et in penna, si tamen voluerit ille qui cappam redditurus est, fieri prohibemus; statuimus etiam ne dominus festi cum processione vel cantu ad ecclesiam adducatur, vel ad domum suam ab ecclesia reducatur. In choro autem induet cappam suam, assistentibus ei duobus canonicis subdiaconis, et tenens baculum cantoris, antequam incipiantur Vesperæ, incipiet prosam : *Lætemur gaudiis;* qua finita episcopus, si præsens fuerit, vel decanus, absente episcopo, vel capellanus episcopi, utroque absente, incipiet vesperas ordinate et solemniter celebrandas; hoc addito, quod Responsorium et *Benedicamus*, in triplo, vel quadruplo, vel organo poterunt decantari; alioquin a quatuor subdiaconis indutis cappis sericeis Responsorium cantabitur. Completorium ordinate et solemniter cantabitur. Pulsato autem unico classico ante Matutinos, sicut in summis solemnitatibus, Matutini ab episcopo, vel decano, vel capellano incipiantur ordine debito consummandi, hoc adjecto quod tertium et sextum Responsorium in organo, vel in triplo, vel in quadruplo cantabuntur. Cantor Matutinorum Responsoria ordinabit. Missa similiter cum cæteris horis ordinate celebrabitur ab aliquo prædictorum, hoc addito quod Epistola cum *farsia* dicetur a duobus in cappis sericeis, et postmodum a subdiacono : nihilominus perlegetur Responsorium et *Alleluia* in triplo, vel quadruplo, vel organo in cappis sericeis cantabuntur; et erunt in missa quatuor procedentes. Vesperæ sequentes sicut priores a *Lætemur gaudiis* habebunt initium; et cantabitur *Lætabundus*, loco hymni. *Deposuit* quinquies ad plus dicetur loco suo; et si captus fuerit baculus, finito *Te Deum laudamus*, consummabuntur Vesperæ ab eo a quo fuerint inchoatæ. Ultimum similiter Completorium ordinate dicetur. Per totum festum in omnibus horis canonici et clerici in stallis suis ordinate et regulariter se habebunt. Inhibemus igitur ne ordinationem istam aliquis perturbare præsumat : et qui eam observare noluerit, sententiam incurrat in præmisso authentico domini cardinalis expressam. Ut autem institutio ista firmior in posterum perseveret, eam præsenti scripto sigillorum nostrorum impressione munito commendari fecimus.

Actum anno incarnati Verbi 1199.

III.

Aliæ litteræ ejusdem Odonis Parisiensis episcopi, pro solemnitate Circumcisionis Domini et sancti Stephani.

(Anno 1199.)

[Ex magno Pastorali Parisiensi.]

ODO, Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus ad quos pagina præsens pervenerit, in Domino salutem.

Ad hoc nos, licet immeritos, in hujus prælationis officio dispensatio voluit divina constitui, ut ad divini cultus amplificationem studiosius debeamus intendere, et quæ contra honestatem ecclesiasticam in domo Domini minus regulariter pullulasse noverimus, exstirpare. Cum igitur Dominicæ circumcisionis veneranda solemnitas olim in Ecclesia Pari-

siensi minus regulariter ageretur, et sub prætextu malæ consuetudinis ad tantæ dissolutionis esset redacta perniciem, quod plerumque ipsa die enormitates abominabiles et opera contingeret flagitiosa committi, tandem domino Petro, Sanctæ Mariæ in Via Lata diacono cardinali, tunc in partibus nostris legationis officium exsequente, cum ei de prædictis excessibus et enormitatibus constitisset, solemnitatem ipsam per nos et quosdam de majoribus Ecclesiæ nostræ voluit ordinari. Nos igitur cum prædictis mandato præfati cardinalis devotius assurgentes, et a sanctuario Domini totius dissolutionis cupientes eliminare materiam, prædictam festivitatis Circumcisionis, in qua et actus nostri debent et labia circumcidi, ordinare curavimus, et quæ resecanda credimus, resecare, sicut in scripto authentico super hoc composito, et tam nostro quam prædictorum sigillis munito plenius continetur. Ad hoc quoniam festivitas beati protomartyris Stephani ejusdem fere subjacebat dissolutionis et temeritatis incommodo, nec ita solemniter, sicut decebat et martyris merita requirebant, in Ecclesia Parisiensi consueverat celebrari, nos, qui eidem martyri sumus specialius debitores, quoniam in Ecclesia Bituricensi patronum habuerimus, in cujus gremio ab ineunte ætate fuimus nutriti: de voluntate et assensu dilectorum nostrorum Hugonis decani et capituli Parisiensis, festivitatem ipsam ad statum reducere regularem, eamque magnis Ecclesiæ solemnitatibus adnumerare decrevimus; statuentes ut in ipso festo tantum celebritatis agatur, quantum in cæteris festis annualibus fieri consuevit. Volentes igitur ut ex prædictis institutionibus ejusdem Ecclesiæ servitoribus non solum spirituale commodum, sed etiam temporale proveniat, in signum devotionis, et ob ipsius protomartyris reverentiam, singulis canonicis Parisiensibus, vel clericis majori altari servientibus, qui in Natali S. Stephani Matutinis interfuerint, sex denarios Paris., singulis vero clericis chori non canonicis quatuor denarios, singulis autem pueris chori duos denarios, singulis etiam clericis qui in missa responsum vel *Alleluia*, in organo triplo seu quadruplo decantabunt, sex denarios Paris. benigne conferimus in præpositura nostra Parisiensi in perpetuum percipiendos. In festivitate vero Circumcisionis singulis clericis chori non canonicis, qui Matutinis interfuerint, tres denarios Paris., singulis vero pueris chori, duos denarios annuatim in redditibus capituli Parisiensis percipiendos donamus, et in perpetuum habendos concedimus, et successores nostros ad solvendos redditus supradictos in perpetuum obligamus. Verumtamen si prædictas solemnitates ad antiquam enormitatem, vel inordinationem (quod Deus avertat) reduci forte contingeret, tam nos quam successores nostri ab eorum solutione redditluum penitus essemus immunes.

Ut igitur quod pro divini cultus augmento statuitur perpetuo robore convalescat, præsens scriptum ad firmitatem majorem fieri et sigilli nostri præcepimus impressione muniri.

Actum anno incarnationis Verbi 1199, pontif. nostri anno tertio.

IV.

Philippus rex Odonem episcopum a belli oneribus eximit.

(Anno 1200.)

[Ex magno Pastorali.]

Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes et futuri, quod nos charissimum consanguineum et fidelem nostrum Odonem episcopum Parisiensem, intuitu dilectionis quam specialiter habemus ad ipsum, occasione etiam cujusdam contumeliæ eidem a servientibus nostris illatæ, quam audientes plurimum doluimus, in persona sua tantum quamdiu vixerit, ab omni exercitu et equitatione absolvimus penitus, et quittamus tam tempore nostro, quam successorum nostrorum regum Franciæ, salvo nobis debito militum, quos idem episcopus tenetur mittere in servitium nostrum. Quod ut ratum sit et firmum, sigilli nostri munimine et regii nominis caractere inferius annotato, præsentem paginam fecimus roborari. Actum Parisius, anno Verbi incarn. MCC, regni vero nostri anno vicesimo primo, astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt et signa, dapifero nullo Sig. Guidonis buticularii. Sig. Matthæi camerarii. Sig. Droconis constabularii. Data vacante cancellaria

V.

Philippus rex confirmat libertatem claustri Parisiensis.

(Anno 1200.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverit universitas præsentes pariter et futuri, quod nos libertatem et immunitatem quam ecclesia et claustrum Parisiense temporibus prædecessorum nostrorum et nostro habuit ratam habemus, approbamus, et eidem ecclesiæ et claustro confirmamus. Ita quod quicunque prædictam ecclesiæ claustri libertatem vel immunitatem infregerit, is centum libris Parisiensis monetæ ecclesiæ Parisiensi emendabit, vel si centum libras reddere non potuerit, nos personam illam quæ forisfactum fecit, si tamen inveniri possit, dictæ ecclesiæ reddemus, sin autem universas res illius salvis tamen servitiis et consuetudinibus, quas terræ debent dominis in quorum feoda sunt, et de quibus movent quas ille tenebit qui forisfactum fecerit, eidem ecclesiæ ratione prædictæ pœnæ tradlemus, et exponemus absque contradictione ad capiendum, donec ipsi ecclesiæ sit satisfactum. Actum Parisius Verbi Incarnati MCC, regni vero nostri anno XXI, dapifero nullo. Sig. Guidonis buticularii. Sig. Matthæi camerarii. Sig. Drogonis constabularii. Data vacante cancellaria.

VI.

Odo Parisiensis episcopus asserit donum Guidonis de Levis factum abbatiæ de Roca.

(Anno 1201.)

Odo Parisiensis episcopus omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, in Domino salutem.

Noverint universi, quod constitutus in nostra præsentia Guido de Levis, laudante et concedente Guiburge uxore sua, pro remedio animæ suæ dedit et concessit in perpetuam eleemosynam Deo et fratribus de Nemore Guidonis duos modios bladi in decima sua de Logiis, et tres modios vini in vineis suis de Marliaco annuatim percipiendos. Dedit etiam iisdem fratribus unam carrucam terræ, continuam illi terræ, quam olim ipsis in eodem loco contulerat, et præterea grangiam, quam ibidem habebat. Cæterum de assensu A. presbyteri S. Nonni per manum nostram ordinatum est et statutum, quod fratres ipsius loci de nutrituris animalium suorum decimam non solvent presbytero S. Nonni, sed ab ipsius solutione liberi penitus erunt et immunes. Quod ut firmum et stabile perseveret, præsentem chartam ad petitionem prædictorum Guidonis, et A. presbyteri S. Nonni fieri fecimus, et sigilli nostri impressione muniri. Actum anno Incarnati Verbi MCCI, pontificatus nostri anno IV.

VII.

Litteræ Odonis super legitimatione liberorum domini regis susceptorum de filia ducis Meraniæ, tempore papæ Innocentii.

(Anno 1201.)

[Ex chartophylacio regio Sanctæ Capellæ Parisiensis.]

Odo, etc.

Noverit universitas vestra quod nos vidimus authenticum sanctissimi Patris nostri Innocentii papæ, in quo continetur quod ipse filium et filiam excellentissimi domini nostri Philippi regis Francorum, quos ipse susceperat de Agnete filia nobilis ducis Meraniæ, legitimationis titulo donavit ut nullus ex natalibus eis defectus existat (48). Nos vero tanquam sacrosanctæ Ecclesiæ filii mandatum apostolicum humiliter suscipientes, eosque legitimos habentes, auctoritate apostolica, cujus in hac re mandatum suscepimus, excommunicavimus et anathematizavimus, et a liminibus S. matris Ecclesiæ sequestravimus omnes illos qui aliquo modo huic sanctioni apostolicæ attentaverint contraire vel in aliquo derogare.

Actum publice Senonis anno gratiæ 1201, mense Januario.

VIII.

Odo Parisiensis episcopus abbati S. Victoris facit potestatem presbyteros e suis parochiis ad libitum amovendi.

(Anno 1202.)

Omnibus in Christo fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Absalon abbas totusque A conventus Beati Victoris Parisiensis, salutem.

Notum facimus quod cum in iis parochialibus ecclesiis quas habemus in diœcesi Parisiensi, ut olim in ecclesiis de Atheis, de Villaribello, de Vallejocosa, et sancti Pauli, tam ego quam successores mei Parisiensi episcopo canonicum regularem ad curam animarum præsentare teneamur, venerabilis pater noster domnus Odo Parisiensis episcopus de capituli sui totius assensu, intuitu dilectionis, qua nos et ecclesiam nostram amplectitur, propria nobis liberalitate donavit in perpetuam et concessit, ut liceat mihi abbati et successoribus meis universis præsentatum canonicum quandocumque voluerimus, inconsulto episcopo Parisiensi, et non requisito ipsius assensu, sine contradictione amovere, B ita tamen ut infra quindecim dies post amotionem illius prædicto episcopo, aut successoribus ejus alium quem voluerimus repræsentemus ad curam. Quod si aliquis de prædictis canonicis qui in præfatis ecclesiis præsenti et instituti ad curam deservient, episcopo vel successoribus ejus videbitur minus idoneus, et hoc ex parte episcopi mihi abbati fuerit nuntiatum, vel abbati qui pro tempore fuerit, illum canonicum sine contradictione qualibet amovebimus, et alium quem voluerimus, sicut supradictum est, episcopo aut ejus successoribus infra quindecim dies post amotionem illius præsentare tenebimur. In hujus rei perpetuam firmitatem, etc. Actum anno Incarnati Verbi MCCII.

C IX.

Litteræ Odonis episcopi Parisiensis de sibi præsentato ad curam parochiæ sancti Stephani de Monte per abbatem sanctæ Genovefæ Theobaldo sanctæ Genovefæ canonico.

(Anno 1202.)

Odo Dei gratia Pariensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem.

Notum facimus, quod per Amauritium canonicum sanctæ Genovefæ de Monte, qui nobis tradidit litteras Joannis, abbatis S. Genovefæ apertas, ex parte ejusdem abbatis nobis fuit præsentatus Theobaldus canonicus S. Genovefæ ad curam animarum de Monte, et idem Theobaldus curam animarum ejusdem parochiæ suscepit a nobis, et præsen- D tibus sacrosanctis Evangeliis et deosculatis ab eodem, promisit nobis sicut episcopo Parisiensi in verbo sacerdotis et super ordinem suum justitiam, obedientiam et fidelitatem, quandiu regeret parochiam memoratam. Hoc autem totum factum est Parisius in capella nostra superiori, præsentibus Archembaldo decano Bituricensi et magistro Jordano socio ejus, Gaufrido de Lenda, magistro Lotherio, magistro Bernardo, magistro Gaufrido de Pissiaco, magistro Nicolao Gregorio Rodulfo de Lineriis, Guidone archipresbytero, et Leodegario clerico ejus, Odone presbytero de Viceour, Petro nepote Engolismensis episcopi, Roberto Bituricensi,

(48) Epistolam Innocentii III de legitimatione liberorum Philippi regis vide inter *Regesta* Innocentii, *Patrologiæ* tom. CCXIV, col. 1193.

Petro de Lineriis clerico, Nivelone Johanne clerico magistri Lotherii, Odone de S. Mederico, Willelmo, Escuacol, Johanne Maurino, tunc etiam præsentato ab eodem Willelmo, fratre Otranno, et fratre Petro de S. Lazaro. In cujus rei memoriam præsentem chartam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum anno Gratiæ MCCII, mense Junio, pontificatus nostri anno quinto.

X.

Litteræ super compositione limitum episcopatuum Belvacensis et Parisiensis.

(Anno 1202.)

[Ex chartulario Parisiensi.]

PHILIPPUS, Dei gratia Belvacensis, et ODO Parisiensis episcopi, omnibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem.

Notum facimus quod cum inter nos contentio verteretur super limitibus Belvacensis et Parisiensis episcopatuum in loco de Moynel, a parte orientali prope caput Ecclesiæ; tandem ad locum personaliter accessimus, et in præsentia nostra, et abbatum Vallis Beatæ Mariæ, et Sancti Justi, et de Herneriis, et multorum aliorum bonorum virorum facta inquisitione diligenti a vicinis utriusque episcopatus, pari voluntate et consensu limites distinximus, et metas in hunc modum posuimus. Ad originem fontis de Moynel, qui est in stagno fratrum, primam metam lapideam, secundam ex directo in Calceya, tertiam in Campo subtiliori, quartam et ultimam sub quercu ex directo, quæ est juxta murum qui claudit hortos fratrum, et juxta quemdam rivulum, qui emanat a fonte prædicto, ita quod id quod est a parte Ecclesiæ, est in episcopatu Belvacensi : id quod est ex alia parte, est in episcopatu Parisiensi : cæteris terminis et limitibus episcopatuum prædictorum in eo statu manentibus, in quo erant. Quod ut ratum permaneat et inconcussum, præsentem chartam sigillorum nostrorum munimine roboravimus.

Actum anno incarnati Verbi 1202, mense Novembri in crastino Sancti Martini.

XI.

Littera ejusdem Odonis de decima de Espiers quam Adam de Monsterolio dedit quatuor matricularis presbyteris.

(Anno 1203.)

[Ex Chartulario Parisiensi.]

ODO, Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem.

Notum facimus quod cum in Ecclesia nostra Parisiensi institueremus quatuor perpetuos matricularios clericos, et ad institutionem istam dedissemus in perpetuum de reddilu nostro, et decanus et capitulum Parisiense similiter de suo, dilectus noster Adam de Munsterolo, canonicus Parisiensis, intuitu charitatis, dedit in perpetuam eleemosynam eidem institutioni decimam suam de Espieriis, quam ipse tenebat, et quatuor libras Parisienses annuatim perpetuo percipiendas in furno *de Loures*, et inde se devestivit in manu nostra ad opus dictorum ma-A tricular iorum. Hanc itaque donationem ab eodem factam laudaverunt, et ratam habuerunt, et se servaturos fide interposita promiserunt Alix mater ejusdem Adam, et Helvis soror ipsius A. et Robertus Ferratus miles maritus ejusdem Helvis. In cujus rei perpetuam firmitatem de consensu eorum præsentem chartam sigilli nostri fecimus munimine roborari.

Actum anno Domini 1203.

XII.

Litteræ ejusdem pro institutione quatuor matriculariorum sacerdotum in Ecclesia Parisiensi.

(Anno 1204.)

[Ex Chartulario D. decani Parisiensis, charta 161.]

ODO, Dei gratia Parisiensis Episcopus, universis Christi fidelibus ad quod præsens scriptum perve-B nerit, æternam in Domino salutem.

Quod pro divini cultus augmento statuitur, litteris dignum est adnotari, ne facile ab humana memoria processu temporis per oblivionem deleatur. Hinc est quod tam ad præsentium quam posterorum notitiam volumus pervenire, quod cum de consensu et voluntate capituli nostri in Ecclesia Parisiensi quatuor matricularios decrevissemus instituere sacerdotes, quorum institutio ad nos nostrosque successores perpetuo pertinebit, dilectus noster Adam de Musterolo canonicus ejusdem Ecclesiæ de sua suorumque parentum salute sollicitus, et tam piæ institutionis fructum attendens, ad eorumdem matriculariorum sustentationem dedit, et C concessit in perpetuam eleemosynam laudantibus et fide interposita ratum habentibus Alix matre ejusdem Adæ et Helvis sorore ipsius Adæ, et Roberto Forti marito ipsius Helvis, decimam de Espiers, et quidquid juris habebat in tractu decimæ, et quatuor libras Parisiensis monetæ in furno de Loures, annuatim percipiendas, quam decimam et furnum jure hæreditario possidebat : ita quod quisquis tenebit Furnum illum, tenebitur reddere matriculariis sexaginta solidos in Nativitate Domini et viginti solidos in Pascha sine aliquibus matriculariorum missionibus, vel expensis : si autem circa emendationem vel reparationem furni aliquid ab ipsis matriculariis contigerit expendi, licebit eis percipere et sibi retinere cum pertinentiis furni, donec sum-D ptus in eodem furno factos et reditum prædictarum quatuor integre perceperint. Sciendum præterea quod nos dedimus et assignavimus præfatis matricularis in perpetuum septem libras Parisiensis monetæ, quas Parisiense capitulum nobis et successoribus nostris annuatim solvere tenebatur nomine præbendæ, quam abbas et capitulum Sanctæ Genovefæ ratione compositionis inter nos et ipsos factæ nobis dedisse et in perpetuum concessisse noscuntur. Et præterea dedimus eis sexaginta solidos post mortem magistri Alberti annuatim similiter a capitulo, vel ab illis, quos capitulum ordinaverit persolvendos pro vicaria ejusdem præbendæ nobis a capitulo sanctæ Genovefæ collata et omnibus ad vicariam pertinentibus. Decanus autem et capitu-

lum dederunt eisdem matriculariis decem libras Parisiensis monetæ; ita quod tam ipsas decem libras, quam præscriptas septem libras, et sexaginta solidos, quos supradiximus, sæpefatis matriculariis annuatim duobus terminis, scilicet in Pascha, et in festo Omnium Sanctorum, solvere tenebuntur. Nos igitur ipsius Adæ devotione pensata, statuimus et ordinavimus quod duo de prædictis quatuor sacerdotibus in una septimana, alii duo in alia, singuli singulis diebus septimanæ suæ pro anima, prædicti Adæ, et animabus parentum, fratrum quoque et sororum suarum, et omnium illorum, qui beneficium istud adauxerunt, vel imposterum augmentabunt, missam defunctorum bona fide in eadem Ecclesia, et in altari, vel in altaribus ad hoc sibi a capitulo deputatis celebrabunt, et tam commendationem, quam trium lectionum vigilias dicent, exceptis diebus Dominicis, et in festivitatibus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini, et Pentecostes, Inventionis et Exaltationis sanctæ crucis, solemnitatibus beatæ Mariæ, Natalitiis apostolorum, Nativitatis beati Joannis Baptistæ festivitate, beatæ Mariæ Magdalenæ, et beati Michaelis, Natali beati Dionysii, depositione beati Marcelli, festivitate etiam Omnium Sanctorum excepta, et Natali beati Stephani. Illi vero duo qui in septimana non erunt, vigilias trium lectionum cum Vesperis in septimana non sua ter dicere tenebuntur; in principio quoque, et fine missarum suarum, quæcunque sint pro ipso Adam quandiu vixerit, et pro aliis viventibus, ad quos data hæreditas pertinebat, specialem orationem cum secreta dicere tenebuntur prædicti quatuor Sacerdotes; qui vero propter infirmitatem, vel aliam necessitatem non poterit agere prædicta officia, providebit bona fide qui suppleat defectum suum. Quod si neglexerit, in illius sumptibus providebit capitulum. Si vero aliquod istorum beneficiorum dari non sacerdoti contigerit, portio beneficii, quæ ipsi competeret, si sacerdos esset, dabitur pro rata temporis ei, qui loco ejus deserviet sacerdoti. Statutum est etiam, quod nisi infra annum in sacerdotem fuerit ordinatus, tunc episcopus habebit potestatem conferendi beneficium sacerdoti. Præfati vero quatuor sacerdotes, cum a nobis vel a nostris successoribus fuerint instituti, se prædicta bona fide servaturos jurare in nostra vel successorum nostrorum præsentia tenebuntur. Quod si infra decem dies post institutionem suam jurare noluerint, extunc se noverint anathemati subjacere, si aliquid de prædicto beneficio perceperint, antequam dictum præstiterint juramentum. Sub eodem etiam juramento quatuor sacerdotum comprehendetur quod ita diligenter Ecclesiæ custodiam observabunt ut omni tempore tam de die quam de nocte bona fide unus eorum quatuor ad minus in ecclesia valeat inveniri, et quod duo illorum in ecclesia de nocte jacebunt: nunquam autem ecclesia de die claudetur. Cum autem præfati matricularii a nobis fuerint instituti, nobisque fidelitatis exhibuerint juramentum et homagium fecerint, venire in capitulum, ibique fidelitatem jurare capitulo tenebuntur, sicut matricularius laicus ab antiquo facere consuevit. Ibidem etiam iisdem matriculariis altare, in quo, sicut ordinatum est, celebrare debebunt decanus et capitulum, assignabunt, et eosdem investient de altari. Cæterum cum in Ecclesia nostra unicus esset matricularius laicus ab antiquo, nec ad tanti sufficeret pondus officii, tres alios matricularios laicos eidem de assensu et voluntate capituli duximus adjungendos in propriis personis Ecclesiæ servituros; quorum quilibet centum solidos Parisienses, quandiu Andreas matricularius vixerit, de redditibus matriculariæ percipiet annuatim ab eodem Andrea in Nativitate Domini, et in Nativitate sancti Joannis persolvendos mediatim; cedente vero vel decedente Andrea, omnes redditus et proventus ejusdem matriculariæ inter matricularios quatuor laicos dividentur æqualiter, eo excepto quod major matricularius qui antiqua libertate et immunitate gaudebit, successor videlicet Andreæ, ultra quartam portionem, quæ ipsum continget, tres modios et dimidium vini solus percipiet annuatim de undecim modiis et dimidio vini, quos percipiebat matricularius ab episcopo: Et præterea sex sextarios bladi de decem et octo sextariis hybernagii quos percipiebat in granario episcopi, et insuper fercula quæ matricularius in domo episcopi percipere consuevit; residuum vero tam vini quam bladi, et omnium redditnum et proventuum tam collatorum quam inposterum, annuente Domino, conferendorum, per quatuor partes æquales inter quatuor matricularios dividetur; omnes autem prædicti matricularii laici sicut et clerici instituentur a nobis: qui postquam a nobis instituti fuerint, nobisque fidelitatem et homagium fecerint, in capitulum venire, et fidelitatem jurare capitulo tenebuntur, quam ab antiquo matricularius exhibebat: si vero major matricularius laicus circa servitium ecclesiæ assiduitatem non fecerit, pro se servitorem idoneum providebit, qui cum tribus residuis matriculariis tam circa pulsationem campanarum, quam alia, quæ ipsis incumbunt agenda, matricularii supplebit officium. In juramento sane matriculariorum ipsorum, quod tam nobis quam capitulo exhibebunt, specialiter exprimetur quod ecclesiæ custodiæ ita diligenter insistent, ut omni tempore tam de die quam de nocte unus eorum quatuor ad minus, sicut et de sacerdotibus superius dictum est, in ecclesia valeat inveniri: et quod duo illorum in ecclesia de nocte jacebunt. Si quæ vero alia sunt quæ officio matriculoriorum tam clericorum quam laicorum velimus adnectere, cum a nobis et a capitulo fuerint ordinata, redigentur in scriptum; et matricularii eadem observare et facere tenebuntur. Quod ut perpetuam obtineat firmitatem, præsentem chartam fecimus notari, et tam sigilli nostri quam sigilli capituli munimine roborari.

Actum anno Incarnati Verbi 1204, pontificatus nostri anno septimo.

XIII.

nstitutio anniversarii Odonis facta a capitulo Parisiensi.

(Anno 1204.)

[Ex Magno Pastorali.

Odo, Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus fidelibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem.

Notum facimus quod cum charissimi nostri H. decanus et capitulum B. Mariæ Parisiensis, anniversarium nostrum instituissent in Ecclesia Parisiensis solemniter et perpetuo celebrandum, et ad hoc quadraginta solidos Parisiensis monetæ in bursa capituli annuatim excipiendos benigne et liberaliter assignassent : nos ipsorum devotionem attendentes, in augmentum præfati beneficii dedimus et concessimus in perpetuum capitulo memorato sexaginta solidos Parisienses in censu nostro de Brunello annis singulis percipiendos. Sciendum autem quod iidem sexaginta solidi cum præfatis xl solidis a capitulo, sicut dictum est, persolvendis in vigilia et in die anniversarii nostri distribuentur canonicis B. Mariæ, et clericis majoris altaris servitio deputatis, qui anniversario nostro interfuerint. Cæteris vero clericis chori B. Mariæ dedimus xl libras Parisienses monetæ ad redditus comparandos, et tam in vigilia quam in die anniversarii nostri clericis chori similiter distribuendos. In hujus itaque rei perpetuam firmitatem præsentem paginam sigilli nostri fecimus impressione muniri.

Actum anno Incarnationis Verbi 1204, pontificatus nostri an. viii.

XIV.

Odo Parisiensis episcopus præbendam et vicariam capitulo Parisiensi concedit.

(Anno 1204.)

[*Ex magno Pastorali.*]

Odo Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, æternam in Domino salutem.

Ad universorum notitiam volumus pervenire, quod cum venerabiles viri, abbas et capitulum S. Genovefæ præbendam et vicariam, quam in ecclesia B. Mariæ Parisiensis habebant, nobis et successoribus nostris ratione compositionis quæ inter nos et ipsos intercesserat, contulissent penitus et quittassent, nos postmodum, tam præbendam quam vicariam memoratam dilectis fratribus nostris Hugoni decano et capitulo Parisiensi concessimus et quittavimus perpetuis temporibus possidendam, ut tam de præbenda, quam vicaria eisdem prout voluerint, liceat ordinare; ita tamen quod capitulum supradictum præter decem libras Parisiensis monetæ, quas matriculariis sacerdotibus in ecclesia nostra a nobis noviter institutis habendas perpetuo contulerunt, eisdem matriculariis septem libras Parisienses, et post cessionem vel decessum magistri Alberti sexaginta solidos ejusdem monetæ annuatim solvere tenebuntur. Ut igitur donatio ista et concessio perpetuo robore convalescat, præsentem chartam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum anni Incarnati Verbi, mcciv pontificatus nostri anno vii

XV.

Donationes factæ Portui regis.

(Anno 1206.)

Odo Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem.

Notum facimus quod cum dominus Matthæus de Malliaco olim esset Hierosolymam profecturus, ipse pro remedio animæ suæ, et animæ Mathildis uxoris suæ assignavit xv libras annui redditus apud Mellentum, et posuit eas in nostra et ejusdem Mathildis dispositione, ut eas assignaremus et conferremus prout videremus expedire. Consilio itaque bonorum virorum assignavimus eas et contulimus eas in perpetuum ecclesiæ de Porrois. Præterea cum dicta Mathildis acquisivisset quosdam redditus apud Galardum, scilicet tertiam partem in molendino Herchenout, et dimidiam partem in molendino Divitis burgi, et quartam partem in molendino de Freteval, concessit in perpetuam eleemosynam eidem ecclesiæ decem modios bladi annui redditus in prædictis redditibus molendinorum jam dictorum, absque omni exactione et molendinorum reparatione, percipiendos ad mensuram de Galardon, bladi videlicet rationabilis, quale molendina lucrarentur. Ita quod si unum vel duo prædictorum molendinorum aliquo casu, quod avertat Deus, in ruinam redigantur, de reddito molendini superstitis, prout poterit sufficere, prædictæ ecclesiæ super decem modiis satisfiet. Hanc autem assignationem et donationem super dicta pecunia, et memorato blado præfatæ ecclesiæ factum laudaverunt, et fide interposita concesserunt Buchardus et Matthæus fratres, scilicet filii prænominatorum Matthæi et Mathildis. Matthæus etiam dominus Montismorenciaci, de cujus feodo movebant præfatæ quindecim libræ, eamdem assignationem laudavit et concessit. In cujus rei testimonium de consensu ejusdem Mathildis et filiorum suorum, præsentem chartam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum anno Dom. mccvi.

XVI.

Litteræ Odonis Parisiensis episcopi, pro institutione festi S. Bernardi in Ecclesia Parisiensi.

(Anno 1207.)

[Ex magno Pastorali.]

Odo, Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem.

Notum facimus quod cum decanus et capitulum Parisiense ad preces nostras nobis liberaliter concesserint et benigne, quod singulis annis in crastino S. Bartholomæi apostoli facient festum B. Bernardi, primi Clarævallensis abbatis, in Ecclesia Parisiensi ad dimidium duplum, assignavimus et contulimus eis in perpetuam eleemosynam decimam illam, quam emi-

mus apud Buc, versus Castrum-forte, ita quod inde annis singulis in festo prædicto ad matutinas distribuentur singulis canonicis præsentibus, et quatuor matriculariis presbyteris, singulis videlicet sex denarii. Si quid vero residuum fuerit de pretio fructus decimæ supradictæ, distribuetur clericis chori Parisiensis, sicut extendi poterit ad singulos illorum, qui prædictis interfuerunt matutinis. In cujus rei perpetuam firmitatem præsenti chartæ sigillum nostrum fecimus apponi.

Actum ab Incarnatione Domini 1207, mense Augusto.

XVII.

Litteræ ejusdem Odonis qua donat novalia capitulo Parisiensi.

(Anno 1207.)

[Ex Magno Pastorali.]

Odo, Dei gratia Parisiensis episcopus, dilectis in Christo filiis Hugoni decano, totique capitulo B. Mariæ Parisiensis, in perpetuum.

Et vestræ conversationis honestas, et ecclesiasticæ utilitatis nos inducit ut eo libentius vestris provideamus commodis, et quieti, qui vobis et Ecclesiæ vestræ sumus specialius obligati. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestræ devotionis attendentes affectum, in omnibus locis nostræ diœcesis, in quibus decimationem habetis vel habituri estis, decimas omnium novalium faciendorum, seu jam factorum, quæ non sunt aliis assignatæ, vobis, et Ecclesiæ vestræ in perpetuum quiete et libere possidendas concedimus, donamus, et præsentis scripti patrocinio confirmamus, salvo jure alterius Ecclesiæ, quæ in eodem territorio partem decimationis haberet.

Actum anno gratiæ 1207, mense Augusto.

XVIII.

Auctoramentum de venditione quorumdam prædiorum a Guidone domino Caprosiæ facta.

(Anno 1207.)

Odo Dei gratia Parisiensis episcopus

Noverint universi quod Guido dominus Caprosiæ, recognovit in præsentia nostra se vendidisse pro octies viginti libris Parisiensibus novellæ domui de Porrois molendinum quod ipse habebat apud Germevillam, et terram, et pratum quod habebat juxta prædictum molendinum, et pratum quod Magna Roschia vocatur, quod habebat sub molendino, et boscum suum prope Porrois situm ex altera parte rivi, sicut signa et metæ determinant; et feodum suum concessit eidem domui acquirendum, sicut termini et metæ demonstrant, si poterit ab eis acquirere qui habent dominium. Concessit etiam animalibus prædictæ domus absque capris pascua in communibus nemoribus, nec pecora domus alia nemora Guidonis secta poterunt intrare infra quinquennium, nisi sicut communitas terræ intrabit, nisi specialiter hoc concesserit idem Guido, et si ipse vel hæres suus velit essartare nemora sua, prædicta domus non poterit reclamare. Hoc concessit et laudavit

A Avelina uxor ejusdem Guidonis, et tam ipse quam ipsa fidem dedit de ferenda garantia. In cujus rei testimonium de voluntate dicti Guidonis, præsentem chartam fieri fecimus, et sigillo nostro muniri. Actum anno Domini MCCVII mense Augusto.

XIX.

Fundatio ecclesiæ sancti Symphoriani.

(Anno 1207.)

Odo Dei miseratione Parisiensis episcopus, omnibus ad quos litteræ præsentes pervenerint, in Domino salutem.

Quod pro divini cultus augmento statuitur, litterarum convenit testimonio commendari, ne processu temporis valeat in oblivionem adduci: ad universorum itaque notitiam volumus pervenire, quod cum esset in civitate Parisiensi locus

B quidam, reverentiæ, et religionis antiquæ, in quo gloriosus martyr Dionysius in carcere traditur fuisse detentus, quem etiam Dominus Jesus Christus sua perhibetur præsentia honorasse: cum eidem martyri corporis sui sacramentum propinavit ibidem, ubi etiam devotio fidelium capellam erexerat, quæ postmodum per incuriam ad solitudinem redacta fuerat et neglecta. Tandem inspirante gratia Spiritus sancti, nobilis vir Matthæus comes Bellimontis, qui tam in capella quam domuncula adjacente jus patronatus et proprietatis habebat, quidquid juris habebat ibidem in nos ac successores nostros pia liberalitate transfudit. Nos itaque locum ipsum ad honestiorem statum redu-

C cere cupientes, ibi in memoriam et venerationem B. Dionysii capellam sollemniorem ereximus, et capellanos instituimus in eadem ecclesia servituros et residentiam in personis propriis bona fide facturos. Ad eorum igitur sustentationem Elienor illustris comitissa Viromandiæ, pro salute dominæ A. serenissimæ quondam Franciæ reginæ, pietatis intuitu contulit centum marchas argenti, de quibus comparavimus ab abbate et conventu Montisestivi furnum quem habebant Parisius, qui dicitur furnus inferni, cum omnibus ad eum pertinentibus, pro centum et triginta libris Parisiensibus. De residuo vero videlicet sexaginta et decem libris Parisiensibus, ementur redditus ad opus capellanorum

D quos prædiximus, cum decima Willelmi Buignelli militis redempta fuerit, quæ pro illis sexaginta et decem libris modo tenetur pignori obligata. Ad opus ejusdem capellæ Garnerus etiam de S. Lazaro civis Parisiensis, et Agnes ejus uxor domum suam sitam ante portam S. Juliani Pauperis totam sicut comportat se usque in magnum vicum, liberam ab uno denario censuali, et omni consuetudine et jure, quod Simon de Pissiaco miles in eadem domo habebat, et in manu nostra quitavit, et tres arpennos vinearum in valle S. Martini, et unum arpennum et dimidium apud Lervel eidem loco misericorditer contulerunt; et sciendum est, quod omnes proventus et redditus supradicti, quatuor, ut dictum est, in eadem capella servituris, proportione

distribuentur æquali, quorum unus pro anima memoratæ reginæ, tres vero pro Garnero et Agnete perpetuo celebrabunt, quorum institutio ad solum Parisiensem episcopum pertinebit. Cuicunque autem earumdem capellaniarum, vel aliarum in eadem ecclesia futurarum aliqua conferetur, ipse tempore institutionis suæ jurare tenebitur se facturum in capella residentiam in persona propria bona fide, et quod ordinem sacerdotis, si sacerdos non fuerit, suscipiet infra annum, ita quod nihil percipere poterit de fructibus ecclesiæ, donec promotus fuerit ad ordinem sacerdotis; sed interim cedent fructus in necessitates ecclesiæ. Sciendum etiam quod divina officia sollemniter celebrabuntur in prædicta capella, in matutinis, missa et vesperis, et aliis horis canonicis, et pulsabuntur Campanæ, sicut solet fieri in ecclesia præbendali, ita quod omnes missæ præter conventualem sine nota et pulsatione campanæ celebrabuntur. Concessimus præterea, ut dictus comes Bellimontis in eadem capella capellaniam unam constituere possit, et liceat ipsi et successoribus suis comitibus Bellimontis eam conferre personæ idoneæ nobis et nostris successoribus præsentandæ, quæ nobis subjecta erit in omnibus. Quotiens vero dictarum capellaniarum aliqua per mortem capellani vacaverit, in quibus nullo alio vacationis modo fieri volumus annuale medietatem annualis fabricæ et aliis necessitatibus capellæ statuimus deputari, et alteram medietatem percipiet institutus juxta formam prædictam. Quod ut ratum permaneat, præsentem chartam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius, anno Incarnati Verbi MCCVII, pontificatus nostri anno decimo mense Augusto.

XX.

Institutio duorum sacerdotum facta ab eodem Odone in ecclesia Sancti Symphoriani Parisiensis.

(Anno 1207.)

[Ex chartophylacio regio asservato in Sancta Capella Parisiensi.]

Odo, Dei gratia Parisiensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem.

Notum facimus quod cum vir nobilis Matthæus comes Bellimontis pro salute animæ suæ, et antecessorum suorum, et pro recompensatione itineris Jerosolymitani, dedisset et in perpetuam eleemosynam concessisset Deo et nobis in honore beati Dionysii locum illum, in quo incarceratus dicitur beatus Dionysius, qui dicitur Capella Sanctæ Catharinæ, et ædificium quod in eodem loco situm est, scilicet a pratello exteriore usque ad stratam anteriorem, quæ inter ipsum locum et ecclesiam Sancti Dionysii de Carcere ducit, ad ædificandam ecclesiam in qua sacerdotes Deo et beato Dionysio in perpetuum deservient; ita quod pratellum et totum residuum ædificiorum suorum ipsi comiti et hæredibus suis libere ex integro remanebunt: concessimus quod nos duos sacerdotes ibidem instituemus, et ipse comes intuitu salutis animæ suæ in eadem ecclesia, quæ ibidem a nobis construetur, unum sacerdotem de suo proprio constituet, cujus beneficium quotiescunque, vel quoquo modo vacare contigerit, idem comes et hæredes sui alteri personæ idoneæ libere conferre poterunt, quam tamen personam nobis episcopo Parisiensi, et successoribus nostris præsentare tenebuntur, quæ jurabit ipsi episcopo residentiam et servitium ipsius Ecclesiæ, et quod si non fuerit sacerdos, infra annum ordinem sacerdotis recipiet; duo etiam sacerdotes qui instituentur a nobis et successoribus nostris de servitio et residentia simile juramentum præstabunt. Quod ut ratum permaneat præsentem chartam sigilli nostri fecimus impressione muniri.

Datum anno Domini 1206, mense Decembri.

XXI.

Odo episcopus Parisiensis confirmat initam compositionem inter abbatem S. Dionysii et abbatissam de Footel.

(Anno 1207.)

Odo Dei gratia episcopus, Hugo decanus et capitulum Parisiense, omnibus præsentem chartam inspecturis, in Domino salutem.

Notum facimus quod cum inter venerabilem abbatem et conventum B. Dionysii ex una parte, et abbatissam et conventum de Footel ex altera, coram me episcopo, et me decano, et multis aliis de capitulo Parisiensi, et, coram judicibus a sede apostolica delegatis, scilicet Egidio priore sancti Victoris Paris. Simone succentore Silvanectensi, magistro Roberto de Corchon canonico Noviomensi, compositio facta sit super ecclesia prioratus B. Mariæ de Argentolio et ejus appendiciis, nos compositionem illam ratam et gratam habentes, eam confirmamus. Hujus compositionis forma talis est: scilicet quod abbatissa et moniales de Footel renuntiaverunt omni juri, si quod habebant in dicta ecclesia de Argentolio et ejus appendiciis secundum formam infra scriptam, videlicet juri, si quod habebant in villa de Argentolio et ejus appendiciis, et in Sartouvilla, Cavenolio, Trapis, Eranceri, Bardini, Ademvilla, Chrisi, Mellay, Santleonio, Mostrol, Momeliam et earumdem villarum appendiciis, et uno molendino apud Miledunum, et ejus appendiciis, et in decima de Asneriis. Cesserunt etiam omne jus et omnem actionem, si quod vel quam habebant ad dictam ecclesiam B. Mariæ, et omnia supradicta petenda ecclesiæ B. Dionysii, ita tamen quod de consensu partium actum est specialiter et intellectum, quod in hac supradicta renuntiatione et cessione non intelligatur aliquod comprehensum, quod nos episcopus vel ecclesia Parisiensis, vel monasterium de Footel, vel aliquis extraneus qui causam haberet sive a nobis episcopo vel ecclesia Parisiensi, vel monasterio de Footel teneremus et possideremus eo tempore, quo hæc compositio facta est. Si qua enim non sunt expressa quæ ad dictam ecclesiam de Argentolio pertinuerant, jus retinetur salvum utrique parti quod habebat ante compositionem.

instrumenta etiam ad hanc causam pertinentia abbatissa et moniales de Footel tradiderunt præfatis judicibus, de consensu ecclesiæ B. Dionysii, et renuntiaverunt quod nec eis instrumentis nec aliis contra B. Dionysium, vel alium qui habet causam ab eo, utentur de cætero pro iis causis, scilicet quantum ad has causas pro cancellatis habebuntur. Si qua enim instrumenta fuerunt, quæ pertinuerant ad supradictam causam, et alia quantum ad has causas pro cancellatis habebuntur, quantum ad alia in sua durabunt firmitate. Actum est etiam inter partes, quod nos episcopus et ecclesia Parisiensis habeamus et retineamus in dicta ecclesia de Argentolio et omnibus supradictis, tam expressis quam non expressis, omne jus quod habebamus ante compositionem istam, salva compositione quæ præsentibus judicibus facta est inter me episcopum et ecclesiam B. Dionysii, super jure ecclesiæ prioratus B. Mariæ de Argentolio. Juraverunt etiam corporaliter prædictæ abbatissa et conventus de Footel quod dictam renuntiationem et cessionem, et alia quæ superius dicta sunt, bona fide servabunt nec contravenient; si autem contravenirent, et monitæ ab abbate et alio monacho B. Dionysii, qui primo loco post abbatem præsidet ordini, nollent post commonitionem infra triginta dies desistere, omne damnum quod ex hoc contingeret ecclesiæ B. Dionysii resarcirent, nihilominus compositione ista in sua firmitate durante: pro bono autem pacis abbas et conventus B. Dionysii quitaverunt dictis abbatissæ et monialibus omne jus si quod habebant in ecclesia Sancti Nicolai prope montem Melianum sita, cum domo et clausura, cum tribus sextariis frumenti, quos debet percipere dicta ecclesia Sancti Nicolai singulis annis in grangia de Monmeliant, et quatuor arpennis terræ quos eadem ecclesia sancti Nicolai tenet ibi ad campi partem. Cesserunt etiam eisdem abbatissæ et monialibus omne jus, omnem actionem, si quod vel si quam habebant ad supradicta petenda, salva tamen campi parte et jure campi partis, excepto quod vendere non compellentur ab ecclesia B. Dionysii moniales. Dederunt etiam monasterio de Footel quatuor arpennos terræ circa dictam ecclesiam S. Nicolai. Non cogent etiam moniales vendere domos vel vineas, vel alia si quæ habent sub ecclesia B. Dionysii vel ejus membris, scilicet permittent in pace possidere ubicunque teneant, sicut modo tenent vel possident, nec super eis aliquam de cætero facient controversiam. Assignaverunt etiam eisdem abbatissæ et monialibus in terris certis in territorio de Trembleyo decimam quæ singulis annis valet decem libras Parisienses, et facient dictas moniales dictam decimam perpetuo in pace tenere. Præterea dicti abbas et conventus B. Dionysii promiserunt se soluturos quadringentas libras Parisienses in festo sancti Andreæ proxime venturo, et alias quadringentas libras Parisienses in eodem festo revoluto anno præfatis abbatissæ et monialibus. Juraverunt etiam corporaliter præfati abbas et conventus B. Dionysii, quod omnia supradicta bona fide implebunt, nec contravenient; si autem contravenirent, omne damnum quod ex hoc contingeret, monasterio de Footel resarcirent, nihilo minus compositione ista in sua firmitate durante. In cujus rei perpetuam firmitatem, præsentem chartam sigillorum nostrorum fecimus impressione muniri.

Actum Parisiis anno Domini MCCVII, mense Aug. VII Kalend. Septembris.

XXII.

Odo Parisiensis episcopus et Henricus abbas sancti Dionysii de ecclesia de Argentolio disceptantes conciliantur.

(Anno 1207.)

Ego HENRICUS B. Dionysii abbas totusque ejusdem loci conventus.

Notum facimus, tam præsentibus quam futuris, quod cum esset contentio inter nos ex una parte, et Odonem Parisiensem episcopum ex altera, super jure ecclesiæ prioratus beatæ Mariæ de Argentolio, nos amicabiliter mediantibus nobis viris in hunc modum composuimus: Scilicet quod idem episcopus et successores ejus et capitulum Parisiense de cætero non facient neque facere poterunt, quod sit abbas vel abbatissa in prædicta ecclesia Beatæ Mariæ de Argentolio, imo remanebit ibi prioratus beati Dionysii, nec poterunt facere quod monachi beati Dionysii possint amoveri ab eadem ecclesia. In eadem autem ecclesia Beatæ Mariæ de Argentolio episcopus prædictus et successores sui habebunt in perpetuum duas procurationes singulis annis, unam scilicet sine taxatione, sicut solet haberi, et aliam quæ non poterit excedere summam sexaginta solidorum. Archidiaconus etiam Parisiensis et successores sui habebunt ibidem in perpetuum duas procurationes singulis annis, unam scilicet sine taxatione, sicut solet haberi, et aliam quæ non poterit excedere summam viginti solidorum, nec plures quam duas procurationes poterit ibidem habere episcopus per annum, nec archidiaconus similiter plures quam duas. Omnia vero alia episcopalia jura remanent episcopo Parisiensi et successoribus suis in perpetuum in præfata ecclesia beatæ Mariæ de Argentolio propter (49) alia videlicet jura quæ privilegia beati Dionysii modo exstantia auferunt (50) eidem episcopo, nec alia privilegia poterimus impetrare de cætero contra episcopum vel capitulum Parisiensem quantum pertinet ad dictam ecclesiam Beatæ Mariæ de Argentolio. Verumtamen si aliquand contigerit quod episcopus Parisiensis vel successores sui interdicant Argentolium, quod episcopo Parisiensi licet nonobstante aliquo privilegio, poterunt pariter interdicere dictam ecclesiam Beatæ

(49) Præter illa.

(50) Offerunt.

Mariæ de Argentolio, tali modo quod monachi ejusdem ecclesiæ non poterunt recipere interdictos nec excommunicatos, nec pulsare campanas, sed facient divinum servitium summissa voce et januis clausis, et contra hoc non poterimus uti aliquo privilegio habito vel habendo. Assignavimus etiam eidem episcopo, et successoribus suis sex modios bladi, scilicet medietatem hibernagii, et aliam medietatem marceschiæ ad mensuram Parisiensem percipiendos annis singulis infra festum B. Remigii in decimis nostris apud Herbleium, et apud Montiniacum, scilicet tres modios in una granchia, et tres modios in altera; ita quod si minus fuerit in una, de altera suppleatur, et si ambæ non sufficerent, de alia decima suppleatur in episcopatu, videlicet ad Petram latam. Hanc autem assignationem jamdiu (3) volumus manere donec acquisierimus sex modios bladi, scilicet medietatem hibernagii, et aliam medietatem marceschiæ ad mensuram Parisiensem in decimis in episcopatu Parisiensi constitutis in tribus locis competentibus ad plus, vel in duobus locis competentibus, vel in loco competenti si voluerimus, et eosdem sex modios acquisitos assignaverimus in perpetuum episcopo Parisiensi et successoribus suis, et tunc alia assignatio cessabit. In hujus rei perpetuam firmitatem præsenti chartæ sigilla nostra fecimus adhiberi. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo septimo, septimo kal. Septembris.

XXIII.

Odonis episcopi, Hugonis decani, et universi capituli Parisiensis, quibus significant Præpositivum cancellarium juravisse se statutum quod episcopus Parisiensis de residentia cancellarii fecerat, observaturum.

Anno 1207.)

[Duboulay, *Hist. Univ. Paris.* III, 36.]

Odo, Dei gratia Parisiensis episcopus, Hugo decanus, et universum capitulum Parisiense, omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

Notum facimus universis quod nos residentiam cancellarii Parisiensis attendentes necessariam esse nostræ Parisiensi Ecclesiæ et communitati scholarium, de bonorum virorum consilio et communi assensu statuimus in capitulo Parisiensi, ut quicunque de cætero cancellarius Parisiensis fuerit, teneatur in propria persona bona fide in Ecclesia Parisiensi residere, quandiu cancellariam tenuerit: et quod per se vel per alium nullatenus procurabit, quod relaxetur a juramento prædicto. Statuimus etiam quod nihil de fructibus cancellariæ percipere possit, donec prætaxatum exhibuerit in Parisiensi capitulo juramentum. Postquam autem magister præpositivus factus est cancellarius, rogavimus eum ut dictum faceret capitulo juramentum, et ad necessitatem residentiæ faciendæ se astringeret, qui libenter et benigne suum ad hoc inclinavit assensum. Et primus juravit in forma prædicta, in qua successores sui cancellarii de cætero jurare similiter tenebuntur. Quod ut ratum et firmum permaneret, præsentem chartam sigillorum nostrorum fecimus impressione muniri.

Actum anno 1207..

XXIV.

Fundatio ejusdem episcopi pro mandato faciendo in Cœna Domini.

(Anno 1208.)

[Ex parvo Pastorali.]

Hugo decanus, totumque capitulum Beatæ Mariæ Parisiensis, universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, in Domino salutem.

Ad universorum volumus notitiam pervenire quod cum piæ memoriæ dominus Odo, quondam Parisiensis episcopus, ad faciendum *Mandatum* quinquaginta pauperum in Cœna Domini, unum modium bladi misericorditer assignasset in conquestu suo, quod monachi Beati Dionysii assignaverant ei apud Herblayum. Nos, attendentes quod in aliis diebus Quadragesimæ Mandatum pauperum, cum non essent tantummodo nisi duo pauperes, minus solemniter id agebatur: de communi consensu ordinare curavimus, quod a secunda feria post Dominicam qua cantatur, *Invocavit me*, usque ad feriam quintam in Cœna Domini, singulis diebus Quadragesimæ (solis Dominicis diebus exceptis) recipientur per manum hebdomadarii sacerdotis, vel per manum succentoris, quoties monachus vel regularis hebdomadarius abfuerit, tredecim pauperes: quorum pedes in refectorio abluentur a ministris majoris altaris, sacerdote videlicet, diacono et subdiacono, quibus tres pueri ministrabunt. Ablutioni autem et Mandato interesse tenebitur succentor Ecclesiæ nostræ, qui pro tempore fuerit, vel si forsan succentor interesse, et huic officio vacare ex evidenti necessitate non potuerit, magister puerorum chori vice ipsius huic officio interesse debebit, provisurus ut idem officium devote, ordinate, et eo modo quo statutum est, peragatur. Utroque autem istorum ex justa et necessaria causa absente, per unum de ministris majoris altaris succentor hoc implere tenebitur. Succentor autem, vel is qui vices ejus (sicut supra diximus) exequetur, facta pedum ablutione, sacerdoti, diacono et subdiacono denarios ministrabit: de quibus singulis pauperibus cum manuum osculo quatuor denarios offeret ad refectionem eorum. Dabit insuper sacerdoti quatuor denarios, diacono quatuor denarios, subdiacono quatuor denarios, et unicuique puerorum unum denarium. Finito autem *Mandato* anteqnam pauperes, vel ipsi, refectorium exeant, pro animabus prædictorum Odonis episcopi, Hugonis decani, Petri succentoris sacerdotum, et pro animabus illorum, qui beneficium illud augmentaverint, dicentur, *De profundis*, cum Oratione Dominica, et precibus quæ sequuntur, et Collecta

(51) Tamdiu.

in hunc modum : *Absolve, quæsumus, Domine, animam famuli tui pontificis, et animas famulorum tuorum sacerdotum, et animas omnium nostræ congregationis fratrum, et omnium fidelium defunctorum*, etc. His autem peractis, sicut mos est, ad ecclesiam revertentur. Antiquam autem consuetudinem de duobus pauperibus clericis, quibus pedes ablui solebant, in nullo mutamus : imo cum tredecim pauperibus in refectorium venient, quod consueverunt facturi, et antiquum hospitalis Beatæ Mariæ beneficium recepturi. Quinta vero feria in Cœna Domini recipientur a succentore quinquaginta pauperes, quorum pedes abluentur ab universis presbyteris, et diaconis, canonicis, et aliis presbyteris et diaconis majori altari servientibus, quibus subdiaconi canonici ministrabunt. Et unicuique prædictorum pauperum succentor quatuor denarios (ut supra diximus) distribuet. Ad prædictam siquidem solutionem, et distributionem beneficii faciendam deputavimus modium bladi a præfato Odone episcopo (ut supra diximus) assignatum, et viginti solidos Parisienses a Petro succentore pia liberalitate collatos

XXV.

Litteræ Odonis ad Innocentium III papam.— Significat quid in materia divortii intra regem et reginam actum sit.

(Vide inter Innocentii III *Regesta*, Patrologiæ tom. CCXIV, col. 884.)

XXVI.

Petrus de Nemore, Parisiensis episcopus, Odonis donationes confirmat.

(Anno 1208.)

[Ex Magno Pastorali Parisiensi.]

Petrus, Dei gratia Parisiensis episcopus, dilectis filiis Hugoni decano et capitulo Parisiensi in perpetuum.

Quod pro utilitatis ecclesiasticæ et divini cultus statuitur incremento, perpetuo dignum est robore communiri, ne processu temporis malitia cujuslibet valeat enervari. Ad universorum itaque notitiam volumus pervenire, quod felicis memoriæ dominus Odo, quondam Parisiensis episcopus prædecessor noster, enormitates quasdam eliminare desiderans, quæ sub prætextu pravæ consuetudinis in Parisiensi Ecclesia pullularant festum Dominicæ Circumcisionis, et Natale S. Stephani protomartyris ad statum decrevit reducere regularem, et solemniter instituit celebrari; singulis autem canonicis et clericis majori altari servientibus, qui in Natali B. Stephani Matutinis intererunt, sex denarios Paris. singulis vero clericis chori non canonicis quatuor denarios, singulis etiam pueris chori duos denarios, et singulis clericis, qui in missa responsorium vel *Alleluia*, in organo triplo, seu quadruplo decantabunt, sex denarios benigne contulit et concessit, in præpositura A nostra Parisiensi annuatim quiete et libere percipiendos. In festivitate autem Circumcisionis singulis clericis chori non canonicis tres denarios Parisienses, et singulis pueris duos denarios in reditibus capitii perpetuo percipiendos liberaliter assignavit. Dedit etiam in perpetuam eleemosynam capitulo Parisiensis Ecclesiæ stationem de pane et vino et carnibus porcinis annuatim in festo Pentecostes a Parisiensi episcopo, qui pro tempore fuerit, persolvendam; et statuit ut quilibet canonicorum S. Dionysii de passu eadem die dimidiam percipiat stationem. Concedit insuper et concessit capitulo Paris. sexaginta solidos Paris. in censu de Brunello singulis annis percipiendos in die anniversarii sui, prout ordinavit, distribuendos. B Ad hæc præbendam et vicariam quam ecclesia Sanctæ Genovefæ, in ecclesia Parisiensi habere solebat, quam idem episcopus acquisivit capitulo Parisiensi ; concessit pariter et quittavit, ut tam de præbenda quam de vicaria pro sua disponerent voluntate. Præterea octo matricularios de assensus voluntate capituli in Ecclesia Parisiensi instituit, et ad eorum sustentationem tam ipse quam capitulum certa et perpetua deputavit. Decimas etiam omnium novalium faciendorum, seu jam factorum quæ nondum aliis erant assignatæ, in omnibus locis Parisiensis diœcesis, in quibus Ecclesia Parisiensis decimationem habebat, vel habitura erat, capitulo et Ecclesiæ in perpetuum quiete et libere possidendas concessit, et liberaliter C erogavit, salvo jure alterius Ecclesiæ, quæ in eodem territorio partem decimationis haberet. Præterea quam emerat apud Buc in jus et proprietatem capituli pia donatione transfudit ad denarios matutinales in festo B. Bernardi distribuendos. Cæterum assignavit Ecclesiæ et succentori Parisiensi, et contulit ad *Mandatum* faciendum in Cœna Domini unum modium bladii ad mensuram Paris. medietatem hibernagii et medietatem mareschiæ, apud Herebleium in blado quod acquisierat et habuerat a monachis B. Dionysii; ita quod si abbas et monachi B. Dionysii bladum illud episcopo Parisiensi alibi assignarent, succentor prædictum modium bladi ibi perciperet, ubi bladus episcopi assignatur. Donavit insuper clericis matutinalibus partem illam, quam D percipiebat in oblationibus crucis quæ proveniunt in sexta feria, in Passione Domini, videlicet medietatem omnium oblationum. Nos itaque præscriptas donationes, et concessiones, et institutiones approbantes et ratas habentes, ipsas per præsentis scripti paginam confirmamus, et sigilli nostri munimine roboramus, easque perpetuo manere decernimus et præcipimus inconcussas.

Datum Parisiis, anno Incarnationis Dominicæ 1208, pontificatus nostri ann. 1.

RELATIO

Insignis miraculi, tempore Odonis Parisiensis episcopi, meritis beatæ Genovefæ patrat super exundatione Sequanæ, urbi Parisiorum excidium minitantis.

(Anno 1206.)

[*Gall. Christ.*, VII, Instrum. 228, ex Labbei *Biblioth. nov. mss.*, I, 662.]

—

A Gloriosus Deus in sanctis suis, qui in abundantia delictorum gratiæ suæ ostendit superabundantiam, et in flagellis populi sui non tantum suam, sed et sanctorum suorum manifestavit gloriam. Gloria hæc et misericordia Dei sæpius et sæpius manifestata est in oculis suis, in flagellis regni Francorum, et in miraculis B. virginis Dei dilectæ Genovefæ. Unde est propositum nostrum de his quæ oculis nostris vidimus, veritati testimonium perhibere, ut simus ex ejus discipulis, qui est « via, veritas et vita (*Joan.* XIV) : » via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.

Anno igitur Verbi incarnati 1206, indictione IX, mense Dec., flagellavit Deus regnum Francorum vehementi inundatione pluviarum et impetu fluminum proprios fines et margines excedentium, ita ut in B diluvio aquarum multarum arbores excelsæ stirpitus everterentur, et terræ nascentia radicitus evellerentur; ædificia quoque civitatum, oppidorum et villarum funditus subverterentur. Inter cætera totius regni incommoda civitas Parisiensis, omnium civitatum regni caput et domina, tanto impetu Sequanæ fluvii proprios fines excedentis ab ipsis fundamentis concussa est, ut inundatione facta civitati illi navigio opus esset transeuntibus per vicos et plateas civitatis, ædificia quoque illius vel ex parte subversa essent, vel ex majori parte stantia crebris aquarum inundationibus et eluvionibus fluctuum minarentur excidium. Pons etiam lapideus, qui respectu majoris pontis ejusdem urbis Parvus appel- C latur, tanto impetu aquarum impulsus et conquassatus ruinam promittebat. Videres in ipso ponte apertissimas ruinas et amplissimas, cæmentum demolitum, lapides disjunctos ab invicem, et ipsum pontem ruinosum, et in proximo ruiturum sicut aquæ superficies quæ a vento agitabatur assidua collisione undarum fluminis huc et illuc fluitantium. Desolata erat civitas plena divitiis, sedebat in tristitia domina provinciarum : « sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine, nec erat qui consolaretur eam ex omnibus charis ejus (*Thren.* I). » Unica spes populo periclitanti post Deum, et B. ejus Genitricem Mariam, erat in B. V. Genovefa per cujus beneficia memoria tenax populum specialiter Parisiensem D subjectum eidem virgini reddidit et devotum. Una vox populi, unus clamor omnium, una petitio singulorum, ut egrederetur B. virgo Genovefa de loco sancto suo, et præsentia sua tueretur populum supplicantem et gementem, et pereunti subveniat civitati, ne involvatur justus cum injusto, et pius cum impio. Opponat se murum pro gente sua, frangat iram Dei supplicatione humili, suis precibus Dei impetret misericordiam, ut misericors Deus remittat offensam, et imperet ventis, et aquis, et fiat tranquillitas magna. Supplicante igitur episcopo Odone et clero et populo, parata solemni processione, delatis ad ecclesiam nostram sanctorum reliquiis, egressa est B. virgo Genovefa de loco sancto suo, et præcedentibus sanctorum reliquiis præcedebat S. Genovefa populum suum tanquam columna ignis in nocte adversitatis. Venimus itaque ad Parvum Pontem civitatis lapideum, ubi non erat declinare ad dextram neque ad sinistram, sed per medium pontem iter erat. Præcedente quondam arca testamenti populus Israel per medium Jordanis sicco pede pertransiit; præcedente etiam B. Gen. cum Sanctorum reliquiis per pontem confractum et ruinæ proximum, subsecutus est eam universus populus imminenti periculo inundantium aquarum, et pontis per collisionem aquarum fluctuantis, sub ejus securus protectione. Moyses transituro populo Israelitico aquas maris divisit; B. vero virgo Genovefa cum populo Parisiensi super intumescentes aquas fluminis pertransiit, non tam a ponte fracto sustentata, quam ipsum pontem sustentans protectione divina. Ingrediente tandem B Genovefa eccles. S. Mariæ in Paris. urbe sitam, continuo, sicut audivimus ita et vidimus in civitate Dei virtutum venientes de monte sancto ejus, omnia in adventu ejus prius commota, et pacifica et sedata fuerunt. Civitas ipsa, prius a fundamentis concussa et commota, tranquilla fuit et quieta; populus ipse gravissime ante afflictus in laudem B. Genovefæ respirabat, et sicut scriptum est quasi species electri apparuit in populo per præsentiam B. Virginis et certissimam spem divinæ consolationis. Videntes quasi in rubo Moysi flammam ignis sine adustione, quia populus Domini flagellatus illuminabatur ad scientiam; et cum sol occidisset super eos. quærebant eum et diluculo veniebant ad eum. Hujûs rei testis est populus Parisiensis, quod ab illa die; quæ

Sabbatum erat, in qua S. Genovefa super intumescentes undas fluminis pertransiit; aquæ abeuntes decrescebant, usquequo Sequana fluvius intra alveum suum se collegit, et ab ipsa die non pluit Dominus super terram, donec plene desiccata est terræ superficies. Tandem pacificatis omnibus et spem salutis in præsentia virginis concipientibus, reversa est B. virgo subsequente universo populo per pontem fractum et vacillantem, cujus ruina differebatur, donec B. virgini ad propria revertenti mirabile et memorabile exhiberet obsequium. Mirandis plus miranda succedent: postquam enim B. Genovefa ad propria est reversa, et sua in sede solemniter, ut decuit, collocata, et populus qui eam comitabatur ad propria rediit, vix transacto dimidiæ horæ spatio, scilicet in noctis crepusculo, Parvus Pons corruit, et qui paulo ante ruinosus populum trans- A euntem sustinuit, populo transacto, nemine læso vel submerso, corruens, præcedentis miraculi indicium fuit et testimonium. B. igitur virginis laudibus ascribendum est quod pons confractus et ruinosus ipsam D. virginem et universum populum transeuntem sustinere potuit et quod post transitum ejusdem virginis totiusque populi nemine læso corruit. Insuper quod Sequana tumens ejus virtute seipsam retraxit et restrinxit, quod tanta etiam subsecuta est temporis serenitas, quod meritis S. Genovefæ, gratia Dei contulit ad salutem populi Parisiensis, ad civitatis ejusdem et totius patriæ liberationem, ad gloriam divinam, ad honorem B. Genovefæ, cujus suffragiis ab omnibus periculis liberantur qui digne ejus memoriam venerantur: miremur ergo miraculum, B veneremur mysterium, adoremus Deum, ad æternæ vitæ suspiremus præmium. Amen

---

ANNO DOMINI MCCXII.

GUNTHERUS

CISTERCIENSIS MONACHUS.

NOTITIA.

(Oudin, *Commentarii de scriptoribus et scriptis eccles.*, II, 1651.)

Guntherus, primum scholasticus, postea monachus cœnobii Parisiensis, in diœcesi Basileensi, ordinis Cisterciensis, non autem inclytæ Galliarum urbis Parisiensis, annis 1190 et 1200 claruit, ac posteritati nomen commisit, dum ex ore Martini sui abbatis, qui rebus gestis interfuerat, atque ab Oriente ad abbatiam redierat, scripsit *Historiam captæ a Latinis anno* 1204 *Constantinopoleos*, quam in lucem protulit Henricus Canisius *Antiquæ Lectionis* tomo V, pag. 358 (edit. nov. t. IV, p. I). Cum autem ipse tradat ea quæ scribit ex ore Martini illius abbatis se accepisse, qui expugnationi Constantinopolis interfuerat, hinc ætatem scriptoris, uti et qua fide dignus sit, intelligimus. Vide Gerardum Joannem Vossium lib. II *De historicis Latinis*, cap. 55, pag. 445 editionis ultimæ. Idem Guntherus scripsit *De oratione, jejunio et eleemosyna libros* XIII, editos Basileæ anno 1504 et 1507, apud Michaelem Furterum, in-4°. Eumdem Guntherum auctorem habet carmen heroicum, C sane non inelegans, *De rebus a Frederico Barbarossa imperatore in Italia, ac præsertim in Liguria gestis, libris* X comprehensum, et *Ligurinum* dictum, quod Ænobarbo negotium inprimis cum urbe Ligurina, hoc est Mediolano fuerit, cujus incolas *Ligures* suos appellat; quam ob causam Baronio etiam in Annalibus ad annum 1160 Guntherus ipse *Ligurinus*, sed perperam appellatur. Errat autem absurde Gerardus Joannes Vossius lib. II *De historicis Latinis*, cap. 53, pag. 431 editionis ultimæ, dum scribit quod Guntherus *superstite etiamnum Ænobarbo, de rebus ab eo gestis decem libros composuit*. Nam in hoc poemate meminit alterius a se scripti *De bello sacro*, quod *Solymarium* vocat, quod vix ante annum 1210 conscripsit. D Cum ergo opus *De gestis Frederici Barbarossæ* ab illo post *Historiam Belli sacri*, seu *captæ a Latinis anno* 1204 *Constantinopoleos* compositum sit, necessario post mortem Frederici conscriptum est. Opus istud prodiit seorsim primum Argentorati

anno 1500, in-folio, tum ibidem anno 1531, in-folio, cum Jacobi Spiegelii amplissimis notis, tandemque Basileæ 1569, cum Othone Frisingensi. Inter etiam *Scriptores rerum Germanicarum* evulgavit Justus Reuberus Francofurti, in-folio, 1584, tomo III, pag. 275, cum notis Jacobi Spiegelii, atque alibi cum notis Conradi Rittershusii. Certe Guntherum hunc, quisquis tandem fuerit, velut poetam spiritus et ingenii haud vulgaris, imo ut mirabilem quo vixit sæculo, nobis commendant Justus Lipsius *Polyorcheticon*, lib. II, dialogo 4; Isaacus Casaubonus *in Polybium*, pag. 171; Gerardus Vossius lib. II *De historicis Latinis*, cap. 53, pag. 432, quos Guilielmus Cavus irridet in *Historia rei litterariæ*, ad annum 1210, pag. 706; Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, pag. 336, omnia hæc opuscula cuidam Gunthero Elnonensi ad Sanctum Amandum monacho attribuit, cujus mentionem facit Sigebertus in libro *De viris illustribus*, cap. 166. Sed absurde hic fallitur Andreas, nam Guntherus iste annis centum antiquior est, qui, teste Trithemio, temporibus Henrici IV, circa annum 1090 floruit, cui Sigebertus cap. 166, *Martyrium sanctorum Cyriaci et Julittæ metrico stylo* tantum, quod ms. apud Sanctum Amandum, ascribit, cujus mentionem facit Gerardus Joannes Vossius lib. II *De historicis Latinis*, cap. 46, p. 381 editionis ult.

De Guntheri Vita et scriptis vide Dissertationem Ligurino præmissam, infra, quæ serius in manus nostras venit. EDIT. PATR.

GUNTHERI CISTERCIENSIS
DE ORATIONE
JEJUNIO ET ELEEMOSYNA
LIBRI TREDECIM.

Juxta editionem Basileensem anni 1507, in-4°, cui titulus : *Opus pulcherrimum de tribus usitatis Christianorum actibus, oratione videlicet, jejunio et eleemosyna, continens libros tredecim, venerabilis Patris Guntheri, ordinis divi Benedicti, pro sermonibus et collationibus publice faciendis non tam elegantissimum et latinissimum quam utilissimum, diu absconditum, sed nuper inventum et impressum.* Ad calcem legitur : *Opusculum de tribus Christianorum actibus, oratione videlicet, jejunio et eleemosyna finit. Impressum Basilee per Michaelem Furter, anno M. CCCCC. VII, die vero quinta decima mensis Martii.*— Eidem volumini inest, *Rabanus de institutione clericorum libri tres*; et in fine : *Phorce impressit Thomas Anshelmi, Badensis, ære chalcotypo operaque castigatissima, mense Augusto, V Kal. Septembris, anno M. D. V, sub illustri principe Christophoro seniore marchione Badensi.* — Hunc librum nobiscum summa humanitate communicavit D. JUNG, bibliothecæ Argentinensi præfectus.

F. CONRADUS LEONTORIUS
MULBRUNNENSIS
BENIVOLO LECTORI FELICITATEM.

Quæ te existimo nonnunquam tecum cogitasse, lector benevole, et adhuc cogitaturum : me quoque crebro sollicitarunt eædem cogitationes : quam ob causam tanta undecunque librorum copia hac nostra tempestate proveniat. Sed cum finem hujus inæstimabilis copiæ librorum pressius mecum considero, facillime animadverto, quod omnipotentis Dei singularis et inexplicabilis benevolentia, misericordiæ conjuncta, in ultimo nunc mortalium sæculo, piissime et dulcissime, nobis negligentibus, nobis desidiosis, nobis præ immundis voluptatibus enervatis hominibus, succurrere et opem ferre decrevit; ut quia jam isto corrupto sæculo, vix unus et alter reperiri possint fortassis qui describerent omnia ea, illa præclarissima quæ veteres et majores nostri magna cura composuerunt et scripserunt; ne eorum monumenta laboresque perirent, ne omnium disciplinarum artes præstantissimæ penitus obliviscerentur, Germanicæ nationi hoc pulcherrimum decus et ornamentum, imprimendorum librorum optimus et maximus Deus, et inventionem largitus est et artem, unde uno tractu et labore, quamquam maximo, plus uno die formis illis faberrime excogitatis, nunc emaculatissime et expunctissime excuditur, quantum multi homines, mille diebus scribere potuerunt. Ideo hoc nostro felici sæculo, maxima et optima etiam exquisitissima volumina, in omni genere litterarum et disciplinarum, parvo et exiguo ære comparari possunt. Igitur sit tibi, candide lector, gratissimum, te posse litteras, scientias, disciplinarum omnium artes,

omnem denique cultum ingenii, in libris etiam abjectissimis (perinde ac L. Plinium dicere solitum accepimus: *Nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset*) modica pecuniæ permutatione te nunc facillime acquirere ac posse comparare.

Hac occasione novum hunc libellum quem vides, studiose lector, unus amplissimæ civitatis Basileæ egregius civis, imprimendorum librorum studiosus, sollicitus et emendatioris litteræ percupidus, magister Michael, cognomento Furter, Augusta civitate progenitus: cum antea minime impressus esset, admonentibus eum, cum doctis quibusdam viris, tum potissimum reverendissimo domino Telamanio episcopo Tripolitano, Basiliensis episcopii suffraganeo, sacrarum litterarum eximio professore, earumdemque publico et eloquentissimo declamatore, ne hunc, non quidem magnum, sed eximium, et trium virtutum pretiosum thesaurum, diutius abscondi, ac pulveribus blattisque obnoxium, latere et tandem perire sineret. Uno igitur Basileæ exemplari vetustiori littera scripto, nuper invento, statim viso, lecto, examinato, per capita et libros distincto, ad summumque si uspiam vetusta littera vacillaret, correcto et emendato: hac quam cernis, benevole lector, impressione multiplicatus, venditionis titulo tibi et omnibus volentibus publice datus est: præstans, egregius, doctus et eloquens Guntherus divi Benedicti monachus religiosissimus, qui philosophiam et humaniores litteras sacræ theologiæ conjungens, hoc opus magno studio de tribus præstantissimis virtutibus: oratione scilicet, jejunio et eleemosyna, quod nemo ante eum fecisse compertum erat, composuit et edidit.

Porro si quæris, lector, quis aut cujas hic Guntherus fuerit, invenio eum divi Benedicti ordinis monachum, quem reverendus, doctus et eloquens Joannes de Trittenhem abbas Spanhemensis in suo de ecclesiasticis scriptoribus catalogo commemorat, fuisse et sæculari et ecclesiastica scientia doctum, monasterii Elnonensis; qui inter cætera vitam et passionem sancti Siriaci eleganti metro scripsit, quem claruisse temporibus Heinrici quarti imperatoris asseruit sub anno Domini 1100.

Hunc igitur Guntheri (quicunque tandem fuerit) elegantissimum libellum, amice lector, accommodatissimum, sive de his usitatissimis virtutibus de quibus tractat populo declamatorie loqui; sive in corona disceptare, seu teipsum ad devotionem excitare volueris, comparare tibi et familiarem habere non negligas; mecumque gratias immortales nuncupes et habeas egregio viro impressori magistro Michael civi Basiliensi sæpius illud Virgilianum memorans:

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Optime vale qui benevole legis.

Ex arcta valle ultra Basileanam byrsam XII Kalendas Martii 1507.

PROŒMIUM.

Inter tam multa sanctorum Patrum volumina quibus Ecclesia Dei illustrata atque ornata est, novum aliquid cudere quod legatur, nil fere aliud est, quam solis radios accensa juvare facula, vel arenis littoreis pugillum pulveris adjicere, vel in maris plenitudinem pauculas aquæ guttas effundere. Placuit tamen nobis, ut est natura mortalium, quæ novis maxime delectatur, de tribus his rebus, oratione scilicet, jejunio et eleemosyna, an aliquid dignum calamo conficere possemus, experiri. Cujus rei propositum eo propensius in actum transferre curavimus, quo sæpius in Scripturis, de virtute et laude rerum ipsarum eramus admoniti; specialis autem tractatus earum vel nusquam est, vel nobis nunquam legendus occurrit. Fecimus ergo sicuti mente conceptum erat, et eo majori cura res istas tractavimus, quo scimus eas et Deo placitas, et utiles homini, ac nostræ professioni maxime convenire. Amplius autem atque diffusius circa orationem libuit ingenio desudare, quoniam illa nobis cum Deo communis est; reliqua vero, alterum nobiscum ipsis, alterum cum proximis gerendum est. Completum igitur opusculum et ut a nobis fieri potuit ad finem usque productum, in libros tredecim distinximus, quatenus eorum continentia quanto angustior, tanto sit intellectu facilior. Singulorum etiam librorum capitula placuit prænotari; quibus inspectis quid in illis potissimum tractetur facile lector advertet. Primo igitur loco ponitur prologus totius operis; in quo juxta præceptum Tullii, captatur lectoris benevolentia, præparatur docilitas et excitatur attentio: prælibando materiam, demonstrando utilitatem, auctoritatem commendando.

CAPITULA PRIMI LIBRI.

In primo libro incipit agere de oratione, quam dividit in quatuor species, id est in grammaticam, orationem, dialecticam, rhetoricam atque catholicam. Quibus breviter tactis, alias relinquens, catholicam assumit, docens quæ circa illam quærenda sint, hæc scilicet: quid ipsa sit, quid in se contineat, in quibus obtineat, quid ad ipsam pertineat, quid oranti conveniat, quid orando proveniat? Postmodum diffinit orationem et ejus diffinitionem diligenter exponit. Deinde ostendit diversos modos orandi sive adorandi. Ostendit etiam diversas divisiones quarumdam rerum quæ pertinent ad diffinitiones, et quædam alia.

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

In secundo libro docet quid contineat oratio, videlicet ista sex: scilicet quis petat, quid petat, a quo petat, cui petat, quare petat, et qualiter petat. Postmodum agit de primo contento orationis, id est quis petat: et hac occasione ponit diversa genera hominum fidelium et infidelium, et inter ipsos infideles diversas sectas ostendit. Docet etiam quæ sint opera viva vel mortua et qualiter subdividantur, et alia multa utilia legenti.

CAPITULA LIBRI TERTII.

In tertio libro agit de secundo contentu, id est quid petat : bonum, malum, an medium ; et ostendit diversas species boni, id est bonum præparatorium, inspiratorium, meritorium, meritum, remuneratoriumque quod est vita æterna, et quædam alia.

CAPITULA LIBRI QUARTI.

In quarto agit de meritorio bono, id est de virtute. De merito, id est de motu sive actu virtutis interiori sive exteriori.

CAPITULA LIBRI QUINTI.

In quinto de bono remuneratorio, id est vita æterna, quæ non aliud quam Deus est, cur vita æterna dicatur ; et quod nullo nomine Deus proprie potest appellari, cum nec sit substantia nec accidens ; et quod privativa nomina verius dicuntur de Deo quam positiva ; et quod Deus verius dicitur æternus quam sempiternus, vel perpetuus, vel perennis, et hujusmodi.

CAPITULA LIBRI SEXTI.

In sexto agitur de diversis speciebus mali, id est præjudicatorio, obduratorio, privatorio, meritorio : merito mortis punitorio, id est morte æterna, de oppositione malorum ad bona. De mediis in anima, in corpore extrinsecus : et ea dividit in læta et tristia. De tertio contento, id est a quo quis petat ; de quarto, id est cui petat ; de quinto, quare petat ; de sexto, qualiter petat.

CAPITULA LIBRI SEPTIMI.

In septimo agitur de illo capitulo, videlicet in quibus obtineat, id est exaudiatur oratio ; ubi fit collatio quædam omnium sex contentorum, id est quis petat, quid petat, a quo petat, cui petat, quare petat, et qualiter petat : et ex his elicitur orationis effectus, et quod spiritualia bona utpote remissio peccatorum, virtutes et earum opera tam electis quam reprobis conceduntur, sed fructu dissimili. De mediis etiam rebus vel corporis vel animæ vel his quæ sunt extra utriusque naturam ; cur illarum læta vel tristia tam his quam illis contingere solent : agitur etiam in eodem de illo qui pro alio orat, videlicet quis, cui, quibus accedentibus vita æterna valeat impetrare. De quatuor reliquis etiam spiritualibus bonis et de mediis rebus quibus ea orante alio alius valet obtinere.

CAPITULA LIBRI OCTAVI.

In octavo enumerantur ea quæ pertinent ad orationem, videlicet tempus, locus, modus et forma. In quo etiam tractantur tria præcedentia, videlicet tempus, locus et modus, interpositis quibusdam satis necessariis, de diversitate dierum, noctium et horarum.

CAPITULA LIBRI NONI.

In nono agitur de forma orationis, et enumerantur quatuor formæ, videlicet dominica, domestica, monastica, ecclesiastica : et hac occasione agitur ibidem de oratione Dominica, cujus quatuor primæ petitiones ibidem tractantur eodem ordine quo a Domino positæ sunt, et quatuor dona Spiritus sancti, et quatuor virtutes et totidem beatitudines eisdem petitionibus applicantur.

CAPITULA LIBRI DECIMI.

In decimo tractantur tres reliquæ petitiones, et totidem dona Spiritus sancti eis coaptantur, et totidem virtutes et totidem beatitudines ad ipsam pertinentes.

CAPITULA LIBRI UNDECIMI.

In undecimo tractantur prædictæ petitiones ordine converso, id est incipiendo ab ultima et perveniendo ad primam : et etiam secundum hunc ordinem prædicta dona Spiritus sancti et prædictæ virtutes, et prædictæ beatitudines eis nihilominus coaptantur.

CAPITULA LIBRI DUODECIMI.

In duodecimo agitur de jejunio quid sit, quot ejus species, quid conveniat jejunanti et quæ sit jejuniorum utilitas vel effectus.

CAPITULA LIBRI TERTII DECIMI.

In tertio decimo agitur de eleemosyna : quid ipsa sit, quot ejus species, quid conveniat eleemosynam facienti, quid ex ipsa proveniat.

Adnotatio librorum explicit.

INCIPIT PROLOGUS

In opusculum religiosi Prioris Domini Guntheri *De oratione, jejunio et Eleemosyna.*

—

Quanta sit virtus orationis ac jejunii, quis effectus eleemosynæ, Salvator ipse patefecit cum diceret : *Hoc genus dæmonii non ejicitur nisi in jejunio et oratione* (*Matth.* XVII). Et alio in loco : *Date*, inquit, *eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* II). Vides eum in duobus primis virtutis pri

vilegium statuisse, in tertio munditiæ puritatem. Ex quo innuitur nullum esse scandalum dæmoniacæ potestatis, quod per illa non depellatur; nullam peccati maculam, quæ per istud non valeat emundari. Quod utique sciens idem Salvator noster, et nos utiliter cupiens experiri, non solum ea verbo docuit, sed etiam in seipso propriæ actionis exemplo curavit ostendere. Orasse siquidem frequenter legitur, et diebus quadraginta continue jejunavit; et ut illa taceamus beneficia quæ quotidie indigentibus erogabat, pascendo scilicet esurientes, curando infirmos, cæcos illuminando, mortuos suscitando, tota ejus in carne conversatio, pro eo quod eleemosyna misericordiam sonat, eleemosynæ loco nobis habenda est, juxta illud Psalmistæ : *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis* (*Psal.* LXXXIV) : misericordiam et salutare Domini vocat ejus in carne præsentiam ; per quam eos qui, peccante protoplasto, juste perierant misericorditer salvare dignatus est. Hæc est illa misericordia qua motus est Samaritanus super eum qui descendens *a Jerusalem in Jericho* inciderat *in latrones qui etiam despoliaverunt eum et plagis impositis abierunt, semivivo relicto. Samaritanus*, inquit, *videns eum misericordia motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens jumento duxit in stabulum*, committens eum stabulario ut curam ejus ageret, donec, recepta sanitate, in civitatem suam, de qua incaute recesserat, redire posset incolumis. Jerusalem æternæ *pacis* est *visio*, Jericho, quæ *luna* interpretatur, defectus nostræ mortalitatis. Homo descendens, protoplastus cum tota posteritate sua; latrones autem dæmones sunt; spolia direpta, gratuitorum bonorum privatio; plagæ impositæ, corruptio naturalium. Samaritanus, qui et custos, Redemptor noster est; cujus appropiatio nostræ susceptio infirmitatis. Alligamenta vulnerum, salutis nostræ sunt sacramenta; oleum, gratia spiritualis, spes vitæ, consolationum remedia, fomenta promissorum; vinum vero præceptorum austeritas,

A pungitivus dolor, ex recordatione peccati comminationum acerbitas, interminabilis pœnæ mordax jugisque memoria. Jumentum corpus est Redemptoris, stabulum sinus Ecclesiæ, stabularius ordo prælatorum, quibus homo per misericordiam redemptus curandus interim relinquitur, donec ad pacis æternæ visiones sospes valeat revocari. Planum est ex præmissis hæc tria quæ prælibavimus quantum nostro in nobis placeant Redemptori qui ea tanto studio et docuit et implevit, sicut scriptum est : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Et quidem ad altioris vitæ perfectionem cunctæ virtutes sibi mutuo copulandæ sunt, et ad illas vivendi ratio informanda, exemplo illius qui pulcherrimam volens exsculpere statuam, plurimas B Crotoniatarum virgines, et easdem formosissimas sibi jussit exhiberi; ut, inspectis vultibus et membris singularum, quid in eis elegantissimum videretur, in unum conferret exprimendæ pulchritudinis venustatem. Nobis autem harum omnium rerum immunibus et ignaris, quippe quæ solo noscuntur experimento, de his tantum quæ præmissa sunt, adhibitis forte quibusdam aliis a latere venientibus aliqua dixisse sufficiat : eo videlicet more, quo cæcus aliquis splendorem gemmarum miratur ac prædicat. Et hoc quidem humili stylo ac sermone pedestri : tum quia nec aliter possumus propter ingenii crassitudinem, tum ne quosdam maxime superstitiosos (1) videamur imitari, qui nil se dixisse arbitrantur, nisi tam egregie dixerint, ut C nec ipsi intelligant. Habeant sibi tales odiosam suam obscuramque subtilitatem; et cum forte soli omnia nesciant, se solos omnia scire glorientur. Nobis autem hujus operis est intentio, non tam verbis lepidis pruritum auribus excitare, nec obscura subtilitate obumbrare sententias, quam rerum de quibus agitur perspicue rimari veritatem; et quid ille inspiraverit, sine quo nihil recte vel fieri vel dici potest, sermone plano atque palpabili, simplicibus ac nostri similibus intimare.

Explicit prologus.

(1) An *suscipiosos?*

LIBER PRIMUS.

De Oratione. De divisione orationis in quatuor species, id est in grammaticam orationem, dialecticam, rhetoricam atque catholicam.

CAPITULUM PRIMUM.

Primum ergo de oratione agendum est, et ille implorandus qui suos orare et jussit et docuit, ut nobis non solum quia orandum sit, verum etiam quid de ipsa oratione congrue dici possit demonstrare dignetur. Et quod orationis vocabulum ad plura æquivocum est, ponenda est primum eiusdem orationis divisio, ut relictis aliis, illam speciem de qua nobis agere propositum est eligamus.

Est igitur oratio : alia quidem grammatica, alia dialectica, alia rhetorica, alia vero catholica. Grammatica oratio est congrua dictionum ordinatio, quæ fit in conformitate accidentium. Dialectica oratio est enuntiatio sive propositio qua utitur di-

sputator ad syllogizandum. Rhetorica oratio est tota illa sermocinatio qua utitur rhetor ad persuadendum. Catholica oratio est pia Dei invocatio qua supplicat homo ad impetrandum. In prima agitur de vocum congruentia, in secunda quæritur de rerum consequentia, in tertia disceptatur de facti controversia, in quarta imploratur divinæ pietatis clementia. In prima formatur syntaxis, id est constructio secundum accidentium congruitatem, in secunda probatur thesis quod interpretatur positio, id est res dubia vel dubie posita per argumentorum necessitatem sive probabilitatem; in tertia tractatur hypothesis, id est rhetorica quæstio cum suis circumstantiis quæ notantur hoc versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando,

secundum locorum auctoritatem In quarta placatur Deus per humilem et puram vocis et animi simplicitatem. Præmissus autem versiculus non tantum accipiendus est pro circumstantiis (ut multi putant qui rem minus diligenter inspiciunt), sed potius illa omnia notat de quibus oratione rhetorica tractari solet. Siquidem duo prima, videlicet quis et quid, ipsam hypothesim constituunt; et sunt quasi fundamentum et substantia rhetoricæ quæstionis: cum quæritur quis fecerit, et quid fecerit; in quibus principaliter hypothesis, id est rhetorica quæstio constituitur et fundatur. Reliqua vero quinque quasdam rerum aliarum adjacentias notant, quas illi circumstantias dicunt; sine quibus illud fieri vel impossibile sit vel incredibile; ex quibus ubi quidem, locum facti; quibus auxiliis, adminiculum sive facultatem; cur, causam; quomodo autem qualitatem vel modum; quando vero, tempus determinat. Quæ idcirco breviter tangenda putavimus; quoniam hæc distinctio nobis paulo post poterit suffragari, cum quæretur quæ sint de substantia catholicæ orationis; quæ vero ei velut extrinsecus annexa cohæreant.

Prima oratio tot habet partes quot dictiones; quoniam idem est pars orationis et dictio. Cum ergo dicis: *Priscianus legit*: hæc oratio duas partes habet. Si vero dicas: *Priscianus legit librum*, hujus orationis tres partes sunt, et de cæteris hoc modo. Secunda tot habet partes quot extremitates sive terminos qui neque plures nec pauciores possunt esse quam duo; id est subjectus et prædicatus; sive ambo exprimantur, ut cum dico: *Socrates legit*; sive alter in altero intelligatur ut cum dico: *Pluit*, vel *tonat*, hæc enim verba et quæ hujusmodi sunt exceptam habent significationem; et ad solum Deum pertinentem; et in quolibet eorum etiam subjectus terminus intelligi debet; ut cum dicitur *pluit* vel *tonat*, pro eo sit ac si diceretur: *Deus pluit*; vel *Deus tonat*. Sunt alia quæ per resolutionem intelligi solent; ut *legitur*, id est legendi actus exercetur, *statur* vel *sedetur*, id est talis habetur corporis positio, et de cæteris ad hunc modum.

Rhetorica oratio tot habet partes quot diversas distinctiones; videlicet sex quæ sunt: Exordium, narratio, partitio, confirmatio confutatio atque conclusio.

Catholica oratio tot habet partes quot petitiones quæ pro orantis arbitrio re et numero variantur; re quidem, dum aliter petit iste quam petit ille. Numero autem dum plura vel pauciora petit ille quam petit iste; quamvis omnia quæ recte petuntur, id est pro salute animæ, quamlibet multa fuerint; unum tamen congrue dici possunt propter unum finem ad quem tendere debent, quem notavit Dominus in Evangelio cum diceret: *Porro unum est necessarium* (*Luc.* X). Et David in Psalmo: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* (*Psal.* XXVI). Dominus tamen in illa orandi forma quam tradidit propter septiformem Spiritus sancti gratiam, quem plenus de cœlesti schola veniebat, quam et nobis cupiebat infundere; septem posuit petitiones, de quibus (ipso volente) aliqua dicenda erunt cum de forma orationis tractare cœperimus. Et cæteræ quidem orationes per verba indicativa explicantur. Catholica vero per imperativum fieri solet: qui tamen modus cum ad Deum dirigitur, non tam imperativus quam deprecativus dicendus est; propter excellentiam Creatoris, cui neminem dignum est imperare. Nec enim curandum est oranti quid jubeat Priscianus, scilicet quid Deo suo debeat Christianus.

Præmissa igitur tetracola, id est quadrimembri divisione orationis: alias suis opificibus relinquentes, hanc nostram quæ tantum fidelium est et ad nos præcipue videtur pertinere diligenter inspiciamus videlicet quid ipsa sit; quid in se contineat, in quibus obtineat; quid ad ipsam pertineat; quid oranti conveniat; quid orando proveniat. Proinde quantum ad suscepti operis necessitatem videtur satis congrue diffiniri si dicatur hoc modo:

CAPITULUM II.

Catholica oratio est regularis et impensa pro salute animæ vel his quæ ad illam prodesse valeant divinæ pietatis imploratio. Nunc ipsam quoque diffinitionem ad majorem rei diffinitæ evidentiam diligentius exponamus. Imploratio ponitur hic tanquam genus et principium orationis; quoniam, ut dicunt philosophi, cujuslibet rei diffinitio a genere trahi debet; ut si velis hominem diffinire, necesse est a genere incipias, ut dicas: *Homo est animal*. Sed quia nondum cujusmodi animal sit homo demonstratum est, necesse est ut accedant substantiales differentiæ ut earum accessu diffinitionem perficias hoc modo: *Homo est animal rationale, mortale.* Animal quidem genus est, rationale mortale differentiæ substantiales, quæ etiam specificæ dicuntur, eo quod accedentes generi speciem constituunt. Sed hæc tirocinium logices ingressuris in suis Isagogiis satis erudite tradit Porphyrius, nobis breviter memoranda erant ut doceremus hanc diffinitionem catholicæ orationis, quæ data est a Deo perfectam esse et cum suo diffinito convertibilem ut nihil vel detrahi

debeat vel apponi necesse sit. Est igitur imploratio genus orationis, quemadmodum animal genus hominis; cætera vero pro substantialibus differentiis adjecta sunt, quemadmodum rationale mortale in hominis diffinitione.

CAPITULUM III.

Prima differentia

Harum prima est quæ sic ponitur, divinæ pietatis; quorum alterum, videlicet pietatis, eo sensu positum est, quia tota orantis intentio ad hoc tendere debet ut Deum sibi pium ac propitium valeat promereri. Nam et veræ orationis semper hic finis est, sive cum Deus optata tribuit, ut Petro oranti pro Dorcade suscitanda (*Act.* IX); sive cum petita quidem negat, sed potiora largitur, ut Paulo petenti ut angelus Satanæ ab eo discederet (*II Cor.* XII); seu etiam cum quædam crudeliter videtur operari, ut in submersione Ægyptiorum, clamantibus filiis Israel (*Exod.* XIV); in expugnatione Amalech ad secretam Moysi orationem (*Exod.* XVII); in exustione nuntiorum regis non tam imprecante propheta quam orante (*IV Reg.* I); in contritione gentium clamantibus in cœlum Machabæis (*Mach.* IV). Hæc enim omnia divinæ virtutis opera et his similia quæ passim Scripturis sacris inserta sunt de fonte pietatis manasse non est ambiguum; vel ut Deus fideles suos ab impiis oppressos potenter eriperet; vel ipsis impiis quos ex vita diuturna prævidebat, posse fieri nequiores, accelerata morte sequentium malorum præriperet facultatem; vel si qui inter eos minus nocentes erant temporaliter puniendo, pœnas æternas vel omnino remitteret vel leniret; vel impiis blandiendo, aliis sectandæ innocentiæ sanciret exemplum vel malos flagellando, alios ab eorum imitatione deterreret; vel si quid est aliud rationabilis causæ quod ei quidem perspicuum, nobis autem occultum sit. Nec enim sumus tam imprudentes vel potius impudentes, ut omnes divinorum operum vel causas rimari vel fines audeamus discutere. Quæ quidem prædicta et quæ hujusmodi sunt, quia orando et peti solent et impetrari; patet procul dubio quod in omni vera oratione intentio est impetrandæ pietatis et finis impetratæ. Quod enim agit rhetorica oratio apud terrenum judicem, hoc apud cœlestem catholica verius ac melius agit oratio. Nam sicut forensis orator sui sibi favorem judicis conciliare nititur ut ei facilius persuadeat quod intendit, sic orator fidelis summi judicis gratiam captat, ut quod optat vel aliud pro beneplacito dantis valeat impetrare. Sed differt plurimum inter hanc et illam orationem; nec est minor in effectu quam in affectu diversitas. Illa enim plerumque persuadetur quod iniquum est, hac vero nihil nisi rectum et pium. Illa in strepitu verborum consistit, hæc in mentis puritate; unde illa oratio quasi oris ratio dicta est; sicut ait philosophus. Dico autem logon id est rationem quæ ore profertur : hæc autem verius cordis ratio vocari potest, id est rectitudo et puritas. Illa frequenter de falso fit judici fides; hac sola veritas non tam innotescit quam placet. De illa dicit satyricus :

Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.
(JUVEN. 7.)

De hac Dominus : *Eos qui adorant in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV). Illa in clamore et litigio posita est, hæc in silentio et amore. Illa sæpe defenditur iniquitas, innocentia condemnatur; hac vero remittitur culpa, puritas commendatur. Illa tanto validior est, quanto qui agit callidior; ista quanto simplicior. Illa non solum judicis, sed etiam assessorum et testium eget suffragio; ista solo judicis favore contenta est. Illa verborum multiplicitate roboratur, ad istam sola sufficit spiritus intentio. *Spiritus est Deus*, ait Salvator, *et eos qui adorant eum in spiritu adorare oportet* (*ibid.*). Et ad Moysem dictum est (*Exod.* IV) : *Quid clamas ad me*, cum ipse ne unum quidem verbum ibi legatur protulisse. Deum ergo qui spiritus est spiritualiter alloqui necesse est, ut ipse quid petamus intelligat, intelligens acquiescat, acquiescens exaudiat. Accedunt tamen frequenter ad intentionem spiritus et verba corporis, ut utriusque nostri hominis approbetur devotio. Sive igitur utroque modo sive altero tantum, id est solo spiritu oraveris illud certe palam est orationem nil aliud esse nisi pietatis implorationem, quemadmodum in præmissa diffinitione continetur. Divine autem idcirco expressum est, quoniam si Deum orando imploras, accedentibus aliis quæ ad hoc exiguntur, ea demum oratio est : et ad illam pertinet, quam Græci latriam vocant, id est *divinam servitutem*, sive theosebiam, id est *Dei cultum*, sive eusebiam, quam nos *bonum cultum* possumus appellare. Cum vero aliud quam Deum imploras, sed tamen propter Deum, utpote cœlestes spiritus qui *calodæmones* apud Græcos dicti sunt; vel illos homines quos ad gloriam æternam receptos nemo Christianus ambigit, oratio quidem esse non potest, præsertim cum scriptum sit : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV). Sane cum nil aliud sit adorare quam ad aliquem vel aliquid orationem dirigere; sicut nil aliud quam Deum adorare licet, ita nec orare conceditur. Quod optime noverat Psalmista qui dicebat : *Omnis terra adoret te, Deus* (*Psal.* LXV), et alibi : *Adorate eum, omnes angeli ejus* (*Psal.* XCVI). Nec enim eos orare intendimus, sed eis ut ipsi pro nobis orent supplicare, cum dicimus : *Omnes sancti, orate pro nobis*, et quæ his similia sunt. Sunt igitur ista non orationes quidem, sed piæ quædam supplicationes; et ad duliam referuntur, quæ est cultus debitus creaturæ, propter reverentiam Creatoris. Si autem creaturam aliquam quæcunque sit illa, verbi gratia, solem aut lunam sive stellas seu malignos spiritus, quos idem Græci *cacodæmones* dicunt; vel etiam mortuos homines, ut Jovem, Saturnum; vel aliquod artificiale, ut idolum ; si quidlibet, inquam, tale non propter Deum, sed tanquam Deum imploraveris, neutrum hoc prædictorum, sed magis exsecratio sive sacrilegium appel-

latur: et neque ad latriam pertinet neque ad duliam, sed potius ad contumeliam Conditoris. Hoc est enim quod verbis prophetæ conqueritur Dominus ita dicens de filiis Israel : *Immolaverunt dæmoniis et non Deo, diis quos ignorabant* (*Deut.* XXXII). Et paulo inferius : *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat deus, et irritaverunt in vanitatibus suis* (*ibid.*).

Secunda differentia

Secunda differentia est, ut sit imploratio regularis, id est regularis et in sinu Ecclesiæ fiat oratio ; quia sicut, teste Augustino, extra catholicam Ecclesiam veri sacrificii non est locus, ita nec veræ orationis, præsertim cum ipsam orationem gratum Domino sacrificium offerat Psalmista : *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL); et alibi : *Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum* (*ibid.*). Si enim *in spiritu et veritate adorare oportet* (*Joan.* IV); Spiritus autem sanctus extra nidum Ecclesiæ per gratiam non habetur : rursumque si præter integritatem fidei veritas non est, cum veritas ipse sit Christus, patet quod extra positis, id est Judæis et gentilibus qui fidem Christi nunquam susceperunt ; vel hæreticis qui sese ab illa jam suscepta per schismata vel hæreses abruperunt, nec orare quidem nec adorare permissum est. Sed quia solet horum verborum significatio ad illa etiam extendi quæ extra Ecclesiam fieri possunt ; vel in ipsa Ecclesia non soli Deo, sed etiam aliis rebus exhiberi solet, libet super his non inutilem assignare divisionem.

Divisio orationis

Est igitur adoratio : alia divinæ venerationis, alia devotæ supplicationis, alia piæ recordationis, alia mysticæ significationis, alia vanæ ostentationis, alia fictæ simulationis, alia justæ satisfactionis, alia perfectæ humilitatis, alia debitæ subjectionis, alia mutuæ dilectionis, alia improbæ derisionis, alia coactæ necessitatis, alia deceptæ vanitatis, alia detestandæ impietatis. Divinæ venerationis est illa, quæ soli Deo impenditur, de qua dicit Psalmista : *Adorate eum, omnes angeli ejus* (*Psal.* XCVI), et alibi : *Adorabunt eum, omnes reges, omnes gentes servient ei* (*Psal.* LXXI). Devotæ supplicationis est illa, qua vel sanctos angelos, vel sanctos homines jam beatos, debito honore venerantur hi qui eorum visione digni sunt, ut Daniel et Joannes, et alii multi, qua nos etiam licet peccatores eisdem ut nobis apud Deum subveniant humiliter supplicamus, ut fieri solet in litania. Piæ recordationis est illa, qua nos vel sacra loca, vel sanctorum reliquias, vel quidquid illud est quod nobis ad memoriam revocat salutis nostræ sacramenta, veluti crucem Dominicam, vel sepulcrum propter honorem ejus qui ea sanctificat, quanta possumus reverentia veneramur. De hac potest illud intelligi : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus* (*Psal.* CXXXI) ; ut hoc ad illa loca quæ Dominus in carne sacris pressit vestigiis referatur, quemadmodum et illud

A prophetæ : *Et erit sepulcrum ejus gloriosum* (*Isa.* II). Debitæ subjectionis est illa, qua nos coram prælatis et principibus nostris, sive illis hominibus quibus jure subditi sumus, etiam ipso habitu corporis humiliamur, quemadmodum Esther Assuerum regem legitur adorasse (*Esther.* V, X) ; etiam ipso jure subjectionis tanquam captiva regem, uxor maritum, excepto mysterio quo ille Christum, illa vero Ecclesiam designabat. Mutuæ dilectionis est illa, qua nos nullo quidem jure sed solo charitatis affectu ad invicem inclinamus, quod nostræ professionis hominibus pro eo quod humilitatem maxime sectari debent, specialiter videtur convenire, sicut legimus quosdam sanctos viros meritis et vita non impares, mutua sibi humilitate
B prostratos benedictionem et orationes ab invicem postulasse. Justæ satisfactionis illa vocari potest, qua reus aliquis ei quem se meminit offendisse; sive flexo genu, seu toto corpore prostratus supplicat ut ignoscat, quemadmodum Jacob Esau fratrem suum sibi occurrentem quem primogenitis fraudaverat, adoravit (*Gen.* XXXIII). Fictæ simulationis illam dicimus, vel qua hæretici, vel improbissimi Christiani nobiscum in Ecclesia positi, sacramenta nostra quæ corde contemnunt extrinsecus ficta pietate venerantur; cujusmodi hominum, nescio an unquam fecundior pestis quam nunc exstiterit, nisi quod terrore vigoris ecclesiastici reprimuntur. Mysticæ significationis fuit illa, qua Rebecca in typo Ecclesiæ venientis ex gentibus Isaac, sub imagine Christi, adoravit : *Cum ille*, sicut scriptum est in Ge-
C nesi, *egressus in agrum ad meditandum* (cap. XXIV) : non aliud utique, nisi de salute generis humani ; de qua meditatione dicit Dominus per prophetam : *Ecce ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis* (*Jer.* XXIX), Et in alio propheta : *Conversus cogitavi in diebus istis, ut benefaciam domui Juda et Jerusalem* (*Zach.* VIII). Vanæ ostentationis est illa, quando quis propter inanem gloriam orat in publico : quod proprium est hypocritarum, de quibus ait Dominus : *Qui amant in plateis stantes orare, ut videantur ab hominibus* (*Matth.* VI), et alibi : *Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis* (*Marc.* XII). Ex horum numero erat superbus ille Pharisæus, qui contempta humilitate publica-
D ni, hæc apud se orabat : *Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines : raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus* (*Luc.* XVIII).

Improbæ derisionis fuit illa, qua Judæi flexo genu, Domino illudebant dicentes : *Salve, rex Judæorum*, etc. (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV; *Joan.* XVI.) Quibus similes sunt hi qui, pro peccatis suis orantes, ea tamen repetere non timent : nisi forte minus nocentes illi videbuntur, qui verum hominem contemnebant : quam isti qui divinæ claritatis faciem ubique præsentem, quam precibus placare student, spernendo conspuunt, et cædunt irritando. Qui enim, cum dixerit Deo : *Ostende faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal.* VII), respicientem et parcere cupientem, contemnit et gravius irritat : quid aliud quam faciem

Dei quem falso implorat, importune cædit et conspuit. Perfectæ humilitatis est illa, qua se sponte aliquis inferiori per humilitatem subjicit, quemadmodum Salomon qui tanquam rex potentissimus nulli hominum assurgere, nullumque præter Deum adorare tenebatur : matri suæ tamen ad se ingredienti assurrexit, et eam humiliter adoravit, sicut in libro Regum expressum est (*III Reg.* II). Coactæ necessitatis appellavimus quæ fit, vel propter metum, vel propter aliquam urgentem necessitatem, quemadmodum Joseph in Ægypto fratres ejus adorasse referuntur (*Gen.* XLII-XLV).

Deceptæ vanitatis illa est, qua stulti homines errore vano decepti, vel aliquas creaturas etiam ipsis inferiores, vel opera manuum suarum stulto metu venerantur. De quibuslibet dicit Psalmista : *Confundantur omnes qui adorant sculptilia et qui glorientur in simulacris suis* (*Psal.* XCVI). Ultima quæ dicitur detestandæ impietatis, illa est qua quidam homines non tam stulti quam impii, ipsos etiam dæmones tanquam deos in contumeliam Creatoris et colunt et invocant. De quibus ita continetur in Psalmo : *Quoniam omnes dii gentium dæmonia* (*Psal.* XCV). Cum ergo sint tot species adorandi, prima quidem quæ soli Deo debetur ad latriam pertinet, aliæ vero quoquot pietatem sapiunt ad duliam referuntur, reliquas ad injuriam et contemptum Dei certum est pertinere.

Tertia differentia.

Tertio loco positum est ut impensa sit oratio, id est studiosa, sollicita et attenta, ne si negligenter oraveris, in illud incidas vitium quod arguit Dominus per prophetam dicens : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* XLIX; *Matth.* XV.) Propensio autem orationis in duobus consistit : devotione, scilicet et compunctione. In devotione, quia si devotus non oraveris, quid sit orare vel negligis vel ignoras. Improbum enim valde est dicere Deo : *Intende voci orationis meæ* (*Psal.* LX), cum tu ipse per devotionem intendere non cures. In compunctione, quia qui spiritus sui contritione non compungitur, Spiritus sancti consolatione non ungitur. Ubi enim nihil dolet, medicina adhiberi non solet; Dominus enim non sanat nisi contritos corde, qui dicunt ei cum Psalmista : *Sana animam meam quia peccavi tibi* (*Psal.* XL).

Item devotio in duobus attenditur : in amore Dei et desiderio regni. In amore Dei, quia frustra clamas si non amas, quoniam inspector cordium est Deus; sicut diligentes se benignus exaudit, ita ab his qui non diligunt, iratus aurem avertit (*Reg.* XVI). Utrumque enim scriptum est : *Ego diligentes me diligo* (*Prov.* VIII), *et his qui oderunt me retribuam;* (*Deuter.* XXXII). Et Mariæ : *Dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII). In desiderio regni, quia frustra petis si non appetis, quoniam regnum cœlorum fastidiosis et ingratis non datur (sicut hic temporalia bona quæ plerumque contemptoribus et superbis fecundiora proveniunt), sed magis pauperibus illis quorum desiderium exaudit Dominus; de quibus in Evangelio dictum est : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Compunctio similiter in duobus consistit : odio peccati, et timore supplicii. In odio peccati, quia non meretur gratiam qui non odit nequitiam. Unde Psalmista post illos tres versiculos quibus humiliter veniam postulaverat, quasi rationabilem causam impetrandi subjunxit dicens : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L). In timore supplicii, quoniam, qui puniri non veretur, non puniri non meretur, sicut scriptum est ad Thessalonicenses : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* (*I Thess.* V). Et in Job (cap. XXI) : *Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.*

Ad amorem Dei tria nos invitant : remissio peccatorum, collatio meritorum, certitudo promissorum. De primo Apostolus : *Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, in quo habemus remissionem peccatorum* (*Eph.* I); de secundo idem : *Quid enim habes quod non accepisti* (*I Cor.* IV); de tertio alibi quoque dicit : *Certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem, justus judex* (*II Tim.* I). Ad regni desiderium similiter tria incitant : societas angelorum, immensitas præmiorum, æternitas gaudiorum. De primo Dominus in Evangelio : *Confitebitur eum Filius hominis in regno Patris sui et sanctorum angelorum* (*Luc.* XII); de secundo Psalmista : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te* (*Psal.* XXX); de tertio ait Isaias : *Lætitia sempiterna erit eis* (*Isa.* LXI). Odium quoque peccati tria nobis exaggerare debent : fœditas culpæ, vulnus animæ, damnum innocentiæ. Unde Paulus dicebat his quos per fœditatem culpæ in odium peccati volebat adducere : *Quem fructum habuistis tunc in his in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI). De vulnere peccati in anima dicit Isaias propheta : *Vulnus et livor et plaga tumens* (*Isa.* I). De damno innocentiæ Joannes in Apocalypsi (cap. II) : *Memento unde excideris, et age pœnitentiam.* Timorem supplicii tria nobis incutere possunt : dæmonum societas, pœnarum acerbitas, malorum perennitas. Hæc omnia notantur in eo quod reprobi audituri sunt : *Ite, maledicti in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Per ignem enim, acerbitas pœnæ; per æternum, perennitas; per diabolum et angelos ejus, dæmonum societas designatur.

Quarta differentia.

Nunc ad quartam differentiam veniamus, quam propter defectum vocabuli sub hac circumlocutione placuit explicare : *Pro salute animæ, vel his quæ ad illam prodesse possunt.* Sic enim in præmissa diffinitione positum est. Et notandum quod circumlocutio duarum pluriumve dictionum (quam Græci *amphilogiam vocant*) quandoque ponitur pro uno

A nomine jam invento, ut si pro eo nomine jam invento quod est rationale, in hominis diffinitione post animal, quod est genus : hæc structura dictionum quæ est rationis capax poneretur; sive ista, aptum ratione uti, vel quod est aptum uti ratione. Quandoque autem homini amphilogia vicem supplet unius vocabuli nondum inventi, ut si præfatum nomen videlicet rationale, nondum esset inventum, et loco illius aliquid illarum circumlocutionum necessario poneretur. Sic ergo hæc tota amphilogia verborum : *Pro salute animæ, vel his qui ad illam prodesse possunt*, pro uno debet accipi vocabulo, quod nondum quidem inventum est; seu quia nondum ita placuit usui,

Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi;
(HORAT. *Art. poet.*, v. 72.)

B seu quia non facile fieri potuit, ut unum nomen tot dictionum significationes exprimeret. De illis quoque duabus vocibus, videlicet, divinæ pietatis, idem rationis est : ut ambæ simul in orationis diffinitione pro uno differentiæ vocabulo quod nondum quidem inventum sit, necessario positæ intelligantur. Et hæc quidem satis, ut credimus, diligenter expressa sunt; tum, ut si quid tale in Scripturis occurrerit, facilius innotescat; tum ne quid in ejus rei diffinitione quam tractare volumus, relinqueretur obscurum, præsertim cum ex ea diffinitio dicta sit, quia rem velut certis quibusdam finibus circumscriptam diffinit ac terminat; unde et a philosopho *terminus* appellatur. C Nunc hujus differentialis amphilogiæ sensum curemus inspicere. Pro salute, inquit, animæ, vel his qui ad illam prodesse possunt; quia sive salutem animæ, seu corporis; sive utrique necessaria, ut virtutes et rerum temporalium facultates, debito modo imploraveris : omnia ad unum finem referri manifestum est. Nam, sicut ad recte vivendum instrumentum animæ corpus est, adminiculæ vero corporis extrinseca bona : ita primum quidem ac principaliter, pro salute animæ nobis orare præceptum est, secundario etiam pro incolumitate corporis, et aliis temporalibus postulare : non jubemur utique, scilicet neque prohibemur, dicente Domino : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI). D Quidquid autem aliud ab istis postulare tentaveris, aut superfluum est, aut nocivum, aut pestiferum, aut etiam exsecrabile. Superfluum quidem, ut si multas petis facultates, cum paucis possis esse contentus; nocivum, si peccandi materiam, ut in formosa uxore; pestiferum, ut mortem inimici; exsecrabile, ut æternam ejus animæ perditionem. Quapropter Dominico instructi præcepto, regnum Dei, id est æternam beatitudinem omni precum instantia postulemus : cætera si desint, aut ejus providentiæ relinquamus (qui optime novit quod nobis expediat), aut si petere volumus, ad hæc tantum petenda sunt, ut eorum usum ad obtinendum illud quo fruendum est, id est vitam æternam quæ Deus est referamus. Æternis quippe bonis, vel potius æterno bono : unum enim tantum est, et illud Deus; æterno, inquam, bono jubemur frui, temporalibus uti conceditur.

Est autem frui, amore inhærere alicui rei tantum propter seipsam, quod in solo Deo fieri debet, qui solus propter se tantum non propter aliud diligendus est : cætera vero omnia propter Deum. Uti autem est, id quod in facultatem venerit referre ad obtinendum illud quo fruendum est; alioquin non jam uti, sed abuti rectius appellabitur. Si igitur omnia quæ in temporalibus recte diliguntur propter solum Deum diligenda sunt, Deus autem propter seipsum : patet utique in omnibus quæ ordinate diligimus, causaliter (ut ita loqui liceat) nihil aliud diligi quam Deum. Nam sicut is qui spe laudis et coronæ pugnaverit, quam sibi ab imperatore certus exspectat : non tam artem pugnandi vel arma quibus utitur, quam ipsum impugnatorem cujus gratia hoc agit, a quo et præmium præstolatur diligere dicendus est : ita in omnibus quæ propter Deum diligimus Deum diligere sumus arbitrandi.

CAPITULUM IV.

Recapitulatio diffinitionum (1).

Nunc si placet ad rei evidentiam ea quæ in diffinitione passim dispersa sunt : compendioso ac brevi recolligamus epilogo. Oratio itaque nomine generali dicta est imploratio; pro eo quod in omni oratione regulariter aliquid implorare intendimus. Divinæ vero pietatis adjectum est, ne quid ab alio quam a Deo petendum putes : et hoc tale quod et tu pie petere possis, et ille misericorditer largiri. Regularis aut esse debet oratio, ut in sinu fiat catholicæ veritatis : propensa vero, id est studiosa et attenta, pro salute animæ vel ad illam pertinentibus ut nihil quod ab ea vel impediat vel avertat; imo etiam quod ad ipsam non adjuvet atque promoveat orando postuletur.

(1) Ed.: *Epilogat diffinitionem. Capitulum ultimum primi libri.*

LIBER SECUNDUS.

De contentis in oratione, scilicet, quis petat, quid petat, a quo petat, cui petat, quare petat et qualiter petat. — De primo contento orationis

Sed quam longa verborum indagine quod congrue dicatur oratio, prout fieri potuit quæsitum est; nunc ad ea quæ de ipsa non minus commode dici posse videntur, libet procedere. Inter quæ primo videndum est quod contineat oratio. Continet autem hoc, quis petat, quid petat, a quo petat, cui petat, quare petat, et qualiter petat : Hæc itaque continet et complectitur oratio : non tanquam partes sui ipsius, nullum enim eorum in oratione poni solet, sed tanquam partes materiæ suæ; quoniam hæc omnia simul collecta materia sunt orationis, et in illis et circa illa versatur, et de illis agit oratio : eatenus, ut si unum deesse contigerit, ne oratio quidem valeat appellari. Sunt aliæ partes orationis tam simplicis quam compositæ; quorum jam aliquas assignavimus, cum diceremus tot esse B partes orationis catholicæ quot petitiones. Quod quidem de composita tantum oratione intelligi debet. Nam oratio alia simplex, alia vero composita reperitur. Simplex est illa quæ uno tantum verbo deprecativo explicatur, sive unum solum sit quod ea petitur, ut hoc : *Deus propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII); sive plura, ut si dicas : Deus da mihi veniam peccatorum et vitam æternam. Et hoc quidem ad exemplum categoricæ propositionis, quæ uno tantum verbo indicativo enuntiatur, quam et logici simplicem vocant; sive illud verbum unum solum copulet, ut : *Socrates est musicus*, sive plura, ut : *Socrates est musicus et grammaticus*. Similiter utraque istarum simplex est, sive C dicas : *Tullius videt Socratem*, sive dicas : *Tullius videt Socratem et Platonem*. Compositam autem dicimus orationem, quæ pluribus verbis deprecativis explicatur, ut si dicas : *Deus, propitius esto mihi peccatori*, da veniam delictorum, concede vitam æternam, et quidquid hujusmodi continuare volueris. Et hoc item ad exemplum hypotheticæ propositionis quæ pluribus verbis essentiatur, quam iidem logici compositam dicunt ; sive constet ex duabus categoricis, ut hæc : *Si Socrates esset homo, Socrates esset animal*; sive ex quatuor, ut ista : *Si omne risibile est homo, et omnis homo est animal; tunc si Socrates est risibile, Socrates est animal*. Et sicut in hypothetica qualibet categorica et est propositio et pars orationis : ita in oratione composita quælibet D simplex petitio et est oratio et pars orationis. Simplex autem oratio ad exemplum grammaticæ orationis tot habet partes quot dictiones, sed differenter accipi solent : quoniam in oratione quidem catholica tam voces quam earum sensus attenduntur, in oratione vero grammatica de solis vocibus habetur ratio, de sensu penitus non curatur. Grammaticus enim incipiens a voce transit ad litteram, de littera ad syllabam, de syllaba ad dictionem, de dictione ad orationem : et hæc omnia secundum solam congruentiam vocis; postmodum ipsam orationem grammatice constitutam, dialetico tradit et rhetori velut quoddam idoneum ad agendum de thesi et hypothesi instrumentum.

CAPITULUM PRIMUM.

Satis luculenter ostensum arbitramur cum alias partes habeat oratio, ista sex de quibus proxime agendum est nequaquam esse partes orationis. Nec rursum ea per jocos, id est circumstantias possumus appellare, quoniam aliæ sunt circumstantiæ quæ ei rectius assignantur, de quibus suo loco dicere non pigebit. Nunc interim de istis prosequendum est, ac primo videndum in oratione quis petat, fidelis videlicet an infidelis. Nam orationis vocabulum largius acceptum, etiam ad illa extendi quæ ab infidelibus fieri possunt, superius ostensum est. Unde in Evangelio legitur de quibusdam gentilibus qui venerant Hierosolymam adorare (*Joan.* I). Sed et publicanus et Pharisæus dicuntur ascendisse in templum ut orarent (*Luc.* XVIII). Omnis autem infidelis, aut gentilis, aut Judæus, aut hæreticus est : Primus oblatam fidei salutem non solum non suscipit, sed etiam per stultitiam audire et agnoscere contemnit; secundus autem agnoscit quidem, et de Scripturis suis intelligit, sed in Christi contemptum per invidiam repellit; tertius et agnoscit et suscipit, sed ab illa jam suscepta se postmodum per superbiam abrumpit. Primus ergo improbus est et ingratus, secundus invidus et obstinatus, tertius perfidus et elatus. Et quoniam Salvator ob salutem omnium in mundum veniens et verba doctrinæ attulit et præcepta justitiæ, videamus nunc quanta in utrisque ab hoc triplici genere infidelium hominum pariatur contumelia. Et in contemptum quidem præceptorum licet nobis exemplum sumere de tribus improbis et perniciosis civibus quod sub uno eodemque magno principe velint aut nolint agere necesse est. Quorum tamen primus ejusdem principis æquissimas leges jam scriptas et publice promulgatas nec legit nec suscipit; secundus legit quidem sed non suscipit; tertius legit et suscipit, sed susceptas postmodum pervertit, et ad earum subversionem suadendo quos potest pervicaciter impellit. Ad contemptum autem doctrinæ Salvatoris tres nobis exemplo sint impudentes discipuli; quorum unus verbo magistri optime docentis nec audit nec approbat; secundus audit quidem sed improbat; tertius audit

et approbat, sed postea per superbiam contumaciter impugnat, et ad ea impugnanda sibi quos potest associat. Hæc tria reproborum hominum genera: non solum tota vivendi ratione (si tamen ratio dici potest) ab invicem discrepant, verum etiam in singulis generibus alii alios diversis impugnant sententiis. Nec mirum, eos qui a veritate quæ Christus est alieni sunt: variis errorum implicari fallaciis. Pluribus enim extra viam currentibus nihil est rationis, cur alius alio rectius currere dicatur. Nam, licet alius viæ vicinior sit, alius autem remotior, omnes tamen quandiu extra sunt inutiliter currunt, nec unquam nisi viam intraverint ad locum quo illa ducit pervenient. In populo itaque Judæorum plures forsitan olim fuerunt sectæ, sed duæ maxime notabiles. Una videlicet Pharisæorum, qui et resurrectionem mortuorum fatebantur, et omnes Veteris Instrumenti suscipiebant Scripturas. Alia vero Sadducæorum qui neque resurrectionem exspectabant, nec præter quinque Moysi libros ullas veteris paginæ Scripturas curabant suscipere. Inter gentiles quoque plurimas dicunt erroris esse differentias, qui tamen omnes in duas principaliter discedunt: eorum scilicet qui ab Ismaele filio Abrahæ ducentes originem circumcisionem accipiunt, et Ismaelitæ vocantur; et aliorum qui in præputio nati, ideo gentiles specialiter dicuntur, qui in eo in quo geniti sunt perseverant. Hæreticorum autem innumeræ sunt pestes, quorum septuaginta fere sectas tam nominibus quam propriis errorum articulis ab invicem discrepantes in lib. *Etymologiarum* describit Isidorus; quas, quia ad præsens percensere plus habet laboris quam commodi, illud potius videndum est quod quatuor ex causis denominari solent hæretici. Quidam enim a provinciis denominantur, ut Cataphrygæ; quidam ab ipsis hæresum auctoribus, ut Marcionitæ; quidam a prærogativa sanctitatis quam sibi præ cæteris usurpant, ut Cathari tanquam mundi; quidam ab errore quem fingunt aut sequuntur, ut Anthropomorphitæ; qui falsa opinione Deum Patrem in formam hominis transfigurant. Anthropos enim Græce Latine *hominem* sonat; morphe autem *formam*. Sed et illud notandum est quod hæreticorum appellatio nunc largius nunc strictius accipi solet. In largiori quidem acceptione vocatur hæreticus tam is qui se ab unitate Ecclesiæ contumaciter abrumpit, quam is qui ejusdem Ecclesiæ sacramenta pervertit; sive qui sacras Scripturas scienter prave intelligit; sive qui temporalis commodi et maxime honoris principatusve sui causa, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur. Quæ extrema acceptio, licet eam Augustinus seorsum posuerit, videtur tamen non incongrue tribus præcedentibus posse coaptari.

Restricta autem præfati nominis significatione, talis fieri potest divisio: Eorum qui post accepta fidei sacramenta a veritatis ratione prave vivendo degenerant et cadunt: alius in Ecclesia latet, et eam pravis moribus perturbat, ut falsus catholicus; alius omnino fidei Christianæ renuntiat, cum tamen nequeat non esse Christianus, ut apostata vel apostaticus; alius servata fidei forma ab unitate Ecclesiæ sese violenter abrumpit, ut antipapa sive schismaticus; alius sacræ Scripturæ sensum scienter corrumpit, et dici potest erraticus; alius sacramenta Ecclesiæ vel articulos fidei pervertit, et hic proprie vocatur hæreticus. Dicitur autem hæreticus ab *hæresi* Græco, quod est *electio*, quod quisque pro suo arbitrio eligat quid sequatur. Omnium igitur infidelium, licet in sua impietate dissentiant, una tamen est sors et æqua conditio: in eo scilicet quod omnes extra sunt, et ab his quæ tantum in Ecclesia vel fieri vel prodesse possunt, infidelitatis suæ merito segregati. Et eorum quidem alii longe absistunt, utpote gentiles qui præter naturam qua homines sunt nulla nobis vel morum vel fidei societate copulantur. Alii vero propius accedunt, Judæi videlicet; qui, etsi gratiam evangelicæ veritatis et fidei respuant sacramenta, nobis tamen veteris Scripturæ participatione communicant. Alii proximi sunt, videlicet hæretici, qui eisdem scriptis et moribus et sacramentis nobiscum utentes paucis dissentiunt. Neque tamen eo vel magis diligendi sunt: quippe qui non affectu pacis sed dolo nobis appropiant; vel minus metuendi, quoniam, ut ait philosophus, *nulla pestis efficacior est ad nocendum quam familiaris inimicus*. Sunt tamen etiam in his generibus hominum, non solum inter diversas eorum sectas sed etiam in eisdem sectis inter diversos homines, gradus quidam et limites, non virtutum quidem (quæ apud eos nullæ sunt); sed, ut verius exprimam, majoris minorisve nequitiæ. Siquidem minus improbum arbitror gentilem, qui legem naturalem in corde suo scriptam probis implens operibus ad vitæ perfectionem sola caret fidei ratione, qualis erat Cornelius (*Act.* x), etiam antequam fidem Christi mente tractare inciperet: eo qui et fidei salutem contemnit et legem naturæ magnis ac multis profanat flagitiis: qualis Herodes, tam ille qui tot infantum millia sine causa jugulavit (*Matth.* II), quia qui fraterne uxoris pollutus adulterio in pretium obscenæ saltatricis sanctissimi viri cede funestavit convivia. (*Matth.* XIV).

Rursumque minus impium credimus Judæum qui nondum veritatis evangelicæ lumen agnoscens, veteris legis præcepta secundum tenorem litteræ fideliter observat qualis erat Nathanael, de quo Salvator ait: *Ecce vere Israelita in quo dolus non est* (*Joan.* I): eo qui et gratiam respuit et legem male vivendo transgreditur; quemadmodum illi quos idem Salvator nolentes audire verba suæ sanctissimæ prædicationis, etiam de transgressione legis Mosaicæ quam se servare profitentes gloriabantur, arguit ita dicens: *Nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem* (*Joan.* VII).

Sed et inter hæreticos minus ille pestilens, qui in paucis et minimis discrepans in pluribus majoribusque sacramentis nobis communicat: quales sunt Pelagiani, qui in aliis nobis consentientes, liberum arbitrium sine gratia sufficere dicunt ad vi-

tam promerendam : eo qui in paucis minoribusque nobis consentiens, plura et majora profana impietate pervertit atque contaminat; veluti Donatistæ qui Patre Filium, et utroque Spiritum sanctum minorem : et sicut tres personas, ita tres substantias in Trinitate, mentiuntur : imo, ut audacter aliquid adjiciam, minus odiosus Deo credendus est optimus Judæus aut gentilis sive hæreticus, flagitiosissimo Christiano. Satis jam patuit quod nullus infidelium quantumlibet probus, veræ orationis habet commercium, licet multi etiam inter illos, sive ex creaturis Creatorem considerantes; sive ex Scripturæ testimoniis edocti quanta possunt humilitate supplicando non orant quidem, sed imitantur orantem. Quod tamen culpandum non est : quoniam sive ad fidem resipuerint, poterit vivificatis operibus hoc ipsum eis ad salutem provenire ; sive in errore suo permanserint, forsitan ad mitioris pœnæ remedium.

Utrum autem præcedentis vitæ opera quantumlibet bona Deo placere, et ad ipsam quoque fidem obtinendam prodesse valeant; et illud nos dubitare cogit quod dicit Augustus : *Cornelium antequam in Christum crederet fuisse exauditum* ; cum alibi legatur : *Quia sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* II): et dicat Gregorius, eum per fidem ad opera venisse. Quidam tamen hujus quæstionis diriment perplexitatem dicentes, eumdem Cornelium quo tempore orabat, et eleemosynas largiebatur, fidem futuræ Incarnationis habuisse; jam factæ vero minime, atque ita partim fidelem, partim vero fuisse infidelem : et ideo Petrum ad eum missum aiunt; ut eum plenius instruendo quod deerat suppleret. Sed hoc quia disputabile satis est, his qui rem certius discutere valeant relinquamus.

CAPITULUM II

Quod autem paulo ante dictum est, quædam opera vivificari posse, videtur ita necessario distinguendum, quod omnia opera quæ agimus aut viva aut mortua sunt. Viva dicimus quæ ad vitam æternam sunt utilia; mortua vero quæ morti æternæ obnoxia vel ad vitam inutilia. Vivorum autem operum, alia sunt vitalia; alia vivificata. Vitalia sunt quæ statim ut fiunt bona sunt, et ideo placent, quoniam in charitate fiunt et spiritus vitæ in eis est; ut orationes et eleemosynæ sanctorum. Vivificata autem dicuntur quæ cum habeant formam bonitatis, non tamen bona sunt quia in charitate non fiunt, in qua si fierent utique bona essent ac vitalia ; sed mox accessu charitatis animantur et velut quemdam spiritum vitalem accipiunt ut possint et ipsa prodesse ad vitam : quales sunt orationes et eleemosynæ peccatorum qui convertuntur, fidelium sive infidelium. Nec enim eos pares ad præmium possumus arbitrari, quorum unus ante conversionem inter plurima mala nihil egit laudabile ; alter vero sæpius humiliter oravit, plurimum jejunavit, multas pauperibus eleemosynas erogavit : si post conversionem vel æqualiter vixerint, vel statim ac simul migraverint e vita. Videtur namque hoc plurimum discrepare a sententia æquissimi judicis : qui et omne bonum remunerat, et nulla mala præterire patitur impunita.

Mortuorum vero operum : alia quidem mortalia vel mortifera ; alia mortificata vel exanimata ; alia vero inanimata vel informia : alia morbida vel morbifera dici possunt. Mortalia vel mortifera sunt illa quæ mox ut facta fuerint auctorem suum gehennæ reum constituunt ; utpote homicidia, adulteria, fornicationes, et omne id quod semel commissum sufficit ad meritum mortis : unde et peccatum mortale nominatur. Mortificata vel exanimata vero sunt quæ cum prius per charitatem vixerint, ea recedente exspirant et moriuntur : non quidem ut mortalia fiant; sed ad vitam inutilia; ne et illi pares videantur quorum alter post plurima bona lapsus est in aliquod grave peccatum ut David sive Petrus ; alter vero omnium expers bonorum, multis et magnis sese contaminavit flagitiis, ut Herodes sive Pilatus. Inanimata vel informia congrue dicuntur, quæ dum sint de genere bonorum operum præter charitatem fiunt : et ideo tanquam anima formaque carentia ad vitæ meritum moveri ac perficere nequeunt nisi (ut jam dictum est) accedente charitate vivificari mereantur. Morbida vel morbifera sunt ea quæ nos venialia dicimus, quæ non tam ex mentis malitia quam ex morbo humanæ naturæ proficiscuntur : et tamen animam contaminant et morbosam efficiunt, sed non usque ad meritum mortis æternæ, nisi multiplicata placuerint; quia nullum est tam veniale peccatum quod non fiat mortale dum placet. Ex hac igitur operum distinctione, sumenda est et illa quæ sequitur hoc modo.

Divisio operum.

Bonorum sive malorum seu qualiumcunque operum ; alia quidem ab initio vivunt et nunquam moriuntur, ut eorum qui charitatem semel habitam nunquam deserunt, ut Paulus. Alia primo vivunt, postea moriuntur : eorum scilicet qui eamdem charitatem quam cœperant operari retinere non curant, ut Salomon. Alia ab initio mortua sunt, et postea vivificantur : ut ea bona opera quæ fecit vel Paulus vel Cornelius, dum adhuc peccato infidelitatis tenerentur. Alia mortua sunt et nunquam vivificantur aut vivificari possunt, ut omnia peccata mortalia seu venialia, quæ nunquam ad meritum vitæ convalescere queunt, licet per pœnitentiam corrigantur, non ut perficiant ad salutem; sed ut non officiant ad mortem. Sunt item alia quæ primo vivunt, postea moriuntur, iterum reviviscunt : eorum scilicet qui post aliqua opera charitatis labuntur in aliquod mortale, et iterum per pœnitentiam reparantur, ut David. Sunt itidem et alia quæ primo quidem mortua sunt, postmodum vivificata denuo moriuntur; videlicet eorum qui aliqua de genere bonorum propter charitatem operati postea convertuntur : et iterum relabuntur ad nequitiam ; cujusmodi homines facilius credi

reperiri quamplurimos quam unum demonstrari : pro A eo quod valde dubium est an is cujus prima et ultima prava conspicimus, medio tempore veram habuerint charitatem. Ex his facile est adverti quædam esse opera qui sine charitate nullatenus haberi possunt; ut omnia bona opera quæ viva diximus utrolibet in genere; quædam vero quæ nunquam ea præsente habentur, ut illa omnia quæ mortua placuit appellari, exceptis solis venialibus, quæ nisi cum charitate fieri possent; non diceret Scriptura : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus* (*Joan.* L). Cum ergo sint duo genera vivorum operum : prima quidem dicuntur non solum viva, sed et vitalia, quod amplius est, quia semper in charitate vixerunt; sicut illum videntem dicimus qui semper vidit, id est B qui nunquam videndi officio caruit. Altera vero dicuntur viva vivificata; quia cum primo mortua fuerint, accessu charitatis vivificari meruerunt; quemadmodum dum et ille videns dicitur, qui non semper vidit, sed post longam cæcitatem visum recepit; qualis erat ille qui dicebat: *Unum scio, quia cum fuerim cæcus, modo video* (*Joan.* IX). Mortuorum autem opera quatuor, (ut diximus) genera sunt : quorum prima non solum mortua, sed quod majus est mortalia sive mortifera nominantur : quia nunquam vixerunt, et morte plena sunt, et mortem afferunt : et ad vitæ meritum vivificari non possunt, quamvis omnino per pœnitentiam deleantur : prout glacies frigida voca- C tur; quia nunquam calefieri potest, sed semper frigida est, et semper infrigidat; licet ita resolvi possit ut omnino non sit. Secunda vero non solum mortua sed et mortificata sive exanimata nuncupantur : quia cum prius vixerunt, vivere desiere; sicut cadaver hominis mortuum dicimus; quia vixit et desiit, et vita cedente mortificatum est. Tertia ideo non mortua dicuntur, quod prius vixerint et vita privata sint, sed quia inanimata sunt et nondum vivunt; sicut et fetum ante animæ infusionem mortuum solemus appellare : non quia vixit et desiit, sed quia vivere nondum cœpit. Dicuntur hæc eadem etiam informia, quia nondum per charitatem informata sunt; sed sunt velut fetus informis ante dispositionem membrorum ; D aut sicut quædam lineamenta pictoris ante coloris appositionem. Quarti vero generis opera ideo mortua vocantur, quia non solum inutilia sunt; sed etiam nosciva, licet citra meritum mortis æternæ; peccata enim sunt sed venialia, nisi per contemptum placere incipiant : tunc enim, ut dictum est, mortalium mutuantur effectum. Dicuntur autem mortua eo loquendi typo quo mortuum hominem dicimus, qui non solum sibi et aliis inutilis est, sed etiam perniciosus. Dicuntur etiam morbida vel morbifera; quia morbum humanæ conditionis ex quo nascuntur manifestant; et morbum animæ inferunt : sic ægra signa et syntomata physici dicunt; quia ægritudinem ex qua oriuntur et manifestant et aggravant.

CAPITULUM III.

Sed jam his diutius immorati, nec ab re, ut credimus : nisi forte aliter lectori videbitur, ad sequentia procedamus. Et de infidelibus quidem id quod rei veritas habere videbatur, hactenus dixisse sufficiat. Fidelis autem si quid orando petit; aut justus sit, aut injustus, necesse est. Porro si justus; vel in sua justitia finaliter permansurus; vel ad nequitiam relapsurus. Similiter injustus in sua iniquitate decessurus, vel ad justitiam rediturus. Orat ergo justus in justitia permansurus, ut Elias cum clauderet cœlum precibus; et iterum aperiret (*III Reg.* XVII). Orat ad nequitiam relapsurus justus, ut Salomon ædificio templi feliciter consummato (*III Reg.* VIII). Orat injustus ad justitiam rediturus; ut David adulterio simul et homicidio maculatus (*II Reg.* XI). Orat injustus cum sua iniquitate de hac vita migraturus, qualis erat Judas, quem Salvator cum cæteris apostolis orare docuit, cum esset fur et latro (*Joan.* XII); de quo scriptum est in Psalmo : *Oratio ejus fiat in peccatum* (*Psal.* CVIII). Omnis autem qui cum justitia decessurus est, haud dubie ad sortem pertinet electorum; qui autem cum iniquitate migraturus, ad numerum reproborum, qualiscunque fuerit hic vel ille; sive fidelis bonus aut malus, sive gentilis aut Judæus, aut etiam hæreticus. De illis autem electis et reprobis hic accipi volumus, qui ab æterno vel reprobati sunt vel electi. Dicuntur enim utrique, modo secundum æternam Dei præscientiam; modo secundum præsentem et forte non permansuram justitiam aut nequitiam. De prima electione dicit Apostolus : *Qui elegit nos ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I). De secundo dicitur in Job (cap. XL) : quia escæ Behemoth electæ sunt : quia malignus hostis nonnunquam eos qui propter præsentem justitiam electi videbantur, absorbet et sibi incorporat. Item de prima reprobatione legitur in Malachia (cap. I) : *Nunquid non frater Esau Jacob? Et Jacob quidem dilexi, Esau autem odio habui.* Odisse Dei, reprobare est. De secundo vero in eodem Apostolo : *Propter hoc tradidit eos Deus in reprobum sensum ut faciant ea quæ non conveniunt* (*Rom.* I). Non enim hoc intelligendum est, de æterna reprobatione cujus nulla est causa, sed de illis reprobis accipi debet, qui merito minoris nequitiæ quam relinquere nolunt, Deo deserente, labuntur in majorem, ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII.)

LIBER TERTIUS.

De secundo contento orationis, id est quid, quis petat, bonum malum an medium. De inspiratorio bono.

—

At de primo quidem contento orationis, videlicet quis petat, ideo diligenter prosecuti sumus; quoniam ex hac dis inctione et aliis qui sequuntur eliciendum erit, quantum Deus aperire dignabitur, id quod quæsitu difficile est, scitu vero difficillimum, videlicet de obtinentia sive effectu orationis. Nunc igitur de secundo, id est quid petat : non minori diligentia quærendum est.

CAPITULUM PRIMUM

Refert enim quid petat orans : utrum videlicet bonum petat, an malum petat seu deprecetur : an id petat quod in sui quidem natura nec bonum nec malum est : quod medium sive indifferens congrue potest appellari. Bonum autem hoc volumus accipi, tam vitam eternam, quam omne id quod ad ipsam promerendam et capescendam cooperatur et adjuvat. Malum vero contraria ratione, vel mortem perpetuam, vel quidquid ad illam impellit et aggravat. Medium vero quod in sui natura nec bonum nec malum est, secundum prædictam boni et mali acceptionem, sed ex usu bene vel male utentium, bonum malumve efficitur. Horum ergo trium quodlibet, in diversa specierum membra dividitur. Bonum quippe, aliud est remuneratorium, id est vita æterna; aliud vitæ æternæ meritum, aliud meritorium, aliud inspiratorium, aliud præparatorium. Bonum quod est vita æterna, nil aliud est quam Deus qui summe bonus et summum bonum, et omnium bonorum causa et finis est. Bonum æternæ vitæ, meritum bonum opus est, id est bonus actus : sive interior, ut mentis; sive exterior, ut corporis. Bonum meritorium est virtus, id est bona qualitas mentis quæ est velut quoddam boni operis instrumentum. Bonum inspiratorium est infusio gratiæ specialiter, ex qua illa bona qualitas mentis procreatur. Bonum vero præparatorium remissio est peccatorum per contritionem cordis; quibus manentibus nunquam homo ad cætera posset esse idoneus. Quæ tamen contritio cordis et peccatorum remissio, imo et omnia quæ sequuntur ex eadem Spiritus sancti gratia, et causam habent, et sortiuntur effectum et mercedem accipiunt. Spiritus enim sanctus primo quidem purgat, secundo spirat, tertio format, quarto creat, quinto remunerat. Purgat culpam, spirat gratiam, format mentem, creat operationem bonam, remunerat ad coronam. Unde Salomon ait : *Lustrans universa in circuitu pergit Spiritus, et in circulos suos revertitur* (*Eccles.* I) : non locali discursu, sed nusquam absente potentia. Item cum Spiritus sanctus aquæ nomine frequenter designetur, ut ibi : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII), secundum ea quæ dicta sunt. Etiam hic non incongrue dici potest : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant* (*Eccles.* I.)

CAPITULUM II.

De his ergo quinque bonis quæ petenda sunt orantibus, eisdemque donis Spiritus sancti, prout ipse donaverit quemadmodum proveniant demonstrandum est. Converso tamen ordine etiam ea paulo ante enumeravimus; quoniam ibi quidem illud primo ponendum erat quod omnium aliorum causa et finis est : dehinc ordine retrogrado ad inferiora veniendum : hic ea sicuti proveniunt ita tractari, rectius arbitramur. Primum itaque bonum et primo necessarium : et quod nisi præcesserit alia non sequentur, contritio cordis est, cum reus, divina visitante gratia, incipit cogitare pro peccato, et tota mente compungitur : *Et fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI), ad imitationem illius qui dicebat : *Lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis, stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Quod cum fieri cœperit, adest statim peccatorum remissio nec est inter hoc et illud aliquod medii temporis intervallum, testante Scriptura : *Peccator quacunque hora ingemuerit salvus erit* (*Ezech.* XVIII), id est salute dignus, vel saluti promerendæ idoneus. Et in Evangelio Magdalenæ velut in momento peccata dimissa sunt, quia graviter conterebatur, et Salvatorem plurimum diligebat (*Luc.* VII). Spiritus enim sancti quo auctore id geritur velox est operatio, nec unquam ulla rei difficultate tardatur. Nam sicut aqua similiter influit et sordes eluit; aut uti flabrum spirantis aure simul spirat et pulverem exsufflat; vel sicut calor ignis aut solis, ceram vel glaciem simul percutit et liquefacit : ita Spiritus sanctus cum sit aqua mundificans, cor hominis pariter intrat et lavat; cum sit aura purificans, pariter afflat et omnes vitiorum sordes eventilat; cum sit calor mollificans, primo attactu omnem compactæ vel induratæ malitiæ resolvit duritiem. Dedignatur enim, teste Scriptura, contubernium vitiorum, *nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* I). De primo dicit Deus per prophetam : *Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* (*Ezech.* XXXVI). De secundo quod Spiritus sanctus sit aura flans, habes in Psalmo : *Flabit spiritus ejus et fluent aquæ* (*Psal.* CXLVII). Quod autem peccata pulvis, dicit Isaias : *Consurge, consurge, excutere de pulvere* (*Isa.* LII). Flante igitur aura Spiritus sancti et fluentibus aquis lacrymarum per contritionem cordis, omnium peccatorum omnino pulvis exsufflatur. De tertio quantum ad ceram ita legitur in Psalmo :

Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII). De eodem quantum ad glaciem, legitur in libro filii Syrach : *Sicut glacies in sereno, ita solventur peccata vestra* (*Eccli.* III). Dicitur autem hoc bonum præparatorium, quia per illud ad sequentia præparamur, quibus nisi istud præcederet nunquam essemus idonei. Quæ quidem appellatio licet huic primo specialius conveniat, cuilibet tamen præterquam ultimo non absurde congruere potest, quia spiritualium gratiarum hic ordo est, ut semper prior præparet ad sequentem, dum primo gratis gratiam accipimus, deinde *gratiam pro gratia* (*Joan.* I), proficientes *de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII). Remissio namque peccatorum præparat ad justitiam, justitia ex radice charitatis parit virtu- B tem : virtus movet ad bonam operationem : operatio bona percipit æternæ vitæ retributionem. Horum igitur bonorum, ut diximus, ordo talis est atque progressio, ut præcedens naturaliter causa fit subsequentis : subsequens vero præcedentis effectus.

CAPITULUM III.

Est autem aliud quoddam præparatorium quod et præordinatorium dici potest : tanto antiquius his ordine et dignitate, quanto fons rivulis suis dignior atque præstantior, æterna videlicet prædestinatio, quæ nos æternis bonis, et nobis æterna bona præparat ac præordinat, id est vitam æternam : et insuper temporalia quibus illam adispisci valeamus, ea scilicet quæ quatuor reliquis specierum vocabu- C lis designantur. Quod ideo ab hac exclusimus divisione, quoniam orationis effectus de qua nobis agere propositum est semper pendet de futuro; divinæ autem prædestinationis ordo, ab æterno certissime præfixus est, nec ulla valet ratione labefactari. Nemo itaque petit ut eum Deus prædestinet, aut prædestinaverit, quamvis illud quod non nisi prædestinatis contingere potest id est vitam æternam optent omnes et postulent. Verba siquidem imperativa quibus tanquam deprecativis orantes utimur, semper ad futurum pertinere necesse est; sive illud jam cœpit fieri, et ut diutius fiat imperatur; ut si puero jam legenti dicas, lege, id est persevera in legendo; sive nondum fit, sed mox fieri jubetur, ut si servo quem mittis ita præcipias, D statim redi; sive post aliquod temporis interstitium, ut si dixeris, cras redito. Sunt tamen apud Græcos audaces et copiosos, vocum inventores, verba imperativa temporis præteriti : cum aliquid quod nondum est fieri jubetur, ut sequenti tempore possit esse præteritum; ut si domo digrediens ita imperes servo tuo : *Crastina die cum rediero aperta sit mihi janua.* In hac enim locutione idem Græci qui nihil sibi in grammatica deesse patiuntur; pro his duabus vocibus aperta et sit, unam tantum habent vocem imperativam; quam pro eo quod rem jubet in futuro fore præteritam, præteriti temporis esse, vel audacter confirmant, vel subtiliter mentiuntur. Quæ tamen verba ad futurum tempus habere A relationem, et ob hoc futuri temporis verius æstimandam : diligentius intuenti non erit ambiguum. Cum igitur nihil nisi vel futurum vel tanquam futurum vel imperari valeat vel orari, constat illud bonum æternæ prædestinationis quod omnibus antiquius est, temporariæ orationi nostræ, et tantum ad futurum pertinenti, subjacere non posse : ob quam etiam causam, ut dictum est, illud a præmissa divisione seclusimus. Dicitur autem bonum præparatorium omnium aliorum, quia primo præparat nos ad gratiam, secundo ad justitiam, tertio ad meritum, quarto ad præmium. Ad gratiam prædestinando secundum gratiæ electionem, quia prædestinatio non est aliud quam gratiæ præparatio. Ad justitiam peccata remittendo, per cordis contritionem : quibus remissis, statim adest justificatio. Ad meritum virtutes generando per bonam mentis qualitatem, sine qua nunquam ad merendum essemus idonei. Ad præmium perficiendo per bonam operationem, sine qua æternitatis præmio judicaremur indigni. De prima præparatione quæ est ad gratiam, dicit Isaias : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti Deus diligentibus te* (*Isa.* LXIV). De secunda quæ est ad justitiam, legitur in quodam loco : *A Domino præparatur cor hominis.* Et in Psalmo : *Præparabitur veritas tua in eis* (*Psal.* LXXXVIII), id est justitia per fidem in apostolis. De tertia quæ est ad meritum gaudebat Psalmista cum diceret : *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (*Psal.* CXVIII). De ultima quæ est ad præmium, dictum est illud in Evangelio : *Venit sponsus, et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias* (*Matth.* XXVIII). Et prima quidem quæ est secundum electionem ab æterno completa atque consummata est, antequam esset cui aliquid præparari aut prædestinari posset, sicut ait Apostolus : *Qui elegit nos ante mundi constitutionem*, etc. (*Ephes.* I). Reliquæ vero tres in nobis quidem qui tempori subjacemus temporaliter eveniunt; sed tamen ab illa æterna prædestinatione certissima ordinis ratione descendunt. Siquidem antequam esset homo cui vel peccatum remitti, vel virtus infundi, vel bonum opus conferri posset; ita Deo præordinante digestum est, ut homo postea futurus hoc ordine divinæ gratiæ beneficiis utens ad præparatam sibi beatitudinem perveniret. Primum igitur et summum omnium bonorum est, divinæ bonitatis electio, per æternam prædestinationem; secundum est peccatorum remissio, per cordis contritionem; tertium justificatio, per animæ puritatem; quartum virtutis adeptio, per bonam mentis affectionem; quintum justitiæ consummatio, per boni operis exhibitionem. Ultimum, æternæ beatitudinis perceptio, per justam retributionem.

CAPITULUM IV.

Ex hac igitur distinctione jam, ni fallor et illud innotuit, quia bonum quodlibet aut est præparatorium et non præparatum, aut præpara-

tum et non præparatorium, aut præparatorium et præparatum. Præparatorium et non præparatum, est æterna prædestinatio; qua alia omnia præparat, et a nullo præparatur, quoniam ipsam nihil præcedit. Præparatum et non præparatorium est æterna beatitudo qua aliis omnibus præparatur, et ipsa nihil præparat quia post eam nihil subsequitur. Præparatum et præparatorium, est quodlibet aliorum in medio positorum, quoniam eorum quodlibet aliud et præcedit et sequitur. Et illa quidem respectu præcedentium præparata; respectu vero sequentium præparatoria jure nominantur.

CAPITULUM V.

De inspiratorio bono.

Sed de primo quidem bono quod oranti petendum est, remissione videlicet peccatorum quod et specialiter præparatorium diximus satis, ut credimus, copiose dictum est: nunc de secundo quod inspiratorium placuit appellari, quid sentiri valeat videamus. Est igitur inspiratorium bonum, cum Spiritus sanctus invento sibi aditu qui prius vitiorum sordibus obstructus erat, animæ jam purgatæ liberior influit, et ei dona gratiæ suæ paulatim inspirat. Verum hoc adeo subtiliter et occulte, ut nec ille cui res agitur nec alius præsentire queat, sicut scriptum est: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis: sed nescis unde veniat, aut quo vadat* (*Joan.* III). Et primum quidem in ipsa anima justitiam, vel creat, vel recreat: creat utique per fidem, quæ justificat impium, si illa prius non aderat; recreat vero per innocentiæ puritatem, si fides prius affuerat; sed suffocata vitiis, exsanguis jacebat et mortua. Deinde autem et alia spiritualium gratiarum charismata, utpote virtutes et opera bona: continuo, ut ita dixerim, flatu non desinit inspirare. Non enim uti ventus iste aerius ita sancti quoque Spiritus aura nunc incipit flare, nunc sponte desistit; sed ex quo semel spirare cœperit, nisi rursum vitiorum sordibus excludatur, nunquam sui flatus tenorem vel interrumpit vel terminat: Ex quo fit ut hoc quoque vocabulum, id est inspiratorium, æque ut præcedens, cuilibet horum quinque bonorum præterquam ultimo generaliter conveniat: pro eo quod nullum est gratuitum hominis bonum, quod idem Spiritus sanctus non inspirando infundat. Ultimum autem illud quod est vita æterna, hanc appellationem non recipit, quia cum ad illum ventum fuerit, anima jam in tuto posita, non tam aspirari ad promovendum, quam frui et quiescere est dicenda: quemadmodum navis cum ad portum venerit, non eget ulterius venti spiramine, cujus tamen officio ad portum ipsum delata est. Tota quippe vita hominis a prima conversione usque ad beatæ vitæ perceptionem, ut vulgari utamur exemplo, spirituale quoddam navigium est. Navigaturo siquidem primum salubris auræ flatus aspirans prosperum iter maris et aggrediendi laboris optatum finem pollicetur. Ille vero blandientis auræ temperie delinitus, navem luto diuturnæ stationis inhærentem, magno conatu et labore trudit in fluctus, clavum innovat, disponit remiges, erecto malo velorum sinus expandit. Quibus eadem aura crebrior atque salubrior incumbens: non prius navem impellere ac prosequi desistit, quam ipsam cum omnibus qui in ea sunt ad portum optatæ stationis perducat.

Mystice: temperies auræ, Spiritus sanctus est; nauta, peccator volens corrigere vias suas; navis luto infixa, mens impressa sordibus vitiorum; clavus, ratio; remiges, animi sensus; velum, spei amplitudo; cursus maris, austerioris vitæ difficultas; portus, æternæ vitæ perceptio. Hujus ego navigationis quam molesta sint initia, rerum ipsarum experimento cognovi. Quis autem finis aut fructus futurus sit, ille cujus est rerum eventus certo fine metiri. Quoties autem hoc quinquennium cum relicto sæculo meliores aggredi vias et cuperem et timerem, per totos fere alios decem annos blandientem mihi Spiritus sancti auram; et me quasi in altum vocantem aure cordis audiebam; et sic vix demum effectum est, ut navem mentis meæ de luto terrenæ stationis cui fixa semper inhæserat, multum diuque luctando, ipso quoque cooperante plurimum adjutus emoverem. Quod licet in hoc navigandi initio feliciter mihi cessisse gaudeam; non possum tamen in tanto tamque incerto præsentis vitæ salo, errores et pericula non timere: sciens quia cœpisse multorum est, pervenire quibus Deus annuerit. Timeo *hoc magnum mare et spatiosum manibus in quo reptilia quorum non est numerus* (*Psal.* CIII). Timeo fluctus et procellas, timeo piratas et prædones, timeo syrtes atque ceraunia, cyclades incertas, et fluctivagos symplegadum concursus, et, ut breviter concludam, mille causas naufragii. Atque ut ea quæ maximus ille Græcorum poeta de laboribus et periculis experientissimi Ulyssis, non tam poetice quam philosophice commentus est, ad mysterium referantur: timeo lotophagos et Sirenes, timeo lestrygones et Cyclopas, Scyllæ latratus et Charybdis ingluviem; veneficia Circes, Leucothoes et Calypsonis blanditias, iram Neptuni, et Pheacum delicias: et post omnia, viso jam Parcæ fumo, ventos ruptis follibus erumpentes, et relapsæ classis iteratos longosque circuitus. Quæ omnia quid apud nos mysticæ significationis habere valeant; nam quid apud sæculares philosophos qui ea confinxerunt ipsi viderint, licet morosum sit ac difficile: tamen propter simpliciores quibus ista legenda scribimus, quam brevissime fieri poterit explicemus. Fluctus igitur maris scandala sunt et perturbationes sæculi; procellæ ab aere venientes, respectus iræ desuper, id est divinæ ultionis indignatio. Quæ utraque spiritualiter naviganti timenda sunt ne vel eum nimis occupatum temporalium rerum fluctus absorbeat, vel divinæ ultionis animadversio merito recidivæ iniquitatis involvat, unde David: *Non me demergat tempestas aquæ* (*Psal.* LXVIII). Possunt etiam per procellas

ab aere venientes, aeriarum potestatum in dæmonum furores intelligi, qui conversos ad Deum homines et mare præsentis sæculi transnavigare sine offensa cupientes, magnis ac frequentibus tentationum procellis concutere atque terrificare non cessant, sicut ait Apostolus : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Pyratæ, qui Græce ab *igne* denominantur, pro eo quod injecto igne naves exurunt, et prædones qui spoliant, maligni spiritus sunt, qui animas hominum pravorum flamma desideriorum concremant spoliantque virtutibus. Hoc modo spoliatus est ille qui descendens a Jerusalem in Jericho incidit in latrones qui etiam despoliaverunt eum (*Luc.* X). Syrtes quæ a *syrin* quod est *trahere* dictæ sunt, eo quod arenæ fluctibus tractæ, medio mari rediguntur in cumulos, et naves ita circumvallant, ut nulla ratione valeant eluctari, occupationes sunt terrenorum negotiorum, quibus anima circumventa ne ad portum optatæ salutis pervenire valeat intercepta præpeditur. Ab his Syrtibus cavere monebat Apostolus Timotheum, cum ita loqueretur : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II), et alio in loco quibusdam loquens ait : *Volo vos sine sollicitudine esse* (*I Cor.* VII).

Ulyssis sagacissimi viri per tot labores errorumque anfractus atque pericula, longa et famosa navigatio, vitam illorum designat, qui per mare hujus sæculi plenum ærumnis, erroribus devium suspectumque naufragiis, cœlestem nituntur redire ad patriam; qui possunt dicere cum Apostolo : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Heb.* XIII). Et alibi : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV). Cui rei etiam nominis ipsius interpretatio videtur alludere. Dicitur enim Ulysses quasi *holoxenos id est omnium peregrinus.*; nam holos *totum* vel *omnes*, xenos vero *peregrinus* interpretatur : quod illis congruit quibus dicit Apostolus : *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos* (*I Petr.* II). Qui et dicere possunt : *Quandiu sumus in corpore peregrinamur a Christo* (*II Cor.* V). De qua peregrinatione dicit Psalmista : *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ* (*Psal.* CXVIII.) Ceraunia quæ quasi *cornua maris* interpretantur, sunt enim scopuli altissimi in medio mari proeminentes; et Cyclades ambiguæ rupes, videlicet quæ nunc quidem apparent, nunc aquis operiuntur, innumera sunt vitæ præsentis offendicula, vel manifesta, vel occulta; quibus eadem anima in hujus mundi pelago frequenter illiditur : occulta, veluti detractiones eorum cum quibus vivendum est ; manifesta, ut persecutiones extrinsecæ, quæ omnia mentem incaute navigantis frequenter occurso suo convellunt et lacerant. Symplegades vero, id est rupes fluctivagæ, quas ut poetæ fingunt, tellus indignata se relinqui, post primam navem jaculata est, curæ sunt, quæ relinquentes sæculum de rebus ante actis, vel post se relictis prosequuntur, quæ plerumque miseram animam et incautam elidunt et opprimunt, dum is qui sæculo non satis pure renuntiavit : et ipse plus posse cupit, et suis amplius prodesse quam prius poterat in habitu sæculari, ac pro hoc inceptæ navigationis miserandum incurrit naufragium. Scylla quæ caput habens virgineum inferius diviso corpore canibus succincta est, illos designare potest, qui bonam faciem et vultum simplicem præferentes, in detractionibus aliorum latratibus canis nos exercent. Charybdis vorago maris quæ inexpleta aviditate fluctus absorbet et revomit, illorum figuram tenet, qui crudeliter aliena rapientes, malo parta prodiga levitate refundunt, de quibus ait poeta :

Quærere ut absumant, absumpta requirere certant :
Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.

Potest etiam per Charybdim, impacatæ mentis inconstantia designari, qua tentationum fluctus nunc attrahens nunc expellens, incessanter agitatur. Lotophagi qui monstrum maris dicuntur : Lestrigones et Cyclopes homines crudelissimi qui carnibus humanis vescuntur, monstruosi dæmones sunt : qui carnalia peccata, imo ipsos homines carnaliter viventes, quasi devorando sibi incorporant. De quorum Magistro dicit Petrus Apostolus : *Sobrii estote et vigilate quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*I Petr.* V). Possunt etiam nequissimos homines designare, qui perversis consiliorum fraudibus vel manifeste vel occulte innocentibus et incautis rerum aut corporum aut etiam animarum perniciem machinantur. De qualibus dicit Psalmista : *Qui devorant plebem meam ut cibum panis* (*Psal.* LII).

Neptunus, deus princepsque maris, ut fingunt poetæ, qui præfatum virum tanto furore persequebatur, ut eum sæpius nisi fata prohibuissent, suis fluctibus obruisset, ille est quem Salvator principem hujus mundi, Apostolus vero Deum hujus sæculi vocat, qui tendentes ad patriam cœlestem, nisi virtute divinæ prædestinationis arceretur, tota mole malitiæ suæ oppressos suffocaret. Circe filia solis quæ insulam aeriam inhabitasse dicitur, veneficiis ita potens ut hospites incautos monstrificis potionibus transferret in belluas ; terrena ubertas est, quos calore et beneficio solis de terra progrediens, blanda temperie aeris excipitur et fovetur, quæ male utentes vel per superbiam in aves, vel per crudelitatem in feras : alium per desidiam et stoliditatem in asinum, alium per gulam et immundas voluptates in suem, alios in alia belluarum genera, non tam corporum quam morum mutatione transformat. In avem transtulerat illum qui dicebat : *Nonne hæc est Babylon quam ego ædificavi in gloria virtutis meæ?* (*Dan.* IV.) In feram transformaverat Herodem utrumque, et etiam impiissimum Neronem, quorum cunctis nota est crudelitas. Leucothoe et

Calypso pulcherrimæ nymphæ maris, quæ illum veneriis voluptatibus illectum, diu detinuisse referuntur, adeo ut sociis increpantibus vix posset avelli, libidinem significant, quæ etiam reclamante ratione, et sensibus animi dissuadentibus sapientem frequenter illaqueat. Cujus rei exemplo Salomon (*III Reg.* XI) esse potest, cujus sapientia tandem amore mulierum subversa est; quæ *mulieres*, ut ait Jesus filius Syrach, *etiam sapientes apostatare faciunt* (*Eccli.* XIX). Sirenes quæ *trahentes* interpretantur, poetice quidem monstra marina sunt: adeo dulce canentia ut quicunque navigantes audierint dulcedine cantus ad scopulos cautesque navifragas vel inviti rapiantur et pereant. At vero secundum rei veritatem, aiunt in locis quibusdam mare perpetuum habere cursum in modum rapidissimi fluminis, et densis cautibus indesinenter insilire, et ex eo sonum acutum atque dulcissimum procreari. Quibus locis cum tantum nautæ accesserint ut ab eis sonus ille possit audiri; non tam virtute cantus, ut fingitur, quam maris ipsius impetu proni rapiuntur in scopulos, et illisi naufragio pereunt. Hoc autem difficile compertu est, vel magis impossibile, cum nullus in locis illis deprehensus certæ mortis discrimen queat effugere. Significat autem Syrenum cantus omne id quod auditum nostrum vel otiose occupat, vel curiose trahit, vel artificiose illicit, vel luxuriose afficit, vel malitiose corrumpit. Otiose occupant ea, quæ licet non multum officiant, nihil tamen ædificant, ut gesta Herculis, Achillis, Hectoris, vel Alexandri. Curiose trahunt, quæ, quamvis in se causam mali non habeant, curam tamen quæ Deo debetur sibi usurpant, ut astronomia, quæ propter solam curiositatem prohibetur. Artificiose illiciunt, quæ ficta quidem sunt, sed ipso mentiendi artificio magis placent, ut fabulæ Nasonis et quæ hujusmodi sunt. Curiose afficiunt, quæ ipso auditu libidinem incitant, ut lyrica Sapphonis, elegiæ Nasonis, comœdiæ Menandri, Plauti vel Terentii. Malitiose corrumpunt, quæ vel fidem subvertunt ut necromancia; vel aliorum mala publicant, aut falsa confingunt, ut satyræ invectiones, licet famosi libelli recitatio. Venti ruptis follibus erumpentes quos socii pecuniam arbitrati cultro confoderant ac per eos classis a portu patriæ quem attigerat in altum repulsa: labores iterati, et reditus in tempora multa dilatatus, fraternæ discordiæ periculum innuunt, quando is qui jam perfectæ æstimationis habebatur; convicio fratris atque contumelia velut quodam cultro confixus, de folle cordis ubi plenus thesauro sapientiæ putabatur, iracundiæ ventos et turbinem furoris effundit, ac per hoc a portu securæ stationis in discrimen morum et vitæ repellitur, vix tandem post multum temporis et laboris ad illum quem deserit virtutis statum rediturus. Optime noverat hoc Apostolus, qui, cum multa periculorum genera seriatim enumerasset, post omnia subjunxit, dicens: *Periculis in falsis fratribus* (*II Cor.* XI). Hæc sunt quæ gentiles philosophi de laboribus et patientia prudentissimi viri, sub quodam fabularum integumento, non tam mentiendi libidine quam publicæ utilitatis aspectu, multis vitæ et documento morum futura sapienter confinxerunt. Atque ut unum exprimatur de pluribus exemplum: sicut ille infusa pice tam suis quam sociorum auribus surdo, ut ita dicam, remigio illecebrosos Syrenum cantus effugit; ita nos ad omnia quæ corrupto auditu nos in naufragium morum trahere possunt, aures oppilare, ac velut obsurdescere debemus, dicentes cum Psalmista: *Ego autem tanquam surdus non audiebam* (*Psal.* XXXVII). Sed quoniam hujus viri quem jam sæpe diximus navigationem prosequentes, ipsi quoque nescio quo spiritu acti, longius apposito velificando decurrimus, tempus est jam stylum ad materiam revocare. Et quia jam duas species boni: præparatorium, scilicet et inspiratorium ita ut fieri potuit tractavimus, nunc ad tertium, id est meritorium veniamus.

LIBER QUARTUS.

De meritorio bono

CAPITULUM PRIMUM.

Meritorium bonum volumus intelligi bonam mentis qualitatem, quam ei Spiritus sanctus, bonorum omnium spirator inspirat. Cum enim aura Spiritus sancti purgatæ jam a vitiis animæ, ac per hoc justificatæ placido flatu velut quidam favonius cœpit aspirare, creat mox in ea ceu vernos flores bonas quasdam mentis qualitates, quibus ipsa mens movetur: primum quidem ad actus interiores, deinde manus ad operis exterioris effectum, de quibus utrisque paulo post evidentius dissereretur. Hæc autem quatuor, id est purgatio animæ per remissionem peccati, et ejus justificatio, et bonæ voluntatis inspiratio, et actus interior, ita sibi contigua atque connexa sunt: ut potius ordine quam tempore possint discerni. Nam cum Spiritus sanctus mobilis sit, sicut ait Scriptura (*Sap.* VII), non patitur mentem quam afflaverit otiosam esse et desidem; sed eodem fere momento et purgat et justificat, et afficit bona qualitate et ad suas excitat actiones:

quemadmodum radius solis mox ut aperta fuerit fenestra simul intrat, et illustrat, et calefacit, et excitat intuentes. Actus vero exterior cum sit corporis, tardior est; nec nisi inventa temporis opportunitate, et rerum extrinsecarum adminiculo valeat exerceri. Hæc autem bona mentis qualitas non ex eo solo bonum meritorium appellatur, quia præparat nos et idoneos facit ad merendum, hoc enim habent duo præcedentia; verum ex hoc multo magis, quos movet et excitat, etiam est velut quoddam boni operis instrumentum, quod illa non habent. Dicitur hæc eadem etiam virtus, sive a *virore*, quia mentem prius aridam ad proferendum boni operis fructum viridescere facit; sive a *viribus*, quas illi ad operandum accommodat; seu a *virilitate*, quia nihil femineum vel languidum in ea patitur residere; sed suis eam stimulis in quemdam virilis acrimoniæ sexum exasperat. De virtutibus, quæ sint et quot, et quis earum effectus; qualiter ex aliis aliæ proveniant, cum tamen omnes ex radice charitatis oriantur; quorum etiam vitiorum vel contrariæ vel mediæ sint; et alia quamplurima quæ huic loco congrue possent inseri, prætermittenda putavimus, ne vel ista melius tractaturis pulcherrimi operis præriperemus materiam; vel magnis rebus de quibus omnino reticere quam parum dicere tutius est, extenuando contumeliam faceremus; vel ut nos quoque ipsi si forte postmodum melius aliquid vel experiri vel sentire contigerit, has ipsas res in materiam specialis et proprii tractatus valeamus de integro resumere. Illud autem ignorari non debet, nullam animi qualitatem vere ac proprie virtutem nominari, nisi quam bonorum omnium mater charitas procreat et informat. Fuit quidem in multis ethnicorum, utputa Diogene, Platone, quam pluribus laudabilis quidam animi status : partim a natura datus, partim philosophiæ studio comparatus : nemini nocere, omnibus velle prodesse, pravas in se cupiditates exstinguere, in aliis accusare : etiam quæcunque hujusmodi ad propositum vitæ innocentis poterant pertinere. Et hunc quidem mentis habitum Tullius tanquam infidelis veræ virtutis inscius virtutem vocat, ita diffiniens : *Virtus est habitus mentis bene compositæ*. Et revera talis habitus mentis charitate informatus virtus est : remota autem qui in illis propter fidem esset non poterat, virtutis nomine judicatur indignus. Nam, ut ait Augustinus : *Ubi deest agnitio veræ et incommutabilis veritatis : falsa virtus est in optimis moribus*. Unde congrue virtutem diffinisse videtur Augustinus idem, ita dicens : *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus solus in homine operatur*. Nunc ad quartam boni speciem libet procedere; quam nos specialiter æternæ vitæ meritum maluimus appellare. Cur autem hoc, paulo post dicendum erit; nunc interim quid illud sit videamus.

CAPITULUM II.

Est ergo meritum actus sive affectus virtutis; ut virtus sit pro instrumento; actus autem opus sit instrumenti. Cum enim virtus movere mentem cœperit, necesse est ex illo motu actum surgere; quia virtus inefficax esse non potest. Nam, ut ait beatus Gregorius : *Operatur magna si est : si autem operari renuit virtus non est*. Actus vero virtutis, aut interior et occultus est, aut exterior et manifestus. Interior est ille qui in ipsa mente interius invisibiliter et occulte agit, remoto omni corporis officio. Exterior vero qui visibiliter et manifeste exercetur exterius per corporis officium, accedente rerum forinsecarum adminiculo. Atque ut exemplum subjiciatur : interior actus justitiæ est causas et merita rerum libra æquitatis in corde pensare; exterior, in rebus extrinsecis jus suum cuique tribuere. Actus fortitudinis interior fortem animum ad omnia quæ contingere possunt præparare, actus exterior adversa quæ occurrerint fortiter superare. De aliis quoque similiter ratiocinari facile est ei qui effectus singularum potest agnoscere. Utrumque autem actum eadem virtus operatur; sed alterum per seipsam; alterum vero per corporis cooperantis obsequium. Atque ut hoc quali possumus demonstremus exemplo; quemadmodum in pueris aliquo casu multum gaudentibus; sive in his qui choreas agunt, prius quidem animus gaudio incitatur; deinde motu pedum vel manuum jactatione corpus exsultat; ita virtus prius quidem animum, deinde vero et corpus ad suas excitat actiones. In vitiis quoque simile reperies; sed in rebus contrariis. Nam sicut aliquis magno et repentino perculsus incommodo prius animo turbatur; deinde palmas collidit; caput jactat; et totum corporis habitum dolori conformat : ita mens prius vitiis inficitur; postmodum illa in opus et corporale transfundit. Quod autem quandoque post actum interiorem non statim sequitur exterior, aut in virtutibus ex consilio maturitatis est; aut in vitiis ex dubitatione confusæ mentis, aut in utrisque ex opportunitatis vel rerum extrinsecarum defectu. Illud quoque in his rebus occurrit notabile, quod omnes virtutes interiores quidem actus certos habent et singulares; exteriores etiam in pluribus similiter certi sunt; in quibusdam autem non facile certos exceptosve reperies. Si enim requisitus fueris, fides, spes, charitas, quas intrinsecus habeant actiones; haud dubie respondebis : fidei quidem actum, in Deum credere; spei, æterna bona sperare; charitatis, Deum proximumque diligere. Ita et in aliis omnibus percurrere licet; ut actus humilitatis interior sit, de se humiliter sentire; misericordiæ, animo misereri; obedientiæ, animum ad obediendum præparare; et de aliis omnibus ad hunc modum. Exteriores quoque actus omnes aliæ præter fidem, spem et charitatem, proprios et speciales habent; ut actus exterior prudentiæ sit prudenter in rebus extrinsecis agere; temperantiæ, a pravis operibus temperare; et hoc modo de reliquis. At vero fides, spes, charitas, in rebus forinsecis quos habeant actus privatos et ab aliis segregatos,

non facile demonstrabis. Nam, si dicas actum fidei, ipsam fidem, ore profiteri, et verbis astruere; simili ratione de spe quoque et charitate sentiendum erit; ut actus sit spei, sperare se dicere et spem suam verbis extollere; charitatis vero, dilectionem Dei et proximi tam in se quam in aliis commendare, atque ita de omnibus ratiocinari licebit.

Quo recepto, nimirum proveniet illud ut omnium virtutum exterior unus sit actus et sic quoque nullum illarum trium proprium ac specialem sortiatur. Imo etiam illud ex hoc sequetur inconveniens ut aliquam virtutem contrarium sibi effectum habere fateamur, et sic actus humilitatis, se humilem profiteri, et ipsam humilitatem verbis extollere: cum potius ad superbiam pertinere videatur: virtutem quamplurimum laudes tibi inesse profiteri. Cum ergo tres illæ virtutes, nec hos privatos actus habeant, nec alios valeas reperire, nec rursum tanquam imbecilles et languidæ omnino actu carere possint; jam enim virtutes non essent: superest ut eas suas internas actiones per aliarum exteriora opera manifestare fateamur. Cum enim video te divina præcepta actu ipso fideliter implere quod est obedientiæ; cum pro peccatis corpus affligere, quod timoris; cum te humilem omnibus exhibere, temporalia contemnere, quod humilitatis est; cum pauperes alere, nudos vestire, laborantibus subvenire, quæ ad misericordiam referuntur: ex his et similibus intelligo te in Deum credere; cujus mandatis diligenter obtemperas, æterna bona sperare, quorum desiderio transitoria parvipendens, etiam pro remissione peccatorum corpus affligis; Deum diligere, cujus amore primum omni studio consolaris. Simili modo de singulis percurrendo invenies, omnes virtutes tam ipsas quam ipsarum opera tribus illis tanquam primævis ac præcipuis attestando deservire. Nec moveat lectorem quod ea quæ nos virtutum actus intrinsecos vocare maluimus, plerique etiam motus vocantur: quia cum movere non aliud sit quam agere; motum quoque actum esse necesse est. Quod si passionem vel affectionem vocare malueris, ad animam quæ afficitur referri oportebit. Respectu vero virtutis quæ movet atque operatur, non nisi actus potest appellari. Omnes igitur virtutum actus tam occultos quam evidentes, ad meritum æternæ vitæ manifestum est pertinere. Quæ tamen appellatio sicut de aliis quoque præmissum est, cuilibet præcedentium satis congruit; quia nulla est gratia specialis in homine per quam non mereatur: præsertim cum Spiritus sanctus (quod et paulo ante dictum est) nunquam esse valeat otiosus. Verumtamen huic bono quod in actu positum est, familiarius eam putavimus assignandam; pro eo quod omnia merita in bono opere consummantur; et ultra nil aliud restat nisi præmium exspectare, de quo subsequenter agendum est. Libet tamen prius velut in quodam utriusque boni confinio meriti scilicet ac præmii, quamdam interponere divisionem ex utroque consistentem: quod omne bonum hominis, aut meritum tantum est, aut præmium tantum, aut meritum simul et præmium. Meritum tantum est prima gratia quæ datur immerito, ad merendum, quæ et mereri incipit, per cordis contritionem et remissionem peccatorum. Præmium tantum est æterna retributio, quæ omnibus meritis præcedentibus exhibetur; ea vero nihil ultra ipsam merebimur; quia cum ad illam ventum fuerit; jam non erit merendum ulterius; sed præmio perfruendum. Meritum simul et præmium est, quodlibet mediorum; scilicet meritum quidem sequentis boni; præmium vero præcedentis, dum a Deo accipimus gratiam in præmium pro gratia quæ prius data fuerat ad merendum.

LIBER QUINTUS.

De remuneratorio bono.

CAPITULUM PRIMUM.

Ventum est igitur ad illam supremi excellentisque boni speciem, quam ideo vitam æternam putavimus appellandam; quia hæc appellatio præcedentibus congruentius videbatur respondere. Quale autem sit hoc bonum, qualiterve diffiniendum, aut quo nomine rectissime censeatur: non solum ego scire non valeo; sed nec ullum hominem in carne mortali positum posse credo vel cogitare vel eloqui. De quo nil puto verius posse dici, quam quod omnino est indicibile. Est enim bonum hoc aliorum omnium radix et fons atque principium: sic tamen ut nullum ex omnibus ut in his quæ generativam aut sementivam habent propagationem, ejusdem principii sortiatur naturam. Est, inquam, hoc bonum omnium bonorum collectione perfectum: sic tamen ut nulla partium vel accidentium varietate consistat. Est utique bonum hoc omnibus aliis, et prius antiquitate, et diuturnitate posterius: sic tamen ut omnis ab eo temporalis quantitas removeatur. Omnium optimum est, sine forma qualitatis; omnium maximum est, sine quantitatis accessu: omnium principium est, sine relatione temporali. Semper est, sine cursu temporis: ubique est, sine dimensione locali. Omnia possidet, et habitum non novit; omnia præsens im-

plet, et situm ignorat. Omnia condidit, agendi A motum ignorans; omnia sustinet, omnis inscium passionis. Ex his omnibus patet hoc bonum de quo agimus, quod non aliud quam Deus est; nec vere esse, nec proprie dici substantiam, cum nihil de illo accidentale valeat prædicari. Quod enim tale est ut nihil ei accidentaliter valeat convenire, id nec substantia quidem congrue nominatur. Substantia quippe ex eo dicta est, quod substat, atque subditur accidenti. Multo minus autem hoc ipsum bonum accidens vocari debet, cum accidens substantia eo indignius sit, quod hoc nisi in illa esse non possit; scilicet mox ut ab ea discesserit, exstinguitur et perit: hoc vero vel eo præsente vel absente, incorrupta permanet atque consistit. Albedo quippe hominis non nisi in albo B homine esse potest; et sic omnino deficit cum idem homo albus esse desierit: homo vero albus, etiam recedente albedine, nihilominus homo perseverat et permanet. Taceo nunc illud quod verissime quidem dici posset, quod omnes tam substantiæ quam accidentia ex tempore incipiunt: et hæc quidem omnia et illarum quamplurimæ tempore finiuntur. Cum enim ventum fuerit ad illum æternitatis statum, ubi nihil temporaliter vel adesse poterit vel abesse, quod accidentis est, accidentia penitus auferentur, et substantiarum quamplurimæ; digniores vero substantiæ velut angeli et animæ et corpora nostra glorificata in perpetuum permanebunt. Ex quibus præmissis C colligi potest hoc bonum de quo quæritur, nec substantiam esse nec accidens: ac per hoc ad nullum eorum prædicamentorum quæ tractant Peripatetici pertinere. Quorum summus præceptor, idemque veri sagacissimus rimator Aristoteles omnia quæ humano sensu putavit posse comprehendi, in duas (ut ita dicam) distinxit rerum naturas, substantiæ scilicet et accidentis. Quod quidem rectissime arbitratus est vir magni pectoris et rerum naturalium diligens inquisitor, ut omne id quod humanæ subjacet cognitioni aut esse substantiam; aut in ipsa esse substantia dubitari non possit. Et substantiis quidem omnibus tanquam paucioribus sub uno prædicamento, eodemque generalissimo retentis, accidentia quorum major erat D numerus, quippe cum una substantia plurimorum sit accidentium capax: in novem prædicamenta quæ Græci cathegorias vocant, propter differentes eorum modos, sub totidem generalissimis dispersit; quorum appellationes istæ sunt: qualitas, relatio, quantitas, ubi, quando, habere, situm esse, agere et pati. Noluit ergo vir sapiens, imo nec potuit eum a quo omnia esse intelligebat, indignis rerum conditarum vocabulis coarctare, æternum temporalibus, increatum conditis, immensum parvis, incommutabilem mutabilibus connumerando sociare. Quæ enim temporalium causa proprie reperta atque instituta sunt, nunquam æternis in eadem proprietate convenient.

Quæ omnia faciunt ad ejus rei quam diximus assertionem, summum illud bonum de quo nobis sermo est, nec substantiam esse nec accidens. Et accidens quidem propter evidentem rei falsitatem neminem dicturum arbitramur, nisi forte qui insaniat. Substantia vero si quando dicitur propter loquendi necessitatem, divina quædam et cœlestis est prædicatio, et ad illa philosophorum prædicamenta non pertinens. Simili ratione de omnibus illis vocabulis sentiendum est, quibus circa Deum transumptive et precario quodammodo uti consuevimus, qualia sunt ista: natura, res, essentia, majestas, virtus, atque potentia, et quidquid poterit reperiri. Quidquid igitur de illa ineffabili summi boni natura mortalibus verbis dicere tentamus, similes sumus balbutientium, nisi quod illi elementares quidem sonos plene formare non valent, rerum autem perfectam hinc notitiam; nos vero sermones integro proferimus sono, sed quæ illis explicari debent intellectu capere non valemus. Atque ideo quem illi defectum patiuntur in syllabis, nos patimur in rebus ipsis. Nam et illud quod dicturi sumus, licet verum sit, minus forte studiosis absonum videatur; Deum scilicet nec esse nec posse, nec vivere nec regnare, manente illo sensu verborum, quo ista de hominibus prædicantur. Neque tamen hæc et his similia de ipso falso vel inaniter dicuntur, imo fideliter et pie; sed tamen pro materia minus sufficienter et digne, quoniam eorum significatio ad illam divinæ naturæ puritatem consurgere non potest. Cujus rei videtur ipse Dominus dedisse nobis indicium, cum de rubo loqueretur ad Moysen, ita dicens: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III). Videtur enim his verbis innuisse singularem quemdam et proprium essentiæ suæ modum, tanquam si diceret: Ego qui aliter sum quam vel tu vel illi ad quos mitteris; qui longe purius et dignius sum qualibet creatura; cujus essentiæ nulla potest alia comparari. Sic enim loqui consuevimus cum volumus quempiam in rebus aliquibus aliis præferendum demonstrare: *Iste est qui cantat*, *qui currit*, *qui pugnat*, id est elegantissime cantat, celerrime currit, pugnat fortissime. Cum itaque nulla vocabula quæ vel sint vel ab homine excogitari possint tantæ rei tam simplici significanter exprimendæ sufficiant; congruentius tamen vel minus improprie videntur illa Deo applicari, quæ tollunt et removent, qualia sunt hæc nomina: increatus, incommutabilis, invisibilis, et his similia; quæ etiam privativa communis usus appellat. Eorum enim quæ sua significata ponuntur in rebus creatis propter quas etiam reperta sunt, veluti: rex, pater et Dominus, et hujusmodi quamplurima eorum, inquam, nullum est; cujus officio divina plene ac proprie significari possit essentia: ea vero quæ privant, res illas quæ in Deo non sunt, perfecte tollunt et removent. Quapropter secundum vocum ipsarum officia, nunc forte usus abhorreat: competentius reor increatum

Deum et incommutabilem, et si quid tale est, quem vel regem, vel patrem, vel Dominum appellari : licet tam hæc quam illa, quoties sermone opus est, de ipso pie et fideliter prædicentur. E diverso quoniam illa quæ ponunt, venustiora sunt privativis; quoniam ista tamen removent, vel culpam, ut innocens, impollutus, et similia; vel defectum, ut incommutabilis, impassibilis; vel aptitudinem, ut invisibilis; vel inferioris naturæ statum, ut increatus; vel alia hujusmodi : illa vero semper laudare attribuunt; vel potentiæ, ut rex, princeps vel Dominus; vel pietatis, ut pater; vel operis, ut creator; vel aliarum rerum quæ ad honorem ejus videntur pertinere. Atque ita fit quoddam satis notabile, ut ea quæ de Deo dicta minus habent proprietatis, plus habeant venustatis : contraque quæ magis sunt in proprietate B prædicandi familiaria, minus sint gloriosa. Horum autem exemplum sumere potes de magno quodam principe; quem si magnum, fortem, nobilem et sapientem vocaveris, plurimum laudes, quoniam illa nomina laudem copulant; si vero invictum intrepidumque dicas, non adeo, quoniam his vocibus quædam minus honesta removentur. Si ergo ad vocum proprietates respexeris, in quibus ab hominibus propter res temporales repertæ sunt, privativa positivis præponderant proprietate prædicandi, positiva privativis laudandi dignitate. Habito autem respectu ad illam simplicissimæ rei puritatem, in qua nil varium est aut dissimile : omnia de ipsa recte dicuntur, æquipollent : nec est aliud Deo esse regem vel Dominum, quam incommutabilem et increatum : et quocunque modo tam hæc quam alia possunt inter se C promisceri, exceptis tamen relativis, quæ et ipsa licet personas et earum propria determinent : nihil tamen aliud diversumve significant. Sed de his ad præsens plura disserere, non est consilium; illud magis quod cœpimus prosequendum est, divinam scilicet essentiam nullo posse vocabulo demonstrari. Etenim rem quæ animo cogitari aut etiam fingi queat, eam vocis officio diffiniri posse concesserim; quod autem omnino est incogitabile, qualiter appellari valeat, dicat qui potest : ego me nescire confiteor. His illud videtur alludere, quod Attici apud quos philosophica quondam studia floruerunt, huic ipsi de quo loquimur Deo quem ductu rationis ex D visibilibus invisibilem omnium auctorem deprehenderant, sed quid esset intelligere non valebant, in loco qui areopagus dicebatur, aram quidem posuisse referuntur : sed eum tanquam innominabilem reticentes, præfatam aram ignoti esse Dei tituli superscriptione vocaverunt (*Act.* XVII). Quem titulum cum legisset Apostolus, quantum ab homine sciri potuit, verum et summum Deum eis interpretatus est; sed nec ipse nec alius unquam in carne mortali positus, vero illum nomine potuit exprimere, excepto illo de quo Joannes in Evangelio suo dicit : *Deum nemo vidit unquam, nisi Unigenitus qui est in sinu Patris* (*Joan.* I).

Nam si quis ita dixerit esse quoddam aquo auctore A sint omnia, sed quid illud sit nesciat, quia nec sit substantia nec accidens : cum nil aliud valeat cogitari, et huic rei quam comprehendere non valet, nomen tentaverit applicare : id quidem qualiter fiat videre non possum. Cum enim dicatur nomen a *notamine*, sive a *notione*, quia rem notet atque notificet; vel potius a Græco sibi æquipollente *onoma*, quod item a nemine sumptum est, id est a tribuendo : quod suam cuique distribuat qualitatem; superest ut illud quod neque nosci aut notificari potest, nec aliqua participat qualitate, nullo nominis officio valeat diffiniri. In omni enim nominis impositione, necesse est qualemcunque rei nominandæ præcedere conceptionem : atque ideo qui prius communem hominum speciem homines appellavit, nimirum oportuit eum formam illam universalem qua nemo carere potest, prius animo concipere: quæ tali posset designari vocabulo. Similiter qui ejusdem speciei singularia, Platonem scilicet et Socratem, vel quoslibet alios, suis quemque nominibus censuerunt, secundum perceptas animo formas id fieri necesse fuit. Scilicet et in illis rebus quæ neque sunt nec esse possunt, sed tamen finguntur, qualia sunt opinabilia logicorum, oportuit aliquam figmenti formam præcedere, ut chimera quoddam animal capite leonino, pectore flammeo, cauda serpentina; aliud vero quod partim hirci, partim cervi naturam haberet hircocervus : utrumque tam ficte quam prodigialiter vocaretur. Amplius in illis quoque, quæ nullam prorsus rem veram fictamve significant, sed per abnegationem dicuntur : vel duorum ut neuter; vel omnium, ut nullus et nihil : hoc idem reperire est, ut in his et aliis omnibus hujusmodi forma sit remotio. Ex quibus colligitur id quod satis est mirabile, facilius illud quod falsum aut nihil est, eo quod omnium verissimum atque purissimum esse creditur, ab homine cogitari. Hoc enim tale est ut melius innotescat homini participando quam cogitando, dono fruitionis quam sono vocis. Legitur in antiquis genealogiarum fabulis veteres inter alios suæ vanitatis errores, deum quemdam tam fictum quam detestabilem coluisse: quem Stygiis immersum tenebris, tanto inferis omnibus inferiorem, quanto illos superis, stulte quidem, sed digne satis arbitrabantur. Qui etiam non minori stultitia reliquorum omnium pater ab eis fingebatur; et ex hoc quod ei saxificos Gorgonis vultus quos nullus unquam viderat, qui non in lapidem concresceret, impune licebat contemplari, Demogorgon appellari consueverat. Dæmon enim, ut aiunt, ex quadam Græcorum lingua, *cernens* vel *considerans*, vel etiam *sciens* interpretatur. Huic aliud nomen esse volebant secretissimum et solis veneficis et eisdem paucissimis notum : ad cujus invocationem terra nunquam poterat a fundamentis concussa non moveri. Si ergo illud prodigium ficto nomine sine maximo terræmotu decepti homines invocari posse non putabant : tu supremum Patrem omnium verumque Deum, ipsos quo-

que angelos qui longe nobis superiores sunt, incomparabili celsitudine transcendentem, qui omnia mutabilitati subjecta incommutabilis contuetur : tam facile putas vero ac proprio compellari vocabulo. Cum igitur tantæ rei pulchritudo nulla voce, ut diximus, digne possit ac proprie demonstrari ; nos tamen eam quamplurimis appellamus, ut defectum proprietatis suppleat multitudo. Atque in hoc quoque balbutientes videmur imitari, qui dum præcedentis verbi defectum sequenti cupiunt emendare, vitio suo insistentes, balbutire non cessant. Ita et nos rem prorsus ineffabilem nec unquam ita ut est nominandam, infinitis vexamus vocabulis ; et quod nec in uno contingere potest, speramus in pluribus. Neque tamen divina bonitas hoc nimirum piæ procacitatis studium aspernatur ; sed approbat potius, et aurem libenter accommodat, exemplo bonæ matris, quæ parvulum infantem semiplenis vocibus se implorantem affectuosius audit, dulcius osculatur.

Hinc est quod eum tam multis fatigamus nominibus, quæ tamen omnia ex rebus creatis, vel causam habent, vel similitudinem trahunt, vel qualemcunque occasionem nanciscuntur. Cum enim dicitur vel Deus apo toy Græco Theos quod *videns* interpretatur, sive *timor*, ut alii putant ; vel essentia ex eo quod est esse : quam homo nisi in creaturis deprehendere non potest ; vel rex sive Dominus a potentia ; vel si quid est aliud quod ei credimus placiturum : constat profecto hæc omnia ex rebus conditis trahere rationem. Nam hoc nomen Deus quod ejus esse proprie proprium omnes fere existimant ; quoniam non sit proprium, ex hoc potes conjicere, quod non solum ad quosdam homines, qui vel per errorem vel per gratiam dii appellantur, verum etiam ad ligna et lapides : imo quod abjectius est etiam ad ipsos spurcissimos dæmones solet extendi. Absit ab illo excellentissimo omnium conditore, id eleganter habere proprium, quod ei cum immundis spiritibus sit commune Quod si quis quantumlibet studiosus sine ullo respectu substantiæ vel accidentis, novam ei aliquam formam vocis loco vocabuli conetur affigere : frustra hoc tentasse videbitur, cum præter illa duo nullam rei nominandæ formam poterit invenire, quam in omni nominis impositione præconcipi animo necesse est. Habet utique Deus noster in regno æternitatis nomen celeberrimum, et gloriosum nomen quod est super omne nomen (*Phil.* II) : non litteris compactum, sed gloria decoratum : nomen alterius idiomatis quam nostra sint nomina, quod laudabant pueri in fornace, dicentes : *Et benedictum nomen gloriæ tuæ quod est sanctum* (*Dan.* III). Hoc nomen in hac vita laudari quidem potest et benedici, sciri autem aut proferri non potest. Hoc est vere nomen Dei ineffabile de quo postmodum plura dicentur, cum de sanctificatione divini nominis tractabimus. Cum autem ventum fuerit ad regnum quod quotidie optamus dicentes : *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI), id est, cum Dominus noster Jesus Christus *tradiderit regnum Deo Patri*, sic ut ait Apostolus (I *Cor.* XV), tunc intelligetur illud nomen quod nunc est ineffabile, et undique resonabit sicut scriptum est in fine Tobiæ de cœlesti Jerusalem : *Terram tuam in sanctificatione habebunt ; nomen sanctum invocabunt in te* (*Tob.* XIII). In quo etiam nomine nos sanctificabimur et illud in nobis, sic in eadem oratione Dominica fidelis populus quotidie supplicat dicens : *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI). Quæ quidem petitio licet sit prima ordine proferendi, utilitate tamen extrema est, tanquam aliarum finis et completio. Interim autem dum hic vivitur, ubi regem nostrum vero ac proprio nomine laudare non licet, innumeris tamen ei vocabulis de nostro idiomate sumptis non cessamus fideliter adulari, trahentes ea ex illis decem omnium rerum generibus quæ vel sensu corporeo comprehendi valent, vel animo cogitari. Quæ quidem omnia cum ad illam divinæ simplicitatis essentiam transferuntur, necesse est ut a priori sensu omnino deficiant ; ut huic tantæ rei minus digno licet officio valeant deservire. Quare nihil ex omnibus his quæ prius significabant illi attribuunt, sed tanquam indigna prorsus abigunt et relegant.

Dicitur ergo Deus essentia, vel etiam substantia, sine intellectu substantiæ ; bonus ac justus, sine qualitate ; magnus sine quantitate, creator et dominus, sine relatione temporali quæ in ipso sit, sed potius in ipsis ad quas dicitur creaturis. Nihil enim Deo credendum est accidisse, cum cœpit habere servum aut creaturam ; sed potius illis feliciter accidit, cum talem cœperunt habere Creatorem et Dominum. Quid enim ? si herbis et floribus recenter natis contingat blando solis spiramine confoveri, id soli accidisse dicas, qui illis penitus non egebat ; an illis quæ absque ejus beneficio, nec nasci quidem poterant, nec nata possunt proficere ; verum nec ista nec alia similitudo reperiri potest, quæ de rebus creatis ad illam increatam et omnium creatricem congruum proponat exemplum. Res enim creatæ et ad se invicem et ad conditorem suum aliquam habent relationem ; increatus autem ad condita, æternus ad temporalia quam habeat cogitare non valeo, cum sæpe jam dictum sit eum nullius esse capacem accidentis. Vides ergo nihil quod illis quatuor primis prædicamentis subjaceat, Deo posse convenienter attribui. Quod etiam de reliquis sex ostendere non pigeret, nisi facile esset intelligenti quæ de his dicta sunt, de aliis quoque similia cogitare. Solet autem idem Deus noster etiam vita æterna nominari, nec hoc satis excellenter et proprie, quoniam, ut sæpius ostensum est, nihil verius de ipso dici valeat, quam quod ei nulla rerum temporalium seu verborum potest convenire proprietas. Et vita quidem ex eo dicitur quia non solum vita, sed amplius quam vita est, et omnibus præbet causam vivendi, et etiam vivit in se et ex se, excellenti quodam et ineffabili modo ; quoniam totus vitalis est, et, ut ait beatus Hilarius : *Vita*

vivens per totum. Ex hoc igitur vitali fonte omnibus quæ vivunt causa vivendi est, in quo etiam ea quæ vivere non videntur vivebant antequam fierent, cum omnia quæ postea facta sunt *in ipso vita erant* (*Joan.* I), sicut ait ille rimator cœlestium secretorum. Cum igitur omnia quæ aut vivunt aut non vivunt, in ipso vixerunt ab æterno, et quæ temporaliter vivunt vivendi causam sortiantur : quæ vero vel jam beata fruuntur vita vel postmodum fruitura sunt, non nisi ex ejus participatione habeant : hunc vitalem omnium fontem non incongrue vitam communis usus appellat, eo videlicet loquendi tropo, quo causæ nomen effectus solet attribui.

Æterna quoque dicitur hæc vita : nec hoc tamen sicut nil aliud satis expresse, sed quia hoc nomen ad illum interminabilem divinæ essentiæ statum, cæteris vicinius videtur accedere. Sumptum est enim hoc nomen æternus, vel ab *ætate*, ut quidam volunt; vel potius ab *ævo* quasi *æviternus*, teste Varrone qui ait : *Æviternam hominum domum tellurem*. Utrumque autem præfatorum, id est tam *ætas* quam *ævum* nomen temporis est; unde et eos qui tempore pares sunt, coævos sive coætaneos appellamus. Verum ætas etiam paucissimi temporis esse potest, ut in infantibus quos pusillæ dicimus ætatis; ævum autem vel magnum aliquod temporis spatium frequentius notat, ut ævum Nestoris sive Mathusalem; vel totam temporalis spatii complectitur quantitatem, ut cum dicitur : *Sapientia semper fuisse cum Deo; et esse ante ævum*. Cujus rationis inspectu hoc nomen ad designandam interminabilis existentiæ jugitatem quæ etiam æternitas dici solet, tam a philosophis quam a catholicis transsumptum est : a philosophis quidem, ut ait Boetius (*De cons. phil.*, l. III, metr. 9) :

Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens, das cuncta moveri.

A catholicis autem, quemadmodum ait filius Syrach, cum de cœlestibus loqueretur : *Unusquisque non angustiabit proximum suum usque in ævum* (*Ezech.* XVI). Quapropter et hoc nomen æternus quod ab illis sumptum est, et ejus denominativum æternitas, ad designandam illam stabilem permanentemque divinæ puritatis essentiam, familiarius videntur accommodari, quam vel sempiternus, vel perennis, vel perpetuus, vel eorum denominativa, perennitas, perpetuitas, sempiternitas : vel quæcunque hujus significationis alia poterunt reperiri. Siquidem ævum

A ex prima institutione, vel magnam aliquam vel totam temporis ita significat quantitatem, ut nullum omnino partium faciat intellectum, ut cum dicitur, ævum Mathusalem, vel ævum mundi, totum simul et nullam partem intelligo : et similiter in his quæ ab eo sumuntur, ut æternus et æternitas. Cum autem dicitur : *Mundus semper est*, quod est totum temporis, ita totum accipio, ut etiam partium reminiscar. Interpretor enim mundum esse et in hoc momento et in omnibus aliis : et notatur ibi jugis quidam essentiæ per singula momenta decursus, et eodem modo in his quæ inde nascuntur, ut sempiternus et sempiternitas. Perennis autem ex eo quod est annus videtur esse compositum, in quo notatur temporalis quædam distinctio, quod divinæ B simplicitati convenire non potest. Perpetuum autem id proprie dici solet, quod usque ad finem temporis perpeti atque subsistere valet : quod eo quidem qui vel nil patitur, vel nullam sentit diuturnitatem prorsus judicatur indignum. Patet itaque Deum inter omnia temporum vocabula nil tam congrue quam æternum nominari quamvis nec hæc nec alia prorsus appellatio, ad illam divinæ essentiæ dignitatem valeat aspirare. Has igitur æternitatis causas illis vitalibus conferentes, Deum vitam æternam consuevimus appellare; pro eo quod in se et ex se ineffabili modo æternaliter vivit, et nos ab ipso temporalem vitam accipimus et in ipso speramus æternam. Hoc ergo est illud summum bonum C quod vel solum vel ejus causa quidquid orando petitur petendum est : ex quo alia omnia prodeunt, et ad ipsum referuntur; quod nisi præcesserit, alia non sequuntur; nisi subsecutum fuerit, alia inutiliter præcesserunt. Constat igitur omne bonum hominis ab æterna prædestinatione quæ Deus est, sortiri causam originis : et æternæ vitæ, quam itidem Deum esse docuimus, beatitudine consummari. Vides ergo totam salutis nostræ seriem a Deo causaliter proficisci, et in modum lineæ finaliter ad ipsum recurrere; ut sit ipse bonorum omnium et fons et clausula, quemadmodum in circulo peripheria principii ac finis totiusque ambitus, ab immobili centro suscipit rationem. Quapropter verum est illud quod Græcus ille philosophus, Parmenidem loquor, D qui sub rupe Ægyptia cœlestium rerum secreta rimatus est, de divina essentia dixisse perhibetur : *Rerum orbem mobilem rotat, dum se immobilem ipsa conservat.*

LIBER SEXTUS.

De diversis speciebus mali, et de tertio contento orationis, id est, a quo quis petat; de quarto, id est cui petat; de quinto, quare petat; de sexto, qualiter petat.

CAPITULUM PRIMUM.

Sed quoniam de diversis speciebus boni quantum necessitas postulabat dissertum est, consequens arbitror de malo quoque ejus contrario, pro eo quod omnibus modis fugiendum ac deprecandum est : notificandi causa nonnulla subjicere. Bonum enim

ad hoc cognosci oportet ut appetas, malum ut fugias. Balsamum quippe ad hoc cognoscitur ut prosit; venenum, ne noceat. Malum autem jam supra diffinitum est, cum diximus malum esse mortem æternam, vel quidquid ad illam impellit et aggravat. Quod adeo verum est, ut nil aliud malum, proprie dici possit, licet usus et alia quædam hoc censeat vocabulo, ut pœnas corporis vel labores, adversa fortunæ, quæ etiam si mala patientibus videantur, mala tamen non sunt, sed frequenter animæ bona atque salubria. Primum igitur malum hominis et quod nisi præcesserit, alia vel non sequentur vel minime nocent; illa est miseria quæ impendet animæ etiam antequam sit, ex eo quod ab æterno divino judicio reprobata est et futura est una de reprobis : qua nulla major esse potest calamitas. Hoc autem malum ad orationem de qua agimus non pertinet : et ideo nec orandum est nec deprecandum; quoniam orationis intentio in futurum extenditur, hujus autem mali effectus ab æterno certissime prævisus atque præfixus est. Est itaque primum hoc malum primo illi bono contrarium quod nos supra primum præparatorium sive præordinatorium nominavimus : quare et istud a simili per contrarium, præjudicatorium vel prædamnatorium nihil prohibet appellari. Utrumque autem ab his bonis vel malis quæ orationi subjecta sunt semotum est; quoniam ut et modo diximus, oratio in posterum tendit : hæc autem ab æterno certa atque consumpta sunt, alterum in præparatione gratiæ, alterum in præcognitione miseriæ. Quapropter de his singulariter aliqua dicturi, paulo si placet altiori utamur exordio.

CAPITULUM II.

Consideranti igitur mihi plurima quæ de Deo humanæ devotionis usus prædicare solet, nescio an recte occurrerit, nil tam generale de ipso dici et ad omnia se habens : quemadmodum cum dicitur sciens, vel sapiens, vel intelligens, vel cognoscens, vel si quid aliud est quod idem significandi sortiatur officium. Hæc enim omnia de Deo non solum unam simplicis invariabilis naturæ demonstrat essentiam; quippe quæ secundum substantiam de ipso accipiuntur, sed et quamdam inter eum et hæc temporalia notant relationem. Quæ quidem relatio in Deo non est, cui nihil potest accidere; accidens enim est omnis temporalis relatio, sed potius in rebus ipsis ex eo quod divinæ scientiæ sive cognitioni subjectæ sunt. Cum ergo dicitur, Deus scire vel sciens, ut unum pro omnibus sumatur exemplum, principaliter quidem hoc vocabulo divina significatur essentia; secundario autem quædam temporalis ad ipsum notatur relatio, ut talis sit sensus ac si dicatur : Deus est, et ejus scientiæ temporalia cuncta subjecta sunt. Cum enim nihil aliud sit Deo scire quam esse, nec aliud esse quam Deum esse; sic Deo temporalia quæque subjiciuntur, ita et ejus scientiæ, subjecta esse necesse est. Et hæc quidem ejus scientia propter invariabilem

A sui simplicitatem uno tantum vocabulo contenta esse posset ut tantum scientia diceretur : sed propter diversos rerum subjectarum status, qui secundum tempora variantur, diversa solet nomina mutari. Cum enim sunt tria tempora quibus res temporariæ discurrunt : præsens, scilicet, præteritum et futurum; Deus qui et tempora condidit, et omnium notitiam habet, nec præteritorum immemor esse potest, nec ignarus præsentium, nec improvidus futurorum; sed præterita quidem memoriter tenet, præsentia cernit, futura prænoscit. Omnia tamen hæc non sicut homo secundum rerum ipsarum naturam, seu temporum varietatem, dijudicat, sed tanquam Deus uno ac simplici modo æternæ cognitionis intuetur. Cum ergo ante rerum conditionem
B omnia adhuc futura essent, pro eo quod ipse omnia præsciverat, æterna ejus scientia gratia futurorum etiam præscientia poterat appellari. Rebus autem conditis, jam amplius ad illas præscientia dici non potuit; scientia vero, ne esset sicut prius, nequaquam valuit accidere. Sed et in his quæ quotidie nova incipiunt esse vel accidunt, hoc idem reperies, ut antequam vel sint vel accidant, sub Dei præscientia teneantur; cum autem esse cœperint vel acciderint, sub præscientia quidem esse desinant, scientiæ vero subjecta immobiliter perseverent. Hujus itaque æternæ scientiæ quæ non aliud quam Deus est, duo, ut ita dixerim, circa homines sunt effectus : prædestinatio, scilicet ac reprobatio;
C quorum alterum in beatitudine electorum, alterum in condemnatione reproborum attenditur. Est autem prædestinatio æternæ beatitudinis præparatio; reprobatio vero est justæ damnationis certa præcognitio. Utrumque autem quoniam ab æterno certum atque præfixum est, ad orationem quæ in futurum extenditur non potest pertinere. Nemo enim, quod supra quoque diximus, id orat, ut eum Deus prædestinet, aut prædestinaverit, sicut nec aliquis ut Deus eum vel reprobet vel reprobaverit deprecatur. Ex illo igitur fonte divinæ prædestinationis quæ bonorum omnium principium et causa est, nascuntur illa bona de quibus paulo ante tractavimus, quorum adminiculo ad obtinendam beatitudinem quam illa præparat adjuvamur. Fit autem hoc exemplo
D indulgentissimi Patris, quod dilecto Filio cui regni præparat hæreditatem, etiam alia præbet adminicula, quibus illam digne valeat adipisci. Ex divina autem reprobatione causaliter mala non prodeunt, ne Deus malorum quoque auctor inveniatur; sed secundum illam quæ falli non potest, ab homine sunt vel fiunt; ne is quem Deus juste damnandum prævidit, sine merito suo puniatur. Ex quibus certissime patet, quod Deus bona quidem facit et approbat, et coronat; mala vero nec facit nec approbat; sed tolerat, et improbat, et punit. Quod bona diligat Deus testatur Psalmista, dicens : *Justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus* (*Psal.* x). Quod mala oderit, idem Psalmista : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem* (*Psal.* v). Quod illa remuneret, et

ista puniat, docet Apostolus hoc modo : *His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem, tribulatio autem et angustia in omnem animam facientem malum.* Et de bonis quidem paulo ante dictum est : *Nunc de malis breviter disseramus, ut appareat quid sit in oratione deprecandum.*

CAPITULUM III.

De malo.

Malum autem jam ante diffinivimus mortem æternam, vel quidquid ad illam impellit et aggravat. Omne igitur malum hominis quod orando deprecari convenit, aut est mors æterna, aut mortis æternæ meritum, aut meritorium, aut est malum privatorium, aut obduratorium. Malum quod est mors æterna, nil aliud est quam æternæ vitæ, quæ Deus est, privatio : sicut nec mors corporis nil aliud est quam vitæ corporalis amissio. Malum quod est meritum mortis æternæ, malus actus est; sive interior, ut mentis, qualis est actus odiendi vel invidendi; sive corporis, qualis est actus furandi vel occidendi. Malum meritorium mortis æternæ, vitium mentis est, id est mala qualitas animæ, qua homo ad malos actus impellitur : et est velut quoddam malæ actionis instrumentum. Malum privatorium non aliud est quam privatio justitiæ, quando per infusionem gratiæ spiritualis purgari ac justificari non meretur. Malum vero quod obduratorium dicitur, obduratio cordis est, quando peccator, divina deserente gratia, ita obduratur in malo, ut nulla cordis contritione compunctus remissionem peccatorum non accipiat. De his ergo malis breviter agendum est : non eo quidem ordine quo sunt enumerata, sed quo solent hominibus evenire, quemadmodum et de bonis paulo ante tractavimus. Sed ut ad hoc competentius accedamus, de alio quodam malo quod his omnibus et prius est ordine et miserabilius, aliquid est præmittendum.

CAPITULUM IV.

Primum igitur malum hominis, et quo præcedente hæc omnia subsequuntur, illa est miseria quæ impendet ei ex eo quod æterno Dei judicio damnatus ac reprobatus est : sic tamen ut illa Dei reprobatio futuris ejus malis nec causam præbeat, nec ingerat necessitatem. Quæ quidem divina reprobatio in Deo considerata sancta et simplex est : nec aliud quam æterna præscientia judicis futura certissime prævidentis. Si autem in homine consideratur illa reprobatio, suprema miseria est, et omni remedio carens, tanti videlicet principis arbitrio etiam antequam esse incipias displicere. Quid enim miserius esse potest quam nondum esse natum, et jam esse damnatum. Damnatum autem dicimus non divina scientia jam puniente immeritum; sed Dei præscientia prævidente mortaliter peccaturum, et suo merito puniendum. Hanc igitur damnati hominis miseriam quia malis omnibus licet causam non præbeat, certum tamen ordinem præfigit, malum præjudicatorium sive prædamnatorium placuit appellari. Est autem opposita fronte contrarium primo illi summoque bono prædestinationis, nisi quod illud bonis omnibus et causam præbet et ordinem præscribit : hoc vero sequentibus malis præscribit quidem ordinem sed causam non irrogat. Causam autem dico illam ex qua fit aliquid, non illam tantum sine qua esse non possit. Sunt enim duo genera causarum : unum ex quo est aliquid, et sine illo esse non potest; alterum ex quo quidem non est, sed sine illo esse non potest. Itaque vitæ hujus corporalis Deus utroque modo causa est, quia ex ipso vivimus, et sine ipso non vivimus : mortis autem nostra mortalitas, non quia ex ipsa est, sed quia sine ipsa esse non potest. Sic ergo prædestinatio quidem bonorum omnium utroque modo causa est; reprobatio autem altero tantum malorum omnium causa potest appellari. Verum hoc malum quantum, ut diximus, ab æterno certum atque præfixum est : ad orationem cujus effectus de futuro pendet non potest pertinere. De his autem malis quæ orando deprecari oportet breviter prosequimur. Horum ergo primum est illud quod a nobis obduratorium dictum est, quod quale sit libet intueri. Cum igitur homo, remota Dei gratia, salvari non possit, præscius omnium Deus, ei quem ab æterno justissime reprobavit, salvatricem adhibere gratiam arbitratur dignum; quæ utique accepta converti posset et conteri, ac per hoc remissionem peccatorum accipere. Hac igitur Dei gratia destitutus peccator ac sibi relictus in quamdam insensibilem induratur malitiam : velut glacies quæ radio solis tacta mollescere posset ac resolvi, eodem sublato velut in lapidis concrescere naturam : est itaque malum hoc contrarium illi bono quod præparatorium dicebamus, quoniam illud viam præparat ad salutem : hoc obstruit et præcludit. Præparaverat illud vias salutis Jacob, quem Dominus ab æterno dilexit. Præcluserat autem istud Esau, quem idem Dominus se odisse profitetur. Ex hoc item malo quod obduratorium dicitur, non tam tempore quam ordine sequitur privatorium, id est privatio justitiæ, quæ injustitia dici potest : quoniam justitia nisi ex remissione peccatorum non potest provenire. Sicut enim purgatis sordibus domus munda est, manentibus immunda, nec tamen illa sordium remotio vel præsentia munditia vel immunditia domus est, sed ei causam accommodat : sic remissis peccatis statim adest justitia, retentis autem, injustitia præsto est; nec tamen remissio sive retentio peccatorum hæc vel illa est, sed tantum præbet occasionem. Est itaque malum hoc inspiratorio bono contrarium, quoniam illo puritas animæ comparatur ex discessu vitiorum : hoc autem ex eorum præsentia coaccedit impuritas. Rursumque ex hoc privatorio nascitur malum mortis æternæ meritorium, id est prava qualitas vitiosæ mentis qua homo incitatur ad mortem æternam majoribus flagitiis promerendam. Exemplo tibi sit terra arida et inculta; quæ, si compluta et culta esset, posset utique salubres fructus et utiles procreare : nunc autem spi-

nas et tribulos, aut etiam herbas mortiferas, cicutas, helleboros et toxica pestifero fetu producit. Est igitur malum hoc meritorio bono contrarium, quoniam illud vitæ promerendæ, hoc autem perpetuæ mortis instrumentum est. Amplius autem ex hoc malo, id est ex hac animæ prava qualitate prodit aliud malum, quod non jam meritorium, sed potius meritum mortis est : malus videlicet actus; sive interior, ut mentis tantum, qui et motus dicitur; sive exterior, ut etiam corporis quem specialiter actum nominamus. Nam, sicut ægritudo corporis, quandoque hominem interius tantum vexat, extrinsecus non apparet : ut in calore nimio vel frigore, cæterisve passionibus occultis : quandoque vero et urget intus et exterius affligit, ut puta per tremores et saltus et membrorum jactationes : sic B illa prava qualitas quam vitium dicimus, quæ utique languor et morbus animæ est, nunc solam mentem movet ad malos actus, velut ad iram vel odium, sive invidiam, aliasve pravas affectiones; nunc vero et mentem movet et corpus incitat ad pessimas actiones : velut ad furta vel rapinas, fornicationes vel homicidia, vel quæcunque hujusmodi poteris reperire. Ex quo patet malum hoc oppositum esse illi bono quod æternæ vitæ meritum vocavimus : pro eo quod illud ex bona mentis qualitate proficiscitur, hoc autem ex pessima : illi vita æterna, huic vero perpetua mors in præmium reservatur. Sed et illud advertendum est quod supra de bonis quoque diximus, quod istæ successiones horum C quatuor malorum unius ex altero prodeuntium, ita fere simul et indistanter fiunt, ut non tam tempore quam ordine possint adverti : excepta corporis actione, quæ plerumque vel propter mentis adhuc incertæ dubitationem, vel propter facultatis sive adminiculi defectum; vel alia qualibet ex causa retardatur

CAPITULUM V.

De morte æterna.

Post hæc omnia sequitur illud malum quod omnium pessimum est, cujus etiam causa cætera mala sunt; videlicet mors æterna, malorum omnium finis et cumulus; et velut quoddam pelagus, quo cætera omnia certo tramite decurrant. Hoc malum quam terribile sit et timendum ex eo colligere po- D tes quod omnibus aliis in pœna præponitur; sicut et mortem corporis supremum supplicium interpretamur, pro eo quod nil gravius a judice quantislibet hominum flagitiis potest intendi. Est igitur mors æterna carere illo quem nos æternam esse vitam supra monstravimus : Deo scilicet qui solus vita est animæ, sine quo feliciter vivere nequit, sicut mors temporalis est privatio animæ; sine cujus præsentia corpus ipsum nec etiam ad momentum vivere potest. Opponitur ergo malum hoc illi bono quod vitam æternam vocavimus non solum quia illud Deo frui est, hoc carere; verum etiam, quia illud justitiæ præmium est, hoc iniquitatis; illud prædestinatis convenit, hoc manet reprobatis A illud summa felicitas est, hoc extrema miseria. In his autem quinque malorum generibus illud advertere potes quod semper præcedens causa subsequentis est; subsequens vero pœna præcedentis. Ac per hoc primum illud quod obduratorium dicitur causa tantum est, non autem et pœna; tria autem media tam causæ quam pœnæ sunt : ultimum autem quod et punitorium dici potest, id est mors æterna, pœna tantum est omnium præcedentium, non autem et causa; et pœna quidem cui nulla similis reperiri valet, cujus intuitu quælibet alia, quantumlibet gravis, remedium potest æstimari. Et hæc quidem pœna quandiu nondum sentitur, cogitari quidem potest et timeri; cognosci autem nullatenus potest, nisi tunc demum cum jam ulterius non valet præcaveri.

CAPITULUM VI.

De mediis.

Sed de bonis quidem ac malis pro captu nostræ tenuitatis hæc dicta sint, nunc de mediis videamus. Media autem vocamus illa, quæ in se quidem nec bona nec mala sunt; sed pro modo utendi bene vel male utentibus, bona sive mala efficiuntur. Horum autem quædam in anima sunt, quædam in corpore; quædam extra utriusque naturam, quæ etiam extrinseca nominantur. In anima sunt quædam dotes, non gratia datæ; sic enim virtutes essent : ac per hoc de genere bonorum de quibus disputatum est; sed vel ipsi naturaliter ingenitæ, vel studio comparatæ : utpote scientia artium, providentia rerum, notitia multorum, memoria gestorum; et eorum contraria, velut inertia, imprudentia, oblivio, hebetudo, et his similia. In corpore autem sunt sanitas vel ægritudo : agilitas vel ignavia, fortitudo vel imbecillitas, pulchritudo sive deformitas, et quæ hujusmodi sunt, et eorum contraria. Extrinseca sunt ea quæ ad fortunam referuntur, ut divitiæ vel paupertas, nobilitas vel ignobilitas, libertas vel servitus, claritudo vel obscuritas, et quæcunque hujusmodi sunt, et eis opposita. Quæ quidem in læta et tristia dividuntur, et sibi invicem opposita sunt, nulli simul omnia abesse, vel adesse possunt; sed aliis quidem præsentibus, alia deesse necesse est. De quibus omnibus nil aliud orandum puto, nisi ut eorum vel usum vel absentiam det nobis Deus in salutem nostram convertere, id est pro lætis, si adsunt, ipsi grates agere, et ea tamen animo parvipendere; si vero desunt, nullatenus vel leviter affectare. Tristia vero vel si adsunt fortiter sustinere, et ea nostris reatibus imputare; vel si desunt minime formidare. Parum enim referre credo quoad rei utilitatem : doctus an indoctus, incolumis an æger, dives an pauper, liber an servus, ad vitam æternam pervenias, nisi quod hi qui hic lætis humiliter usi fuerint, ibi cumulata felicitate lætantur; qui vero patienter adversa toleraverint miseram sortem feliciter mutasse gloriantur.

CAPITULUM VII.

De tertio contento orationis, id est a quo petat.

Sed quoniam quid orando petendum sit, quod secundo loco continebatur, satis, ut arbitror, studiose quæsitum est: nunc de tertio contento, id est a quo quis petere debeat, breviter subjungamus. Hoc enim capitulum in ipsa orationis diffinitione jam ex parte discussum est, cum diximus, orationem esse divinæ implorationem pietatis: quod ibidem ita exposuimus, quoniam non nisi ad solum Deum intendi debet oratio. Hoc autem, id est a quo petat sicut et duo præcedentia in omni oratione considerari necesse est, eatenus, ut eo remoto ne oratio quidem valeat appellari. Quisquis enim sit ille qui petit, et quidquid illud quod petitur, si non est a quo id sperari valeat, aut etiam impetrari, non solum inefficax est oratio, sed nec oratio quidem congrue nominatur. Quare ad certam personam orationem semper dirigi oportet, et eam talem, quæ possit largiri quod petitur. Petere enim ab eo qui dare non potest, vel occulti erroris est, vel evidentis stultitiæ. Si enim ignoranter hoc facias, falleris in occulto; si vero ex industria, manifeste deliras. Cum igitur orando nil petendum sit nisi vita æterna quæ Deus est, vel ad ipsam pertinentia, profecto ad Deum omnis oratio dirigenda est, quoniam eum nullus homini dare potest, nisi ipse se ipsum. Nam ipse se ipsum libenter dat quærentibus et sponte offert, sicut illis quibus dicebat Apostolus: *Tanquam filiis charissimis offert se nobis Deus* (*Hebr.* XII). Sed neque illa bona quæ ad vitam cooperantur et adjuvant, quisquam præter ipsum largiri potest; quoniam dona sunt spiritualium gratiarum, quæ a nullo hominum vel etiam angelorum in alium possunt conferri. Sunt utique charismata Spiritus sancti, quæ solus ipse cui voluerit et quantum voluerit impartitur, *dividens singulis prout vult*, sicut ait Apostolus (*I Cor.* XII). Nec hoc tamen sine Patre et Filio: quippe qui non solum illa cum ipso, sed etiam ipsum cum illis hominibus largiuntur. Unde et idem Spiritus sanctus tam Patris quam Filii donum rectissime appellatur. Vis scire an Spiritum sanctum det Pater? ait Salvator in Evangelio: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* (*Luc.* XI.) Et alio in loco: *Paracletus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo ille docebit vos omnem veritatem* (*Joan.* XIV). Vis scire an idem Pater dona Spiritus sancti largiatur? vide quid dicat Scriptura: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Quod autem et Filius Spiritum sanctum dare possit, expressum est in Evangelio, quoniam insufflans discipulis, ait: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (*Joan.* XX). Qui etiam postmodum de cœlo eumdem Spiritum sanctum misit eis, sicut ante promiserat, dicens: *Cum assumptus fuero a vobis, mittam vobis Spiri-* A *tum veritatis, et ille testimonium perhibebit de me* (*Joan.* XV). Quod autem dona Spiritus sanctus det idem et Filius, testatur Psalmista, dicens: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Psal.* LXVII), et Joannes in Evangelio: *De plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan.* I). Spiritus etiam sanctus se ipsum dat, quando se misericorditer mentibus nostris infundit. Dat etiam dona sua *dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Quapropter idem Spiritus sanctus dator et datum rectissime appellatur. Dator, quia se ipsum et dona sua dat cum Patre et Filio: datum vero, quia datur a Patre et Filio et etiam a se ipso. Vides ergo quia summum illud et unicum bonum æternæ vitæ, vel ad illud pertinentia, solus Deus præstare potest; et B idcirco ab ipso solo petenda sunt. Mediarum vero rerum quædam homo homini conferre potest, quæ bene utentibus prodesse possunt ad vitam; veluti terrenæ substantia facultatis, quæ si ad bonos usus conferatur ad vitæ meritum plurimum potest suffragari. Id autem quod ibi optimum est et magis laudabile, id est bonum utendi modum, nemo præter Deum præstare potest; quoniam spirituale donum est, et inter gratiarum charismata numeratur. Ex his ergo quæ dicta sunt evidenter colligitur, omnes orationum nostrarum petitiones ad solum Deum esse dirigendas, quemadmodum dicit Apostolus: *In omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud* C *Deum* (*Philip.* IV). Vita enim æterna ab illo solo sperari potest et impetrari, qui naturaliter æternus est: non ab his qui eam vel non habent vel gratiam acceperunt, sed dare non possunt: quales sunt sancti angeli, vel beatæ animæ jam receptæ ad gloriam. Stultissimum autem est eam ab his rebus petere, quæ etiam temporali vita indignæ sunt, ut idola; impiissimum vero ab immundis dæmonibus qui non solum ejusdem vitæ beatitudine merito suo privati sunt, sed morti perpetuæ deputati.

CAPITULUM VIII.

De quarto contento orationis, id est cui petat.

Quarto loco sequitur illud capitulum de contentis orationis, videlicet cui petat; id est quis qualisve sit ille cujus causa intenditur oratio, sive sit ille D idem qui orat, sive non sit ipse sed alius. Orat enim homo nunc pro se tantum, nunc vero pro alio, non tam pro se quam pro alio, et in quolibet casu advertenda est conditio illius cui optatur orationis effectus. Plurimum enim interest quoad rei utilitatem, utrumne habeat rei petitæ commercium; id est ad illam obtinendam sit vel non sit idoneus. Hoc enim modo apud legistas dicitur quis ejus rei habere commercium quam jure civili adipisci atque obtinere idoneus est, quemadmodum ingenuus homo cujuslibet dignitatis aut magistratus commercium habet: pro eo quod quemlibet magistratum seu dignitatem idoneus est adipisci. Si ergo vita æterna pro qua tantum ad eam pertinentibus orandum est, si vita, inquam,

æterna illi postulatur quem Deus ab æterno reprobavit, nil quidem agitur quoad illum, quoniam ipse ad eam non est idoneus nec ejus potest habere commercium. Si vero illi petitur qui ad eam prædestinatus est, non frustratur suo effectu oratio quoniam ipse ad eam est idoneus, et ejus commercium æterna Dei prædestinatione sortitus est. Ex quo fit quoddam satis notabile, ut sæpe qui dignus est vita, utpote plenus virtutibus et meritis, et qui si talis decederet procul dubio transferretur ad gloriam, ad illam tamen non sit idoneus, quoniam reprobus est et ad nequitiam relapsurus : et idcirco rei ipsius non potest habere commercium. Econtrario quoque aliquis eadem vita prorsus indignus, ut puta omnibus contaminatus flagitiis, et qui, si talis moreretur, ad pœnam utique raperetur æternam, ad vitam tamen idoneus est : quoniam unus est de numero electorum et ad justitiam rediturus : et ob hoc rei ipsius non potest privari commercio. Saulus ante conversionem cum adhuc blasphemus esset et Ecclesiam Dei persequeretur, dignus quidem non erat; et tamen idoneus erat, quia Deus eum ad vitam ab æterno prædestinaverat. Judas autem si quando justus fuit, dignus utique fuit, sed idoneus non fuit, quoniam Deus eum ab æterno reprobavit. Potest igitur ex his quatuor differentiis, binis invicem copulatis, fieri quadrimembris divisio in hunc modum : hominum alius quidem dignus est vita æterna et ad illam idoneus, veluti justus et electus; alius dignus quidem, sed non idoneus veluti justus et reprobus. Alius indignus et tamen idoneus, ut injustus et electus; alius nec dignus nec idoneus, ut injustus et reprobus. Primum exemplum habemus in Joanne Baptista, secundum in Juda : tertium in Matthæo, quartum in Herode vel Pilato. Nec miretur aliquis inter dignum et idoneum nos hanc assignasse distantiam quoniam idoneus dicitur quis secundum æternam Dei præscientiam; dignus vero secundum præsentem meritorum exigentiam. Quod enim aliquis in præsenti plenus omnibus bonis, licet malus postmodum futurus sit, dignus vita censetur, æquitatis est et justitiæ. Quod autem alius plenus omnibus malis, qui tamen postmodum bonus futurus est, ad illam idoneus æstimatur, prædestinationis et gratiæ. Ex quo patet, quoniam hæc duo nec paria sunt, ut semper ea simul vel adesse vel abesse oporteat : nec omnino contraria ut altero præsente alterum removeri necesse sit : sed habent se circa hominem tanquam excedentia et excessa, et nunc quidem pariter adsunt, nunc pariter se absentant; nunc vero præsente utrolibet alterum removetur; satis reor esse perspicuum : summum illud bonum quod vita æterna et dicitur et est, nulli posse orando impetrari, nisi tantum ei qui ad illam fuerit idoneus. Spiritualia autem bona, utpote virtutes et earum opera, et bonum usum mediorum rerum qui et ipse spirituale donum est, tam electi quam reprobi adipisci possunt, sed electi finaliter et fructuose; reprobi vero perfunctorie, et ideo sine fructu.

CAPITULUM IX.

De quinto contento orationis.

Quintum orationis contentum est quare quis petat : bona videlicet an mala intentione. Quidquid enim sit illud quod petitur, nisi bona intentione petatur, non solum non prodest, sed etiam officit postulanti. Nam si quis ideo vitam petit, ut possit malorum cruciatibus insultare, gratiam Spiritus sancti, pro faciendis tantum miraculis; scientiam, pro laude temporali; sanitatem corporis, pro implendis voluptatibus : divitias, propter luxum : hæc quidem petitio non jam oratio, sed inepta quædam et improba superstitio dicenda est. Amplius autem si evidens malum, malam ob causam postulatur, ut furti vel homicidii sive fornicationis effectus : hoc tantum longe ab oratione est, ut ejus contrarium, id est exsecratio verius æstimetur. Cum enim non bona sit oratio qua malum bona intentione postulatur, rursumque deterior quæ bonum mala intentione : necessario sequitur, ut illa petitio qua malum malam ob causam petitur, non solum mala sit, sed nec oratio debeat appellari. Eatenus autem in omni petitione causam attendi necesse est, ut minus credamus Deo displicere, si malum bona mente postulaveris : quam si mala intentione bonum postuletur. Unde Elias exauditus est in exustione quinquaginta militum, quod quidem grande malum esset, si non bono animo peteretur (*IV Reg.* I); et Simon Magus repulsus est a perceptione gratiæ spiritualis (*Act.* XIII); quod utique grande bonum esset si ille bona intentione postularet. Sed et Paulus et filii Zebedæi, quoniam alter ab angelo Satanæ liberari, alter consessum regni temporalis non recte postulabant, ideo et ille repulsus est, dicente sibi Domino : *Sufficit tibi gratia mea* (*II Cor.* XII); et illi correcti sunt quando dictum est eis ab eodem : *Nescitis quid petatis* (*Matth.* XX). Vides ergo quod in omni recta et ordinata oratione, non solum quidquid postules : sed etiam quare, id est qua intentione, postules, convenit observari.

CAPITULUM X.

De sexto contento orationis

Sextum et ultimum de contentis orationis est : qualiter quis petat, digne videlicet an indigne. Nec agitur nunc de illa dignitate sive indignitate meritorum, qua quis in seipso dignus est exaudiri vel indignus; quod justitia sive iniquitas appellatur : sed de quadam congruentia seu incongruitate rerum accidentium, quas tam justo quam peccatori vel adesse vel abesse necesse est : ut puta de pietate, humilitate, devotione, et affectu orantis : et his similibus, vel eorum contrariis. Plurimum enim interest apud eum cui præsentari debet oratio, humiliter ac devote, lacrymis et planctu et magna cordis contritione publicanum imiteris, an superbe et arroganter, quibusdam, ut poetice loquar, verborum ampullis, et fastu oculorum, et vana corporis ostentatione, pharisæi exprimas levi-

tatem. Unde et de altero Salvator utriusque conscius : *Descendit*, inquit, *hic justificatus in domum suam* (*Luc.* XVIII); de altero autem et aliis ei similibus : *Qui amant in plateis stantes orare ut videantur ab hominibus, receperunt*, inquit, *mercedem suam* (*Matth.* VI). Sed de his, quoniam circa personam orantis A considerari solent, postmodum diligentius agendum erit, cum illud capitulum tractabitur, videlicet quid oranti conveniat. Neque tamen hoc loco penitus erant reticenda, pro eo quod in istis dignitas sive indignitas orandi perpenditur.

LIBER SEPTIMUS.

De obtinentia et effectu orationis. — Recapitulatio sex contentorum in oratione.

CAPITULUM PRIMUM.

Nunc quoniam quid oratio contineat, quanta potuimus diligentia quæsitum est, in quibus obtineat, id est effectum sortiatur, libet intueri. Verum hujus quæstionis non solum difficilis, sed ut verius loquar, impossibilis est explanatio, pro eo quod humanæ facultatis quas Deus orationes aut suscipiat aut repellat, vel comprehendere sensu, vel eloquio diffinire. Nam sicut ait Apostolus : *Incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI). Invocato tamen eo ad quem omnis oratio dirigenda est, ex his quæ jam præmissa sunt, et quæ adhuc in mentem veniunt, tentemus de ipso effectu orationis qualemcunque colligere rationem : in qua si quid recte dixerimus, divinæ sit gratiæ; si quid absurde vel improbe, vel nostræ infirmitati, vel rerum ipsarum difficultati imputetur.

CAPITULUM II.

De effectu orationis.

Ac primum illud reminisci oportet quod et supra docuimus : extra sinum Ecclesiæ non esse locum orationi, quia non nisi pro vita æterna, vel ad illam pertinentibus orandum est, quæ extra unitatem Ecclesiæ sperari non potest. *Hæc est enim*, ait Salvator, *vita æterna, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Legimus infideles aliquos pro suis necessitatibus Deo supplicasse : ut Achab qui propter mortem Naboth jejunavit, et operuit cilicio carnem suam; sed hæc talis supplicatio quia finalem causam quam debuit non habebat, nec oratio poterat æstimari. Regularis, ut supra quoque dictum est, esse debet oratio, ut fiat in spiritu et veritate, quod extra Ecclesiam nequaquam potest contingere. Exclusis ergo cunctis infidelibus, id est gentilibus et Judæis, imo etiam hæreticis qui se ab unitate fidei per diversas hæresum pestes abruperunt, solis fidelibus et eisdem bonis ac malis orare concessum est, malus enim orare debet ut bonus fiat, bonus ut melior. Sicut enim in domo magni cujusdam patrisfamilias servus qui se pro culpa sua scit domino displicere, precibus veniam implorat : qui autem se placere præsumit, majorem adhuc gratiam satagit promereri : sic in Ecclesia Dei peccator orando niti B debet ad veniam, justus ad ampliorem gratiam, ut utrique si non pares in merito, consortes tamen habeantur in regno. Sed jam tempus est propositam aggredi quæstionem, de qua certius aliquid diffinire, non aliud fere est quam prunas sub cinere latentes nudis calcare vestigiis.

CAPITULUM III.

Cum ergo sex sint contenta orationis de quibus ordine tractavimus, ex eorum omnium concursu conjiciendum est, quæ a Deo vel exaudiri vel repelli credatur oratio. Considerari enim oportet quis petat, et a quo petat, et quid petat, et cui, et quare, et qualiter, et ex his quantum fieri potest hujus rei trahi conjecturam. Primo quis petat : C quoniam si fidelis non est qui petit, quocunque modo se habeant quæ sequuntur, nec orare dicitur, nec exaudiri putandus est, quoniam Deus præter fidem, nec orari potest, nec orantem exaudire. Unde et quadringenti quinquaginta sacerdotes Baal pro igne cœlesti ad devorandum holocaustum exauditi non sunt, solus autem Elias in fide sua meruit exaudiri (*III Reg.* XVIII). Secundo quid petat : quoniam si aliud quam bonum, nec orare nec exaudiri dignus est, quia oratio non est nisi de bonis, et licet adeptus sit malum quod postulabat, non tamen creditur exauditus, sed potius condemnatus, quia malo suo quod petebat obtinuit : quemadmodum filii Israel carnes male concupitas (*Num.* XI), pro quibus graviter puniti sunt, apud sepulcra concupiscentiæ. D Tertio a quo petat : quia si ab alio quam a Deo, nec orat nec exauditur, quoniam ad eum qui solus orandus est, et solus orantem exaudire potest, petitionem non dirigit. Unde præfati sacerdotes Baal, quia divinum ignem non a Deo sed ab ipso Baal postulabant, merito reprobati sunt : Elias vero, quia ab illo qui dare poterat, exauditus est (*III Reg.* XVIII). Quarto cui petatur : quoniam si ille cui petitur dignus vel idoneus non est, non habet effectum circa ipsum oratio : quemadmodum Samuel licet sanctus, pro Saul quem Dominus reprobaverat non meruit exaudiri (*I Reg.* XV, XVI). Quinto quare petat : quia si non bona intentione petit, nihilominus nec orat nec exauditur, quia Deus malo animo orari non potest, et malas homi-

num non approbat voluntates. Unde in epistola Jacobi scriptum est: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut insumatis in concupiscentiis vestris* (*Jac.* IV). Sic et discipuli in exustione civitatis Samariæ, ignem de cœlo petere prohibiti sunt (*Luc.* IX). Sexto qualiter petat, quia si non digne petit, id est pie, humiliter et devote, nec orat similiter nec exauditur; quia Deus a negligentibus non oratur, nec eorum petitionibus acquiescit. Unde cum illi duo homines ascendissent in templum ut orarent, pharisæus non tam orans quam sua benefacta superbe commemorans, nocentior exivit quam intraverat; publicanus autem in humilitate sua justificatus abscessit (*Luc.* XVII).

CAPITULUM IV.

Vides ergo ad hoc ut aliquis in oratione exaudiatur, hæc omnia postulari: videlicet ut fidelis petat, et a Deo, et bonum petat, et ei qui habet rei petitæ commercium, et bona intentione, et debito modo. Oportet ergo, ut diximus, fidelem esse qui petit: nec tamen sufficit quomodocunque cætera cuncta se habeant, sed recipe distinctionem. Omnis quippe fidelis, ut supra quoque dictum est, aut justus est, aut injustus: rursumque tam justus quam injustus aut electus aut reprobus sit necesse est: Justum autem vel injustum accipimus secundum præsentem vitæ qualitatem, quæ mutari potest; electum aut reprobum secundum æternam Dei præcognitionem, qui falli non potest. Est itaque fidelis justus et electus, perseverans in gratia; et est injustus et reprobus, pertinax in malitia. Et est justus et reprobus, qui cadit a justitia; et est injustus et electus, qui resurget a culpa. Omnes igitur fideles aut justi sunt et electi, aut justi et reprobi, aut injusti et electi, aut injusti et reprobi. De primo exemplum habes in Petro, de secundo in discipulis abeuntibus retro, de tertio in Levi publicano, de quarto in Simone Mago. Infideles autem omnes generaliter injusti sunt, quoniam præter fidem quæ justificat impium nulla potest esse justitia. Verumtamen eorum quoque alii sunt electi, qui per gratiam convertuntur, ut Cornelius; alii vero reprobi qui in infidelitate sua moriuntur ut Pilatus. Itaque bimembri divisione contenti sunt, ut alii dicantur injusti et electi, alii injusti et reprobi, quoniam justi apud eos, ut diximus, nulli sunt.

CAPITULUM V.

Fidelis ergo justus et electus si orando a Deo qui solus dare potest, petit sibi summum bonum quod est vita æterna; bona quidem intentione, et debito modo, profecto exauditur et impetrat: tum propter præsentem justitiam qua dignus est, tum propter Dei præscientiam qua melior futurus ad vitam prædestinatus est: idcirco autem bona intentio requiritur, quoniam, ut diximus, potest etiam hoc bonum non bona intentione optari; ut si quis ideo vitam æternam desideret, ut possit ibi malorum cruciatibus insultare. Debitus autem modus ad hoc exigitur, ut habitum mentis et corporis orationi conformantes: petita facilius impetremus. Quod si fidelis qui orat justus quidem sed reprobus est, hic sane non impetrat sed repellitur: non propter præsentem justitiam qua bonus est, sed propter divinam præscientiam qua malus futurus, ad mortem præscitus est æternam. Si vero injustus quidem sed tamen electus est, hic utique exauditur et impetrat: non propter præsentem justitiam quæ nulla est, sed propter divinam præscientiam qua bonus futurus ad vitam præordinatus est æternam. Si autem injustus similiter et reprobus est, hic profecto omnino repellitur duabus ex causis: tum propter præsentem nequitiam qua malus est, tum propter divinam præscientiam qua, futurus deterior, æternæ morti deputatus est. Patet ergo, hoc bonum vitæ æternæ, quam sit pretiosum quod solis electis conceditur, quam spatiosum quod eisdem omnibus abundat et sufficit: quapropter vel solum in oratione petendum est, vel si quid aliud petitur, ad hoc tantum peti debet, ut ad illud adipiscendum valeat suffragari.

CAPITULUM VI.

Reliquæ autem quatuor species bonorum præcedentium, quia in hac vita haberi possunt, tam electis quam reprobis in hac vita conversantibus solent contingere. Nam et peccatorum remissio per cordis contritionem, et justificatio per infusionem gratiæ spiritualis, et bonæ qualitates animæ quæ virtutes appellantur, et boni actus sive interiores sive extrinseci: omnia hæc tam his quam illis accidunt, sed dispari ratione. Nam electis quidem finaliter et fructuose; reprobis vero perfunctorie, et ideo sine fructu. Electi siquidem ea perpetuo retinentes: ad illud summum bonum cui ista deserviunt, vitam loquor æternam, feliciter perducuntur; reprobi vero citra finem ea relinquentes, ad illum beatitudinis statum quo sine illis non potest perveniri nunquam perveniunt: exemplo navigantium, qui si nondum apprehenso portu remos abjiciant, optatam stationem nullatenus attingent. Electis ergo vel omnia salubriter conceduntur, vel aliqua sine periculo denegantur; ut virtus continentiæ et actus jejunandi, quibus absentibus salvari potest homo, et perire præsentibus. Neque enim omnes electi continentes sunt; neque rursus qui continent omnes electi. Similiter nec omnes reprobi incontinentes sunt, nec omnes qui non continent reprobati. Sunt enim electi continentes ut Joannes qui super pectus Domini recubuit (*Joan.* III); et sunt reprobi continentes, ut fatuæ virgines qui a nuptiis excluduntur (*Matth.* XXV). Econtra sunt electi conjuges, ut Abraham et Sara; qui tamen gratia prolis utebantur conjugio; et sunt reprobi conjuges, qui sub titulo conjugii pascendæ libidini famulantur. Similiter nec omnes electi jejunant, nec omnes qui jejunant electi. Sunt enim electi jejunantes, ut Elias (*III Reg.* X) et Joannes in deserto (*Matth.* III); et sunt reprobi jejunantes, ut Pharisæi qui jejunant bis in Sabbato (*Luc.* XVIII).

Econtra quoque nec omnes qui manducant reprobi sunt, nec omnes reprobi manducant. Sunt enim electi manducantes, ut discipuli qui non jejunabant præsente Domino (*Matth.* IX); et sunt reprobi manducantes, ut illi *quorum Deus venter est*, testante Apostolo (*Phil.* IX).

CAPITULUM VII.

De spiritualibus bonis.

Patet itaque quod hæc spiritualia bona, vel quibusdam electis omnia conceduntur ad perfectionem virtutis, vel quibusdam aliqua subtrahuntur sine periculo salutis. Reprobis autem vel eorum aliqua perpetuo, vel omnia, sed ad tempus, inutiliter conceduntur, vel omnia infeliciter denegantur. Inutiliter dico quoad vitam obtinendam quæ illis convenire non potest, non quoad pœnam leniendam quæ per illa mitigari potest. Quibus autem omnia omnino subtrahuntur, ideo utique fit quod Deus tales eos prævidit, quibus nullum specialis gratiæ donum debeat impartiri. Electis itaque præstantur, ut per illa felicitatis æternæ promereantur stipendia; reprobis mediocriter malis conceduntur, ut si non habent quo excusentur a pœna, habeant tamen quo ipsorum leniatur miseria: pessimis omnino subtrahuntur, ne quo bono participet illorum nequitia. Primis utiliter conferuntur ad obtinendum æternitatis gaudium; secundis misericorditer indulgentur ad pœnæ remedium; tertiis vero juste denegantur ad debitæ damnationis augmentum.

CAPITULUM VIII.

De mediis.

Mediarum vero rerum ea quidem quæ læta sunt utrique hominum generi contingere solent, diversis ex causis. Electis quippe conceduntur vel ad consolationem laborum sine quibus hæc vita non ducitur, vel ut sint eis boni operis adminiculum, promerendæ beatitudinis instrumentum, futuræ jucunditatis præludium, paternæ dilectionis indicium. Reprobis vero mediocriter malis vel ideo conceduntur, ne illorum subtractione deteriores fiant, et majore supplicio digni; vel in retributionem paucorum bonorum quæ in eis sunt ad vitam minus sufficientium; vel ut ex hoc admoneantur quanta bene viventes ab illo sperare possent, qui etiam male viventibus suæ largitatis dona non subtrahit. Reprobis autem et eisdem valde malis præsentis vitæ prospera sinuntur accidere, vel ad suæ ingratitudinis argumentum, qui nec etiam temporalibus beneficiis ad recte vivendum possunt invitari; vel ne quid habeant quo aut suam excusare nequitiam, aut divinam valeant incusare bonitatem, vel ad instructionem electorum, ut ex hoc ipso intelligant quam contemnenda sint, quibus etiam flagitiosissimos homines copiosius vident abundare.

CAPITULUM IX.

De tristibus.

Tristia vero rerum mediarum electis quidem solent accidere, vel ad purgandas maculas vitæ præcedentis, vel ad virtutis exercitium et probandam patientiam, et meritum præmii largioris, vel ad coercendas pravas voluptatum cupiditates; vel ut postmodum gratiores sint, et ampliori jucunditate perfruantur, cum se de præsentibus ærumnis ad æterna gaudia translatos meminerint. Reprobis autem mediocriter malis, hæc eadem tristia misericorditer inferuntur, tum ut purgata hic parte vitiorum, leviori pœnæ reserventur in posterum, tum ut negato sibi pravæ voluntatis effectu, leviori supplicio teneantur obnoxii. Reprobis vero valde malis justissime infliguntur, tum ut ex hoc quod præmii mereantur agnoscant; tum ut præsens calamitas sit eis certum futuræ damnationis initium: et ea quæ postmodum passuri sunt, etiam hic aliquatenus prægustent: tum etiam ne scandalum patiantur electi, si frequentibus se urgeri miseriis, pessimos autem homines semper florere conspiciant. His et si quæ sunt aliæ causæ, nobis quidem occultæ, Deo vero qui omnia prævidet manifestæ, læta vel tristia rerum mediarum tam electis quam reprobis arbitramur contingere. Ex quibus quoniam quædam orando credimus obtineri, idcirco ea præsenti capitulo, de obtinentia videlicet orationis putavimus inserenda. Plures enim læta optant et postulant, animi videlicet et corporis aut fortunæ, veluti mentis industriam, corporis sanitatem, amplioris substantiæ facultates. Nonnulli vero, licet paucissimi, molesta potius affectant, utpote piam simplicitatem, corporis ægritudinem, nullam tenuemve substantiam. Nam et sapientissimus ille Salomon, nec divitias nec paupertates, sed tantum victui necessaria postulabat (*Prov.* XXX); et Apostolus nil aliud nisi Christum scire se prædicat (*I Cor.* II); et in suis infirmitatibus, in fame et siti, in frigore et nuditate, cæterisque rerum mediarum incommodis gloriatur (*II Cor.* XI). In his ergo petendis tam electi quam reprobi, alii prædictis ex causis exaudiuntur et obtinent, alii propter alias repelluntur.

CAPITULUM X.

De eo qui pro alio orat.

Hæc hactenus de his qui pro seipsis orant arbitramur sufficere; nunc de illo qui pro alio Deum rogat, quid recte sentire valeat, quantum nobis erit possibile, videamus. Orat igitur vel dignus pro digno, vel dignus pro indigno, vel indignus pro digno, vel indignus pro indigno. Dignum accipimus justum in præsenti, indignum vero injustum, qualiscunque postmodum hic vel ille futurus sit. Orat etiam idoneus pro idoneo, idoneus pro non idoneo, non idoneus pro non idoneo. Idoneum autem dicimus electum, sive jam dignus sit vita æterna secundum præsentem meritorum qualitatem, sive nondum quidem habeat illam dignitatem, sed postmodum sit adepturus. Non idoneum vero reprobum appellamus: vel ea quæ nunc est, vel ea quæ postmodum erit meritorum qualitate. Vides ergo quia ex his duabus differentiis, digno videlicet et indigno, singulis advenientibus utrique personæ, petentis, scilicet et ejus cui petitur, constituitur simplex quæ-

dam et quadrimembris divisio : et rursum ex idoneo et non idoneo similiter alia fit quadrimembris et simplex. Harum autem differentiarum duæ ponunt, ut dignus et idoneus ; duæ privant, ut indignus et non idoneus. Rursumque ex his quatuor differentiis binis utrique personæ advenientibus fit quædam composita divisio sedecim membrorum : quorum primum est, cum dignus et idoneus orat pro digno et idoneo ; ultimum autem cum indignus et non idoneus pro indigno et non idoneo. Media quatuordecim compendii causa, lectoris sagacitate formanda relinquimus. Et quia de singulis per ordinem disputare plus haberet laboris quam commodi, de quatuor tantum simplicibus ponamus exempla. Si ergo electus electo vitam petit æternam, exauditur ille qui postulat, et ille cui postulatur accipit : sive propter præsentem utriusque dignitatem, sive propter illam quæ postmodum futura est : quæ cernenti omnia Deo jam præsto est atque conspicua, cui nihil præteritum est aut futurum : sed omnia stant in præsenti. Hoc autem tale est : veluti princeps alicujus magnæ civitatis in promotione illius quem diligit, alium quem nihilominus diligit dicitur exaudire. Si vero idoneus non idoneo postulat : repellitur quidem hic talis, quoad illum qui rei quæ petitur, id est vitæ æternæ, idoneus non est : non quoad illum qui ex hoc ipso quod pro alio pie supplicat, majorem apud Deum gratiam promeretur. Huic simile fit, cum servus fidelis et domino dilectus pro conservo nequam et flagitioso ad dominum intercedens repellitur, sic tamen ut ex eo ipso quod pie pro alio intercedere laboravit, ampliori dilectione dignus habeatur. Si autem non idoneus idoneo, hanc quoque petitionem non gratia petentis, sed ejus cui petitur dicimus exaudiri, eo videlicet modo quo aliquis odiosus principi et contemptus, in illo quem princeps propter sua merita sublimavit, quia pro illo ipse rogaverat, ab eodem principe se putat exauditum. Dicitur enim aliquis exaudiri duobus modis : uno quidem proprie cum ad ejus petitionem et propter ipsum fit aliquid ; altero magis improprie, cum ipso quidem petente fit ; nec tamen ob gratias ipsius, sed alia de causa. Tale est illud in libro filii Sirach (*Eccli.* IV) : *Ab inope ne avertas oculos tuos : maledicet enim tibi et exaudietur, et exaudiet eum qui fecit illum ;* quasi Deus propter imprecationem pauperis puniat contemptorem, quem tamen, etiam tacente illo, erat puniturus. Si vero non idoneus pro non idoneo supplicat, scilicet reprobus pro reprobo : hæc petitio duabus de causis omnino repellitur : tum vitio petentis, tum illius cui petitur, qui rei petitæ commercium non habet. Commercium autem dicimus rei adipiscendæ idoneitatem, quemadmodum secundum leges servilis persona consulatus vel præturæ, secundum canones sæcularis persona ecclesiasticæ rei non habet commercium. Hujus ultimæ repulsæ exemplum est, cum civis aliquis perniciosus et ideo principi vehementer invisus, pro illo quem princeps ob scelera sua digne damnare proposuit intercedens, tum sui causa, tum illius pro quo supplicat, inexorabili terrore repellitur. Atque ita, ut diximus, forsitan non incongrue sentiri potest, de illa oratione qua alii ab alio vita æterna postulatur, quæ solis electis ab æterno repromissa est. Electus quippe idem est qui et idoneus, quem divina electio ad vitam prædestinavit æternam. Quapropter, ut jam sæpe dictum est, nulli nisi idoneo ejusdem vitæ beatitudo precibus potest obtineri. Si ergo idoneus est ille cui petitur, effectum habet oratio, quocunque modo cætera se habeant ; et quanto plures positivæ differentiæ circa utramlibet personam concurrerint, tanto pluribus ex causis quod petitur obtinetur. Si autem idoneus non est, inefficax est orantis intentio, et quanto plures privativæ convenerint, tanto pluribus ex causis quod petitur denegatur. De reliquis autem quatuor spiritualium bonorum generibus aliud rationis est, pro eo quod illa tam electis quam reprobis possunt contingere, sed fructu dissimili. Nam electi quidem finaliter ea retinent et salvantur, reprobi citra finem amittunt et pereunt. Hæc igitur dona utrique homines sicut sibi ipsis, ita et aliis propter illas quas prædiximus causas orando possunt impetrare. Remissio enim peccatorum, quæ bonum præparatorium dicitur, nisi alii, orante alio, possit impetrari, non diceret Dominus in Evangelio : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* V) ; et Stephanus de lapidatoribus suis in Actibus apostolorum : *Domine Jesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII). Peccatum jam commiserant ; sed ne illis statueretur, imo per remissionem tolleretur, martyr orabat egregius. Justitia quoque per fidem quam bonum inspiratorium maluimus appellare, nisi alii alio orante præveniret, non diceret Apostolus Ephesiis : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Deum Patrem, ut det vobis virtutem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III). Meritorium quoque bonum, scilicet bona mentis qualitas quæ virtus dicitur, nisi alterius oratione alteri innasceretur, non subderet in eodem loco : *In charitate radicati et fundati,* supplendum est : *ut sitis* (*ibid.*). Ecce quemadmodum orat eis virtutem, fidem et charitatem. Operatio vero bona quæ meritum appellatur, nisi interventu alterius in altero excitaretur, superfluum esset quod dicit idem Apostolus : *Oramus autem Dominum ut nihil mali faciatis, sed ut faciatis quod bonum est* (*II Cor.* XIII). Pro bonis operibus aliorum orabat ille qui dicebat : *Det vobis Deus cor omnibus ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem* (*II Mach.* I), id est opera bona. Ex quibus omnibus manifestum est, hæc spiritualia bona alii per alium orando et peti et obtineri.

CAPITULUM XI.

De mediis quæ alio orante alii proveniunt.

De mediis quoque quarum solus usus in merito vel culpa est idem reperies, earum videlicet læta vel tristia, aliis orantibus, aliis frequenter

accidisse : Elias orando pluviam cœlo clauso prohibuit, rursumque orando nubes aperuit, pluviam dedit (*III Reg.* XVII, XVIII). Idem Elias, orando milites Ochoziæ regis igne de cœlo veniente consumpsit (*IV Reg.* I). Petrus orando Æneam claudum erexit (*Act.* IX) ; Paulus Elimam magum cæcitate damnavit (*Act.* XIII). Idem Petrus orando Tabitam suscitavit (*Act.* IX) ; Simonem magum volantem in terram prostravit. Elisæus filium viduæ Sareptanæ vitæ restituit (*IV Reg.* IV); servo suo Giezi Naaman Syri lepram injecit (*IV. Reg.* IV). Isaac filio suo Jacob frumenti, vini et olei abundantiam impetravit (*Gen.* XXVII); Moyses primogenita orando suffocavit (*Exod.* XII). Idem Moyses Pharaonem et exercitum ejus fluctibus maris involvit (*Exod.* IV). A Amalecitas non tam bello quam oratione superavit (*Exod.* XVII). Hæc et hujusmodi quam plurima legimus in Scripturis orando frequenter expleta, quorum quædam ad animam, quædam ad corpus, quædam vero ad fortunam referuntur : hæc adeo de obtinentia vel effectu orationis, non ut forsitan oportuit, sed ut a nobis fieri potuit dicta sint ; pro eo quod non est facile quas Deus orationes vel suscipiat vel excludat humano diffinire arbitrio.

Exsecutis igitur circa orationem tribus capitulis : nunc quartum, id est quid ad ipsam pertineat conemur inspicere. Pertinent autem ad orationem quatuor hæc : tempus, locus, modus et forma.

LIBER OCTAVUS.

De his quæ pertinent ad orationem, tempore videlicet, loco, modo et forma.

CAPITULUM PRIMUM.

Tempus orationis, aliud continuum, aliud discretum. Continuum tempus est, totum spatium vitæ humanæ, quia cum oratio, ut jam sæpe dictum est, nil aliud sit nisi divinæ pietatis imploratio : tota vita hominis ad hunc exitum tendere debet ut divinam sibi conciliet pietatem. Quidquid ergo hoc proposito agis, ut Deum merearis habere propitium, oratio est. Hoc itaque propositum habens, oras loquendo, oras tacendo, oras comedendo, oras bibendo, oras vigilando, oras dormiendo, oras aliquid agendo, oras nihil operando. Nam ut ante nos quoque dictum est : *Non cessat orare qui non cessat benefacere,* ex hoc sensu potest illud intelligi, quod dictum est in Evangelio : *Oportet semper orare, et nunquam deficere* (*Luc.* XVIII). Et Apostolus : *Sine intermissione*, inquit, *orantes* (*I Thess.* V). Discretum tempus orationis est ; illa pars continui temporis, quæ specialiter et proprie orationis officio deputatur. Hoc autem tempus aut diurnum est aut nocturnum.

CAPITULUM II.

Dies apo toy Græco *dian* tractum est, quod interpretatur *claritas* sive *serenitas.* Dies autem alius magnus, alius minor. Magnus omni tempore æqualis est : videlicet spatium viginti quatuor horarum, id est tempus illud quo sol ab oriente per occidentem in orientem revertitur. Contra hunc diem non dividit nox, sed est pars ejus : veluti pars integralis in toto integrali. Dies minor omni tempore inæqualis est, id est sequens vel major vel minor præcedenti : et dividit diem magnum cum nocte portionibus horarum, utrique proportionaliter distributis. Nam bis tantum in anno, id est vernali et autumnali æquinoctio, dies et nox horarum numero B pares sunt ; utrique enim duodecim horæ majoris diei perveniunt. Est autem dies minor sol lucens super lineam horizontis ; nox vero ejusdem solis absentia. A vernali autem æquinoctio usque ad autumnale plures horæ cedunt in diem ; pauciores vero nocti relinquuntur. Rursumque ab autumnali usque ad vernale, plures nocti deserviunt ; dies vero paucioribus contenta est : quod ex eo dicunt philosophi provenire, quod tempore quidem æstivo major arcus diei et minor noctis ; tempore autem hiemali major est arcus noctis, minor autem diei. Arcum diei dicimus illam partem quotidiani circuli quam peragit sol in die, id est quandiu positus est super lineam horizontis ; arcum vero noctis partem illam quam conficit in nocte, id est C quandiu nobis occultus est. Ob hanc etiam causam poetæ vel magni philosophi eidem soli arcum attribuunt, unde et *arcitenens* appellatur. Sagittæ vero quas de illo arcu cœlesti mittit in terram, spicula sunt radiorum. Cum ergo a vernali æquinoctio usque ad autumnale major sit arcus diei, minor autem noctis, ut dictum est, rursumque ab illo usque ad vernale major noctis, minor autem diei : horæ autem viginti quatuor secundum spatium prædicti circuli æqualiter distinctæ atque dimensæ sint : necesse est æstate quidem diei plures accidere et nocti pauciores ; hieme vero contrarium evenire. Et hæc quidem horæ quarum viginti quatuor majorem diem constituunt, ita ut sunt naturales appellantur. Sunt autem aliæ quas philosophi D artificiales vocant ; quarum omni tempore duodecim diei, totidemque nocti attribuunt. Et in his quidem diurnæ nocturnis nisi tantum in duobus æquinoctiis pares esse non possunt ; sed crescente die crescunt horæ diei, nox vero

cum suis horis minuitur : rursumque crescente nocte crescunt horæ ejus : dies vero cum suis horis tenuatur. Cum enim, ut prædictum est, nunc major sit arcus diei arcu noctis, nunc autem econtrario, uterque vero in duodecim horas æquales dividatur : ipsas quoque horas nunc majores esse nunc breviores, verissima ratione necesse est. Et ex hoc sensu potest illud intelligi, quantum ad id quod littera sonat ; quod Dominus in Evangelio dicit : *Nonne duodecim horæ sunt diei* (*Joan.* XI). Nam quoad mysticum intellectum duodecim horarum appellatione duodecim discipulos voluit designari. Ex his igitur horis diei vel noctis quidquid orationis obsequio dependitur, id tempus orationis diurnum sive nocturnum congrue nominatur. Hoc autem tempus, aut est ordinarium, aut arbitrarium, aut necessarium. Ordinarium est, quod divinis laudibus celebrandis, aut piis orationibus exsolvendis a sanctis Patribus ordinatum est. Hujusmodi autem tempus in nocte quidem unum tantum est : quod nocturnum officium sive *vigiliæ* appellatur ; quia nox quieti indulta est, nec posset humana infirmitas sæpius ad orationem surgendo, nocturnos diurnis continuare laboribus. Dicitur autem *nox noctis*, apo toy *nyx*, *nyctos*, per transpositionem duarum vocalium videlicet *i*, et *o*.

CAPITULUM III.

Nox autem secundum institutionem antiquorum, in quatuor secatur vigilias. Solebant enim veteres et maxime castrenses, noctem in quatuor partes æquales distinguere : quas ex eo vigilias appellabant, quod positis excubiis vicissim in castris vigilare consueverant. Prima vigilia incipiebat a prima noctis hora perveniens usque ad quartam ; qua finita, secundi vigiles excitabantur. Unde poeta :

Tertia jam vigiles commoverat hora secundos.

Secunda incipit a quarta et pervenit usque ad septimam, qua finita, tertii vigiles succedebant. Tertia vero a septima incipiens perducit ad decimam ; qua finita, quartæ citabantur excubiæ. Quarta incipiebat a decima, et usque ad finem duodecimæ pertingens, ipsam quasi noctem finiebat. Prima vigilia dicebatur *serotinum*, a sero præcedentis diei, quod tarde dicimus ; quoniam id quod finito jam die fit sero fieri manifestum est ; quemadmodum si is qui interdiu, id est interim dum dies esset venire debuit, finito die venerit, hunc sero venisse causamur. Secunda dicitur *conticinium*, quia videlicet eo tempore omnia in terris animantium genera graviori pressa sopore conticescunt. Tertia *gallicinium* appellatur, quod eo tempore noctis, avis illa domestica quam gallum dicimus, vigiles cantu incipiat excitare. Quarta *matutinum* nominatur, quasi *manuninum*, a mane alternitatis causa, ut ait *Priscianus*, eo quod usque ad mane sequentis diei perveniat, vel potius matuta a quo nomine auroram veteres appellabant. Et hunc quidem ordinem in distinctione horarum noctis, hi qui in castris militaribus versabantur servare consueverant. Nos autem qui in castris Eccle-

A siæ sub Christo duce militamur, contra spirituales nequitias, ipso protegente securi, exacta jam media parte noctis, vel paulo plus recreatis sopore membris ciboque digesto, semel tamen in nocte surgimus : et nostrorum operum primitias Deo, ut dignum est, dedicantes, illius temporis officium nocturnas appellamus vigilias. De hoc noctis officio sic ait Psalmista : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ* (*Psal* CXVIII). Quibus expletis matutinam laudem quæ tamen diei sequentis est, vel nullo vel modico subjungimus intervallo : pro eo quod frequenter usque ad mane sequentis diei solet pertingere. Qua finita, multi quidem ad lectos redeunt ; nos autem illicitum arbitrantes : quidquid temporis usque ad diem restat,
B orationi aut sacræ meditationi jugi pervigilio gaudemus insumere.

CAPITULUM IV.

Diurnum vero tempus orationis in septem partes dividitur, de quibus aiebat Domino sanctus David : *Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII). Harum nomina sunt, matutina laus de qua jam diximus, prima, tertia, sexta, nona et vespera, et illud quod ex eo quod cætera compleat, completorium appellamus. Hæc septem divina officia secundum septiformem Spiritus sancti gratiam omni tempore petenda est, nemo qui sanum sapiat ambigit instituta. Nam officium missæ quod ad honorem sancti ac salutaris illius
C sacrificii celebratur, nequaquam ut alia certi temporis est : idcirco per diversa tempora solet variari.

Arbitrarium tempus orationis est, quod quis nulla lege institutionis, nullave necessitatis causa, sed propria voluntate ductus orationi voluerit deputare. Id rectissime fieri credimus : cum nos a curis temporalium rerum respirare contigerit, ut tanto liberior animus ad Deum dirigatur, quanto terrenis negotiis fuerit absolutus. Competens enim est et valde rationi consentaneum, ut cum illum qui est super omnia orando convenire volueris : totum cordis affectum ad ipsum conferens omnes temporalium curas ab animo seponas. Nam si terrenum principem precibus interpellans per incuriam et contemptum inter ipsas preces aliud mente
D tractaveris ; nunquid teipso teste, si sciat ille quid cogites, indignus es exaudiri. Quanto magis eum quem nil fallere potest si orando alloqueris, et inter ipsa orationis verba vana quædam et turpia vel etiam flagitiosa mente pertractas : non modo non mitigas eum, sed potius exacerbas.

De tali enim oratione potest illud intelligi : *Fiat oratio ejus in peccatum* (*Psal.* CXVIII). Etenim in peccatum fieri jure putatur illa oratio, quæ omni devotione carens, solo strepitu verborum, Deum potius exacerbat oranti, quam mitiget. Quapropter vel puro et tranquillo corde oratio inchoanda est : vel si turbatum invenerit, virtute illius ac devotione purgari debet, ut quanto purior fuerit orantis affectus, tanto potior sit orationis effectus. Unde Psal-

mista cum quædam satis humiliter et pure præmisisset, de misericordia Dei præsumens ait : *Exaudivit Dominus vocem fletus mei. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit* (*Psal.* VI).

CAPITULUM V.

Necessarium tempus orationis est : quod nec voluntas eligit, nec præscribit institutio, sed inducit necessitas. Hoc autem in duas necessitates distinguitur : una est qua tenetur quis debitæ pensum servitutis, quia vel propter justam occupationem, vel propter oblivionem, vel propter contemptum et negligentiam prætermisit, alio tempore quam oportet exsolvere. Justam occupationem dicimus excusabilem rei causam, utpote itineris aut navigii, vel disceptationum in causis agendis, vel deliberationum in consiliis capiendis; vel hujusmodi rerum plurimarum; quibus plerumque præpediti, divinæ laudis obsequium debito honore reddere non valemus. Nam si quis vino vel alea vel ludis theatralibus, venatu vel aucupio, vel etiam latrociniis aliisque rebus perniciosis detentum se dixerit : hæc quidem occupatio justa non est, sed magis contemptus et contumelia deputatur. Si ergo justam nobis occupationem superventuram speramus, quominus vota precum nostrarum valeamus exsolvere : cautius arbitror, solitum tempus orandi prævenire quam subsequi, juxta illam admonitionem Psalmistæ dicentis : *Præoccupemus faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV). Et alibi conversus ad Deum ait : *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua* (*Psal.* CXVIII). Et in versu præcedenti jam dixerat : *Præveni in maturitate et clamavi* (*ibid.*). Quod si nos inopina forte prævenerit occupatio, non erit illaudabile divinæ laudis obsequium, quod per angustiam temporis elisum est, vel sero compensare. Unde quidam de curialibus qui completorium præcedentis diei quod curiæ negotiis intentus omiserat, prima sequentis hora tacite susurrabat; cum princeps admota aure pernotasset, non solum laudatus verum etiam episcopali dignitate sublimatus est, dicente sibi imperatore : *Habeas tibi hunc episcopatum, quia libenter cantas completorium tuum.* Si vero per oblivionem orandi tempus elapsum fuerit, non solum quod prætermissum est supplere, sed etiam aliqua compunctione cordis satisfacere necesse est. Ignorantia enim rei quæ sciri potuit, et quam scire oportuit, si culpa non esset, Psalmista non diceret : *Ignorantias meas, Domine, ne memineris* (*Psal.* XXIV). Ignorare siquidem vel nescire dicimur ea quæ scire oportuit : et utrumque vitium importat, juxta illud : *Ignorans ignorabitur* (*I Cor.* XIV). Quæ autem scire non expedit, non ignorare vel nescire dicimur, sed non scire. Si vero per negligentiam et contemptum divinum orandi tempus prætermissum est, propter vinum vel aleam aut ludorum spectacula, vel ineptas et turpes fabulas histrionum, seu per lasciviam et turpitudinem, utpote propter blandas femineæ volu- A ptatis illecebras, sive per malitiam iniquæ mentis, veluti propter fraudes et insidias et circumventiones innocentum, aut etiam propter rixas et latrocinia et fundendi sanguinis desiderium, aliaque quamplurima quæ aut vane aut impure, aut impie fieri solent : si quid, inquam, ob hujusmodi causas fuerit intermissum, non solum humiliter resarciri, sed etiam asperrimæ pœnitentiæ vindicta puniri necesse est. Oportet enim pœnitendo deflere, non esse factum quod decuit et factum esse quod minime licuit, quod tempus pietatis et devotionis vanitati et malitiæ depensum est : quod cum deberet esse sobrius in ecclesia, fuit ebrius in taberna; cum debuit vacare contemplationi angelorum, fuit in speculatione ludorum : cum debuit esse in obsequio sanctæ Dei B genitricis, fuit in tugurio incestæ meretricis, cum orare pro persecutoribus suis, festinavit ad oppressionem innocentis, cum tractare vel sumere corpus Christi, cucurrit ad fundendum sanguinem fratris sui. Vides igitur quia quidquid divini operis propter aliquam trium prædictarum causam omissum est, humiliter resarciri oportet; sed in primo quidem defectu levis est culpa, in secundo nonnulla, in tertio vero gravissima.

CAPITULUM VI.

Est et altera necessitas in tempore orationis, quoties casus aliquis insperatus emergit, ut præter solitum ad orationem confugere debeamus. Hoc autem duobus modis usu venire solet, sive propter vitandum periculum, seu propter beneficium C impetrandum.

CAPITULUM VII.

Periculum vero aut tantum corporis, aut pariter utriusque, aut etiam rerum extrinsecarum, ut puta famæ vel fortunæ. Periculum animæ tantum est cum securo corpore salus animæ periclitatur : ut in suggestione mortalis peccati. Contra hoc periculum orabat Salomon cum diceret : *Domine Deus et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu meo : desiderium meum averte a me : aufer a me concupiscentias et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me* (*Eccli.* XXV). Periculum solius corporis est, cum anima nullius gravis peccati conscia secura est : sed mors corporis formidatur, ve- D lut in homine qui mortem sibi vicinam exspectat; utpote in bellis, naufragiis, et incendiis, et extrema infirmitate. Contra hoc periculum tanquam verus homo Salvator oravit, cum diceret : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XX). Similiter et tres pueri in fornace (*Dan.* III), et Paulus in naufragio (*Act.* XXVII), et Ezechias in extremo infirmitatis articulo (*IV Reg.* XX).

Periculum utriusque simul est, cum et mors corporis statim adesse creditur, et æterna mors animæ formidatur, ut in eo qui multorum criminum reus, et nulla satisfactione correctus, in proximo se credit moriturum. Contra hoc periculum oraverunt Ninivitæ (*Jon.* III) : etiam latro pendens in cruce, ut saltem alterum, id est mortem animæ

vitare posset, ita dicens: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* II). Periculum famæ est, cum de nostra opinione timemus, ne illa amissa efficiamur infames, ut solet accidere his qui de gravi et enormi flagitio accusantur. Contra hoc famæ periculum et etiam contra periculum corporis, oravit Joseph in carcere (*Gen.* XL); et Susanna cum ad mortem duceretur (*Dan.* XV). Periculum fortunæ in his rebus attenditur, amissione libertatis, vel amicorum, vel earum rerum quæ ad usus nostros satis sunt necessariæ. Periculum in amissione libertatis est, cum ipsam libertatem timemus amittere: ut is qui bello captus ab hostibus: ideo vitæ servatur ut serviat. Servi enim tam a servando quam a serviendo dicti sunt. Contra hoc periculum orabant Judæi, id est filii Israel, cum eos Pharao in B millibus equorum et curruum persequeretur: timentes ne ille eos in servitutem luti et lateris quam fugerant revocaret (*Exod.* XIV). Periculum in amissione amicorum est, cum eos quos diligimus quibusve dilecti sumus, vel morte, aliquo casu, ut captivitate, peregrinatione vel exsilio, nobis credimus auferendos. Contra hoc periculum orabant Judæi obsessi ab Holoferne; quando supplicabant Domino ne darentur infantes eorum in prædam, et uxores eorum in divisionem, sicut legitur in libro Judith (*Cap.* IV). Periculum in amissione rerum est, cum ea quæ nobis necessaria sunt, haud dubie nos credimus amissuros: ut in naufragiis, incendiis et rapinis, cæterisque similibus. Contra hoc periculum C orabant filii Israel, ne daretur civitas eorum in exterminium, et sancta eorum in pollutionem, sicut legitur in eodem libro Judith. Contra hæc omnia periculorum genera quocunque nobis tempore diei vel noctis ingruerint, humiliter orandum esse: et ratio docet, et multorum admonemur exemplis.

CAPITULUM VIII.

Beneficium quoque quod orantes a Deo postulamus, totidem modis distingui potest: in rebus contrariis attenditur. Est enim beneficium animæ, ut virtus; corporis, ut incolumitas: utriusque simul, ut amborum integritas; famæ, ut bonæ opinionis status; fortunæ, ut libertas, amicorum copia, rerum quibus utendum est, suppetens facultas. Quæ omnia quoties opus fuerit, summa orandi necessitate a Deo postulari necesse est.

CAPITULUM IX.
De loco orationis.

Locus orationis, aut universalis, aut particularis est: locus universalis totus est mundus, quoniam ubique per totum mundum, Deus orandus laudandus ac benedicendus est, juxta illud Psalmistæ: *In omni loco dominationis ejus benedic, anima mea, Domino* (*Psal.* X). Et alibi: *Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi* (*Psal.* LXV); etiam Dominus per prophetam: *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII). Locus particularis est hic vel ille vel alius; quorum in quolibet ita totus est Deus, ut non minus sit totus in alio, sicut ait Psalmista: *Si ascendero* A *in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII). Qui in inferno esse non respuit, ubi, quæso, deesse potest, vel cui loco absentari? Locus particularis aut sacer aut profanus est: sacrum dicimus divinis cultibus dedicatum, ut Ecclesiam; profanum vero non sacrum, ut domum, aut villam. Tam sacer quam profanus, aut publicus aut privatus est. Locus sacer et publicus, ut ecclesia, cœmeterium; sacer et privatus, ut oratorium. Locus profanus et publicus, ut forum, theatrum, portus; profanus et privatus, ut domus, ager, hortus. Item sacer locus, aut ascriptus est, aut electus, aut oblatus. Locus sacer ascriptus, ut ecclesia pontificalis; quæ ascripta est universo populo civitatis, quæ tenetur ad eam recurrere, B saltem semel in hebdomada, si amplius non potest. Ascripta est etiam generaliter omnibus diœcesanis suis, qui tenentur ad eam recurrere saltem semel in anno: exceptis his quos excusat rationabilis causa: utpote sexus, vel ætas, vel corporis ægritudo. Similiter ecclesia baptismalis: ascripta est omnibus parochianis suis, qui tenentur ad eam recurrere semel in hebdomada, si amplius non possunt. Ecclesia quæque collegiata ascripta est clericis suis, de communi non in commune viventibus, qui tenentur adesse omni hora canonicæ orationis. Oratorium vero ascriptum est monachis suis, seu clericis regularibus, de communi in commune viventibus; quibus nunquam licet abesse, nisi jussu præpositi vel abbatis. Locus electus est, quem quilibet causa C devotionis propria eligit voluntate: ut sepulcrum Domini, limina apostolorum, cæteraque loca per orbem quamplurima, divina monumenta pietatis habentia. Locus oblatus dicitur, qui neque ascriptus est, nec propria voluntate eligitur, sed fortuito casu improvisus occurrit, ut solet accidere his qui in itinere vel navigio peregre proficiscentes, ad ignota loca deveniunt. In quibus omnibus unicuique locus sibi ascriptus, maxima veneratione colendus est: nisi causa multæ devotionis ac pœnitentiæ alium locum remotiorem et majori religione prædicabilem, orationi suæ delegerit; ut hi qui vel Dominicum sepulcrum, vel apostolorum limina, vel alia religiosa loca, spontaneo labore et humili de- D votione venerantur. Quæ quidem sacrorum locorum aditio, clericis sæcularibus benedictione sui episcopi; laicis vero benedicente plebano suo conceditur: monachis autem sive clericis sæcularibus absque permissu summi pontificis omnimodis inhibetur.

CAPITULUM X.
De modo orationis.

Modus orationis in duobus consistit: in mora videlicet temporis, et quantitate verborum. Mora temporis in eo attenditur, quod quidam plura verba celerius, alii tardius pauciora psallendo pronuntient. Quantitas autem verborum in eo deprehenditur, quod alii psalmodiam diei vel noctis, demptis vel additis quibusdam psalmis, aut producunt

aut breviant. In quo nil magis videtur congruere rationi, quam ut quilibet illis hominibus cum quibus vivendum est, tam in mora quam numero sese studeat conformare. Cum enim sanctissimum opus A sit psallere Deo et orare, nulla ibi debet esse discrepantia, sed uniformitas et consensus, ut possumus dicere cum Psalmista : *In domo Dei ambulavimus cum consensu* (*Psal.* LIV).

LIBER NONUS.

De quadruplici forma orationis, Dominica videlicet, domestica, monastica, ecclesiastica. De quatuor primis Orationis Dominicæ petitionibus.

—

CAPITULUM PRIMUM.

Forma orationis : alia Dominica, alia domestica, alia canonica sive ecclesiastica, alia monastica. Forma orationis Dominica est, quam Dominus Deus rogantibus ut eos orare doceret tradidit, ita dicens : *Sic autem orabitis :*

CAPITULUM II.

Oratio Dominica.

Pater noster qui es in cœlis, etc. (*Matth.* VI). Audierant discipuli Dominum de virtute orationis prædicantem : frequenter etiam orantem viderant ; sed et ipsi ad ejus exhortationem et exemplum adorare cupientes, quid sibi potissimum qualiterve orandum foret ignorabant. Et ideo ne in tanta re tamque necessaria ignari ac negligentes essent, humiliter eum rogaverunt, ut eis certum et congruum orandi modum tradere dignaretur. Quorum sanctæ petitioni cœlestis doctor acquiescens : sciens ad quid venerat, et de illa cœlesti schola quid docendum ac prædicandum attulerat : præscripsit eis formam orationis plenam quidem et perfectam, et omnia necessaria continentem, scilicet adeo planis et paucis inclusam verbis ut etiam parvulis ac mulierculis in eo quod littera sonat facili pateat intellectu : adeo profundam in mysterio, ut vix cujusquam mortalium vel sensu capi valeat vel explicari sermone. *Sic ergo orabitis Patrem*, inquit : *Pater noster*, etc.

CAPITULUM III.

In hac oratione Dominica septem petitiones continentur ; quarum tamen quælibet, et ipsa oratio est : quippe cum petere nil fere sit aliud quam orare. Nihil enim prohibet catholicam orationem partem esse catholicæ orationis, quemadmodum et supra de rhetorica quoque oratione, sive dialectica quæ propositio dicitur, exempli causa, monstratum est. Has ergo septem petitiones, quidam forte simpliciores vel majoris inquisitionis laborem fugientes, eodem ordine quo a Domino positæ sunt, procedere putant et persequendas arbitrantur, ut prima sit divini nominis sanctificatio, secunda regni cœlestis adventus, et sic de cæteris usque ad finem sentiendum existimant. Alii vero sive acutiores sive rerum ipsarum diligentius ordinem intuentes, rem quodam ornant artificio, et ab illa incipientes B qua petimus a malo liberari, converso ordine usque ad nominis sanctificationem, persequendo proveniunt. Nos utriusque morem gerere cupientes, tam horum quam illorum ordine, illas tractare conabimur : lectoris arbitrio relinquentes, hic ordo an ille potior an verior sit æstimare. Septem etiam dona Spiritus sancti quæ prophetia enumerat, et septem virtutes quæ in Evangelio memorantur, et septem beatitudines quæ ipsis virtutibus applicantur, secundum utrumque ordinem tentabimus coaptare. Invocato igitur eo qui nos orare voluit, et formam orandi tradidit, de ipsa quam docuit oratione, prout ipse tribuerit disseramus. Primum ergo considerare oportet : quanta gratiarum actione dignumque est, quod verus ac naturalis Dei Filius, C nobis per naturam assumpti hominis consanguineus, Patrem suum cui unicus erat in cœlis, communem nobis facere dignatus est in terris : non invidens cuilibet nostrum paterni regni hæreditatem, non quidem particulatim dividere, sed totam secum integraliter concedere possidendam. Voluit ergo nos in oratione Deum eo alloqui vocabulo, quo illum ad pietatem facillime sciebat inflecti. *Pater*, inquit, *noster*.

CAPITULUM IV.

Patris autem appellatio, diversis modis in Scripturis Deo solet attribui : natura, creatione, gubernatione, beneficii exhibitione, protectione, adoptione. Natura Deus Pater est unius tantum : videlicet D unigeniti Filii sui, qui ab ipso ante sæcula genitus, sicut semper habuit Patrem, ita semper Filius fuisse credendus est. Atque ideo, sicut ille Pater æternus, ita et hic æternus Filius verissime prædicatur. De hac igitur paternitate dicit idem Filius in Evangelio : *Pater non judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (*Joan.* V). Et alibi : *Sicut Pater habet vitam in semetipso : sic dedit et Filio habere vitam in semetipso* (*ibid.*). Et item : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*ibid.*). Creatione vero Pater est omnium quæ sunt, præter ipsum auctorem : tam visibilium quam invisibilium ; quippe qui omnia de nihilo produxit in hoc esse quod sunt : et ideo universa ex ipso causam suæ essentiæ

originaliter habuerunt: quemadmodum legitur in Malachia: *Nunquid non unus omnium pater, nunquid non unus omnia creavit?* (*Malach.* II.) Unde et propter hanc creandi auctoritatem omnium creatorum Pater non incongrue dicitur: eo videlicet loquendi modo, quo quis ejus rei cujus ipse primus inventor est, ut poematis vel artificii, pater appellatur. De hac igitur paternitate loquebatur ad ipsum Isaias hoc modo: *Et nunc, Domine, pater noster es, et nos lutum: Fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos* (*Isa.* LXIV). Gubernatione quoque Pater omnium est; quoniam omnia quæ ab ipso condita sunt, secundum insitam sibi naturam gubernat et regit. Unde et Pater eorum dici potest; quemadmodum is qui domui præest et familiam regit, vetusto more paterfamilias, pro eo quod est familiæ pater, appellatur: exemplo græcorum, qui ex nominativis, id est puram habentibus ante *a*, genitivum in *as* enuntiant. Unde ex eo quod est *sophia*: genitivo, *sophias* dicere solent. De hac gubernandi paternitate, sic ait Augustinus: *Nihil fit in terris, quod non de illa magni patrisfamilias dispositissima domo aut jubeatur aut permittatur.* Unde et alibi: *Tua, Pater, omnia gubernas prudentia.*

Beneficii exhibitione pater est tantum sensibilium: eorum videlicet quæ vel intellectu, vel ratione, vel sensu uti beneficio possunt; quibus pro capacitate suæ naturæ velut quidam indulgentissimus pater beneficia suæ bonitatis paterno largitur affectu. Angelis quippe cæterisque cœlestium virtutum ordinibus sanctisque animabus jam corpore solutis, divinæ majestatis suæ præsentiam exhibet; justis autem adhuc in carne positis, necessaria præsentis vitæ tribuit et gratiam suam eis inspirat: iniquis autem hominibus et brutis animantibus tantum necessaria corporis administrat. Ex hac ergo providendi benevolentia, omnium viventium Pater nominatur: quod eis in quantum patitur vel natura vel meritum, sua beneficia non desinit exhibere. De hac paternitate intelligitur illud: *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est; qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V). Et alibi: *Respicite volatilia cœli quæ non serunt neque metunt neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa* (*Matth.* VI). Et item: *Nonne quinque passeres veneunt dispondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Patre vestro?* (*Luc.* XII.) Protectione pater est omnium injuste oppressorum: qua eis tanquam pater filiis, et compatiatur affectu, et paterna bonitate subveniat. Tale est quod dicitur in Psalmo: *Turbabuntur a facie ejus patris orphanorum et judicis viduarum* (*Psal.* LXVII). Inter eos quibus protegendo pater est, præcipue dicitur pater orphanorum: ut eos qui parentum naturalium solatio privati sunt, specialiter regere ac protegere intelligatur. Adoptione pater est tantum credentium, quos de potestate diaboli erutos per agnitionem veritatis unigenito et naturali Filio in sortem divinæ hæreditatis velut pater adoptivus associat. Unde amplius: *Misit Deus*

A *Filium suum factum sub lege: ut adoptionem filiorum reciperemus* (*Gal.* IV). Et iterum: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba pater* (*Rom.* VIII). Est autem adoptio jus civile, quo, quis filium alienum, sive ipse liberos habeat, sive nullos, in filium sibi et sortem hæreditatis assumit. Quæ adoptio naturam eatenus imitatur: ut nullus alium optare possit, nisi eum plena pubertate præcedat, id est XVIII annis, tanto videlicet spatio, ut possit esse pater ejus ratione ætatis. Adoptionis autem duæ sunt species: una quæ dicitur adrogatio, et altera qua nomine generis specialiter adoptio nuncupatur. Adrogatio est, qua quis, cum a patre naturali emancipatus est et sui juris effectus, sic optat
B in filium, ut totus transeat in potestatem adoptantis. Adoptio autem est, qua quis sic adoptatur ab alio, ut tamen in potestate prioris patris esse non desinat. Hæc distinctio in his duobus versiculis breviter expressa est:

Adrogo qui suus est: et habet meus esse necesse.
Patris adopto suum, nec patris desinit esse.

Huic igitur bifariæ distinctioni simile quoddam reperitur in adoptione spirituali. Nam quidam per fidem catholicæ veritatis sic a Deo patre adoptantur; ut de potestate diaboli, quem prius non per naturam sed per culpam patrem habuerant erepti, toti in potestatem Dei transferantur, et cum Christo jus paternæ hæreditatis accipiant. Hi vero sunt, qui
C suscepta fide, divina adjuti gratia perseveranter ad finem, bonis operibus insistunt; de qualibus scriptum est: *Si semen Abrahæ estis, ergo filii Dei estis* (*Joan.* VIII). *Quod si filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII). Alii vero sola fide adoptati, sic transeunt in filios adoptionis, ut in eis prior pater diabolus patriam retineat potestatem: hi scilicet qui solo fidei sacramento signati sunt; sed opera fidei, pietatis, ac justitiæ exercere non curant, de quibus potest illud intelligi, quod de Judæis dictum est: *Filii alieni mentiti sunt mihi*, etc. (*Psal* LXXVII), id est quos mihi per fidem adoptaveram, in nequitia permanentes, *claudicaverunt* (*ibid.*). Nec mirum eos qui in potestate diaboli retinentur per fidem solam in filios adoptionis posse transferre:
D cum ipse pater eorum diabolus et confiteatur et credat: quemadmodum in Evangelio scriptum est: *Exibant a multis dæmonia, clamantia: Quia tu es Filius Dei; etiam non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum* (*Luc.* IV). Nota quia plus est clamare quam confiteri simpliciter, plus scire quam credere. Hac igitur specie adoptionis quali qui adoptatur, totus transit in potestatem adoptantis: hi qui et fidem habent et opera fidei, filii Dei facti sunt: quare et ipse eadem adoptione non tam civili quam cœlesti jure pater eorum rectissime nominatur. Et hi quidem convenienter et vere ad ipsum conversi dicere possunt:

CAPITULUM

Pater noster: Ac si dicant: Pater unigeniti Filii

tui per naturam, noster per gratiam. Pater omnium per creandi auctoritatem; noster per recreandi pietatem. Pater universorum, per gubernandi potentiam; noster per salvandi clementiam. Pater omnium viventium per beneficii collationem, noster per æternæ vitæ repromissionem. Pater oppressorum per divinæ virtutis protectionem; noster per internam Spiritus sancti consolationem. Pater omnium credentium per sacramenti perceptionem; noster per fidem et bonam operationem.

CAPITULUM VI.

Qui es in cœlis. Cum ubique totus sit Deus, tamen in cœlis, quæ pars totius creaturæ, videtur excellentior, ob divinæ majestatis reverentiam frequentius esse perhibetur. Sed videndum est in quibus cœlis, et qualiter esse credendus sit. Nam cœli vel cœlorum appellatio plurimas in Scripturis habet acceptiones. Cœlum quippe vel cœli dicitur splendor et sublimitas æternæ divinitatis. Cœlum, ut ibi: *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* v). Cœli vero, ut illud: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x). Item cœlum vel cœli dicitur empyreum cœlum, quod Græci *empyreon* dicunt: quod statim in ipsa sui creatione sanctis angelis repletum est: et in eo cœlestium virtutum ordines, juxta collatam sibi gratiam a Conditore distincti. Cœlum, ut illud quod dicit Dominus in Evangelio: *Angeli eorum in cœlo, semper vident faciem Patris* (*Matth.* XVIII), cœli vero ut alibi: *Nam virtutes cœlorum movebuntur* (*Matth.* XXIV). Similiter cœlum vel cœli dicitur firmamentum, quod Græce *ouranos* appellatur; quod fecit Deus ut divideret aquas ab aquis, sicut scriptum est in Genesi (*Cap.* I): *Fecit Deus firmamentum, et divisit aquas quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum.* Huic autem firmamento, secundum philosophos, omnes stellæ præter septem planetas infixæ sunt: quod ex eo probare se putant, quod semper æqualibus ab invicem interstitiis cum ipso firmamento rapiuntur. Sed et ipse Moyses huic sententiæ philosophorum videtur adstipulari, cum dicit in Genesi (*ibid.*): *Fecit Deus stellas, et posuit eas in firmamento.* Hoc itaque firmamentum, nunc cœlum dicitur, ut ibi: *Et vocavit Deus firmamentum cœlum* (*ibid.*). Nunc vero cœli, ut illud: *Benedicite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino* (*Dan.* v).

Rursum quoque cœlum vel cœli dicitur spatium illud mundi, quod est a firmamento usque ad lunarem globum: quod a Græcis *æther* nominatur, in quo stellæ septem erraticæ, quas Græci *planetas* vocant, hoc ordine distinctæ sunt: ut prima et proxima firmamento sit Saturnus, secunda Jupiter, tertia Mars, sol vero quarta, quinta Venus, sexta Mercurius, septima vero sit luna. Quæ quanto propius accedunt ad firmamentum, tanto ampliori circumferuntur circulo, quanto autem terræ viciniores sunt, tanto breviorem utroque motu, mundano, scilicet et planetico circulum describunt. Quapropter licet omnes ejusdem celeritatis esse credantur, aliæ tamen celerius, aliæ vero tardius peragunt orbes suos: adeo ut Saturnus semel tantum in triginta annis; luna vero singulis mensibus cursum suum perficiat. Hoc igitur mundi spatium de quo loquimur, nunc cœlum Scriptura vocat, ut ibi: *Luna perfecta in æternum et testis in cœlo fidelis* (*Psal.* LXXXVIII). Nunc autem cœlos, ut si quis dicat hoc modo: *Sol et luna, laudate Dominum de cœlis,* id est de illa ætheris regione. Sed et illud spatium quod est a lunari circulo usque ad terram, aerem videlicet ventosum et procellosum, Scriptura nunc cœlum nunc cœlos indifferenter appellat. Cœlum, ut ubi: *Milvus in cœlo cognovit tempus suum* (*Jer.* VIII). Cœlos, ut illud in Psalmo: *Ascendunt usque ad cœlos et descendunt usque ad abyssum* (*Psal.* CVI), id est ad aeris altitudinem et maris profunditatem. Sancta quoque Ecclesia in singulari forma vocis cœlum quandoque nominatur, ut illud in Apocalypsi: *Stellæ cœli ceciderunt, et cœlum recessit quasi liber involutus* (*Apoc.* VI). Pluraliter cœli dicuntur sancti apostoli: quale est illud in Psalmo: *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII). Et item: *Misericordia ædificabitur in cœlis* (*Psal.* LXXXVIII). Amplius quoque cœlum sancta quævis anima; cœli vero quam plures simul nonnunquam solent appellari. Cum enim dicat Dominus per prophetam: *Cœlum mihi sedes est* (*Isa.* LXVI), et rursum alibi scriptum sit: *Sedes Dei anima justi:* patet utique quod quælibet sancta anima, cœlum; plures vero vel omnes simul, etiam cœli pluraliter possunt appellari, ut illud in Psalmo: *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis,* id est in animabus justis (*Psal.* CXXII). Postquam ergo sacræ Scripturæ pagina tam multis rebus vel proprie, vel typice, vel moraliter cœli cœlorumve nomen attribuit: ne ipsam tam venusti nominis expers remaneat, se quoque ipsam spiritualiter eisdem ausa est censere vocabulis. Cœlum quippe dictum est ut in Psalmo: *Extendens cœlum sicut pellem* (*Psal.* CIII). Nunc cœli pluraliter, ut illud: *Elevata est magnificentia tua super cœlos* (*Psal.* VIII), id est super omnes Scripturas; quia gloria Christi ad quem loquitur propheta, nullis potest explicari Scripturis. Et merito quidem sacræ Scripturæ series cœlum aut cœli nuncupatur: quippe quæ non solum divinis præceptis, et sacris admonitionibus et exemplis, in modum cœli, velut quadam stellarum varietate cœlata est; sed etiam mysteriorum cœlestium nobis celat arcana. In his ergo cœlis et si qui præter istos alii reperiuntur, Deum qui nusquam absens est veraciter esse profitemur. Sed qualiter in eis esse credendus sit, illud summopere quærendum est. Neque enim dignum ducimus arbitrari, Creatorem sic esse in creaturis, quemadmodum una illarum in altera esse aut cogitatur aut cernitur.

CAPITULUM VII.

Sunt igitur diversi ac differentes modi, quibus

aliquid in aliquo esse a philosophis, et maxime A Peripateticis deprehensum est. Est enim aliquid in aliquo localiter, id est velut contentum in continente : ut vinum in lagena. Et est aliquid in aliquo prout accidens in subjecto : velut albedo in homine, quia nec subjectum absque accidente, nec accidens nisi in subjecto esse potest. Et est aliquid in aliquo materialiter, id est velut materia in materiato : sive illa in ipso permaneat, ut ferrum in gladio, sive a sua proprietate deficiat, ut in pane, farina et aqua. Est etiam aliquid in aliquo originaliter, ut id quod ab illo ducit originem : sive sub eadem specie teneatur, ut filius ex patre : qualiter nos omnes in lumbis adfuisse testatur auctoritas; sive in aliam speciem transferatur, ut pullus ex B ovo, gramen ex semine. Et est aliquid in aliquo naturaliter, ut elementum in elementato : velut ignis vel aqua in barba vel capillo. Amplius est autem aliquid in aliquo finaliter, ut beatitudo in bona vita, victoria in bello : quoniam illa bonæ vitæ, hæc autem belli finis est. Et est aliquid in aliquo causaliter, ut virtus in laude : quoniam ex virtute laus sequitur. Præterea est aliquid in aliquo tanquam genus in specie, ut in homine animal; quoniam animalis appellatio rectissime homini coaptatur : omnis enim homo animal est. Et est aliquid in aliquo quasi species in genere, velut homo et equus in animali; quoniam sub appellatione animalis tam hic quam ille continetur. Est quoque aliquid in aliquo tanquam species in individuis, ut homo in Socrate et Pla- C tone; quoniam utrique convenit hominis appellatio : uterque enim homo est. Et est aliquid prout individua in specie, velut in homine Socrates et Plato; quoniam uterque sub hac specie continetur. Rursum est aliquid in aliquo ut totum in partibus, velut homo in anima et corpore : quoniam in his duobus totaliter homo subsistit. Et est aliquid in aliquo ut partes in toto, velut in homine anima et corpus : quoniam ex his tantum duobus constituitur homo. Cum ergo his omnibus et forte pluribus modis aliquid in aliquo esse dicant philosophi : *Deus nullo istorum omnium vel in cœlis, vel in re aliqua esse credendus est.* Neque enim alicubi est ut contentum in continente; quoniam ipse omnia continet, et continetur a nullo. Nec rursum ut accidens in sub- D jecto : quoniam ipse accidens non est, sed ineffabilis naturæ pura et simplex essentia. Sed neque ut materia in materiato : quoniam ipse omnium rerum est artifex, ita ut nullius materia. De cæteris quoque nisi prolixitatem fugeremus, similia conjici possent : ex quibus Deum nullo prædictorum modo, vel in cœlis esse vel in aliqua creatura, facillime probaretur. Verumtamen ut aliquid de tanta re præsumatur, convenienter ut arbitror, dici potest : Deum quidem in seipso propria virtute subnixum esse atque subsistere; in angelis autem cœlestibus et sanctis animabus jam corpore exutis, per præsentem divinæ majestatis gloriam; in his vero sanctis qui adhuc in carne positi sunt, per inhabitantem gratiam; in reliquis omnibus per essentiam, potentiam atque præsentiam.

CAPITULUM VIII.

Prima petitio : De sanctificatione nominis :

Sanctificetur nomen tuum. Præmissa invocatione Patris, quam Filius ipse monstravit qui noverat Patris affectum; quibus videlicet verbis ad exaudiendum facillime moveretur : primo septem petitiones Dominicæ orationis, eodem ordine quo ab ipso positæ sunt, exsequi studeamus. *Sanctificetur,* inquit, *nomen tuum.* Prima petitio est de sanctificatione nominis : et ideo quod sit hoc nomen, qualiterve sanctificari valeat, curemus inspicere.

CAPITULUM IX.

Nomen igitur Patris, sive Deus sive Pater dicatur, bifariam distingui potest. Aut enim in sola voce consistit; aut in re tantum. Vocale nomen est, quod tantum in sono vocis positum est : et ex sonis elementaribus compactum proferri potest, et signis visibilibus repræsentari, ut hæc vox Deus, quæ adeo in sola vocis prolatione posita intelligitur, ut uno tempore in ore diversorum hominum et diversis in locis audiatur. Nomen autem reale nil aliud est quam ipsa res; id est gloria divinæ majestatis : quemadmodum aliquis magni nominis dicitur non quia nomen ejus pluribus litteris abundet; sed quia ipse magnæ est auctoritatis et famæ. Et nomen quidem vocis, sicut ab homine inventum est, ita ab homine diffiniri potest, ut dicatur vox significativa ad placitum, cujus partes nihil extra significant. Nomen autem reale nec ab homine est inventum, nec ab homine potest diffiniri : nisi forte quis ita diffiniat esse rem quamdam pro sui magnitudine indiffinibilem, adeo puram et simplicem, ut nullæ ejus partes vel accidentia valeant reperiri. Amplius autem vocale nomen, quoniam in hominum arbitrio positum est, secundum diversa linguarum idiomata variatur. Unde pro eo quod Latine dicitur *Deus,* Hebræi quidem *hel,* Græci autem *theos* dicere solent. Similiter pro eo quod apud nos est *pater,* Hebræis *ab,* Græcis vero *pater* in usu est. Nomen autem reale quia non in hominis arbitrio, sed in natura deitatis vel potius ipsa deitas est : nulla ratione variatur, sed suapte natura et propria stabilitate firmum permanet incorruptum sicut scriptum est : *Et nomen ejus in æternum permanet.* Hoc utique est nomen illud, de quo dicit Salvator : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo* (*Joan.* XVII). Nam si de voce nominis hoc diceretur, quid magnum foret tanto doctori nomen Dei quod in illa lingua vix trium litterarum vel potius duarum est, id est *hel,* hominibus quos de toto mundo elegerat manifestasse. Sed erat aliud nomen magnum valde et immensum, quod nemo docere poterat præter ipsum, nemo tunc intelligere idoneus erat præter illos : illud utique nomen, de quo dicit Psalmista : *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum* (*Psal.* CXII). Hoc est illud nomen, quod laudabant tres pueri in fornace, dicen-

tes: *Benedictum nomen gloriæ tuæ quod est sanctum* (*Dan.* III) *In Israel*, inquit, *magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV). Non utique illud monosyllabum, sive diagrammatom *hel*, quo vix ullum vel minus vel brevius esse potest; sed illud *quod est super omne nomen*, quod nominatur in cœlo et in terra, quo mundus regitur universus, quod angelis hominibusque timendum est, quod ipsa etiam tartara contremiscunt. Illud siquidem nomen in Israel magnum est; quia apud eos qui per contemplationem divinæ celsitudinis gloriam vident et intelligunt. Hoc enim utcunque Israel, interpretatur æternæ Divinitatis nomen et magnum et immensum et omnino ineffabile. Hoc est illud nomen quod operatur in sacramentis Ecclesiæ, in quo jussit Dominus apostolis baptizare, dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). In nomine dixit, non in nominibus; quia licet tria sint personarum vocabula, id est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; unum tantum est nomen in rei natura, id est una majestas, una virtus, una sublimitas. Hoc igitur utcunque nomen qualiter sanctificari possit, quod Dominus orandum esse monebat prout ipse donaverit, studeamus inquirere.

Ante Salvatoris adventum, cum *notus* tantum esset *in Judæa Deus* (*Psal.* LXXV), et in illa, paucissimis: gentes autem omnes per circuitum non habentes veri Dei notitiam, ligna colerent et lapides: hoc nomen vocale quod est Deus, quasi vile et profanum erat: quippe quod non solum puris hominibus, utpote Jovi, Marti, ac Mercurio, sed etiam lapidibus et lignis, amplius autem ipsis quoque dæmonibus conveniret. At vero postquam Salvator primus, et post ipsum apostoli prædicare cœperunt unum esse tantum cui hoc nomen singulariter deberet ascribi: tunc nomen illud in cordibus audientium sanctificari cœpit, et sanctum et solo Deo dignum judicari. Tunc enim illud legis præceptum quod apud Judæos fere oblitteratum erat: *Audi, Israel, Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI), ipsis etiam gentibus innotuit, ac per hoc multitudo deorum reprobata est. Quod quia tempore et officio apostolorum futurum erat: ideo primum de sanctificatione nominis postulanda illos Dominus instruebat. Similiter et illud reale nomen, quod non aliud est quam ipsa natura Deitatis, antequam homines per fidem agnoscerent, paucissimis sanctum erat: non quia non sanctum esse poterat, sed quia nec esse putabatur. At vero prædicante Christo, et post ipsum apostolis, cum homines unum et verum Deum et credere et confiteri certatim inciperent: hoc nomen sanctificatum est: non quia sanctum esse cœpit, sed quia sanctum esse innotuit. Jam enim et antea de eodem nomine dixerat Psalmista: *Sanctum et terribile nomen ejus* (*Psal.* CX), et alibi: *Benedic, anima mea, Domino: et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus* (*Psal.* CX). De hac sanctificatione nominis Dominus loquitur per prophetam, dicens: *Dum sanctificatus fuero in vobis* (*Ezech.* XXXVI). Quod quidem tunc impletum est, quando prædicantibus apostolis, vocale nomen quod prius blasphemabatur in gentibus, ob reverentiam unius Dei in honorem et gloriam receptum est: et reale nomen, id est ipsa Deitatis essentia, quæ prius nec esse putabatur, conversis ad fidem gentibus, et esse et sanctissimum esse deprehensum est. Potest etiam paterni nominis appellatione unigenitus Dei Filius non incongrue designari; per cujus præsentiam et prædicationem cœlestis Pater mundo innotuit: quemadmodum aliquis ante ignotus, exhibitione sui nominis notescere solet. Quod quidem tunc agebatur, cum Dominus in Evangelio diceret: *Pater, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII). Clarificato enim Filio per gloriam resurrectionis, etiam ipse Pater mundo clarificatus innotuit. De hoc nomine sic ait propheta: *Ecce nomen Domini venit de longinquo et claritas ejus replet orbem terrarum* (*Isa.* XXX). De longinquo venit Filius Dei, quia de cœlo in terram, non mutatione loci, sed incarnatione Verbi. De longinquo venit, quia de divina natura in humanam: non illam relinquemdo, sed istam assumendo; non depositione virtutis, sed susceptione nostræ infirmitatis. De hoc nomine dicebat Dominus per Ezechielem prophetam: *Sanctificabo nomen meum magnum, ut sciant omnes quia ego Dominus* (*Ezech.* XXXVI). Hoc itaque nomen tunc sanctificatum est; quando, Domino moriente ac resurgente, et ad cœlos ascendente, divina virtus quæ prius in ipso tanquam mortali homine latitabat, per quam hæc omnia fieri potuerunt, magna et ineffabilis et omni sanctitate digna cœpit æstimari. De hac sanctificatione paterni nominis, id est suiipsius, agebat Salvator, cum de discipulis suis aliisque qui per illos credituri erant in ipsum, ita loqueretur ad Patrem: *Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* (*Joan.* XVII). Fit autem hæc nominis sanctificatio per spiritum timoris quem Isaias, quando de illo agebat qui de cœlis ad terram erat descensurus, inter spiritualia dona novissimum collocavit: a spiritu sapientiæ incipiens, et ad illum usque per media quinque descendens hoc modo: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). Homini vero de terra ad cœlum redire cupienti, idem spiritus timoris primo omnium necessarius est: ut per eum humiliatus ad altiora gratiarum dona gradatim ascendat: eundo videlicet *de virtute in virtutem*, ut videatur *Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXV). Per hunc igitur spiritum timoris, salubriter humiliatus est homo, et virtutem humilitatis adeptus, ac sese Domino subjiciens, nomen illud sanctum et gloriosum admirari cœpit et colere, dicens pariter cum Psalmista: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra* (*Psal.* VIII). Unum et huic primæ virtuti humilitatis, quæ non aliud quam pauper-

tas spiritualis est, ne frustra currere videatur, regnum cœlorum promittitur, dicente in Evangelio Salvatore : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Et merito quidem hoc : ut qui in hac vita spontanea humilitate divinæ servituti sese subjiciunt, in regno æternitatis cum ipso glorientur.

CAPITULUM X.

Secunda petitio de adventu regni.

Adveniat regnum tuum. Secunda petitio est de adventu regni illius, cujus sanctificato nomine, tam gloriosa et clara præcurrit opinio. Et pulchro quidem hoc ordine ita digestum est : quemadmodum hi qui regem non habent, magnum quemdam virum cujus famosa est et clara auctoritas, regem se habere desiderant et dicunt : *Veniat ille quem nobis talem fama vulgavit : veniat et regnet super nos.* Sed quid sit hoc regnum cujus adventum tantopere postulari oportet, operæ pretium est intueri. Neque eum Deus rex noster ante sæcula uno tantum regno contentus est, pluribus regnis dominatur. Regnat quippe in cœlesti gloria, regnat in omni creatura, regnat in Ecclesia, regnat in qualibet anima sancta. Regnat in primo regno per præsentem atque conspicuam suæ majestatis gloriam, qua cœlestes angelos ac beatos spiritus lætificat, et pascit et satiat. Regnat in secundo per incircumscriptam divinæ virtutis potentiam; qua omnia quæ ab ipso condita sunt et regit et continet et servat. Regnat in tertio per ineffabilem suæ pietatis clementiam, qua eos qui per infidelitatem ab ipso recesserant, et vocat et colligit et purgat. Regnat in quarto per inhabitantem suæ bonitatis gratiam, qua sanctam animam et fovet et instruit et salvat. Primum regnum est majestatis et gloriæ, secundum virtutis et potentiæ, tertium pietatis et clementiæ, quartum benignitatis et gratiæ. Horum omnium Deo quidem cui omnia præsentia sunt, nullum advenire potest; cui nihil vel adventitium vel recens est : quia sicut nihil habet amissibile, ita nihil recipit accessibile. Licet enim nihil sit Deo coæternum ; tamen quia nihil unquam ignorare potuit, et omnia semper in ejus præsentia fuerunt : etiam ea quæ ex tempore esse cœperunt, semper ei præsentia quodammodo astiterunt. Regnavit ergo Deus ab æterno in gloria cœlesti, id est in seipso : etiam antequam esset creatura quam sui regni posset habere participem. Regnavit et in omnibus creaturis; quia cum nondum esset in rerum natura, jam tamen ei subjectæ erant in ejus præscientia. Regnavit in Ecclesia; quia, licet eam nondum collegisset per misericordiam, jam tamen in sua æternitate prævidebat colligendam. Regnavit et in sanctis animabus; quia, licet nondum eas salvasset per gratiam, jam tamen certissime scriptas habebat ad vitam. Vides ergo quia nullum horum regnorum Deo vel potuit vel potest advenire : et ideo iste regni adventus non ei sed nobis optandus atque postulandus est. Advenit enim nobis regnum æternitatis, cum nobis ad illa pervenire contigerit. Advenit creaturæ regnum Creatoris, cum ei esse incipienti feliciter accidit talem habere Creatorem et Dominum. Advenit Ecclesiæ regnum Dei, cum ei salubriter accidit de regno diaboli in regnum ejus per fidem catholicam transmigrare. Advenit sanctæ animæ regnum ejus, cum ipse per inhabitantem gratiam eam solari cœperit et fovere. Et primum quidem regnum præ cæteris omnibus optandum atque petendum est, quasi fructus et præmium et finis aliorum. Sed secundum hanc prioris ordinis expositionem, de regno Ecclesiæ hæc accipienda sunt cujus adventus eo tempore quo Dominus ista loquebatur optandus, et omni precum instantia flagitandus erat : quemadmodum apostoli tempore primitivæ Ecclesiæ assidue vacabant orationi; sicut legitur in Actibus Apostolorum : *Et erant*, inquit, *unanimiter perseverantes in oratione Dei* (*Act.* I); videlicet pro ipsius Ecclesiæ profectu. Nam regnum ejus in creaturis omnibus quidem gratum atque jucundum esse debet ; optari tamen aut postulari superfluum est, quia sive volentibus nobis, sive nolentibus, auctor universorum in rebus quas condidit dominatur et regnat, sicut scriptum est : *In voluntate tua, Domine, universa sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ; tu enim fecisti omnia : Dominus universorum tu es* (*Esther.* XIII). De regno autem Ecclesiæ quod eo tempore recens erat, et in paucis cœperat coalescere, et tunc quidem ut cresceret aut proficeret, veluti quidam bonæ frugis proventus, discipulos orare oportet : et quibusque quotidie fidelibus usque ad finem sæculi, ut perseveret et vigeat optandum est. Nam quicunque per fidem secundum temporum successiones regno incorporantur Ecclesiæ, eis ut jam diximus hoc regnum credimus advenire. Sed et de regno ejus in sanctis animabus, idem fere dici potest : cum nil aliud sit Ecclesia nisi sanctarum collectio animarum : ut quod de illa colligitur in summa, de istis intellectum accipiatur in singulis. Fit autem iste regni adventus per spiritum pietatis, quando anima Spiritu sancto afflata, ac per hoc pia et mitis effecta regnanti Deo se sponte subjicit, quod summa pietas est : sicut econtrario eum a se repellere crudele et impium; sicut fecerant illi de quibus idem Dominus dicit : *Abjecerunt me, ne regnem super eos* (*I Reg.* VI). Huic virtuti pietatis promittitur possessio terræ, cum Dominus dicit : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* v). Non hanc utique præsentem, in qua crudeles et impii maxime dominantur ; sed illam de qua dicit Psalmista : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI). Et nota hoc satis moraliter dictum esse : quemadmodum solent reges his qui sponte eorum subjiciuntur ditioni, terram tradere possidendam, quam superbis atque rebellibus extorquent

CAPITULUM XI.

Tertia petitio : Ut fiat voluntas Dei.

Fiat voluntas tua, etc. Adventum regni sequitur

regiæ voluntatis exsecutio, qua valde necessarium est, ut quem tibi regem elegeris, ejus studeas adimplere voluntatem. Nam quicunque regnantis super se voluntati refragatur, non modo de humilitate gratiam non acquirit, verum etiam de contumacia supplicium promeretur. Nam sicut scriptum est : *Servus sciens voluntatem domini sui et non faciens, plagis vapulabit multis* (*Luc.* XII). Quæ autem sit hæc Patris voluntas quam nos fieri postulamus, illud inspicere commodum est. Voluntas enim Dei diversis modis accipitur. Dicitur quandoque voluntas et beneplacitum ejus æterna dispositio, qua bona tantum disponit et ordinat; de qua dicit Apostolus : *Voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* (*Rom.* XII). *Bona*, quia Deus ea non vult, id est non disponit nisi bona et bene. *Beneplacens*, his qui eam intelligunt, vel cujus eum nunquam pœniteat. *Perfecta*, id est bonorum omnium collectione consummata. Dicitur etiam voluntas Dei ejus permissio, qua mala tantum fieri permittit et tolerat : non quia de voluntate ejus sit ut fiant mala; sed quia cum possit prohibere nec tamen prohibeat, videtur quibusdam volendo malis præbere consensum. Sed et voluntas ejus dicitur consilium aut præceptum, pro eo quod signum voluntatis ejus est; quia per illud se aliquid fieri vel non fieri velle significat. Operatio quoque Dei voluntas ejus appellari solet; quoniam Deus qui cogi non potest nihil operatur nisi volens : cui non est aliud velle et aliud operari, sicut scriptum est : *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra* (*Psal.* XIV).

Prima voluntas efficiens est causa bonorum omnium, quæ vel Deus ipse facit, vel alius ipso auctore. Secunda est spontanea et justa permissio omnium malorum, quæ vel diabolus ipse facit vel alius ipso auctore. Quæcunque igitur Deus vel propria bonitate facit, vel per gratiam suam ab aliis fieri conceditur, vel secundum suam æquitatem juste decernit : omnia hæc de prima Dei voluntate procedunt veluti est rerum creatio, generis humani redemptio, temporalium seu spiritualium bonorum collatio, præmiorum atque pœnarum justa retributio. Quæ autem diabolus vel ipse facit, vel alios ut faciant impellit : omnia ad secundam pertinent voluntatem, utpote prima angeli vel hominis prævaricatio, diaboli perversa et indefessa suggestio, hominis in consensu prava delectatio, in actu mali operis administratio. Quæ omnia idcirco ad Dei voluntatem dicuntur pertinere, non quod Deus ea velit, sed quia permittit; quoniam juxta usum hominum velle videtur is qui cum possit prohibere non prohibet. Voluntas ergo Dei efficiens tantum, ut diximus, de bonis est : permittens vero tantum de malis; quamvis et ipsa permissio, quandoque solius culpæ est; quandoque solius pœnæ, quandoque autem culpæ simul et pœnæ. Cum enim Deus, ut scriptum est (*Job* XXXIV), permittit regnare hypocritam, culpæ tantum est illa permissio : quoniam regnanti hypocritæ A culpa est, et pœna non est. Cum vero permisit Paulum (*II Cor.* XII) stimulo carnis suæ colaphizari, solam pœnam permisit et non culpam; quoniam in illa tentatione pœna fuit et culpa non fuit. Cum autem permisit Judam seipsum laqueo suffocare (*Matth.* XXVII), utrumque permisit, quoniam illud Judæ suspendium culpa simul et pœna fuit. Sed culpa quæ vitio non caret permissione utitur; pœna vero quæ meritum parit vel culpam punit, ab æterna potius Dei dispositione descendit. Voluntas igitur Dei, ut jam sæpe dictum est, aut efficiens est, et tantum bonis præstat originem; aut permittens, et mala non prohibet perpetrari. Consilium autem seu præceptum, essentialiter quidem nec bonis nec malis causa est; sed ob hoc tantum Dei voluntas dicitur, quia quod B Deus jubet, aut consulit, id eum velle præsumimus. Reperimus tamen Deum et præcepisse quod fieri non volebat, ut Abrahæ de filio immolando (*Gen.* XXII); et præcepisse non fieri quod tamen fieri volebat, veluti de his quibus prohibuit ne publicarent miraculum ejus; illi vero abeuntes diffamaverunt eum per universam regionem (*Matth.* IX). De voluntate Dei quæ dicitur ejus operatio, dicit Augustinus : *Quia nihil fit quod Deus non velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Vides quia eum velle dixit, tam sinendo quam faciendo : quare voluntas ejus est tam ejus permissio quam operatio. Hæc est illa voluntas quam implorabat leprosus cum diceret : *Domine, si vis, potes me mundare* (*Matth.* VIII) : in C voluntate Domini sciebat esse operationem. Cum ergo tot modis dicatur voluntas Dei, id est beneplacitum ejus, aut permissio, sive consilium, aut præceptum, vel etiam operatio : beneplacitum ejus ut fiat, orare nullomodo necesse est; quoniam illud semper vel a nobis vel de nobis inevitabiliter adimpletur. Frustra igitur peteretur ut fieret quod ne fiat omnino impediri non potest. Permissio quoque ejus ut in nobis impleatur, orandum non est : quoniam hoc nil aliud esset nisi eum rogare ut ipso permittente malum aliquod faceremus. Illa quoque Dei voluntas quæ dicitur ejus operatio ut fiat rogandum non est : cum et inter homines id quod jam est in opere quominus fiat mutari non possit. Voluntas enim Dei non prius dicitur operatio, quam D cœperit operis effectu adimpleri. De consilio autem aut præcepto, quorum alterum necessitatis est, alterum vero in voluntate consistit, summa devotione Pater cœlestis orandus est, quatenus ejus opitulante gratia, vel illud necessario, vel istud voluntarie : utrumque autem feliciter in nobis impleatur. Hæc nimirum est illa voluntas quam fieri postulamus, dicentes : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra :* non quod in regno æternitatis consilium sit aut præceptum, ubi nihil deest quod vel juberi vel suaderi oporteat; sed sicut ibi omnia divinæ consonant voluntati : ita et hic vel consilia ejus per plenam virtutum perfectionem, vel præcepta saltem per communem justitiam in nobis adimpleantur. Hæc Dei voluntas impletur per spiritum

scientiæ quæ de terrenis est; quem cum acceperit homo, considerans in his temporalibus et transitoriis nullam esse beatitudinem : dolensque se deceptum quod in eis aliquando spem habuit, convertitur ad facienda præcepta Dei sive consilia; quæ cum fecerit homo vivet in eis (*Ezech.* xx), et ab ipso præmia æternitatis accipiet. Unde duplici dolore permotus, totus resolvitur in luctum et lacrymas : tum quia hæc temporalia inutiliter secutus est, tum quia illi servire a quo vera præmia speranda sunt tandiu detractavit. Huic autem luctui promittitur æterna consolatio, dicente Salvatore : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v). Tunc procul dubio quando *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum suorum; et jam non erit amplius neque luctus, neque dolor, quoniam tempora transierunt* (*Apoc.* II).

Aliter quoque dici potest : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, id est sicut angeli natione cœlestes : ita et homines de terra compositi, tuæ sanctissimæ obtemperent voluntati. Tertio quoque modo : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, id est tam in anima quæ natura cœlestis est : quam in corpore de terra concreto : nihil tuæ voluntati reperiatur contrarium. Quod ut fieri possit, necesse est nos interim in hac valle lacrymarum velut esurientes famulos assiduis ejus beneficiis ac si quodam cibo sustentari. Famulus quippe a fame denominatur : is videlicet qui tempore necessitatis ideo pascitur ut serviat : ideo servit ut pascatur, et finito servitio condignam recipiat mercedem : ita et nos et in hac quidem vita Domino servientes, tam temporalibus quam spiritualibus indigemus subsidiis; et post finem laboris nostri, præmium æternæ beatitudinis exspectamus. Beneficia igitur Dei Patris ad vitam nobis promerendam necessaria, auctore Filio postulantes, solemus adjungere.

CAPITULUM XII.

Quarta petitio, de panis alimonia.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Panis vocabulum apo toy Græco *pan*, quod *omne* vel *totum* interpretatur, ipsa vocis affinitate sumptum est. Significabat autem apud veteres omne id quod pro cibi refectione sumebatur : quemadmodum in Genesi (*cap.* XXVIII) legitur Jacob dixisse : *Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via ista quæ ego ambulo, et dederit mihi panem ad edendum*, et cætera quæ sequuntur. Quem utique corporis cibum, cum necesse fuerit a Deo postulare, nec improbabile nec malum est, dummodo sine multa sollicitudine postuletur : nam in petendis necessariis, humilitas postulandi conceditur, sollicitudo autem prohibetur, dicente Domino : *Nolite solliciti esse dicentes, Quid manducabimus aut quid bibemus? Scit enim Pater vester cœlestis, quid vobis necesse sit* (*Matth.* VI). Verum si de solo corporis cibo hoc esset intelligendum, indigna tanti doctoris auctoritate videretur ista petitio. Quocirca non tam de cibo corporis quam de pane spirituali in hac petitione agi videtur; qui qualis sit, quantum nobis erit possibile videamus. Panis itaque spiritualis vel mysticus, sicut diversus est, ita diverso modo sapit, et diversos habet effectus, et diversis sumitur modis. Panis est verbum divini eloquii, panis est caro Christi, panis est gratia Spiritus sancti, panis est compunctio animi, panis est dilectio Dei et proximi, panis est contemplatio cœlestis secreti, panis est spes futuri præmii, panis est gaudium regni, panis est omne id quo spiritualiter fovemur in peregrinatione hujus mundi. De primo pane dicit Propheta : *Parvuli petierunt panem, et non fuit qui frangeret eis* (*Thren.* IV); de secundo, Salvator in Evangelio : *Panis quem ego dabo caro mea est, pro mundi vita* (*Joan.* VI); de tertio, in libro filii Sirach : *Melior est qui laborat et abundat in omnibus quam qui gloriatur et eget pane* (*Eccl.* x); de quarto dicit Psalmista : *Cibabis nos pane lacrymarum* (*Psal.* LXXIX), et alibi : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI); de quinto item Salvator in Evangelio : *Si petierit panem, nunquid pro pane lapidem dabit illi?* (*Luc.* XI.) Ac si dicat : Si quis a te petierit affectum dilectionis, non debes adversus eum in rigorem lapidis obdurari. De sexto habes in parabolis Salomonis : *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior* (*Prov.* IX). Verba enim hæc stultæ sunt mulieris, id est hæreseos, secretam suam doctrinam et contemplationem cœlestium catholicæ doctrinæ et congregationi præferentis : ubi aqua ad doctrinam, panis ad contemplationem referatur. De septimo sic laudatur Ecclesia : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum* (*Prov.* XXXI). De octavo, rursus in Evangelio : *Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum* (*Luc.* XIV), id est qui in regno æternitatis Dei præsentia satiabitur. De omni eo quo spiritualiter fovemur in hac vita, illa prodigi filii verba possunt intelligi : *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus* (*Luc.* XV); quia omnes in Ecclesia qui pro æterna mercede Deo serviunt, multimodis divinæ gratiæ reficiuntur alimentis.

Primus panis sapit disciplinam, secundus medicinam, tertius sanctimoniam, quartus acrimoniam, quintus benevolentiam, sextus dulcedinem, septimus fortitudinem, octavus jucunditatem. Primus digerit et dietat, secundus reficit et vegetat, tertius custodit et firmat, quartus pungit et stimulat, quintus afficit et mitigat, sextus allicit et invitat, septimus fovet et animat, octavus pascit et satiat. Primus sumitur aure et corde : nunc tantum aure, nunc tantum corde, nunc aure simul et corde. Tantum aure sumitur, quando verbum Dei aure quidem auditur, sed corde non percipitur. Tantum corde sumitur, quando aure quidem non capitur, sed animo cogitatur. Aure simul et corde sumitur, quando et aure auditur, et animo retinetur. Secundus sumitur ore et mente : nunc tantum ore, nunc tantum mente, nunc ore simul et mente. Ore tan-

tum sumitur, cum sacramentum corporis Christi A ore quidem suscipitur : res autem et utilitas nequaquam mente percipitur, quod indigne sumentibus contingere solet. Mente tantum sumitur, cum sacramentum non capitur : res autem ipsa in anima operatur, quod tantum ad justos pertinet, sive intra septa Ecclesiæ sive extra corporaliter habeantur. Ex quo manifestum est, quandoque verius et melius hunc panem sumere mulierculam in angulo Ecclesiæ latitantem, aut, etiam agricolam in agro laborantem, quam sacerdotem vel episcopum sacris altaribus assistentem. Hoc utique sensisse videtur Augustinus, in eo quod dixit : *Manducans non manducat, et non manducans manducat; quia frequenter qui manducat in sacramento non manducat in re, et qui non manducat in sacramento, re atque utilitate* B *manducat*. Reliqui omnes præter octavum corde tantum sumuntur; quia solo corde gratiam Spiritus sancti accipimus, solo corde compungimur, solo corde diligimus et contemplamur et speramus. Octavus autem omnibus et totis sensibus et animæ et corporis, in æterna beatitudine sumetur : quando omnes electi resumptis corporibus divinæ visionis gloria satiabuntur, quemadmodum dicit Psalmista : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI), et item : *Justi epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia* (*Psal.* XVII). Septem igitur hi panes in hoc vitæ præsentis septenario necessarii sunt, et ideo postulandi, quibus velut quodam viatico tendentes ad patriam in itinere sustentemur. Oc- C tavus autem in illa octava communis et magnæ resurrectionis apponendus nobis in patria reservatur; quo sancti omnes in æterna beatitudine perfruentur : majori utique miraculo quam illi quinque panes evangelici totidem millibus hominum ad unius horæ refectionem suffecerunt (*Joan.* VI). Patet itaque quod ille panis æternæ jucunditatis qui filiis in patria reservatur, in hac quidem vita optari et peti potest : impetrari autem et obtineri non potest. Reliquos autem septem panes nobis in via necessarios, a Patre cœlesti qui dat bona data petentibus se (*Matth.* VII), postulamus cum dicimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Nostrum hodie, dies est hodierna, nostrum hodie dies hesterna fuit, nostrum hodie dies crastina erit, no- D strum hodie totum est spatium hujus vitæ præsentis. Cum ergo dicis hodie, idem est ac si diceres : Quandiu sumus in hac vita temporali.

Panem, inquit, *nostrum quotidianum*, id est quotidie necessarium, quotidie fruendum, cujusmodi edulio nullo unquam tempore quandiu sumus in via salubriter carendum est. Nam et panem divini sermonis per assiduam meditationem, et panem corporis Christi per fidei sinceritatem, et panem gratiæ spiritualis per internam refectionem, et panem compunctionis per cordis contritionem, et panem dilectionis per charitatis affectionem, et panem contemplationis per secretam delectationem, et panem spei per securam exspectationem : omnia hæc pro captu nostræ infirmitatis, re ipsa nobis semper adesse necesse est. Nec illud nunc dicimus, quod harum rerum omnium actiones indesinenter exercere valeamus : sed res ipsas nobis semper inesse, et possibile est et necesse. Neque enim est aliquis qui sacræ Scripturæ verba semper vel audire vel legere possit vel in eis meditari, sed qui semper hæc faciendi voluntatem habet, is facere judicatur, exemplo illius qui dicebat : *Meditabor in justificationibus tuis semper* (*Psal.* CXVIII), et alibi : *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi* (*ibid.*). Et Salvator in Evangelio : *Si dilexeritis me et verba mea in vobis manserint, quodcunque petieritis fiet vobis* (*Joan.* XV). Simili modo nec ullus est qui omnibus horis sacramentum altaris actualiter sumere queat, sed qui per fidei puritatem et charitatis unionem Christum sibi incorporat eique incorporatur, hunc panem Dominici corporis indesinenter manducat. Hunc panem indesinenter masticandum putabant illi qui dicebant : *Domine, semper da nobis panem hunc* (*Joan.* XVI), cum semel sumptus nisi propter mortale peccatum nunquam desinat manducari. Panem quoque gratiæ spiritualis hunc jugiter manducare dicimus, qui gratia Spiritus sancti assidue fovetur et proficit; quemadmodum Joannes Baptista, qui repletus Spiritu sancto ex utero matris suæ (*Luc.* I), sicut de ipso angelus patri promiserat, in eadem Spiritus sancti gratia jugiter perseveravit et profecit. Similiter panem compunctionis ille sumit assidue, non qui semper compungitur : hoc enim impossibile vel rarum est, sed qui sanctæ compunctionis semper habet propositum, exemplo illius qui dicebat : *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L). Et Jacobus ait : *Miseri estote et lugete; risus vester vertatur in luctum, et gaudium in mœrorem* (*Jac.* VIII). Sed et panem dilectionis semper ille manducat, non qui semper actum diligendi exercet : quod, ut credimus, nemo facit, sed qui nunquam dilectionis mutat affectum. Hic panis qualiter assidue manducari possit et debeat, ostendit Apostolus : *Ante omnia*, inquit, *fraternam charitatem in vobismetipsis continuam habentes* (*I Pet.* IV). Hoc et de pane contemplationis intelligendum est eum semper hoc pane refici, non qui semper contemplatur, quod humanæ infirmitatis non est, sed qui nunquam desiderium amittit contemplandi, juxta illud Apostoli : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram; quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Col.* III). Pane nihilominus spei ille semper fovetur et pascitur, non qui semper sperandi actum intendit, sed a quo nunquam recedit illa mentis securitas, exemplo Psalmistæ dicentis : *Ego autem semper sperabo* (*Psal.* LXX). Quod ergo panem quotidianum postulamus, non actum continuum, sed jugem sancti propositi designat intentionem. Huic quartæ petitioni plurimum convenit spiritus fortitudinis, quoniam ipse spiritus, ut paulo antea diximus, panis est; et sic panis edulium cor-

pus, ita et ipse animam corroborat et confortat. A Hunc panem esurienti, qui non aliud est quam justitia, nec enim potest haberi justitia nisi per virtutem Spiritus sancti, promittitur saturitas cum Dominus dicit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v). Tunc utique, cum illud impletum fuerit quod dicit Salvator : *Ut edatis et bibatis in mensa mea* (*Luc.* xxii); ut edere ad esuriem, et bibere ad sitim justitiæ referatur.

LIBER DECIMUS.

De tribus reliquis Orationis Dominicæ petitionibus.

CAPITULUM PRIMUM.

Quinta petitio, de remissione debitorum.

Sanctificato igitur nomine Patris in nobis, postquam eum nobis ultimo regem ascivimus, voluntatem ejus fieri optavimus, quotidianum panem quo in ejus servitio pasceremur accepimus : nulla superesse videbatur occasio, cur jam nostris ulterius molestaretur offensis. Nam certe nequissimum est, cum cujus optimam famam acceperis, cujus te dominio sponte subjeceris, voluntatem ejus fieri postulaveris, et ipse facere promiseris, a quo quotidiani victus alimoniam impetraveris, recidiva denuo provocare injuria. Sed, quia nec infans unius diei sine peccato vivere potest super terram (*Job* xxv), et justus septies in die cadit et resurget (*Prov.* xxiv); resurgere autem non potest nisi per remissionem peccati, ideo necessario in hac oratione subjectum est :

CAPITULUM II.

Et dimitte nobis debita nostra. Debitorum in Scripturis diversa genera reperimus : et ideo de quo genere hic agatur quærendum est. Est enim debitum ex contractu, debitum ex officio, debitum naturæ, debitum justitiæ, debitum pietatis, debitum honestatis, debitum necessitatis, debitum gratiæ, debitum culpæ. Debitum ex contractu est, quo quis alii tenetur ad aliquid dandum vel faciendum, ex utriusque consensu. Hoc genere debiti, tam Deo quam homini solemus obligari. Deo quippe obligamur, cum sub ejus potentia quæ nusquam deest, et ideo nihil potest ignorare, pro ejus amore nos aliquid daturos facturosve promittimus. Daturos quidem, quemadmodum fecit Zacheus, qui dimidium bonorum suorum se pauperibus daturum promisit (*Luc.* xix); facturos autem, ut hi qui vel continentiam servare, vel aliquas ferias jejunare, vel limina sanctorum visitare, vel etiam omnino sæculo renuntiare privatim vel publice pollicentur. Homini autem obligamur, quemadmodum in stipulationibus fieri solet, cum, alio stipulante, alius se daturum aliquid facturumve promittit, hoc modo : *Mevi, in Kalendis Januariis centum aureos dare spondes? Spondeo. Dabis? dabo. Promittis? Promitto.* Quod igitur inter homines ex utriusque consensu contractum est, contrario eorum consensu dissolvi potest. Quod autem Deo promis- B sum est, si rationabiliter impleri potest, Deus non dimittit, nisi fiat aliud æque bonum vel melius, cum scriptum sit in Psalmo : *Vovete et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* lxxv). Sed neque ut dimittat ab ipso petendum est, quoniam hoc esset nostræ levitatis et inconstantiæ ipsum velle habere fautorem. Debitum ex officio est id, quod faciendum tenetur quis pro exigentia personæ quam gerit, id est, quod eum facere oportet secundum suæ personæ dignitatem. Officium enim est congruus actus personæ secundum mores et instituta civitatis. Quibus debiti varietatem satis copiose determinavit Apostolus : diversarum personarum designans officia, cum dixit : *Viri, diligite uxores vestras; mulieres, subditæ estote vestris viris* (*Ephes.* v); *filii, obedite parentibus vestris; patres, nolite ad iracundiam provocare* C *filios vestros; servi, obedite dominis vestris, et illorum vos domini, remittite eis minas, scientes quoniam unus est Dominus vester et illorum* (*Ephes.* vi). Et alibi idem Apostolus : *Qui præest in sollicitudine, qui exhortatur in exhortando* (*Rom.* xii). Et item : *Nemini quidquam debeatis, nisi ubi invicem diligatis* (*Rom.* xiii). Hoc quoque genere debiti, tam Deo quam homini frequenter obligamur. Deo quidem ut ei quisque secundum ordinem suæ dignitatis debitum reddat obsequium; homini vero, ut inter ipsos homines pro qualitate personarum condigna, adimpleantur officia. Hoc ergo genus debiti Deus quidem nec dimittit, nec ut dimittat rogandus est : ne videatur auctor magnæ cujusdam D enormitatis, si sua sibi negari patiatur; cum Salvator in Evangelio dicat : *Reddite quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* xxii). Sed nec illud a Deo petendum est, ut liceat nobis debitum proximo denegare officium; quoniam hoc esset eum nobis in subversione æqui et boni consentire. Ex æquo siquidem et bono descendit, ut quilibet proximo suo debitum regularis convenientiæ reddat officium.

Debitum naturæ est id, quod exigit natura inevitabili necessitate : veluti ut omne genitum necessario moriatur. Unde et is qui jam mortuus est, naturæ debitum dicitur exsolvisse. Hoc ergo debito nec Deo nec homini, sed tantum naturæ obligamur : nisi forte idcirco Deo dixeris obligatos, quia naturæ quam ipse condidit sumus obnoxii. Quapropter nec homo dimittere potest, nec ut di-

mittat eum rogari necesse est; Deus autem cui nihil est impossibile, dimittere quidem posset: sed ut dimittat rogari non debet: quoniam hoc esset eum vim facere naturæ, et suæ ordinationi ire contrarium. Nemo itaque a Deo petere debet ut absolvatur debito naturali, id est ut non esuriat, non sitiat, non lassescat, non denique moriatur; sed illud quilibet obnixe flagitare debet, ut illa alia patienter et caute excipiat: hanc vero ultimam feliciter exspectet. Est et aliud debitum naturæ, non tam in necessitate quam regularitate consistens: quod nec Deus dimittit nec homo dimittere potest: nec ut dimittat hic vel ille rogandus est. Hoc autem in duo membra distinguitur. Unum est ut fiat illud quod natura fieri jubet: velut est propriæ prolis educatio; vel quæ hujusmodi sunt: quod adeo naturale est, ut omne genus animantis ad illud teneatur. Alterum vero est, ut id quod naturæ usus exigit, naturali etiam ordine fiat: ut est diversorum sexuum in eadem natura carnalis et ordinata commistio: non etiam ejusdem sexus in eadem natura, vel diversorum etiam sexuum in diversis naturis; quorum utrumque adeo detestabile est, ut in Veteri Testamento etiam morte corporis puniatur, dicente Scriptura: *Qui coierit cum masculo vel etiam cum jumento, morte morietur: lapidibus obruent eum* (*Levit.* xx). Debitum justitiæ est id quod exigit justitia, id est quod secundum justitiam fieri oportet: veluti ut cuique jus suum tribuas, videlicet Deo, tibi et proximo. Deo ut eum colas: tibi, ut recte vivas; proximo, ut eum tanquam te ipsum diligas. Justitia tantum est constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuens. Hoc debitum justitiæ Deus non dimittit; nec rogari vult ut dimittat: quoniam hoc divinæ prorsus esset contrarium æquitati. Si enim Deo supplices ut concedat tibi vel ipsum contemnere, vel prave vivere, vel proximum non amare, imprudenter quidem agis, tale quidem ab eo petens, quod si ipse concederet, Deus non esset. Sed nec ullus hominum hoc debitum relaxare potest: quippe cum tam ex moralibus legis præceptis, quam ex Evangelio descendat, in quibus nulla potest admitti dispensatio. Temporalia quoque quæ jure Deo debentur, uti sunt decimæ et oblationes: si solvi possunt, Deus nec dimittit, nec recte rogatur ut dimittat: quippe cum ad salutem solventis pertineat ea persolvi. Quæ autem homo homini temporalia debet ex utriusque consensu dimitti possunt: quoniam licet cuique renuntiare juri suo, dummodo is qui dimittit non circumveniatur aut cogatur. Debitum quoque pietatis, quod est condolere miseris, laborantibus subvenire; et debitum honestatis, quod est majori cedere, seniorem venerari: et debitum necessitatis in providentia rerum illarum quibus eget usus; et debitum gratiæ, quod est in memoria et recompensatione collati beneficii, inquantum persolvi potest; nec Deus dimittit, nec homo dimittere potest, nec ut dimittat hic vel ille rogandus est: quod non esset aliud nisi nobis in vitium aut culpam præbere consensum. Sunt item alia diversi generis debita, quæ in his rebus attenduntur quæ fieri debent: qualia sunt virtutum opera, de quibus omnibus secundum prædictorum rationem argumentari licet: nullum illorum omnium ad hanc petitionem pertinere. Quapropter quod sit illud debitum quod hac petitione postulamus, vigilanter inquirendum est. Videtur itaque nobis de debito culpæ tantum hic agi; quod quale sit intueamur. Debitum igitur culpæ nihil aliud esse videtur nisi contemptus et transgressio aliorum debitorum, id est omissio rerum illarum quæ recte fieri debuerunt. Cum enim boni operis debitum minime persolvitur, cum id quod fieri oportebat negligitur, cum illud quod ex contractu Deo vel homini promissum est non redditur, dignitas officii non impletur; naturæ vero non servatur; regula justitiæ non tenetur: pietatis et honestatis aliorumque virtutum opera non aguntur: collati beneficii gratia non habetur; ex horum omnium contemptu pernicioso quodam debito gravius obligamur; quod non aliud quam culpa, vel si ita malueris, peccatum sive delictum est. Peccatum quippe sive delictum nil aliud esse creditur, nisi boni quod adesse vel fieri oportebat remotio. Hoc est illud debitum quod duobus debitoribus non habentibus unde redderent, evangelicus ille fenerator dimisit in parabola quam proposuit Dominus Pharisæo (*Luc.* VII). Hoc ergo debitum culpæ ex aliorum neglectu et transgressione contractum, nobis a Deo postulamus dimitti cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Attende conditionem, formam sponsionis intellige. Si enim culparum debita nobis a Patre cœlesti cupimus relaxari, necesse est et nos aliis ea quæ in nos peccaverunt ex corde dimittere; quemadmodum idem Salvator in Evangelio dicit: *Si enim non dimiseritis fratribus vestris, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI). Cavendum etenim valde est ne illud quoque contra nos dictum inveniatur: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* (*Matth.* XVIII.) Huic quintæ petitioni Spiritus consilii rectissime coaptatur: quoniam consilium optimum est dimittere aliis, ut et Deus tibi dimittat: quemadmodum Salvator in Evangelio monet ita dicens: *Dimittite et dimittetur vobis* (*Luc.* VI). Unde et idem Salvator beatos prædicat eos *qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* VI). Habent enim copiosam dimittendi materiam; ac per hoc dimissis sibi peccatis regnum cœlorum quod dimittentibus promissum est, facili compendio possunt adipisci. Sed quia etiam post peccatorum dimissionem non cessat tentatio, sed quandoque fortior invalescit; ideo dimissis jam peccatis orandum est: non utique ut amplius non tentemur: hoc enim homini in carne posito

contingere non potest, sed ne tentationi succumbamus et per consensum culpæ in ipsam introeamus. Unde et talis sequitur petitio :

CAPITULUM III.

Sexta petitio.

Et ne nos inducas in tentationem. Inducit Deus in tentationem, non invitum ac reluctantem ad culpam impellendo ; sed ignavo, et negligenti, resistendi gratiam subtrahendo. Omnis autem probatio hominis, vel est ad probandum, vel ad docendum, vel ad nocendum. Quæ est ad probandum, vel a Deo fit, vel a proximo. A Deo quidem, quemadmodum tentavit Deus Abraham : non ut qualis erat probando agnosceret, sed ut eum probabilem aliis demonstraret. Tale est et illud quod dicit Moyses ad B filios Israel : *Tentat vos Deus vester, ut sciat*, id est ut vos ipsos commoneat, et alios scire faciat, utrum timor ejus, in vobis sit, et ambuletis in viis ejus. Tentatur etiam a proximo ad probandum tribus modis : vel ut qualis sit ei innotescat, vel ipsum commoneat, vel aliis ostendat. Primo modo tentavit Nabuchodonosor Danielem (*cap.* II), et sapientes Babylonis de forma visionis suæ, quam si scirent ei describere, ex hoc conjiceret etiam posse interpretari. Secundo modo Eliseus Giesi, ut negantem coargueret, et ad pœnitentiam provocaret (*IV Reg.* V). Tertio Daniel (*Dan.* XIII) duos senes, quos ipse reos sciebat et ipsi seipsos ; ut etiam aliis reos ostenderet. Ad docendum quoque tentat Deus duobus modis : quemadmodum tentavit Philippum dicens : *Unde ememus panes ut manducent hi* (*Joan.* VI)? non quia dubitaret quid faciendum esset, cum scriptum sit : *Ipse autem sciebat quid esset facturus* ; sed ut illis hac occasione suam demonstraret potentiam, et ipsorum infirmitatem eis ante oculos poneret, qui non credebant eum sine panibus turbam posse reficere. A proximo item tentatur homo ad docendum duabus de causis : vel ut quod scit firmius teneat ; vel quod nescit intelligat : quemadmodum discipulus a magistro. Ad nocendum vero nemo a Deo tentatur, quoniam sicut ait Scriptura : *Deus intentator malorum est ; et nemo cum tentatur dicere debet quia a Deo tentatur* (*Jac.* I). Tentatio igitur hominis quæ fit ad nocendum, vel ab ipso est, vel a proximo, vel a diabolo, et a quolibet duobus modis, in corpore scilicet, et in anima. In corpore tentatur homo a seipso, vel per carnis concupiscentiam quemadmodum scriptum est : *Quia tentatur unusquisque a concupiscentia sua abstractus et illectus* (*ibid.*) ; vel per aliquod corporis incommodum ex quo ad impatientiam concitatur. In anima tentatur a seipso sive per prava desideria sive per iram, sive per aliquas hujusmodi passiones magis ex motu animi quam ex instinctu diaboli venientes. A proximo quoque duobus modis tentatur ad nocendum : sive in læsione corporis, sive in animi commotione : ut offensus utrolibet modo charitatem amittat. A diabolo similiter duobus modis sive in corpore, ut Job A (*cap.* II), quem Satan petiit ut tentaretur, et percussit eum ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ; sive in anima, ut Judas : quando intrante in eum diabolo, cœpit de perditione Domini cogitare (*Joan.* XIII). Cum ergo petimus non induci in tentationem, de hac triplici tentatione quæ fit ad nocendum debet intelligi. Nam de illa quæ est ad probandum, dicit Psalmista : ***Proba me, Domine, et tenta me*** (*Psal.* XXV). Tentari se a Domino atque probari precabatur, ut vel cedens tentationi agnita infirmitate fortior per humilitatem resurgeret, vel stans de virtute sua Deo Gratias ageret ; vel aliis virtutis et constantiæ sanciret exemplum. Sed neque illa tentatio proximi quæ fit ad probandum deprecanda semper aut timenda est : cum sæpe tentatum si malus est corrigat : si bonus probet, et aliis imitabilem ostendat. Ad docendum quoque a Deo tentari deprecandum non est ; quoniam hoc nil aliud esset nisi ab illo nolle doceri : exemplo illorum qui dicebant : ***Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*** (*Job* II).

Sed neque a proximo tentari ad docendum sapiens aliquis vel timet vel deprecatur, quoniam hoc aliud non esset, nisi contumaciter a se doctrinam repellere. Superest igitur de illa sola tentatione quæ est ad nocendum, quam patitur quis in corpore vel in anima, sive a seipso, sive a proximo, sive a diabolo hoc debere intelligi : nec de illa quoque ut non eam patiamur, sed ne per consensum in ipsam inducamur. Tentationem enim fortiter excipere gloriosum est, tentationi succumbere fœdum ac turpe, C et omnino saluti contrarium. Hujus petitionis effectus adimpletur in nobis per spiritum intellectus, quoniam intellectus de supernis tantum est, positus in consideratione cœlestium, quibus quisquis studiosus intendit, noxias tentationes facile repellit, sicut econtrario qui cœlestia contemnit, pravis tentationibus facile succumbit. Competit huic spiritui et huic petitioni munditia cordis, quoniam qui mundo corde est, quanto perspicacius rimatur cœlestia, tanto amplius temporalium rerum blanda vel aspera tentamenta contemnit. Unde et huic virtuti visio Dei promittitur, quia qui nunc mundi cordis oculo specülariter et ænigmatice Deum contuetur, postmodum plena ejus visione gaudebit. Ad quam Dei visionem D ut tandem libere liceat pervenire, sequitur illa petitio quæ omnia concludit hoc modo :

CAPITULUM IV.

Septima petitio.

Sed libera nos a malo. Malum superius in diversas species distinximus, a quibus omnibus ut liberemur hoc ordine petendum est. Primo quidem ne obduremur in peccato, quod malum obduratorium diximus. Secundo ne simus expertes justitiæ, quod privatorium est. Tertio, ne prava qualitate, in vitio anima inficiatur, quod meritorium mortis placuit appellari. Quarto, ne in malum actum prava mentis qualitas impellat : quod meritum mortis æternæ et est et dicitur. Ultimo, ne divina visione privati pœnis deputemur æternis : quod verissime mors

æterna nominatur. A quo solo liberari et summa est felicitas, et omnibus votis posset sufficere; sed quia nisi illa præcesserint, istud non sequitur, et illa per ordinem, et istud principaliter oportet deprecari.

Libera nos, inquit, *a malo*. Primum a malo induratæ obstinationis; secundo, privationis justitiæ; tertio, perversæ mentis; quarto, pravæ actionis; ad ultimum, æternæ damnationis. Vides enim quia terra congelata nisi calore solis resolvatur, resoluta nisi per cultum innovetur, innovata nisi semen accipiat, accepto semine nisi semen producat, nec fructus afferet, nec diræ famis repellet incommodum. Simile quoddam in anima reperitur, quam terræ Psalmista non inconvenienter assimilat: *Anima mea*, inquiens, *sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII). Anima igitur hominis qui in malo obdurata est, nisi calore Spiritus sancti a frigore nequitiæ suæ fuerit relaxata, nisi per justitiam innovata; nisi virtutum germinibus fecunda; nec unquam bonis fructificabit operibus, nec famem æternam, quæ non aliud est quam divinæ visionis privatio, valebit effugere.

Ab his itaque malis per ordinem petimus liberari, ut veram possimus adipisci libertatem, quam petebat Psalmista cum diceret: *Intende animæ meæ, et libera eam* (*Psal.* LXVIII). Libertas autem alia corporis est, alia vero animæ, alia utriusque. Libertas corporis est: jus quoddam a natura descendens, quo cuique licet facere quod vult, excepto eo quod lege vel moribus prohibetur. Hoc jure omnes homines liberi nascebantur, donec processu temporis servitus introducta est, sive ex sacræ Scripturæ auctoritate, sive de jure gentium primævam ducens originem. Ex sacræ Scripturæ auctoritate, quemadmodum legitur Noe filium, patrem Chanaan qui patris riserat nuditatem, perpetuæ damnasse servituti, ita dicens: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis* (*Gen.* IX). Similiter et Isaac Esau filium suum, alterius filii videlicet Jacob servituti se subjugasse testatur, his verbis: *Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi* (*Gen.* XXVII). De jure quoque gentium servitus introducta est, quia cum prius bello capti omnes interficerentur, visum est humanitati potius convenire aliquos ex eis et minus nocentes vitæ servari et servire victoribus: et ex eo quod vitæ servarentur, servos placuit appellari. Ex illa autem servorum appellatione, tam servitus quam servire sumptum est. Hoc bonum corporeæ libertatis secundum forenses leges tam pretiosum est, ut æstimationem non capiat; tam necessarium, ut qui eo caret nec caput habere dicatur, sed pro nullo habendus sit; tam favorabile, ut ad illud obtinendum sufficiat semel in ventre libero fuisse, licet mater ancilla conceperit, et postmodum manumissa in libertatem, denuo ante partum in servitutem reciderit. Quanto magis vera libertas animæ et omni favore dilectionis amplectenda est, et omnino necessaria, et nullo tempore pretio valet æstimari. Veram autem ideo diximus libertatem, quoniam libertas animæ duplex est: una quidem falsa atque pestifera, altera vero salubris et vera. Falsa animæ libertas est, quæ semetipsam infelix anima divinæ servitutis legibus exemptam, in quamdam peccandi libertatem emancipat, ac per hoc miser homo magis servus efficitur: *Qui enim facit peccatum servus est peccati* (*Joan.* VIII). Hanc Apostolus ad Romanos scribens, libertatem justitiæ vocat, non quia justorum est, sed quia justitiæ legibus ac dominio subjacere contemnit: *Cum*, inquit, *servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ* (*Rom.* VI). Vera autem libertas animæ est, quæ sibi prærepta peccandi libertate, totam se divinæ subjicit servituti: ac per hoc plenam ac veram consequitur libertatem. Servire enim Domino, regnare est. Hanc item Apostolus libertatem peccati nominat: non quia libere nos peccare facit, sed quia peccatum nobis dominari non patitur. *Nunc autem*, inquit, *liberati a peccato, servi autem facti Deo: habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (*ibid.*). De hac item dictum est: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III). Vides ergo quia libertas justitiæ servitus est peccati, et libertas peccati servitus justitiæ: ac per hoc servitus Dei quæ non aliud est quam justitia, veram atque perfectam confert homini libertatem. Libertas animæ et corporis est, cum neque in corporis persona præter nostram voluntatem cujusquam dominio sumus obnoxii: nec in anima pravæ cupiditates aut pestiferæ dæmonum suggestiones dominantur; et libertatem quidem corporis divinæ Scripturæ nusquam improbat auctoritas; nec tamen eam tanti facimus, ut tanto studio Salvator optare ac postulare præciperet; unde et Apostolus: *Servus*, inquit, *vocatus es: ne quæras libertatem* (*I Cor.* VII). Est tamen cum ipsam corporis libertatem a Deo postulare licitum est, tunc videlicet cum vel a pravis catholicis vinculis aut carcere cæterisve tormentis afficimur; vel ab infidelibus capti et tenti, a divini cultus exsecutione prohibemur. Vera autem libertas animæ omni tempore votis omnibus optanda est: videlicet ut in præsenti sæculo a quatuor primis malorum generibus, in futuro autem ab illo supremo malo, quod omnium finis et summa est; per Dei gratiam liberemur. Liberatis igitur ab his quas diximus malorum pestibus, dari solet spiritus sapientiæ: et in hac quidem vita exiliter et varie pro captu singulorum; ubi non videmus nisi per speculum et in ænigmate, et in futura plenissime, cum jam æternæ divinitatis gloriam, et cœlestium gaudia secretorum pleno cognoscemus intuitu; videntes Deum facie ad faciem, quemadmodum dicit Apostolus (*I Cor.* XIII). Hoc autem differt ab intellectu sapientia, quod intellectus quidem laborem inquisitionis habet, sapientia vero quietæ gaudium agnitionis. Unde et virtus quæ huic gratiæ Spiritus sancti coaptatur pacificum facit: non solum a stre-

pitu sæcularium rerum, sed etiam a labore, sine quo cœlestia non possunt intelligi. Cui etiam virtuti promittitur illud quod summum est, id est appellatio filiorum Dei, dicente Domino: *Beati pacifici, quoniam filii Domini vocabuntur* (*Matth.* v). Vides fidelem Christi doctrinam, quæ ab invocatione Patris incipiens in appellatione filiorum Dei terminatur. Quam cupidus erat habendi fratres, quibus A paternam non quidem divideret, sed secum sociaret hæreditatem. Et quia per naturam plures quam unus esse non poterant, per gratiam plurimos facere satagebat. Post omnes petitiones, sequitur verbum confirmationis, id est *amen*: quod idem est ac si diceretur: Indubitanter aut vere, aut etiam sine defectu. *A*, siquidem *sine*; *mene* autem *defectus*, interpretatur.

LIBER UNDECIMUS.

De prædictis petitionibus ordine converso.

CAPITULUM PRIMUM.

Post illum ordinem quo Salvator orandi formam quam tradebat discipulis suis, propria voce digessit: aliam quoque expositionem, eorum videlicet qui præfatam orationem converso petitionum ordine disserendam putant, promissi memores prosequi studeamus. Aiunt enim cœlestem doctorem ea quæ potissima noverat et maxime optanda prima posuisse, veluti sanctificationem nobis: non illam quam diximus, sed aliam quæ in futura tantum vita fiet, et adventum regni æterni, deinde per media quædam ad ultimam petitionem pervenisse, qua petimus a malo liberari: quod utique, prout illi accipiunt, primum esse oportet, ad vitam æternam tendentibus. Unde et huic quoque expositioni septem dona Spiritus sancti converso ordine nituntur applicare; et septem virtutes quas Dominus in Evangelio commemorat; et earum præmia tam ipsis donis quam petitionibus non indiligenter assignant. Dicunt ergo: *Pater noster qui es in cœlis*. Hæc quidem mutari non oportet, sed sub ea quam præmisimus expositione teneantur: hoc tamen adjecto quod tam hic quam ibi, non solum ad personam Patris, verum et ad totam Trinitatem, quæ et ipsa verissime Pater omnium est, petitiones istæ dirigantur. *Libera nos a malo*. Mali species, sicut supra docuimus, diversæ sunt; a quibus omnibus liberari, bonum est et jucundum et optabile. Hoc autem in loco nomine mali prava quædam mentis qualitas quæ amor mundi dicitur intelligi debet: qui amor adeo malus est ut odium Dei et contemptum inducat, quemadmodum scriptum est: *Quicunque voluerit amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituetur* (*Jac.* iv). Ab hoc igitur malo liberamur per speciem timoris, cum homo, suorum sibi conscius malorum, incipit cogitare vias suas: et timore gehennæ humiliter ad Deum conversus, voluptatibus et pompis sæculi sponte renuntiat, ac voluntariam amplectitur paupertatem. Quæ quidem spiritualis paupertas non tam in relictione rerum temporalium quam in earum contemptu posita est: eatenus ut inter multas facultates haberi possit, si eas nullo amore aut desiderio possederis; sed ad B hoc tantum ut in necessitatibus pauperum et piis usibus lætus expendas. Huic igitur spirituali paupertati quæ non aliud quam virtus humilitatis est, regnum cœlorum promittitur, dicente Domino: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Nec dixit ipsorum erit, sed *ipsorum est*; ut qui sponte pro Deo pauperantur, jam se ditissimos et regni cœlorum possessores agnoscant.

Et ne nos inducas in tentationem. Solent plerumque renuntiantibus sæculo plures et graviores tentationum pestes emergere, juxta illud: *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccl.* ii). Et ideo sequitur illa petitio, qua petimus a Deo in tentationem non induci, id est ne ipso deserente non culpa ejus, sed vitio nostro in consen- C sum tentationis inducamur. Quod quidem fit per spiritum pietatis; qui, cum datus nobis fuerit, compatitur infirmitati nostræ, et nos sua bonitate ab omni tentatione gravioris peccati conservat et protegit. Per quem etiam benevoli et mites ac devoti efficimur ut nihil quod Deum aut proximum offendat vel facere libeat vel etiam cogitare. Unde et huic virtuti pietatis et mansuetudinis possessio terræ promittitur, cum Dominus dicit: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* v), non hanc utique præsentem in qua crudeles et impii maxime damnantur, sed illam de qua dicit Psalmista: *Portio mea, Domine, sit in terra viventium* (*Psal.* cxli).

Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimitti- D *mus debitoribus nostris*. Sequitur tertia petitio, qua jubemur a Deo postulare ut, sicut peccantibus in nos peccata dimittimus, ita et ipse peccata nostra dimittat. *Nemo enim*, ut ait Scriptura, *mundus est a peccato, nec infans unius diei, si sit vita ejus super terram* (*Job* xxv). *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Attende conditionem: *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Non dixit: Sicut et nos dimittimus tibi; quia Deus, quidquid agat in homine, peccare non potest, nec aliquid facere quod ei dimitti oporteat. Et ideo dixit: *Debitoribus nostris*, ut sicut nos peccantibus in nos proximis peccata dimittimus propter honorem Dei: ita Deus sua bonitate nostra

nobis dimittere dignetur. Hoc autem fit per spiritum scientiæ, quæ de terrenis est; quem cum acceperit homo, videns in hac vita præsenti non posse habere plenam perfectamque scientiam, totus resolvitur in luctum, nec exspectat in hoc mundo consolationem, sed illam quam lugentibus promisit Salvator ita dicens : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* IX). Quod utique tunc fiet, cum finita mundi miseria, *tristitia* nostra *vertetur in gaudium, et gaudium* nostrum *nemo tollet a* nobis (*Joan.* XVI).

CAPITULUM II.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Inter hæc omnia necesse est nobis quotidiani panis alimonia sustentari, et ideo quarta petitione postulamus, ut eum nobis Deus quotidie, id est indesinenter largiatur. Qui panis nil aliud fere est quam spiritus fortitudinis; quem cum acceperit homo confortatur et corroboratur in amore justitiæ, adeo ut in hac vita nihil præter illam desideret : nihil propter ipsam pati vel timeat vel recuset. Huic sancto desiderio quod Dominus esuriens et sitim vocat, saturitas in futuro promittitur, cum dicit idem Salvator : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V). Quod utique tunc erit, cum cessante omni iniquitate, in æterno Dei regno omnia juste disponentur, quemadmodum dicit Psalmista : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Hanc petitionem ita ponit Matthæus : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Quod sancti doctores de corpore Christi exponunt, quod dignitate quidem et sanctitate est super omne id quod vere ac proprie substantia nominatur. Nec tamen dicimus corpus Christi dignius esse quam animam ejusdem; sed quia hoc sine illa esse non potest, ne sumere videamur inanimatum et mortuum : *Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Cum ergo corpus et anima Christi ab invicem separari non possint, hoc enim esset eum mori, corpus tamen, non animam sumere dicimur, quemadmodum homo constans ex anima et corpore, non anima, sed corpus a philosophis appellatur. Hic est panis ille supersubstantialis quem nobis hodie, id est semper dari postulamus, qui adeo necessarius est, ut si vel uno momento spirituali ejus refectione carere contigerit, illico Christus in nobis esse et nos in ipso desinamus, ipso teste qui ait : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI). Potest et aliud dici de hoc pane supersubstantiali nisi propter insolentiam aliquorum auditus abhorreat. Solent pauperes sæculi quibus tenuis est rerum substantia, quales erant illi quibus Salvator ista loquebatur, solent, inquam, reputare pro magno, si singulis diebus absque detrimento substantiæ suæ panem, id est victum valeant adipisci. Unde Dominus piscantibus discipulis, cum nihil adhuc cepissent, ait : *Pueri, nunquid pulmentarium habetis? et illi dixerunt : Non* (*Joan.* XXI) Ita et nos quibus vel modica est virtutum substantia vel modica videri debet; pro magno ducere debemus, si absque ejus diminutione spiritualis alimoniæ cibo refecti nosipsos quotidie transigere valeamus. Panis igitur supersubstantialis congrue dici potest illa gratia spiritualis quam nobis Deus quotidie super illam quæ prius erat mensuram velut quemdam necessarium animæ cibum apponit. Petimus ergo a Patre cœlesti panem supersubstantialem, id est gratiæ spiritualis alimentum, quo refecti jugiter in ipso proficiamus, eundo videlicet *de virtute in virtutem*, *donec videatur Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII). *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Liberatis igitur nobis a malo, et contra tentationes divina protectione munitis, accepta quoque remissione peccatorum sine quibus hæc vita non agitur, percepto et quotidiani panis alimento nil aliud restat, nisi ut ejus voluntatem, qui hæc omnia largitur omni studio facere satagamus. Sed, quia nec hoc sine ejus auxilio fieri potest, quinto loco postulandum est, ut ipso juvante voluntatem ejus fideliter implere valeamus. *Fiat*, inquit, *voluntas tua sicut in cœlo et in terra;* hoc, scilicet, non expressæ similitudinis est : neque enim fieri potest, ut ita simpliciter et pure voluntatem ejus in terra faciamus, quemadmodum angeli et sancti spiritus in cœlo, sed qualemcunque notat proportionem, ut sicut illi perfectissime in cœlo, ita nos in terra, quantum ab homine fieri potest, divinam impleamus voluntatem. Hoc autem fit per spiritum consilii, sine quo voluntas Dei ab homine non impletur. Unde Psalmista : *Consilium*, inquit, *meum justificationes tuæ* (*Psal.* CXVIII), id est præceptorum tuorum observantia. Huic quintæ petitioni et huic dono Spiritus sancti misericordiæ virtus assignatur; quia misericordem oportet eum esse tam sibi quam proximo, qui divinam fideliter cupit implere voluntatem. De misericordia erga seipsum, dictum est illud : *Fili, miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX), id est faciens id quod scis ei placiturum : quod est ejus implere voluntatem. De misericordia vero erga proximum, dicit Salvator in Evangelio : *Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est* (*Luc.* VI). Huic virtuti misericordiæ, misericordia in futuro consequenda promittitur, dicente Domino : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V) : illam utique misericordiam quam postulabat Psalmista dicens : *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi* (*Psal.* CXLII). Expleta nocte vitæ præsentis, facto mane futuræ beatitudinis, misericordiam illam audire desiderat quam Dominus electis suis proponet hoc modo : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV).

Adveniat regnum tuum. Quicumque Dei voluntatem fideliter se meminit implevisse, securus adventum regni ejus optare potest et dicere : *Adveniat regnum tuum.* Hoc autem de regno æternitatis acci-

piendum est, cujus adventus in hoc quidem sæculo optari et postulari potest; in futuro autem implebitur, *cum Dominus Jesus tradiderit regnum Deo et Patri*, quemadmodum dicit Apostolus (*I Cor.* xv). Unde huic petitioni convenit spiritus intellectus, quo illustratus homo gloriam regni illius etiam in hac vita positus contemplando intelligat: et intellectam vehementer exoptat. Quod quia nisi mundo corde fieri non potest, huic petitioni simul et huic gratiæ spirituali munditia cordis ascribitur. Cui etiam virtuti visio Dei promittitur, cum Dominus dicit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v). Et in præsenti quidem speculariter et ænigmatice per spiritum intellectus, et in futuro *facie ad faciem* (*I Cor.* XIII), *quando revelata facie* (*II Cor.* III) *videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III), ut ait Apostolus.

CAPITULUM III.

Sanctificetur nomen tuum. Hæc quoque sanctificatio nominis futuri tantum sæculi est; quando omnes super quos vere invocatum est nomen ejus, et illud habent scriptum in frontibus suis, in ipso sanctificabuntur, et ipse in eis: hoc autem erit, *cum Filius*, testante Apostolo, *tradiderit regnum Deo et Patri, ut sit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* xv). Erit ergo Deus omnia in omnibus; quia plena ac perfecta beatitudo tam omnium quam singulorum erit Deus: ipse enim erit omnium electorum hæreditas, vita, refectio; ipse omnium salus, quies, et voluptas; ipse omnium decus et pulchritudo. Alio quoque modo dicunt aliqui Deum futurum esse omnia in omnibus, quia tanto divinitatis ejus splendore replebimur, ut nihil in nobis nisi divinum appareat, quemadmodum in ferro ignito nihil potest videri præter ignem, in speculo soli opposito, nil aliud præter solem. Cui petitioni competit spiritus sapientiæ, quæ tantum in perceptione æternorum posita est: non cum aliquo labore inquirendi veluti intellectus, sed in plena et quieta cognitione cœlestium secretorum. Unde et virtus quæ pacificos facit, id est tranquillitas, tam huic septimæ petitioni quam septimo dono Spiritus sancti rectissime copulatur; quia cum ad illud ventum fuerit nulla erit ultra dissensio, sed omnia in pace et tranquillitate componentur. Huic autem virtuti tranquillitatis promittitur appellatio filiorum Dei, cum Dominus dicit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v). Quod quidem tunc futurum exspectamus, cum de nobis in sortem filiorum translatis, admirando dicetur: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei* (*Sap.* v).

Vide secundum utrumque ordinem benevolam et fidelem Christi doctrinam, quæ a nomine Patris incipiens, usque ad dignitatem filiorum Dei nos provehit: ut fratres sibi factos per gratiam in hæreditatem Patris, non mortui quidem, sed viventis in sæcula cohæredes admittat et socios, juxta illud Apostoli: *Quod si filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII). Verbum confirmationis, quod est amen: sicut sunt, ita et hoc accipiatur, ut non sit quidem petitio, sed omnium petitionum firma quædam conclusio. Postquam ergo Dominicam orandi formam, de qua plurima dici videbantur, tam eo ordine quo ab eo discipulis tradita est, quam eo quo in nobis illæ petitiones implentur, diffuse satis et morose tractavimus, libet antequam ad alia transeamus de laude ejus, auctoritate et reverentia pauca subnectere. Hæc itaque septem petitionum collectio, vulgato usu oratio Dominica vocari solet, non qua Dominus ipse oravit, sed qua nos orare jussit et docuit. Nec enim ipse diceret Patri suo, connumerans seipsum peccatoribus in peccato: *Dimitte nobis peccata nostra;* qui nec unquam peccatum fecit nec facere potuit, nec aliquid admisit: quod ei vel possit ignosci, vel dimitti oporteat. Ipse est enim de quo dicit propheta: *Qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus* (*Isa.* LIII). Nec rursum quasi tentari timens adderet: *Et ne nos inducas in tentationem*, qui tentantem se diabolum tam imperiosa voce absterruit: *Vade*, inquiens, *Satana, non tentabis Dominum Deum tuum* (*Matth.* IV). Habebat utique Salvator singularem quemdam et semotum ab aliis orandi modum, quo Patrem suum cœlestem frequenter alloquebatur, sicut scriptum est de ipso: *Ascendit in montem solus orare; et erat pernoctans in oratione Dei* (*Luc.* VI). Quid autem oraret et qualiter: noverit ipse et Pater quem orabat; nobis ineffabilia eorum secreta non licet irrumpere. Illud certe scire possumus et dicere, quod in illo frequenti orationum colloquio, de salute nostra potissimum agebatur, quam ita Filius a Patre orando postulabat, ut et ipse simul cum Patre quod petebatur annueret; quemadmodum filius magni alicujus principis, ita civibus suis gratiam Patris implorat, ut et ipse cum Patre quod postulatur indulgeat. Habebat igitur Filius, ut dictum est, orandi modum singularem et secretum, et semper efficacem: quemadmodum ipse in quodam loco dicit ad Patrem: *Scio autem, Pater, quia semper me audis; sed propter turbam circumstantem dixi: ut et ipsi credant quia tu me misisti* (*Joan.* XI). Hanc autem orandi formam, omnia nobis necessaria continentem, primo quidem discipulis tradidit, et per eos omnibus in se credituris; ut nemini Christiano qui per ætatem intelligere potest, eam ignorare liceat. Et ideo paucissimis verbis et eisdem planis: magna et multa inclusit rerum mysteria, ut esset et de paucitate verborum compendiosa, et de plenitudine manifesta, et de rerum capacitate fructuosa. Hinc est quod pueris post primos litterarum characteres hæc oratio discenda traditur, et post eam symbolum catholicæ professionis; quorum in altero quidquid orando petendum est, in altero ea sine quibus salus esse non potest continentur. Quapropter universi sacerdotes qui plebibus præsunt, omni diligentia subditos suos admonere debent: quatenus hæc duo

tam saluti necessaria, memoriter sciant et prudenter intelligant. Quod quidem tempore primitivæ Ecclesiæ diligenter ac fideliter observabatur, nunc autem incuria prælatorum sicut pleraque alia in contemptum et negligentiam versum est : non utique sine periculo eorum, qui ut fieret procurare debuerunt. Illud certe dubium non est, quod Salvator hanc orandi figuram, tanto nobis studio minime tradidisset, nisi sciret quam sit utilis et efficax, et ad impetrandum idonea. Noverat ille paternæ mentis affectum; quibus videlicet, hominum votis et precibus ad exaudiendum facillime moveatur. Et idcirco qualiter eum convenire debeamus curavit ostendere : quemadmodum aliquis regi dilectissimus, et omnium ei conscius secretorum, et qui ejus optime noverit qualitatem, alium ejusdem regis gratiam impetrare cupientem informat et instruit : *Sic*, inquit, *et sic loqueris ad eum* ; his tibi vocibus utendum est, hoc verborum artificio facile poterit exorari.

Hæc igitur Dominica oratio nobis semper in ore sit, semper in corde teneatur, quæ sacrosanctis Christi labiis expressa atque formata est. Hæc nobis mane surgentibus prima semper occurrat, hæc nos sero ad lectos redeuntes excipiat. Hac nos faciem Domini in confessione veræ laudis prævenire festinemus, hac ei cogitatus et sermones et opera nostra studeamus commendare. Et bene quidem in ordine nostro institutum est, ut omnia tam diei quam noctis officia, Dominica præcedat oratio, et in tempora omnia consummentur. Dignum quippe est, ut illa verba ad laudem Christi frequenter sonent in ore nostro, quæ primum ad eruditionem nostram in ore Christi sonuerunt. Sed et cum fuerit opportunum, aut erimus in secreto, accedere debent et alia nostræ devotionis argumenta, veluti genuum flexiones, et palmatæ, id est tunsiones pectoris ; et copiosa, si fieri potest, lacrymarum effusio. Hæc forsitan alicui supervacua viderentur, si non essent sacræ Scripturæ aut etiam ipsius Salvatoris auctoritate approbata. Ait enim Dominus ipse in Evangelio : *Stans a longe publicanus percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XIII). Item Dominus per prophetam . *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio et fletu et planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (*Joel* II). Sed et Apostolus in quodam loco sic ait : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi* (*Ephes.* III), et cætera quæ sequuntur. In genuum flexione notatur orantis humilitas; quando totum corpus humilians, divinæ sese subjicit majestati. In tunsione vero pectoris sibi ipsi peccator irascitur, et in vindictam mali perpetrati eadem manu cor suum tundit et verberat, qua perversa cogitatio ex ipso corde procedens, in exitum pravi operis traducta est.

CAPITULUM IV.

Lacrymarum autem diversæ sunt causæ; et id- A circo in diversas species distinguuntur. Primo quidem aliæ sunt carnales, aliæ vero spirituales appellantur. Carnales sunt illæ, quæ pro temporalibus effunduntur, veluti pro penuria rerum terrenarum, pro aliquo corporis incommodo, sive pro illatis injuriis, aut pro aliqua hujusmodi pressura. Quæ quidem carnales lacrymæ non penitus ab oratione arcendæ sunt : imo cum valde opus fuerit pro his omnibus et aliis hujusmodi, cum lacrymis et cordis compunctione, Deus ut nostris subveniat ærumnis, humiliter rogandus est. Sed aliæ sunt lacrymæ quas nobis orantibus ac præcipue in hac excellenti oratione non solum adesse licet, sed etiam necesse est; quas ideo spirituales libuit appellare, quia virtute Spiritus sancti in homine excitantur, sicut B scriptum est in Psalmo : *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ* (*Psal.* CXLVII). Hæ ergo lacrymæ diversis de causis fundi solent, pro recordatione peccati, pro compassione proximi, pro miseriis hujus mundi, pro consideratione periculi pro dispensatione divini mysterii, pro passionibus Christi, pro desiderio regni. Has ergo septem species lacrymarum septiformis gratia Spiritus sancti, ex uno fonte prodeuntes, in diversos, ut ita dixerim, rivulos dispertitur. Lacrymas pro recordatione peccati excitat spiritus timoris, cum peccator sciens se Deum graviter offendisse, ac per hoc supplicium timens, confugit ad lacrymas; et sæpe non solum veniam, sed et gratiæ spiritualis augmentum et meretur et accipit. Tales erant la- C crymæ illius, qui dicebat : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Lacrymas pro compassione proximi movet spiritus pietatis, quando vel peccatis vel ærumnis proximorum pietatis affectu flentes compatimur, juxta illud Apostoli : *Flere cum flentibus* (*Rom.* XII). Lacrymas pro miseriis hujus sæculi movet spiritus scientiæ, quæ tantum de terrenis est, quando considerantes in hoc mundo nihil esse nisi peccatum et miseriam, nec satis certi de æternis, defluimus in lacrymas, attendentes illud Apostoli : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Et in Psalmo : *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX). Lacrymas pro consideratione periculi fundit D homo, quando videns se tot periculis undique circumseptum ut vix casum queat effugere, totus in luctum et lacrymas contabescit. His lacrymis adest spiritus fortitudinis, confortans eum et admonens, quoniam *qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent* (*Psal.* CXXV). Lacrymas pro dispensatione divini mysterii suadet spiritus consiliii, per quem considerantes divinam erga nos bonitatem et ordinem nostræ redemptionis, et timentes ne tantis Dei beneficiis ingrati, ac per hoc indigni reperiamur : ex multa devotione solvimur in lacrymas, attendentes illud Apostoli : *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus*, etc. (*Ephes.* II.) Lacrymas pro passionibus Christi elicit spiritus intellectus qui de supernis est, per quem intelligentes Dei Filium

æterno Deo Patri coæqualem in gloria deitatis, miramur A eum tanta pro nobis pertulisse, nec credentes nos ei digna posse rependere, id est animam dare pro Christo, lacrymis indulgemus, considerantes illud ejusdem Apostoli : quia *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II). Lacrymas pro desiderio regni inducit spiritus sapientiæ, quæ est in cognitione æternorum, per quem prægustantes aliquatenus cœlestium bonorum dulcedinem dolemus ab eis differri, dicentes cum Psalmista : *Quando veniam et apparebo ante faciem Domini ? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI). Hæc genera lacrymarum et forte plura nobis orantibus adesse debent, præcipue in hac Dominica orandi forma, de qua, quia multa jam diximus, nunc reliquas breviter prosequamur. B

CAPITULUM V.

De forma domestica.

Forma orandi domestica est quam sibi quis suo præscribit arbitrio, veluti preces aliquas vel psalmos, aut etiam litanias vel genuflexiones, ex voto quotidie persolvendas. Hæc forma per singulos fere homines variatur, dum quisque nulla auctoritate sed sola devotione sua, quod sibi visum fuerit eligit observandum.

De forma monastica.

Monastica vero forma est, quæ a majoribus nostris, veluti Basilio, Benedicto, cæterisque Patribus instituta, in monasteriis, id est cœnobiis monachorum C regulariter observatur. Quæ et ipsa secundum diversos auctores, et diversa monachorum genera variatur; dum alii ad consuetudinem aliorum, vel addunt, vel mutant, vel detrahunt.

De forma canonica.

Forma autem orandi canonica est, eorum qui antonomastice canonici regulares appellantur, cum tamen canonicus nil aliud quam regularis, a canone quod est regula, possit interpretari. Sed hæc quoque forma licet secundum canones ecclesiasticæ debeat conformari, quandoque tamen in quibusdam articulis ab ea differre reperitur.

De forma ecclesiastica.

Ecclesiastica forma generalis est Ecclesiæ, quæ D et ipsa secundum diversas diœceses plerumque solet variari. Inter has orandi formas nemo suam aliis superbe præferendam existimet, quoniam omnes laudabiles et bonæ sunt, et Deo placent, et ad unum beatitudinis finem diriguntur. Sicut enim nihil refert quoad rei utilitatem, quo verborum ordine regem interpellans, gratiam ejus obtineas, ita nihil interesse credimus, hac vel illa, vel alia orandi forma, æternæ retributionis bravium assequaris. Quapropter unusquisque suam omni studio servet et impleat : et omnes licet dispari modo, uno tamen devotionis affectu, debitam Deo servitutem exhibeant, qui non tam quibus verbis, quam qua pietate mentis oretur solet attendere.

CAPITULUM VI.

De quinto contento orationis, id est quid oranti conveniat.

Nunc quoniam illud capitulum orationis quid ad ipsam pertineat tractavimus, sequens, id est quid oranti conveniat, curemus inspicere. Conveniunt igitur oranti hæc : parcimonia, castimonia, humilitas, devotio et compunctio. Parcimonia oranti necessaria est; quia venter saginatus et stomachus turgens, subtilem et puram orationem non possunt intendere. Castimoniam quoque oranti adesse conveniens et pulchrum est, ut pura et munda Deo præsentetur oratio, quia nihil turpius est quam orationis puritatem libidinis fœditate polluere. Unde et in Veteri Testamento sacerdos qui sorte templum ingressurus erat, ut adoleret incensum : femoralibus indui jubebatur, nec licebat ei toto tempore vicis suæ, domum vel uxorem respicere. Sed et ipse Apostolus (*I Cor.* VII) etiam conjugatos tempore orationis ab opere conjugali vacare jubet, et postea redire in idipsum ne tentet, inquiens, vos Satanas. Sacerdotibus autem et clericis, ac monachis imo omnibus qui votum continentiæ susceperunt, sicut semper orandum est, ita jugiter continendum. Humilitas quoque oranti adesse debet, ne superbiam Pharisæi repræsentet in publico, sed humilitatem publicani servet in occulto (*Luc.* XVIII). Devotio sicut longe supra docuimus in duobus consistit : amore videlicet Dei, et desiderio regni. Horum utrumque oranti adesse necesse est; ut Deum amet quem orat, et regnum cœleste pro quo orat ardenter desideret. Compunctio similiter in duobus posita est : odio peccati, et timore supplicii. Hæc quoque duo oranti præsto esse decet; ut peccata inexorabiliter oderit, et ea sibi ante oculos ponens, quotidie pro singulis veniam petat, et ab æterno supplicio quod per illa promeruit summo metu et humilitate imploret liberari.

CAPITULUM VII.

De sexto contento orationis, id est quid orando proveniat.

Tunc ultimum orationis capitulum, id est quid orando proveniat, tentabimus explicare. Sunt autem hæc : remissio peccatorum, securitas præmiorum, æternitas gaudiorum. Remissionem peccatorum meruerat David, quando post quinquagesimum psalmum in quo peccata sua humillime defleverat, missus est ad eum Nathan propheta dicens : *Transtulit Deus peccatum tuum a te* (*II Reg.* X). Securitas quoque præmiorum, orando provenire solet : quando verus orator ac diligens, ex longo orandi usu, non solum veniam peccatorum, sed etiam præmia æternæ beatitudinis securus incipit exspectare. Æternitas gaudiorum in hac quidem vita comparari potest, possideri non potest, nisi tunc demum cum corpore resoluti, sperata diu bona nos gaudemus accipere. Vide quam sit utilis et efficax oratio, quæ et in hac vita remissionem accipit peccatorum, et futuræ beatitudinis confert securitatem, et tandem ad vitam perducit æternam.

LIBER DUODECIMUS.

De jejunio.

CAPITULUM PRIMUM.

Post longam hujus operis intermissionem quam rerum necessitas induxit, prima parte materiæ, id est oratione, satis, ut credimus, diligenter tractata, nunc reliquas de quibus pauciora dicenda sunt, breviter exsequamur. Cessatum quippe nobis est longo temporis intervallo : tum propter injunctam mihi curam animarum sub qua ferre biennio laboravi; tum propter intolerabilem quam patior corporis infirmitatem. Nunc autem ab illa occupatione quam coactus susceperam, Deo volente, absolutus : imbecillitati meæ vim facere tentabo; quæ tanta est ut propter dolorem capitis et linguæ defectum, verba inventa notario vix possim exprimere. Faciam tamen utcunque potero, et incœpto operi supremam manum conabor imponere; ne labor præcedens totus cedat in irritum, si hoc opusculum quod expletum forsan prodesse poterit, imperfectum et mutilum relinquatur.

CAPITULUM II.

Primum ergo de jejunio videamus, videlicet quid illud sit, quot ejus species, quid conveniat jejunanti, quæ sit jejuniorum utilitas vel effectus. Jejunare, ut aiunt, abstinere est; ex quo jejunium, id est abstinentia, tam sensu quam voce derivatur. Hujus autem diversæ sunt species : quas breviter per ordinem considerare, nec plurimum difficultatis habet, nec minimum affert utilitatis. Est enim jejunium spirituale, et jejunium corporale. Jejunium spirituale est, ab omnibus pravis voluptatibus mentis et corporis humiliter abstinere. Jejunium vero corporis est, a cibo et potu corporali ob salutem animæ rationabiliter tentare. De jejunio spirituali nil verius dici posse puto quam quod omni tempore ab omni homine servandum atque tenendum est. De corporali autem jejunio secundum diversas ejus species certa potest ordinari doctrina. Quædam enim jejunia sub lege viguerunt, illa videlicet quæ præcepit Moyses observari ; utpote jejunium primi, jejunium quarti, jejunium septimi, jejunium decimi et si qua sunt similia; quæ quidem tempore suo, sicut et cæteræ legales observantiæ et prodesse poterant et mereri. Nunc autem tempore revelatæ gloriæ a Judæis observata, sicut et omnia quæ ab infidelibus fiunt, nec Deo placent, nec merentur. Quæ autem jejunia tempore gratiæ in Ecclesia recepta sunt, aut sunt catholicæ institutionis, aut monasticæ religionis, aut spontaneæ devotionis, aut necessariæ correctionis. Catholicæ institutionis sunt illa, quæ omnibus quos ætas vel ægritudo non impedit observanda proponuntur : veluti jejunium A Dominici adventus, vel Quadragesimæ, vel Quatuor Temporum, vel sanctarum vigiliarum. Monasticæ religionis sunt illa, quæ a monachis vel clericis regularibus observantur, quemadmodum Cistercienses tota dimidia parte anni indesinenter jejunant : reliqui autem monachi qui et Nigri appellantur et clerici regulares, quasdam solemnitates novem aut duodecim lectionum excipiunt, in quibus relaxare jejunium sibi dicunt esse concessum. Spontaneæ devotionis est illud, quod quis, nullo cogente, sed propria voluntate lætus assumit : veluti ferias sextas vel omnes vel aliquas jejunare; vel in perpetuum, id est quoad vivet, vel ad tempus, velut ad triennium, vel septennium, aut decennium. Necessariæ correctionis illud est quod pro peccatis gravioribus B pœnitenti injungitur, veluti quatuor Quadragesimæ, singulis annis jejunandæ; quarum prima ante Domini Nativitatem agi solet, secunda ante Pascha, tertia circa solstitium æstivale, quarta vero tempore autumnalis æquinoctii. Hæ quatuor quadragesimæ in memoriam illarum observantur; quarum duas Moyses, tertiam Elias, quartam vero Salvator jejunavit. Ex quibus duæ novissimæ paucissimis notæ sunt : quippe quas fere nullus observat, nisi quis ex multa devotione, aut in vindictam magni cujuspiam sceleris, se illas observare, vel ultro spondeat, vel cogatur. Reliquæ autem duæ notiores sunt : altera propter Dominicam nativitatem, altera propter ejusdem Domini resurrectionem, C quas præcedunt. Inter quas quoniam illa quæ Pascha præcedit famosior est, in ea de omnibus cantatur et legitur. Dicitur enim de Salvatore, quia *cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit* (*Matth.* IV). Dicitur et de Moyse, quia jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ut legem Domini mereretur accipere (*Exod.* XXXIV). Dicitur etiam de Elia, quia ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb (*III Reg.* XIX). Item jejunium aliud est rigidæ austeritatis, aliud mediæ qualitatis, aliud remissæ lenitatis. Rigidæ austeritatis est illud quod agitur tantum in pane et aqua et crudis herbis. Mediæ qualitatis est illud quod agitur in pane et D vino vel sicera, et omni quadragesimali cibo. Remissæ lenitatis est quod agitur in lacte et caseo et omni genere cibi præter solam carnem, quæ nulli jejunanti conceditur.

CAPITULUM III.

Conveniunt autem jejunanti hæc : mentis constantia, corporis munditia, spiritualis lætitia, in vultu

hilaritas, in verbis et factis maturitas, in cibo et potu sobrietas. Mentis constantia qua gulæ tentantis insidias conculcet et reprimat; corporis munditia, ne plus jejunanti noceat libido et carnis impuritas quam prosit jejunium; spiritualis lætitia, qua jam de præmio futuræ beatitudinis certus exsultet et gaudeat. In vultu debet esse hilaritas, ut non sit sicut hypocritæ tristes, ne videatur hominibus jejunans, sed Patri suo qui in cœlis est (*Matth.* VI). In verbis et factis maturitas, ne is qui pro peccatis suis corpus affligit, aliquid scurrile, vel enorme, vel religioni contrarium faciat aut loquatur. In cibo et potu sobrietas, ne aliquo modo fines sobrietatis excedat. Sunt autem quinque modi quibus contra sobrietatem agi solet : videlicet cibum impatienter appetendo, tempus præveniendo, lautiores cibos quærendo, nimis ambitiose præparando, in nimia quantitate sumendo. Primo modo in cibo peccavit Esau, quando lentis edulio primogenita commutavit (*Gen.* XXV). Eodem modo in potu David, quando concupivit aquam de cisterna quæ erat in Bethlehem; quam ei tres viri periculo sanguinis proprii attulerunt (*II Reg.* XXIII). Sed quia alter cibum illicite sumpsit, alter vero aquam quam male concupiverat Deo effudit : idcirco ille damnatus est, hic vero misericordiam impetravit. Secundo modo peccavit Jonathas, quando contra prohibitionem patris mel quod de terra virga tulerat degustavit (*I Reg.* XIV). Sed quia prohibitionem ignoraverat, ideo vix tandem a morte quam ei pater intendebat, populi suffragio meruit liberari. Tertio modo peccabant illi quos arguit Juvenalis satyricus, ita dicens (sat. I) :

.... *Una comedunt patrimonia mensa.*

Et alibi de eisdem :

.... *Melius sapiunt quæ pluris emuntur.*

Quarto modo peccabant illi quos deridet Flaccus Horatius (lib. II *Sermonum*, sat. IV) sub Catii persona, quem inducit multimoda salsamentorum genera describentem. Quinto modo peccabant illi, contra quos præfatus Juvenalis (sat. I), satyrizat hoc modo :

Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum.

Vide quanto odio gentiles etiam viri vitium gulæ persequuntur. Qua in re sciendum est quia quidquid ciborum sumis quo non eges, totum subripis indigenti. Quapropter sumere citra satis tutius est, quam sumendo superflua : et Deo quem offendis, et fratri cui præripis necessaria reum constitui. Quid autem unicuique vel satis, vel parum, vel nimium, diffinire non possumus, et ideo ipsius arbitrio credimus relinquendum. Jejuniorum autem utilitas vel effectus est : dæmonum expulsio, malarum cogitationum exclusio, peccatorum remissio, vitiorum mortificatio, futurorum bonorum certa exspectatio, cœlestium gaudiorum perceptio. Dæmonum expulsio : non tam ab aliis quam a nobis; quia malignus spiritus cum viderit hominem pro peccatis suis affligi, contemni se videns, ulterius penes eum residere non audet. Licet etiam ab obsessis aliorum corporibus virtute jejunii dæmonia frequenter expellantur, sicut dicit Salvator : *Hoc genus dæmonii non ejicitur nisi in oratione et jejunio* (*Matth.* XVII). Malarum cogitationum exclusio; quia jejunanti pro peccatis detestabile est de faciendo peccato cogitare. Peccatorum remissio; quia jejunantibus Ninivitis Dominus placatus est (*Jon.* III) : quod utique non esset, si eis peccata dimissa non fuissent. Vitiorum mortificatio; quia mortificata carne assiduitate jejunandi, etiam in ipsa peccati fomes exstinguitur. Futurorum bonorum certa exspectatio; quia qui pie et pure pro peccatis affligitur, non potest promissa pœnitentibus præmia non sperare. Cœlestium gaudiorum perceptio; quia omnes qui pro vita æterna diuturnis jejuniis corpus affligunt, mox ut e carne migraverint, ad æternæ satietatis convivia perducuntur.

LIBER TERTIUS DECIMUS.

De Eleemosyna.

CAPITULUM PRIMUM.

Ultimo loco de eleemosyna quæ et ipsa de tribus nostræ materiæ partibus una posita est, brevi quodam compendio disseramus. De qua ista considerari oportet quid ipsa sit, quot species eleemosynæ, quid competat eleemosynam facienti, quid ex ipsa soleat provenire. *Eleemosyna* Græca voce, Latina *misericordia* dici solet. Misericordia autem hominis duplex est : altera erga seipsum, altera vero in proximum. Non potuit addi erga Deum; quia Deus omnium quidem miseretur, et ipse cujusquam misericordia non eget. Miseretur ergo quis sibi ipsi duobus modis, de malis resipiscendo, et in bonis perseverando. Resipiscendo de malis, quibus præsentibus necessario damnaretur; perseverando in bonis, quibus absentibus nullatenus salvaretur. *Fili*, inquit, *miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX), id est relinquens mala et faciens bona, quorum utrumque placere Deo non est ambiguum. Proximo autem miseremur pluribus modis, videlicet compassione, oratione, correctione, consilio, auxilio, beneficio. Compassione miseremur proximo, quando vel ejus peccatis vel ærumnis misericorditer condolemus. Peccatis Absalon filii sui condolebat David, cum ille patrem persequeretur (*II Reg.* XV);

ærumnis vero, cum ipse miserabilem ejus mortem lamentaretur (*II Reg.* XVIII). Oratione similiter miseremur proximo duobus modis, cum vel pro peccatis ejus vel miseriis Deum orando humiliter imploramus. Pro peccatis proximorum orabat Stephanus, cum pro se lapidantibus imploraret (*Act.* VII); pro miseriis autem Paulus, cum juvenem Eutychum misera sorte peremptum orando suscitaret (*Act.* XX). Correctione quoque miseremur proximo duobus modis: cum vel eum de factis jam malis increpantes corripimus; vel a faciendis misericorditer abstrahimus. De hac misericordia correctionis dictum est illud in Psalmo: *Corripiet me justus in misericordia et increpavit me* (*Psal.* CXL). Consilio quoque proximo miseremur, quando erranti et sui prorsus ignaro, salubri consilio subvenimus. Auxilio etiam eidem proximo miseremur, quando ad faciendum vel obtinendum bonum quod per se non potest, auxilium ei misericorditer exhibemus. Beneficio autem eidem miseremur, quando indigenti materiale stipendium, utpote cibi vel potus, aut vestis vel pecuniæ affectu pietatis impertimur. In cujus beneficii exhibitione ista cavenda sunt, ne fiat de alieno, ne absque modo, ne detur indigno. Ne fiat de alieno, quoniam *qui facit eleemosynam de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris* (*Eccli.* XXXIV). Ne absque modo, velut si uni dederis, unde pluribus poteras subvenire. Ne dederis indigno, si dignus æque indigens valeat reperiri, quemadmodum scriptum est: *Sudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui des* (*Eccli.* XII). Et licet alibi scriptum sit: *Omni petenti te tribue* (*Luc.* VI), tamen hæc nostra beneficia ad domesticos fidei, et vicinos seu familiares nostros copiosius atque frequentius debent extendi.

CAPITULUM II.

Eleemosynam facienti ista conveniunt: mentis puritas, simplicitas, humilitas, liberalitas, hilaritas. Hæc autem ei dicimus convenire: non sola quidem, sed præcipua. Mentis puritas ei valde necessaria est, sine qua nec esset eleemosyna quidquid facere posset; quia cum eleemosyna nil aliud sit quam misericordia, nulli misericors esse potest, qui sibi ipsi per cordis impuritatem impius et immisericors esse convincitur. Quocirca si eleemosynam facere meditaris, necesse est eam a te ipso incipere, et transire in proximum. Quod enim ait Salvator in Evangelio: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI), non eo sensu dictum est quasi hoc solo mundari valeas a multis magnisque flagitiis, si dederis esurienti victum, nudo vestem, vel aliquid similium. Si enim hoc solum ad emundationem multorum magnorumque criminum sufficeret: optima esset pessimorum hominum conditio, si sua flagitia sola rerum temporalium impensa possent redimere, quales sunt fures, raptores, quadruplatores, qui rebus etiam malæ partis malorum suorum impunitatem sibi facile compararent. Quod quidem in illis Domini verbis minime debet intelligi; sed, A quoniam qui talis est ut eleemosynam vere ac digne dare possit, huic revera omnia munda esse confitemur. Tale est illud quod dici solet: *Habe charitatem, et fac quid volueris*: non quod habenti charitatem furta, homicidia vel adulteria liceat perpetrare; sed quia nihil facere potest habendo charitatem quod ad vitam obtinendam impediat. Competit ei etiam simplicitas, ut ex eo quod sola pietatis causa fieri debet, non quærat favorem hominum: veluti Pharisæi, qui, cum facerent eleemosynam, canebant tuba; de qualibus dicit Salvator: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Mercedem, inquit, suam receperunt, laudem videlicet ab hominibus quam quærebant sub ostentu falsæ religionis, pœnam vero quæ simulationi eorum debebatur adhuc erant recepturi. Quapro- B pter vel occulte fieri debet eleemosyna, juxta illud: *Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro vobis* (*Eccli.* XXIX); vel si occultari non potest, pura tamen intentione fiat, sicut ait Salvator: *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI), id est operi bono quod tantum bona intentione faciendum est, nihil pravæ intentionis admisceas. Humilitas etiam eidem multum est necessaria, ne quod ob amorem Dei et proximi humiliter faciendum est, arroganter et superbe fiat: ut faciunt quidam homines perditissimi, qui ea quæ pauperibus eroganda erant scurris et histrionibus largiuntur, cum scriptum sit: *Qui donat histrionibus immolat dæmo-* C *nibus.* Quapropter duplici pœnæ tenentur obnoxii: vel quia pauperes Christi suo fraudant stipendio, vel quia ea quæ forte aliis violenter erepta sunt impurissimo generi hominum pro sua scurrilitate largiuntur. Sed et si propriæ sint res et omni vitio carentes, id est nulla parte injuria, peccant tamen gravissime; quippe quas in bonos usus conferre debuerant, eis turpiter abutentes. Quæ enim major abusio quam in homines fœdos et Deo prorsus odibiles facultates tuas effundere; pauperes autem Christi et eosdem fratres tuos nullo beneficio consolari. *Qui viderit*, inquit, *fratrem suum necesse habentem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Patris manet in eo?* (*I Joan.* III.) Frater tuus pauper D est, et forsitan communi Patri Deo te longe dilectior. Ille semicinctiis horret, et tu nites in purpura, et tamen tuus frater est, non potes ejus propinquitatem effugere. Divide cum fratre tuo substantiam tuam, ne tuum et illius Patrem graviter exacerbes. Liberalitas quoque facienti eleemosynam adesse debet ne sit exsanguis et aridus in erogando; sed pro modo facultatis fratri libenter impertiatur: non tam timens in posterum defectum suum quam præsentem illius attendens penuriam. Meminisse siquidem debet, quoniam qui dedit præsentia poterit, illis erogatis, alia copiosius ministrare. Faciat ergo quilibet pro facultate sua, et ob amorem illius qui omnia dedit et ampliora dare potest, egenti proximo quod potest exhibeat: memor illius Scripturæ quæ

dicit : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si autem parum, etiam de ipso libenter impertire* (*Tob.* IV). Hilaritas facienti eleemosynam semper adesse debet, ut id ipsum quod dat læto animo largiatur; quoniam, ut ait Apostolus : *Hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Nam et inter homines, ut ait philosophus, ingratum est beneficium quod diu inter manus dantis hæsit, et denique si visus est dare, quasi ab eo extorqueretur. Quanto magis Deo qui nullam habet indigentiam, munus tuum placere non potest, nisi illud devotæ mentis commendet hilaritas. Cum ergo facis eleemosynam, cum summa mentis hilaritate facias necesse est et gaudio spirituali : certissime sciens, inter omnes impensas tuas nil poni tam feliciter et lucrose quam illud quod pauperibus erogatum, Deum tibi efficit debitorem. *Qui miseretur,* inquit, *proximo, feneratur Deo* (*Prov.* XIX). Fenerare igitur et tu, et in cœlestibus repone apothecis : quod tibi Christus cum necesse fuerit centuplicatum restituat. Hoc modo reposuerat ille qui dicebat : *Scio cui credidi et certus sum; quia potens est depositum meum servare in illum diem* (*II Tim.* I), justus judex. Vide enim quid idem judex in extremo judicio dicturus sit : *Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Fidelis sermo et digna Deo sententia; qui collata minimis fratribus suis, se accepisse profitetur. Quis dubitet apud istum deponere qui commissa tam integra fide tantoque restituit augmento. Vide enim quid dicat : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi et dedistis mihi bibere* (*ibid.*); et cætera quæ ibi de operibus misericordiæ subjecta sunt. Verum ne te rerum tenuitate putes excusari, vide quid dicat propheta : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum operi eum, et carnem tuam ne despexeris* (*Isa.* LVIII). Vide quid jubeat. Non jubet esurienti proximo sumptuosa parare convivia; sed si aliud non habes, buccellam panis cum eo dividere. Non jubet egenos et vagos multo suscipere apparatu; sed inducere in domum tuam, ut saltem sub culmine tuo noctis importunitatem queant effugere. Non jubet pauperem nudum pretiosis ornare induviis, sed saltem veste attrita et veteri, nuditatem ejus abscondere. Et carnem tuam ne despexeris, id est eum qui a primo patre carnali communem tecum duxit naturam. *Nemo,* inquit Apostolus, *carnem suam odio habuit, sed fovet eam et nutrit* (*Ephes.* V). Dilige et tu carnem tuam, dilige fratrem tuum, quia caro tua et sanguis tuus est. Fove eum vestis operimento, nutri corporis alimento. Vide quid idem dicat Apostolus : *Qui tribuit in simplicitate, qui miseretur in hilaritate* (*Rom.* XII). Per simplicitatem prava intentio removetur; per hilaritatem lætitia spiritualis admonetur, ut et in intentione boni operis sit pura simplicitas, et in exhibitione spiritualis hilaritas. Hæc sunt quæ facienti eleemosynam videntur convenire, nunc proventum ejus inspiciamus.

CAPITULUM III.

Quid ex eleemosyna veniat.

Proveniunt autem ex eleemosyna quinque hæc : remissio peccatorum, charitatis augmentum, spirituale gaudium, certa spes promissorum, perceptio præmiorum. Remissionem peccatorum ex eleemosyna provenire nulli dubium esse debet, cum scriptum sit, quia *sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* III). Hoc itaque determinari oportet, si debito modo fiat eleemosyna, id est si illa adfuerit quæ paulo superius eleemosynam facienti diximus convenire. Ubi enim mentis puritas humilitas atque simplicitas præsto sunt, ibi nullum omnino mortale peccatum credimus coadesse. Venialia vero etiam si multa fuerint, per eleemosynam facile diluuntur. Quod et si qua mortalia aut etiam criminalia per confessionem quidem deleta sunt, sed nondum operis satisfactio subsecuta, ad hoc quoque plurimum valere potest eleemosynarum largitio, ut quanto quis in ea fuerit propensior, tanto ei levior pœnitentia vel possit imponi, vel imposita relaxari. Tenet enim fides Ecclesiæ quod rerum temporalium collatione, tam peccata redimi queant, quam pœnitentiæ peccatorum. Tribus enim modis, ut aiunt, fieri solet peccatorum remissio. Uno quidem modo excellenter et proprie, cum reo confitenti vel habenti confitendi propositum Deus occultæ reatum culpæ dimittit, manente tamen necessitate pœnitendi. Quod si facere contempserit, vel secundum quosdam redit peccatum quod dimissum erat; vel secundum alios non redit quidem, sed propter ingratitudinem et contemptum æque ut pro peccato punietur. De hac peccati remissione, sic ait Psalmista : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Et Dominus per prophetam : *Peccator quacunque hora ingemuerit, salvus erit* (*Ezech.* XVIII). Altero etiam modo fit peccati remissio, sed minus proprie, cum sacerdos ea potestate qua ligare et solvere potest, confessum peccatorem a peccato absolvit, debitum ei modum satisfactionis imponens. Quam si non fecerit nihil proderit ei vel Dei vel sacerdotis remissio, sed æque ut ille prior vel forte gravius pro majori contemptu punietur. Tertio quoque modo dicitur remitti peccatum satis quidem improprie, cum injuncta pro peccato pœnitentia ab eo qui potestatem habet, vel tota remittitur, vel ex parte relaxatur. Hoc autem fieri solet duobus modis : compassione charitatis, et compensatione majoris boni, id est pluribus profuturi. Compassione charitatis : velut illi quibus a sanctis hominibus sanctorumve hominum collegiis injunctæ pœnitentiæ pars aliqua relaxatur. Compensatione majoris boni, quando injuncta alicui pœnitentia corporalis, compensatione alterius rei quæ pluribus prodesse pos-

sit commutatur: veluti larga eleemosynarum largitione tempore famis in pauperes, sive collatione pecuniæ in necessitates ecclesiarum, vel captivorum redemptionem, vel aliquid aliud quod his simile videatur. Et in hoc quidem utroque casu, is cui pœnitentia vel relaxatur vel remittitur, etiam a peccato creditur absolutus. Quod licet ita fieri soleat, et inter consuetudines Ecclesiæ receptum sit; tutius tamen esse credo, nullum pro aliqua rei temporalis compensatione a pœnitentia corporali ita prorsus absolvi, quin aliquam ejus partem, veluti jejunium aliquot feriarum de multis, vel aliquid aliud æque molestum corpori vel jam fecerit vel adhuc facere jubeatur. Nullam enim satisfactionem peccati Deo tam credimus acceptabilem: quemadmodum illam quæ corporis afflictione, et cordis contritione commendatur. *Convertimini*, inquit, *ad me in toto corde vestro in jejunio et fletu et planctu* (*Joel* II); ecce corporis afflictio. *Et scindite corda vestra et non vestimenta vestra* (*ibid.*); ecce cordis contritio. Dignum quippe est ut, quod actu corporis commissum fuerit, ejusdem corporis purget afflictio; reatus vero mentis, cordis contritione diluatur. Quapropter quidquid de facultatibus nostris quæ nobis vel a Deo ad bonos usus concessæ, vel forsitan de peccato quæsitæ sunt: quidqnid, inquam, de rebus extra nos positis in præfata pietatis opera fuerit erogatum, tutius tamen est, tam ei qui dispensat, quam illi qui dispensatione utitur aliquam reo vindictam pœnitentiæ corporalis injungi: per quam id quod corporaliter admissum est aliqua saltem corporis afflictione corrigatur. Nihil enim minus metuendum est quam ne quis de peccato suo nimis pure et perfecte pœniteat; præsertim cum multa possint esse delicta, qua nec ipse intelligit, et si quid supererogaverit pœnitendo, Dominus plena retributionis mercede valeat compensare.

Provenit etiam ex eleemosyna charitatis augmentum, tam erga Deum quam erga proximum. Erga Deum quidem hoc modo: dum illi ob cujus honorem tua libenter erogas, opus tuum placere præsumis, et in ejus amore tanto validius inardescis, quanto te amplius ab illo speras redamari. Dilectio Dei ejusmodi est, ut sua dulcedine quantum in ipsa est, semper in se hominem magis ac magis alliciat; quoniam in ipso nihil est quemadmodum in homine, quo possit animus diligentis offendi. *Gustate*, inquit, *et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Dulcedo Dei et suavitas in modum aromatum, quandiu gustata non fuerit, ignoratur; cum autem gustare cœperis, mira quadam jucunditate feliciter innotescit. Hanc Dei dulcedinem nondum gustaverat Saulus, cum esset adhuc blasphemus et persecutor (*Act.* VIII, IX); gustaverat autem Paulus, quando dicebat: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita poterit nos separare a charitate Dei* (*Rom.* VIII).

Erga proximum quoque per eleemosynæ largitionem charitas ampliatur, tum propter Deum cujus gratia proximum consolaris, tum quia beneficium tuum cum sit ei necessarium, gratum esse non dubitas, et eum a quo te merito diligi putas, non potes non amare. Crescente igitur beneficio crescit et charitas, dum illa beneficium invitat; illud vero amplificat charitatem. Quocirca si necdum scis diligere proximum, hanc diligendi artem per ipsum operis actum optime potes addiscere: Divide cum eo substantiam tuam, et amare incipies. In hac enim arte, practica theoricam præcedere solet, cum in aliis theorica practicam soleat prævenire. Practica quippe dilectionis opus pietatis est, theorica vero intelligitur ipsa dilectio. Provenit etiam ex eadem eleemosyna gaudium spirituale, dum mens boni operis sibi conscia, et Dei se implevisse voluntatem, et fortunæ subvenisse necessitati uno eodemque facto gloriatur. Quorum in altero debitam divinæ majestati reverentiam gaudet exhibitam, in altero communis naturæ compassionem, in utroque vero legem charitatis impletam. Neque enim modico gaudio dignum est, fecisse quod Deo placeat, subveniat proximo, conveniat charitati. Hæc igitur attendens bene sibi mens conscia, sua pro Christo libenter dilargitur, nulla rerum temporalium metuit detrimenta: id solum sibi salvum existimans quod in tales usus expenderit. Terrenis facultatibus cœlestes implet thesauros, temporarias opes æternis ingerit apothecis: gaudens sibi facere amicos de mammona iniquitatis (*Luc.* XVI); a quibus, cum defecerit, in æterna recipi mereatur tabernacula. Thesaurizat sibi thesauros in cœlo ubi nec ærugo, nec tinea demolitur (*Matth.* VI). Hoc modo thesaurizaverat ille martyr, qui cum arderet in craticula, impiissimo tyranno insultabat his verbis: *Assatum est, jam versa et manduca; nam facultates Ecclesiæ quas requiris in cœlestes thesauros manus pauperum deportaverunt.* Certa spes promissorum quæ nihilominus ex eleemosyna provenire solet in duobus posita est: dignitate videlicet promerentis, et veritate promittentis. Dignitate promerentis, quoniam qui divina libenter implet mandata, securus exspectat promissa; in veritate promittentis, qui facienti quod præcipit certissime dat quod promittit. Nullum fraudat, nullum decipit, nullum vana exspectatione deludit, apud quem aliqua deposuisse non aliud est, quam in tuto collocasse; omnibus commissa plena fide restituit, sua unicuique redhibet cum augmento. Adest enim optimæ voluntati facultas et potentia, nec est major in faciendo quam in volendo difficultas. Dives quippe est in omnes qui invocant illum, sicut ait Scriptura (*Rom.* X); et quantumlibet uni dederit, non habet eo minus quod alteri largiatur. Nec metuendum est ne is qui gratiam dedit ad merendum, merito jam et digno præmium sit negaturus. Qui voluit te mereri, vult utique remunerare merentem. Persevera igitur in merendo, et ob illius gratiam libenter tua largire, qui tibi et in hoc mundo cum persecutionibus centuplum restituit; et in futuro vitam æternam largietur.

Depone securus apud illum qui sibi commissa non solum fideliter servat, sed etiam multiplicata reconsignat. Depone securus apud illum, qui nec fraudem facere novit, nec potest aliquid sub ejus custodia deperire. Cui quidquid commiseris, totum servas; si nihil commiseris, totum perdis, cum nihil credidisse, totum est perdidisse. Ultimum ac præcipuum eorum quæ ex eleemosyna dicta sunt provenire, cœlestium gaudiorum est perceptio. Hæc sunt illa gaudia æternæ felicitatis quæ omnibus electorum meritis in præmium proponuntur. Hoc est illud bonum omnium aliorum finis et consummatio, et quod si non successerit, ut super quoque dictum est, alia inutiliter præcesserunt. Ad hoc bonum ab omni genere electorum hominum diversis meritorum curritur viis, diversis operum itineribus festinatur; quod cum sit unum et simplex, vita enim æterna est et illa Deus, pluribus tamen ex causis et diversis meritorum suffragiis obtinetur. Omnia siquidem bona qui ab electis hominibus vel fiunt vel habentur, in hunc quemdam, ut ita dixerim, certissimum finem concurrunt. Quod et tanto jucundius est assequenti, quanto pluribus ex causis et meritis amplioribus fuerit comparatum. Quocirca nemini videatur absurdum quod hoc ipsum bonum æternæ felicitatis, ex qualibet trium partium materiæ nostræ, videlicet, oratione, jejunio, eleemosyna diximus provenire. Ista siquidem tria bona sicut et alia multa ejusmodi sunt ut, si debito fiant modo, et singula vitam conferant, et simul omnia plenius nanciscantur; quemadmodum in compitis trivialibus plures viæ concurrentes, et omnes simul et singulæ ad idem loci perducunt. Amplius autem cum plurimæ viæ ex diversis partibus venientes, et omnes et singulæ in eamdem dirigant civitatem, multo magis omnes virtutes quæ ex radice charitatis tam ipsæ quam earum opera proficiscuntur, et simul et singulatim ad unum finem æternæ retributionis certissime diriguntur. Unde et multorum vel opinio vel potius sententia talis est ut, qui unam virtutem habuerit, eum nullius immunem fateantur; præsertim cum habeat charitatem, quæ omnium radix est, quemadmodum ubicunque fuerit radix arboris, ibi etiam ramos ei cohærentes adesse necesse est. Virtutes enim in anima secundum quamdam spiritualis arboris formam distinctæ sunt; in qua et radix et stipes est charitas; rami majores, virtutes; minores vero, ramusculi; flores, cogitationes bonæ; frondes, verba benevola; fructus autem bona operatio. Et hoc quidem ad similitudinem corporis humani; quod et ipsum, ut aiunt physici, formam arboris habet, sed arboris inversæ, id est habentis radicem superius versam, ramos vero deorsum. Est itaque caput pro radice propter nervos a cerebro prodeuntes, quibus universa membra compaginantur et moventur; corporis truncus, pro stipite; brachia et crura pro majoribus rami; pro ramusculis autem, digiti manuum et pedum articuli. Est igitur quasi arbor in arbore, anima in corpore. Aliam quoque arborem in pravis animabus reperies; sed contrariæ qualitatis, id est non virtutum, sed vitiorum. In qua arbore pestifera et radix est contemptus Dei; rami majora vitia, minora vero ramusculi; flos malus, prava cogitatio; folium, verbum inutile; mala operatio, fructus est venenatus. De his duabus arboribus, virtutum scilicet et vitiorum, sic ait Dominus in Evangelio : *Non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere. Bona arbor fructus bonos facit, et mala arbor fructus malos facit* (*Luc.* VI; *Matth.* VII).

Ad illam tertiam humani corporis arborem potest illud pertinere quantum ad litteram : quod cæcus illuminatus Domino interroganti an aliquid videret, ait : *Video homines sicut arbores ambulantes* (*Marc.* VIII). Ex hac igitur quam diximus virtutum connexione, volunt multi eas abinvicem non posse separari; sed si una adfuerit, omnes pariter coadesse. Sed quoniam vel impossibile vel rarum est, ut omnes pariter actus suos exerceant, quasdam dicunt positas esse in actu, quasdam vero esse tantum in habitu. Habitum hic dicimus qualitatem mentis, quam contrahit ex hoc quod charitate informatur; actum vero opus ipsius virtutis. Abraham ergo licet conjugatus esset, continentiam tamen habuit in habitu; quia si non studeret procreandæ proli, libentius contineret quam uteretur conjugio. Castitatem vero conjugalem habuit tam in habitu quam in actu; quoniam et illi mente consensit, et actu ipso exercuit. Joannes vero continentiam utroque modo habuit; quam et mente dilexit, et actu corporis observavit. Satis jam ex præmissis patet, quod omnes virtutes licet actu differant, tamen sic omnes prodeunt ex una radice charitatis, sic tam ipsæ quam earum opera ad unum finem tendunt æternæ felicitatis. Quapropter tribus illis rebus de quibus hactenus nobis tractatum est, non alium finalem proventum quam illum qui omnium bonorum communis est potuimus assignare. Sunt autem alia non pauca illis communia, quæ satis pertinenter et congrue cuilibet illarum possent attribui. Quorum pleraque in tractatum orationis transferre maluimus; ut semel ibi discussa, non esset opus secundo vel tertio tractanda resumere; simul ut ex eorum accessu locupletior esset tractatus orationis quæ reliquis duabus dignitate præponderat. Orandi quippe negotium, tibi geritur cum Deo, jejunii tecum ipso, eleemosynæ cum proximo. Orando Deum alloqueris, jejunando carnem affligis, eleemosynam faciendo proximum consolaris. In primo anima purgatur, in secundo corpus atteritur, in tertio proximus relevatur, in omnibus autem Deus honoratur. Honoras quippe Deum, cum ei humiliter supplicas, cum in ejus vindictam corpus excrucias, cum ob ejus amorem tua fratri communicas. Bona sunt hæc tria etiam singula, simul autem omnia etiam valde bona; quibus si qua accesserint alia, quanto erunt plura, tanto etiam potiora. Quæcunque enim naturaliter bona sunt, quanto plura in unum

conveniunt, tanto præstantius quoddam bonum efficiunt. Unde et illud summum bonum, cui nihil deesse potest, ita diffiniri solet, ut dicatur status omnium bonorum congregatione perfectus. Hæc nimirum est illa suprema beatitudo retributionis æternæ, Deus videlicet, omnium bonorum finis, ac remunerator et præmium. Ad hunc procul dubio finem, omnia bona quæ vel in homine sunt, vel ab homine fiunt, finaliter referri debent. et in ipso feliciter consummari. Quod enim nec ad hoc bonum intentione dirigitur, nec ejus adeptione consummatur, id nec boni quidem appellatione dignum est. In his itaque bonis, tria hæc de quibus nobis hactenus dissertum est, inter præcipua virtutum opera magisque communia, et pluribus necessaria, ab his qui diligentius attendunt, solent æstimari. Siquidem sua penitus relinquere, quod Dominus in Evangelio non jubet sed consulit (*Matth.* XIX); continentiam servare, quod idem Salvator non jubet quidem, sed Apostolo reliquit consulendum (*I Cor.* VII). Utrumque horum magnum quidem, sed rarum est; nec in tanta necessitate positum; quoniam sine illis ad vitam multi perveniunt. Orare autem ac jejunare et eleemosynam facere generaliter ad omnem pertinet Christianum: eatenus ut si quis habita facultate, ea facere contempserit, charitatem non habeat: ac per hoc æternæ vitæ non sit idoneus. Cum igitur orando lingua cum Deo fabulatur, carnis petulantia jejunando restringitur, ad consolationem proximi manus extenditur: tunc profecto gratissimum Deo præstamus obsequium. Vehementer ei placet triplex iste concentus: plurimum delectatur hujusmodi symphonia. Orantem exaudit, propitiatur afflicto, misericordiam præparat eam proximo facienti. Quapropter hæc tria bonorum operum genera, omnibus quidem fidelibus, ac nobis maxime, quibus major inesse charitas ex ipso habitu exteriori præsumitur, omni studio comparanda atque tenenda sunt, accedentibus etiam aliis bonis quotquot Deus præstare dignabitur, quibus in hac vita temporaliter adjuti, summum illud et incomparabile bonum apprehendere mereamur.

Hæc sunt quæ de hac nostra trimembri materia necessario disserenda videbantur, relictis compendii causa quampluribus, quæ nisi laboris prolixitatem fugeremus, utiliter et congrue potuissent adjungi. Nunc illud cum lectore volumus depacisci quatenus si quid in hoc opusculo suspectum vel ambiguum minusve planum occurrerit, non statim quid causando possit objici, sed quid auctor senserit diligenter advertat; quod in omni Scripturæ recitatione quoad ejus notitam constat esse potissimum. Discreti siquidem ac benevoli lectoris est, Scripturæ verba sub eodem sensu quo posita sunt, fideliter interpretari. Qui autem, sensu scriptoris spreto vel potius ignorato, litteram reluctantem in alium captivare conatur; is quidem non lector, sed potius perversor ac depravator rectissime dicendus est; nam licet ex verbis nonnunquam alicujus melior sensus elici queat, quam ipse auctor habuerit, non tamen hoc est aliena legere, sed propria commentari. Scimus utique nos in hoc opusculo quædam satis disputabilia tetigisse, et, ut sic quoque proverbialiter dictum est, velut super prunas sub cinere latentes nudis ambulasse vestigiis. In quibus tamen omni diligentia calamum temperare curavimus, ut nihil nisi verum ac pium, si quis recte nobiscum intelligat, paginæ mandaretur. Qua in re si quid forte nobiscum erratum est, vel nostræ imbecillitati, vel rerum ipsarum difficultati videbitur imputandum. Illud certe scire volumus omnes quibus in manum venerit noster hic codicillus, hanc nobis fuisse intentionem, tum ut de rebus hactenus, ut credimus, indiscussis aliqua diceremus, tum maxime ut hac occasione nostram in posterum fraternæ charitati humiliter commendaremus memoriam. Neque enim laudem nobis venari cura est, sed favorem hominum nostræ professionis captare voluimus; ut pro labore quo circa res istas, ac maxime circa orationem desudavimus, liceat nobis pias eorum orationes exspectare. Hæc nobis merces ex hoc labore proveniat, et nos operam nostram utiliter posuisse, et nobiscum eleganter actum esse fatebimur. Siquidem post immensam divinæ pietatis clementiam, cui tota spes salutis humanæ innititur; optima portio meæ consolationis et fiduciæ in suffragiis sanctarum totius ordinis orationum posita est. Considerans enim malorum meorum multitudinem, atque meritorum penuriam, de propriis diffisus, aliena cogor mendicare subsidia. Nam, quæ mihi precor in me potest esse securitas, cum videam alios quosdam ex his cum quibus vivere cœpi, sexaginta pluresve annos sub disciplina militiæ claustralis agentes, ita fervere spiritu, quasi nunc demum incœperint; me vero paucissimi temporis effectum militem, velut in primo castrorum ingressu sub armis modo susceptis fatiscere. Illi qui sæculum vel nunquam omnino gustaverunt, vel multis retro temporibus obliti sunt, tanto dolore ac metu pœnitent, tanquam hodie peccare desierint; et ego qui vix dum de luto fæcis et miseriæ per gratiam conversionis pedem emovi, quasi nihil deflendum mecum attulerim, ita stulta securitate deceptus elangueo, quasi vero perfectum faciat monachum, sola sæcularis habitus et vitæ mutatio. Faciunt alii quidquid possunt, merita meritis cumulantes, ego solus inter eos complosis, ut aiunt, manibus sedens, nil aliud agendum existimo, magnum quiddam arbitrans sæculum reliquisse. Quanto præstantius erat atque salubrius, bonorum operum fructus Deo hilariter offerre, et hanc ipsam vitam quæ mihi tamen in labore agenda est, totam cum gaudio spirituali divinis mancipare servitiis. Nam illud verissime dicere possum, per hoc jam septennium, quod mihi sub habitu religionis actum est, tanto tamque continuo laborasse corporis

incommodo, ut excepto tempore refectionis aut somni, nunquam vel una mihi hora bene fuisse valeam reminisci. Nec hoc nunc volo intelligi de illa ordinis asperitate, quæ gaudia sæculi relinquentibus horrenda et gravis est; quam utique pro viribus meis devote ac reverenter excipio, sed de intolerabili quadam capitis passione, quam a prima susceptione habitus indesinenter toleravi. Proinde nil jam aliud superesset nisi in tanta rerum pressura sub manu flagellantis deficere : si non me salubriter ac lucrose, pio Patris affectu flagellari præsumerem : nunc autem *virga Domini et baculus* ejus *ipsa me consolantur* (*Psal.* XXII) : frequenter A illa Scripturæ verba repetentem, quia *quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III; *Hebr.* XII). Viderit itaque sapiens medicus quid in ægro vel secari vel uri oporteat : penset optimus Pater quatenus in filio flagris utendum sit, quid post flagra consolationis et gaudii daturum sese disponat, ego percussiones ejus et verbera quandiu ferire placuerit, ea quam dederit ipse patientia, sine ulla remurmuratione conabor excipere. Hoc unum inter crebras plagarum inflictiones, magno interni clamore cordis efflagito, quatenus vel diu mulctatum, tandem in paternæ sortem hæreditatis admittat. Amen.

Opusculum de tribus Christianorum actibus, oratione videlicet, jejunio et eleemosyna, finit. Impressum Basileæ per Michaelem Furter : anno MCCCCCVII, *die vero quintadecima mensis Martii.*

GUNTHERI CISTERCIENSIS

HISTORIA

CAPTÆ A LATINIS CONSTANTINOPOLEOS

Sub Balduino, circa annum 1204.

Ex membranis manuscriptis bibliothecæ Academiæ Ingolstadiensis edita.

(Henricus CANISIUS, *Antiq. Lect.*, edit. Basnage, tom. IV, p. I.)

—

CANISIUS AD LECTOREM.

—

In ms. codice alius titulus non erat, præter hunc : Incipit Historia Constantinopolitana. *Porro ex verbis illis, quæ sub finem ab alio quopiam adjecta sunt, patet auctoris nomen, qui cap.* 24 *non obscure innuit se monachum fuisse in cœnobio Parisiensi, diœcesis Basiliensis, de quo cap.* 2 *plura. Item cap.* 1 *cum ait :* Præsentis loci nostri felicitatem perpetuam, *idipsum diserte testatur. Fuit hoc monasterium Cisterciensis ordinis in diœcesi Basileensi, ut patet ex cap.* 2 *et* 4. *Martinus ille abbas Parisiensis, qui expugnationi Constantinopolitanæ interfuit, et ex cujus ore Guntherus hanc Historiam habet, vixit adhuc cum hæc Guntherus scripserat, ut colligi potest ex cap.* 5 *et* 1. *Quanta autem fide sit conscripta, vel ex his verbis capitis primi liquet :* Nostræ narrationis pagina nil prorsus falsum vel ambiguum continebit, sed veram ac certam rerum gestarum seriem persequetur, sicut idem vir, de quo plura dicturi sumus, humiliter satis ac verecunde puram nobis ac simplicem enarravit historiam. *Scribit hanc ipsam captæ Constantinopolis tragœdiam Nicetas Acominatus Choniates, Magnus logotheta, in* Annalibus Constantinopolitanis, *quos Græco-Latinos iterato editos anno* 1593 *hæreticus quidam ineptiis et hæreticis scholiis contaminavit. Ita nimirum illi nati sunt bonos libros male inquinatos dare. Cum autem hic frequentissima sit mentio Martini abbatis, redit in memoriam ille Martinus ordinis Prædicatorum, qui floruit sub Ludovico, anno* 1320, *ejusque opuscula enumerat Trithenius lib.* De script. eccles., *qui subdit hæc verba :* Sunt item alii qui Cisterciensis ordinis collegio existiment aggregandum, quos aut ignorantia rerum obfuscavit, aut livor. *Hæc Trithem. Sed forte Trithemius hic deceptus fuit, cum legit apud alios mentionem Martini, abbatis ordinis Cisterciensis. Certe hic noster Martinus Cisterciensis fuit, cujus, utpote celeberrimi viri, si alii meminerunt, recte Cisterciensem vocaverunt. Licet erraret, quisquis hunc nostrum Martinum Cisterciensem, qui sub Philippo imp. floruit, miscere vellet cum illo Martino Prædicatorum, qui sub Ludovico claruit. In cap.* 24 *signatur annus* Domini 1205, *quo Argentinensis episcopus fuit Henricus. Fuit hic* Henricus comes a Veringen, *inquit Bruschius in episcopo* LIX *Argentinensium,* Suevus; pius ac religiosus, pacis publicæ et bonæ inter omnes homines tranquillitatis auctor et custos, promotor et conservator studiosissimus. Præfuit sapienter et utilissime uno et viginti annis. Instauravit iterum castrum Dagenstein pene collapsum, Dagoberti, Galliarum regis, olim sedem ac domicilium, ab eodem etiam exstructum. Decessit anno incarnati Verbi 1223, undecima Martii. Sepelitur honorifice et magnifice in sacello S. Andreæ, quod est in basilica cathedrali. *Hæc Bruschius.*

JACOBI BASNAGII

IN GUNTHERI HISTORIAM CONSTANTINOPOLITANAM OBSERVATIO.

—

I. An eodem tempore plures fuerint Guntheri merito dubitaverit aliquis. Refert quidem Trithemius Guntherum quemdam monachum, carmine prosaque disertum, floruisse imperatoris Henrici IV temporibus; sed ille ab eo quem quærimus, plane diversus est, upote qui sæculo fere integro præcesserit. Alius est Guntherus qui Musas dudum exsulantes remeare jussit :

Hoc quoque me famæ, si desint cætera, solum
Conciliare potest, quod jam per multa latentes
Sæcula, nec clausis prodire penatibus ausas
Pierides, vulgare paro, priscumque nitorem.
Reddere carminibus. . . . . .

Is laudes Friderici Barbarossæ decem libris cecinit. Vixit non modo sub Friderico, sed et sub Henrico sexto, Friderici filio.

Tu primum placatus ades, qui jure paterno
Virtutum regnique simul successor et hæres
Sceptra geris. . . . .

Itaque finem duodecimi sæculi, vel etiam initia sequentis, attigit. Illi tribuitur poema quod *Solymarium* dixit, eo quod ibi bellum cruce signatorum describeretur.

Si vera forent quæ dicit Baronius, hunc poetam fuisse Ligurinum, hoc est patria Mediolanensem, deberet distingui a Gunthero qui *Historiam Constantinopolitanam* exaravit. Hic enim, natione Germanus, cœnobita fuit in monasterio Parisiensi juxta Basileam. Sed erravit Baronius, qui titulum carminis a Gunthero editi autumavit esse nomen ipsius patriæ. *Ligurinum* dixit librum suum Guntherus, eo quod res gestas a Friderico in Italia, præcipue tamen Mediolani in *Liguria*, narrare aggrederetur. Patriam indicandi mens ipsi non fuit. Scripsit quidem ille *Solymarium;* sed titulus ille novi carminis non convenit *Historiæ Constantinopolitanæ* quæ hic editur; ille enim liber carmine fuit scriptus, hic prosa. Deinde alter forsan Hierosolymorum expugnationem, hic Constantinopoleos refert. Diversa sunt igitur illa opuscula. Conjiciat alter si uni eidemque auctori tribui debeant, qui junior carminibus ludere, senior prosa, impulsu Martini abbatis, iter Constantinopolitanum potuit describere.

II. De tempore quo scripsit, diu non est disputandum, 1° enim expeditio Constantinopolitana confecta est anno 1204, quo, urbe expugnata, Balduinus, comes Flandrensis, electus est Græcorum imperator; 2° Martinus abbas, qui sequenti anno e Græcia reversus est, Guntherum ad expeditionem illam describendam impulit. Ideoque in laudando Martino abbate Parisiensi totus est Guntherus. Vixit igitur ille initio sæculi decimi tertii; 3° illud opusculum non confecit, nisi post mortem Philippi imperatoris, qui cæsus est ann. 1208. Refert enim ipse imperatorem in solemnibus festis tabulam gemmis ornatam, reliquiis onustam, gestare *consuevisse*. Obierat igitur Philippus, dum hæc scriberet Guntherus. Ideoque annus 1210 huic operi assignatus est. Cætera vide apud Canisium.

III. Aliqua sunt hic observatione digna : primo non consentiunt omnia quæ hic narrat Guntherus de expeditione Constantinopolitana cum fide historica. Fidem adhibuit abbati Martino, qui laudum suarum præconem quæsiverat et dummodo sibi adularetur, cætera transmittebat. Si quis igitur hanc expeditionem Constantinopolitanam diligentius examini subjicere velit, consulat Bzovium ad an. 1204; secundo, nescio unde quædam hauserit placita quæ religioni Christianæ multum detrahunt : *Si qua a populo nostro contra pietatem facta videbuntur, eadem tamen utique divina voluntate semper justa facta esse* non dubitat. Deus certe, quanquam omnipotens, nec crimina probare, nec injusta facere justa potest. Tertio, sibi contradicere videtur scriptor, dum inter reliquias ab abbate translatas recenset lignum Dominicæ crucis, cum scripsisset *venerabile crucis lignum, Christi sanguine perfusum ita occultatum, ut nemo Christianus, quid de illo actum sit, vel unde requiri debeat, scire possit.*

IV. Mitto odium pontificis in Græcos, quod laudatur; sed caveat lector a donatione Constantini tabulisque ibi annexis, ut de pyramide in qua versus Sibyllini a longo tempore insculpti victoriam classicam Latinis pollicebantur.

PROLOGUS AUCTORIS.

—

1. Universa divinæ virtutis opera plurimum habent admirationis, eatenus, ut si qua mira non sunt, nec divina debeant judicari. Specialiter tamen ea mirari consuevimus, quæ magna et ardua per humiles personas, illorum scilicet hominum qui et apud seipsos per humilitatem in imo sunt, et apud alios tantis re- A bus minus putantur idonei, eadem virtus divina dignatur ostendere. Unde et illud magis mirandum est, quod per Moysem, hominem privatum et humilem, qui oves soceri sui Jethro pascere solebat (*Exod.* III), populus filiorum Israel de tyrannide Pharaonis et de fornace ferrea Ægyptiæ servitutis

eductus est (*Exod.* XIV), quam si per aliquem fortissimum regem in manu valida et millibus armatorum populus idem fuisset ereptus. Sic et illud majori stupore suscipimus, quod per homines brutos et pauperes piscatores et idiotas fidem Christi, novam prorsus et incognitam, mundus accepit (*Matth.* IV), quam si vel Augusti Cæsaris auctoritate, vel Platonis scientia, vel Demosthenis aut Ciceronis eloquio ejusdem fidei Christianæ religio persuasa fuisset et tradita. Opera quippe Dei quanto minus in se humanæ facultatis admittunt, tanto major in eis divinæ potentiæ sublimitas elucescit. Hinc est quod quædam magna valde et ardua, stylo tamen humili et plano et sermone palpabili libuit explicare, quæ Dominus per virum quemdam modestum satis et humilem nostris temporibus operari dignatus est, ad laudem utique et gloriam nominis sui, et piam ejusdem viri memoriam, et præsentis loci nostri felicitatem perpetuam. Imo certe ad honorem et gaudium totius Theutonicæ nationis; vel, quod verius et majus est, ad solatium et tutelam universæ Occidentalis Ecclesiæ, cujus nostræ narrationis pagina nil falsum vel ambiguum continebit, sed veram ac certam rerum gestarum seriem prosequetur, sicut idem vir de quo plurima dicturi sumus, humiliter satis ac verecunde, puram nobis ac simplicem enarravit historiam. De cujus viri laude atque præconio digna scribere non audemus, ne ipse, qui totum Deo attribuens, nihil sibi quærit ascribi, suis laudibus offendatur. Neque tamen omnino poterimus reticere, ne Deo, quo auctore hæc gesta sunt, qui suos humiles exaltare consuevit, evidentem faciamus injuriam. Quapropter ita inter utrumque calamum temperare curabimus, ut et Dei magnalia, quæ per eum gesta sunt, non lateant, et ipse in sua humilitate inoffensus permaneat. Quisquis ergo huic nostræ paginulæ manum vel oculum lecturus admoverit, animi quoque diligentem solertiam rebus ipsis, de quibus hic agitur, subtiliter intuendis studiosus adhibeat. Inveniet siquidem ibi res magnas et celebres, et quæ, nisi divino jussu, nullatenus vel accidere, vel fieri potuerunt. Unde et lectorem volumus esse admonitum ut, si qua etiam a populo nostro contra pietatem facta videbuntur, ea tamen voluntate divina, semper utique justa, facta esse non dubitet.

HISTORIA
CAPTÆ A LATINIS CONSTANTINOPOLEOS.

2. Eo igitur tempore quo famosus prædicator ille Francigena, Fulco nomine, Leo autem Parisiensis, ad subveniendum terræ sanctæ et civitati eximiæ Hierusalem, a barbaris diu possessæ, totas Francorum gentes, totamque Flandriam, Normanniam atque Britanniam, cæterasque provincias suis prædicationibus incitabat, fuit vir quidam in superiori Germania, Martinus vocabulo, abbas cujusdam cœnobii de ordine Cisterciensi, quod in episcopio Basiliensi positum, ipsumque Parisius appellatur. Quæ utique res jam in ipso sui exordio quiddam videtur habere miraculi, ut tam ille qui jam verbum crucis publice prædicabat, quam et iste qui paulo post ejusdem prædicator futurus erat, ambo, inquam, hi viri, sicut pares essent officio, ita ambo Parisienses communi vocabulo dicerentur; sed ille quidem a nomine civitatis suæ, de qua carnaliter oriundus exstiterat; hic autem cœnobio, cui Pater spiritualis, ut diximus, præsidebat. Uterque etenim locus, id est tam præfatum cœnobium, quod et paulo ante dictum est, quam et famosa civitas illa Francorum, Parisius nominatur. Quod nomen lingua quidem Gallica suam habet etymologiam; Theutonice vero ex hoc videtur habere rationem et causam. Primi cœnobitæ, qui de monasterio Luzelensi ad inhabitandum illum locum missi sunt, nil aliud ibi nisi locum desertum et frigidum et puram glaciem repererunt. Nunc vero per gratiam Dei, qui pauperes suos exaltat et promovet, Ecclesia celebris est, ditata possessionibus et prædiis, ædificiis decorata, et quod his omnibus præstantius est, divinis nocte ac die mancipata obsequiis. Abbas igitur ille quem dicimus, maturus quidem erat animo, sed facie jucundus, prudens consilio, familiaritate affabilis, eloquio gratiosus, inter fratres suos mansuetus et humilis, ut quilibet illorum apud sæculares auctoritate præcipuus, apud utrosque dilectus atque tractabilis haberetur. Hic a summo pontifice Innocentio, qui tunc sanctæ Romanæ Ecclesiæ tertius sub hoc nomine præsidebat, mandatum accepit, ut et ipse indubitanter signum crucis acciperet, et hoc idem aliis in partibus illis publice prædicaret. Qui etiam mandato pontificali in utroque obtemperans, confidenter et impigre verbum prædicationis arripuit, mirantibus cunctis, pro eo quod [debilis] complexionis homo tantique laboris impatiens ab omnibus putabatur. Habuit itaque sermonem ad clerum et populum in civitate sua, quæ Græco vocabulo *Basilea*, id est *regalis*, dicta est, in celebri ecclesia Beatæ virginis Mariæ, ubi magna utriusque ordinis, novis excitata rumoribus convenerat multitudo. Audierant quippe jamdudum alias

circumquaque provincias ad hanc Christi militiam A celebribus prædicationibus excitari; in partibus autem illis nullus adhuc ejusdem rei fecerat mentionem. Unde et eorum quamplurimi, parati animo Christi castris se tradere, hujusmodi exhortationem totis desideriis exspectabant. Stabant igitur omnes auribus arrectis, fixis in ipsum obtutibus, quid de hac re vel præciperet, vel moneret, quidve obtemperanti de divina bonitate promitteret, cupidissime præstolantes.

3. *Verbum mihi ad vos, domini mei et fratres mei, verbum mihi ad vos; non meum utique, sed Christi. Christus ipse verborum auctor est; ego fragile instrumentum. Christus vos hodie per os meum suis alloquitur verbis, suas vobis deplorat injurias. Expulsus est Christus de loco sancto suo, de sede sua, dejectus est de illa civitate quam ipse sibi proprio sanguine dedicavit. Proh dolor! ubi dudum Filius Dei venturus in carne a sanctis prophetis promissus est, ubi jam natus et parvulus in templo voluit præsentari, ubi præsens prædicavit et docuit, virtutes et signa frequenter exhibuit, cœnans cum discipulis suis sanctissimi corporis et sanguinis instituit sacramentum; passus, et mortuus, ac sepultus post triduum resurrexit, cernentibus ejusdem discipulis in cœlum assumptus est, et decima die Spiritum sanctum in linguis igneis super eos effudit, ibi nunc profanæ gentis dominatur barbaries. O miseria! o gemitus! o extrema calamitas! Terra sancta, quam Christus suis calcavit vestigiis, in qua infirmos curavit, cæcos illuminavit, leprosos mundavit, mortuos suscitavit; terra, inquam, illa in manu impiorum data est. Subversæ sunt ecclesiæ, pollutum sanctuarium, regni sedes et dignitas translata est ad gentes. Sacrosanctum illud et venerabile crucis lignum, quod Christi sanguine perfusum est, ab his quibus verbum crucis stultitia est, ita suppressum occultatur, ut nemo Christianus quid de illo actum sit vel unde requiri debeat, scire possit. Gens nostra quæ fines illos habitare consueverat, tota fere hostili gladio vel longa jam captivitate consumpta est. Pauci qui de clade illa evadere potuerunt, apud Achonem vel in aliis tutioribus locis se receptant, ibique crebros a barbaris patiuntur incursus. Hæc est illa Christi necessitas, quæ ipsum vobis hodie per os meum supplicare compellit. Nunc itaque, validi bellatores, succurrite Christo, date nomina vestra militiæ Christianæ, felicibus castris aggregari satagite. Vobis hodie causam Christi committo, vobis ipsum, ut ita loquar, in manus trado, ut eum in hæreditatem suam, de qua crudeliter ejectus est, restituere studeatis. Ac ne vos illud terreat quod hoc tempore gentilis rabies super nostros adeo invaluit, rerum præcedentium vos cupio reminisci. Eo tempore quo celebris ista expeditio sub nobili duce Gotefrido, cæterisque Francorum ac Theutonicorum principibus facta est, infidelis ille populus, ita ut nunc, Christianis omnibus occisis vel captis, terram illam occupaverat, sanctamque civitatem Jerusalem, et Tyrum, ac Sidonem, ipsamque Antiochiam, et alias urbes munitas, imo totam terram usque Constantinopolim secure et absque ullo metu annis quadraginta possederant. Quæ tamen omnia, volente Domino, per eumdem exercitum brevissimo tempore, velut in transcursu recepta sunt. Nicæa, Iconium, Antiochia, Tripolis, et aliæ civitates expugnatæ sunt. Ipsa etiam sedes regni Jerusalem populo nostro restituta. Nunc autem, licet impia gens præcipuam illam sedem et maximam terræ partem violenter obtineat, nostra tamen est Achon, nostra est Antiochia, nostræ sunt et adhuc aliæ quædam urbes munitæ et validæ, quarum præsidio, divino favore, et viribus nostris, incluti bellatores, etiam præclara sedes illa cum omnibus aliis sub nostram poterit redigi potestatem. Si autem quæritis quid a Deo certi stipendii pro tanto labore sperare debeatis, B certissime vobis polliceor quia quisquis signum crucis acceperit, et puram fecerit confessionem, ab omni prorsus mundabitur peccato, et quocunque loco, vel tempore, seu casu præsentem reliquerit vitam, æternam accipiet. Taceo nunc quod terra illa quam petetis, longe hac terra opulentior est atque fecundior; et facile fieri potest ut multi etiam ex vobis in rebus etiam temporalibus prosperiorem ibi fortunam inveniant quam hic se expertos meminerunt. Nunc videte, fratres, quanta sit in hac peregrinatione securitas, in qua et de regno cœlorum promissio certa est, et de temporali prosperitate spes amplior. Ego ipse spondeo socium itineris et laboris; et, prout Deo placuerit, prospera vobiscum et adversa partiri desidero. C Nunc igitur, fratres, lætis mentibus triumphale signum crucis accipite, ut et causam Crucifixi fideliter exsequentes, pro labore brevi et modico magna et æterna percipere valeatis stipendia.*

Hæc loquente venerabili viro, cunctis qui aderant vehementer attritis, videres lacrymas tam per ejus faciem quam per ora omnium largissime defluentes; audires gemitus et singultus atque suspiria, et alia hujusmodi signa, quæ internæ compunctionis faciebant indicium. Hunc itaque præfati abbatis sermonem idcirco diligenter prosecuti sumus, quia, cum ipse postea frequenter et illos et alios viriliter exhortatus sit, de nulla ejus exhortatione quidquam sumus dicturi, ut ex hac ejus diligentia quam strenuus etiam in aliis credendus D sit liceat æstimare.

4. Assentit denique vir Dei precibus illorum, et qui, ut jam diximus, a summo pontifice curam animarum acceperat, exterioris quoque providentiæ rogatus accepit officium. Tunc exhortans illos et confortans in Christo, cujus militiam professi erant, certum tempus constituit quo, rebus suis dispositis, parati omnes ad eumdem locum ei occurrerent, ibique secum iter sanctæ peregrinationis arriperent. Redeuntes autem ad propria diligenter admonuit ut tempore medio caste et innocue se haberent, et seipsos Christo, totius puritatis amatori, milites exhiberent idoneos. Ipse vero cum honesto comitatu præcipua et maxime populosa totius regionis loca circumiens, crebras prædicando facie-

bat stationes, et plurimos ad eamdem Christi militiam convertebat. Quibus etiam illud curabit injungere, ut qui possent, præfixo tempore ad locum prædictum aliis occurrerent, cum eis pariter profecturi. Qui vero propter temporis angustiam a negotiis suis expediri non possent, quam celerrime fieri possit, alios sequerentur. Tempore autem profectionis jam vicino, Martinus, licet auctoritate pontificalis mandati tutus esset, cupiens tamen sanctæ professioni suæ reverentiam exhibere, fontem totius ordinis Cistertium adiit, ibique ab ipso loci ejusdem abbate, aliisque præcipuis quibusdam abbatibus, peregrinationis licentia et benedictione accepta, ad monasterium suum reversus est. Ubi etiam fratrum suorum se orationibus commendans et eos mutua charitate divinæ pietati committens, Basileam petiit, ubi jam signatorum multitudo magna convenerat, a quibus lætissime susceptus est. Ibi quoque sermone exhortationis habito, seipsum et socios beatæ Virgini commendavit, humiliter rogans ut ipsa Filio suo novum conciliaret exercitum. Postea valedicens clero et populo ejusdem civitatis, a quibus plurimum diligebatur, læto vultu et mente impavida sanctæ profectionis laborem cum sociis aggressus est. Qua ex re illud conjicere possumus, hominem Dei nescio quid magni jam tunc in animo concepisse, et quæ Deus per ipsum facturus erat, certo jam mentis augurio præsagire.

5. Profectus itaque de civitate Basilea signatorum exercitus, relictis aliis, stratam illam arripuit quæ per angustos Tridentinæ vallis anfractus Veronam ducit, minori quidem labore et majori compendio. Erat autem tam clara et celebris famæ præcurrens opinio, ut non solum hi per quos eis transitus erat, verum etiam de villis et oppidis catervatim occurrerent, et eos multo favore et gratia suscipientes, victui necessaria justis pretiis exhiberent. Martinum vero præcipue mirabantur, quod homo religiosi habitus et vitæ admodum spiritualis armatum ductaret exercitum, seque ipsum tanti laboris officio tam strenue coaptaret. Unde et nomen ejus inter se celeberrime frequentantes, post illum Turonensem, qui in sanctorum confessorum catalogo fere primus atque præcipuus est, quadam similitudinis ratione, Martinum hunc alterum vocitabant. Et revera, si rem diligenter inspicimus, quædam, ne multa dixerim, in utroque concurrunt similia. Primum quidem, quod sicut ille aliquando armatam sequens militiam, sicut de ipso scriptum est, tam sancte et innocue se habebat, ut jam tunc non tam miles quam monachus putaretur; ita et hic verus monachus, imo Pater monachorum, armatum ducens exercitum, inter belligeros homines ita vixit, ut quantum labor itineris vel injuncti cura permittebat officii, de rigore suæ professionis nil sibi penitus relaxaret. Deinde sicut ille tantæ fuit compassionis in pauperes, ut asperrimo frigore chlamidem, quam unicam habebat, cum nudo paupere partiretur, sic et iste de his quæ vel secum detulit, vel postea, volente Deo, copiose adeptus est, indigentibus sociis largas distribuit portiones : adeo ut in duobus diebus centum viginti marcas in utiles usus liberaliter erogaret, et in tertia die septuaginta marcas argenti. Tertium est, quod sicut ille de monacho factus episcopus in sua tamen paupertatis humilitate seipsum semper continuit, sic et iste, sicut nobis certissime compertum est, cum posset vel episcopatum, vel quas vellet alias ecclesiasticas dignitates, imo et immensam auri argentique pecuniam, nonnullis rogantibus, accepisse; amore tamen ordinis monasterii sui, cui Deus per ipsum, et ipse per Dei gratiam solemniter benefacere cogitabant; oblata respuit, et expleta peregrinatione ad fratres, pauper quidem spiritu, sed cœlestis thesauri operibus dives et plenus reversus est. Sunt alia forte plura quæ possent in utroque Martino unius ad alterum similia reperiri, nisi forte minus idoneo lectori vel sanctissimum confessorem nimis deprimere, vel honestum virum quem dicimus attollere videremur. Quapropter utrumque debito fine honoris venerari nos condecet; sed illum quidem velut sanctissimam animam, jam fruentem consortio angelorum; hunc vero tanquam prudentem virum adhuc in carne agentem, qui et jam apud Deum et homines magni meriti æstimatur, et postmodum apud utrosque amplioris gratiæ per Dei gratiam futurus sit. Sed neque illud silendum credimus, quia in illius sancti Martini sacro natalitio iste Martinus natus est in mundum. Et ideo Martinus appellatus est, etc.

6. Venientes itaque Veronam milites peregrini cum duce suo, tam a populo civitatis quam ab alia multitudine maxima signatorum, quæ illos de diversis mundi partibus ad eumdem locum prævenerat, lætissime suscepti sunt. Nam et ipsius urbis episcopus Martinum in domum devote ac reverenter assumpsit, eique per octo fere hebdomadas sumptus et obsequium benevole ministravit. Postea discedentes Venetiam petierunt; ibi naves intrare decreverant, et inde versus Alexandriam, civitatem Ægyptiam, recto impetu navigare; propterea quod tempore illo in partibus transmarinis inter nostros et barbaros induciæ pacis erant, quas nostris, salva fide, quam interposuerant, solvere non liceret.

Erant autem in exercitu signatorum famosi et potentes viri quamplures, tam sæculares quam ecclesiastici. Inter quos Balduinus, comes Flandrensis, et Bonifacius marchio de Monteferrato, auctoritate et viribus atque consilio præcipui habebantur. Et siquidem omnes uno consensu in hoc convenerant, ut petentes Alexandriam, et eam viriliter obsidentes, non tam belli fortunam quam divinæ virtutis experirentur potentiam. Quod utique si fecissent, sperabile satis erat tam ipsam magnificam civitatem quam et maximam totius

Ægypti partem facili compendio in eorum potestatem posse transferri, eo quod totus fere populus terræ vel consumptus fame perierat, vel squalebat penuria propter sterilitatem ejusdem videlicet terræ, cui Nilus frugiferas aquas, quibus eam rigare solet, annis, ut aiunt, jam quinque subtraxerat. Impediebatur autem illud principum nostrorum laudabile satis consilium fraude et nequitia Venetorum, qui tanquam domini navium et principes Adriatici maris, eis navigium penitus abnegabant, nisi cum ipsis prius celebrem Dalmatiæ civitatem, juris autem Hungarici, Jadram [*al.* Jaziram] expugnarent. Aiebant enim illam semper suis utilitatibus fuisse contrariam, adeo ut sæpe cives ejusdem urbis naves illorum mercibus onustas piraticis invasionibus spoliassent. Quæ utique res nostris principibus, tanquam Deum timentibus, crudelis ac nefaria videbatur, tum quia civitas illa Christianæ gentis erat, tum quia ad regem Hungariæ pertinebat, qui et ipse signo crucis accepto, ut moris est sub protectionem summi pontificis se et sua tradiderat. Illis ergo instanter urgentibus, nostris autem obnixe negantibus, sub hac contentione atque discordia plurimum temporis elapsum est. Putabant enim rem omnino detestabilem et Christianis illicitam, milites crucis Christi in homines Christianos cæde, rapina et incendio degrassari, qualia in expugnandis urbibus frequenter solent accidere. Unde et multi pauperes, qui secum pauca detulerant, eisdem consumptis, non habentes ultra viaticum, relicto exercitu, versis vestigiis ad propria regressi sunt. Sed et quidam potentes et divites viri, non tam rerum penuria laborantes quam perpetrandi flagitii horrore perterriti, inviti ac pene nolentes in reditum conversi sunt. E quibus aliqui Romam petentes vix a summo pontifice redeundi licentiam impetrare potuerunt, ea tamen conditione præfixa, ut saltem post aliquot annos votum suæ peregrinationis exsolverent. Qui reditus peregrinorum non solum exercitum nostrum illorum fraudavit absentia, verum etiam multos, qui de Germania cæterisque regionibus subsequi festinabant, ab illo, quem conceperant, animi fervore cohibuit, ut in locis suis immoti consisterent.

Tempore autem illo missus est ad exercitum nostrum cardinalis quidam, Petrus videlicet Capuanus, quem summus pontifex ad hoc direxerat, ut præfatam sedaret controversiam, ageretque cum Venetis, ut felici embolæ, id est Christi militiæ maturum versus Alexandriam præstarent navigium. Quod cum ab eis nullatenus extorquere posset, nisi nostri propositam sibi conditionem implessent, visum est eis veniale magis et minus improbabile, minori malo majus bonum compensare, quam votum crucis inexpletum relinquere, et gressu retrogrado ad suos cum peccato reportare infamiam.

A Spoponderunt itaque facturos se quod illi instanter exigebant, accepto nihilominus ab eis certissima sponsione quod ipsi quoque armati nostros usque Alexandriam et comitarentur et veherent. Videns ergo Martinus noster non solum negotio crucis moras innecti, sed et toti exercitui nostro fundendi sanguinis Christiani necessitatem incumbere; nesciens quo se verteret, quidve ageret, totus in se exhorruit, et de pluribus, quorum ei quodlibet displicebat, illud elegit quod in tali articulo potissimum videbatur. Aggressus itaque præfatum cardinalem, omnium precum instantia suppliciter exorabat ut eum a voto peregrinationis absolutum ad solitam claustralis vitæ quietem transire permitteret. Ille vero nisi prius expleta peregrinatione, B omnem prorsus ei reditum denegabat, et insuper majorem imponens sarcinam, auctoritate summi pontificis, omnes ei commisit Theutonicos quos vel ipse adduxerat, vel ibi repererat, vel qui postmodum ad eumdem exercitum essent venturi. Injunxit etiam tam ei quam quibusdam aliis religiosis, qui aderant, ut per omnes casus socios sequerentur, et eos a sanguine Christiano, quantum posset fieri, cohiberent.

7. Trajecta igitur classe per mare Adriaticum, quod et ipsum Dalmaticum appellatur; alterum quidem ab Adria civitate, vel secundum fabulas, a filia Jonis Adria (2); alterum vero a Dalmatica quam alluit, appellationem accipiens, milites nostri celeri C cursu, sed mente tristi et tarda, regionis opposita littora tenuerunt, ac ne in re odiosa et sibi ipsis detestabili diuturnas agerent moras, præfatam urbem magno terrore et fremitu obsederunt, eamque per triduum non tam hostiliter quam minaciter oppugnantes, sine cæde et sanguine ad deditionem compulerunt. Quæ civitas postquam suis victoribus tradita est, mox eam Veneti a fundamentis inexorabili odio subverterunt. Quo in facto, quia nostri sententiam excommunicationis inciderant, pro eo quod rebus Hungariæ regis manus injecissent, quas ille signo crucis accepto, B. Petri summique pontificis protectioni commiserat, visum est nostris ad eumdem summum pontificem nuntios destinare, ut coactæ, culpæ misericorditer condescendens, eos ab illa sen- D tentia excommunicationis absolveret. Cui legationi prosequendæ cum personæ utiles et idoneæ quærerentur, electus est Martinus abbas, et cum eo Suessionensis episcopus, vir magnæ sanctitatis et dulcis facundiæ, et tertius magister Joann. Parisiensis, homo Francigena, nobiliter eruditus et sermone affabilis; quorum interveniente præsentia, causa favorabilis apud summum pontificem plenius fulciretur.

Qui tres viri cum Romam venissent, admissi causam quam attulerant fideliter exponentes, dominum papam humillime rogaverunt ut coacto flagitio, quod milites nostri ob Christi honorem in Christia-

(2) Ms. vitiose *Nunoiis Adringue*. Sunt qui scribant, ut apud Janum Parrhasium Eustathius, *Jon.* Italus Adriæ pater fuit, a quo Sinus Jonius, qui mox ab Adria filia dictus est Adriaticus. (CANIS.)

nos commiserant, clementer ignosceret, et causa A diligenter inspecta, illam excommunicationis relaxaret sententiam. Ille vero tum favore quem necessitas excusabat, tum nostri exercitus humili supplicatione, tum etiam nuntiorum gratia et auctoritate permotus, habita secum deliberatione, petitæ indulgentiæ benignus assensit, jussitque scribi formam absolutionis ad nostrum exercitum perferendam. Erat enim vir multæ discretionis et gratiæ; juvenis quidem ætate, sed canus prudentia, maturus animo, morum honestate compositus, clarus genere, forma conspicuus, amator æqui et boni, inimicus autem nequitiæ et malitiæ, adeo ut non tam sorte quam merito Innocentius vocaretur.

8. Factum est autem, dum adhuc nuntii nostri in curia versarentur, certus rumor insonuit, venisse B videlicet Alexium juvenem in castra, Græcum genere, filium videlicet Isaac regis Constantinopoleos, missum a Philippo, rege Teutonicorum, cum nuntiis et mandatis, quibus obnixe rogabat exercitum ut præfatum juvenem in regnum suum restituere niterentur. Cujus rei ordo talis est, si ordo congrue dici potest rerum inordinate et crudeliter gestarum narratio (3): Regnante igitur apud Græcos Isaac illo, quem diximus, frater ejus Alexius, patruus minoris Alexii, cujus et modo facimus mentionem, consilio quorumdam pessimorum, maxime autem cujusdam cognati sui, nobilis quidem viri, sed perfidi, qui Murtiphlo, id est *flos cordis* in gente illa vocabatur, eumdem fratrem suum Isaac regno de- C jecit, et ipse regnum arripiens, filium ejus, et eumdem nepotem suum, hunc scilicet de quo nunc agitur, Alexium sub diligenti custodia carceri mancipavit. Qui tamen, inventa opportunitate, latenter effugiens, occulta et celeri fuga Teutoniam petiit; veniensque ad Philippum regem, qui sororem ipsius habebat uxorem, suas illi patrisque miserias, et patrui crudelitatem fideliter conquestus est. Qui præfatum juvenem satis honeste suscipiens, eum apud se aliquanto tempore magno dilectionis affectu detinuit, eique sumptus et obsequia copiose ac liberaliter ministravit. Audiens autem exercitum nostrum, Jazira expugnata, circa fines Græciæ conversari, sæpe dictum juvenem cum nuntiis et epistolis suis direxit ad principes, utrum, si fieri posset, in regnum patris D sui reducere molirentur. Teutonicis autem pro eo quod sui juris esse videbantur, hanc rem securiosius et imperiosius injungebat. Marchionem, cognatum suum, ejus, quæ inter eos erat, commonebat propinquitatis. Flandrenses atque Francigenas et Venetos, et aliarum regionum homines, omni precum molimine sedulus exorabat, certissime promittens, si ille auxilio ipsorum sedem suam reciperet, peregrinis omnibus tam per Teutoniam quam per totam Græciam tutam ac liberam in perpetuum patere viam. Accedebat etiam ad hoc quod idem juvenis certissime pollicebatur, si viribus eorum restitutus foret, eis in commune argenti trecenta marcharum millia se daturum. His omnibus causis in unum concurrentibus, major pars nostri exercitus in assensum juvenis jam cœperat declinare. Pauci vero, qui de crucis proventu magis erant solliciti, obnixe dissuadebant, dicentes, id quod et verisimile putabatur: præfatum juvenem sine ferro et sanguine nullatenus posse restitui; videbatur enim eis stultum et improbum, paucos homines peregrinos, nec habentes quo se reciperent, omisso sanctæ peregrinationis proposito, certo suo periculo, pro commodis alienis, tantæ urbi, tam munitæ, tam populosæ, bellum indicere, quod sine multa cæde alterutrius partis, vel fortassis utriusque, terminari non posset. Sed de hac re, id est de juvenis illius restitutione, ad tempus tacendum est. Sequentia suo tempore prosequemur. Postquam ergo, sicut loqui cœperam, rumor iste Romæ auditus est, dominus papa cum omni clero suo, nuntiisque nostris, aliisque quamplurimis vehementer expavit, metuens ne maligni hostis invidia hac occasione vel totius exercitus nostri machinaretur interitum, vel saltem crucis negotium impediret. Oderat autem summus pontifex illam urbem tam ipse quam ejus prædecessores a multo tempore, quoniam jam diu Romanæ Ecclesiæ rebellis exstiterat, et in quibusdam fidei articulis, velut in processione Spiritus sancti, quem Græci de Filio procedere negant, et in modo sacrificandi, quod illi in fermentato facere solent, a fide catholica dissidebant. Unde et quemdam cardinalem, qui quodam tempore a summo pontifice ad eos corripiendos et instruendos missus erat, versis sursum vestigiis, et capite deorsum in aere suspenderunt, donec communicato cum Petro spiritum exhalaret. Oderat igitur eam, ut diximus, et optabat, si fieri posset, eam a gente catholica sine sanguine expugnari, nisi nostri cladem exercitus formidaret. Hoc autem per nostros posse fieri non sperabat, dicens eamdem urbem plus in solis navibus piscatorum abundare quam illos in toto navigio. Habebat enim mille sexcentas piscatorias naves, quarum quælibet per totum annum ad quatuordecim dies fisco regio persolvebat nummum aureum, qui perperam (4) vocari solet Ferdoni, id est quartæ parti marcæ unius æquivalens. Bellicas autem sive mercatorias habebant infinitæ multitudinis, et portum tutissimum. Erat autem de consilio et sententia ejusdem summi pontificis, qui de crucis negotio maxime anxiebatur, ut nostri recto cursu versus Alexandriam navigarent. Permittebat etiam eis ut de maritimis locis Romaniæ, quam alluit id mare, cibos inemptos, id est absque pretio moderate tollerent, qui eis ad annum dimidium possent sufficere. Quod suum consilium, quia mutari metuebat, et crucis profectum terrenis occupationibus impediri, merito tam ipse quam alii omnes novis rumoribus turbabantur

(3) Alexius fratrem Isaacum excæcaverat et throno detruserat an. 1195. (BASN.)

(4) Ms. *propera;* forte *propterea.*

9. Instabat igitur abbas omni precum molimine, A et has omnes, quas diximus, causas aliasque prætendens, redeundi licentiam flagitabat. Ille vero omnino ei reditum denegabat, nisi prius Terram sanctam, quam petere voverat, attigisset. Egressus itaque de curia Martinus cum sociis, accepta pontificali benedictione, cum litteris continentibus formam absolutionis, quæ nostro exercitui redderentur, Beneventum petiit, reperitque ibi Petrum illum Capuanum, cujus supra meminimus, versus Achonem recto cursu transnavigare cupientem. Cui Martinus adhærens pontificales epistolas per socios misit ad castra, per quos etiam Teutonicæ cohorti, quam prius ductaverat, verbis excusatoriis valedixit, II Nonas April. (April. 4). Deinde apud Sypuntem navem ingressi, post laborem diuturni temporis B portum Achonis tenuerunt, ubi etiam ab omnibus celeberrime suscepti sunt, VII Kal. Maii (April. 25). Erat autem ibi Teutonicæ gentis magna frequentia, inter quos quidam nobiles et potentes viri, qui Martinum in Germania prius noverant atque dilexerant, eum devotissime susceperunt. Capuanus vero omnes ei Teutonicos, qui vel tunc aderant, vel postmodum superventuri sperabantur, summi pontificis auctoritate commisit. Eadem æstate, circa dies illos qui propter fervoris malitiam caniculares vocari solent, orta est ibi gravissima pestis, et corporum humanorum corruptio in tantum, ut una die plus quam bis mille corpora mortuorum sepulta memorentur. Erat autem tam subita et improvisa lues, ut quisquis cœpisset ægrotare, infra triduum C mortem certissimus exspectaret. Unde et multi subita ægritudine deprehensi, cum de rebus suis disponere non valerent, vocato abbate, omnia sua illi tradebant, vel retinenda in proprium, vel distribuenda sociis egentibus, retenta sibi parte sua pro libitu disponentes. Quam rem ipse Martinus ita fideliter exsequebatur, ut in duobus diebus, quod et paulo ante dictum est, centum viginti marchas in tales usus expenderet, et in tertia septuaginta marchas. Quorumdam etiam virorum fortium arma, quæ illi ob rerum penuriam pignori supposuerunt, ipse gratuito pretio satis liberaliter redimebat. Amplius autem per infirmos strenua pietate discurrens, tam consilio quam rerum impensa benevole providebat, D admonens eos de pura confessione, de certa spe æternitatis, ne mortem brevem et momentaneam formidarent, post illam continuo vitam interminabilem accepturi. Sanos etiam viriliter exhortabatur, ne terreret eos brevis illa et cito transitura calamitas, sed promptis animis ad utrumlibet parati essent, vel hanc vitam ad honorem Dei diutius producere, vel socios sequendo æternam brevi compendio feliciter adipisci.

10. Hac igitur peste in civitate illa et finibus ejus diu pervagante, maxima pars tam civium quam peregrinorum ibidem commorantium ejusdem contagionis tabe consumpta est. Nam et de sedecim hominum personis, quæ in abbatis hospitio versabantur, vix ipse quartus mortem effugit; cæteri omnes periculo succubuerunt. Sed et si qui superstites erant, ii responso mortis accepto languidi et exsangues eam per singula momenta certissime præstolabantur. Accessit autem ad hoc et aliud incommodum, quoniam induciæ pacis, quæ inter nostros et barbaros juramento firmatæ fuerant, fraude illorum et nequitia solutæ sunt, captis et spoliatis duabus navibus nostræ gentis, et direptis omnibus quæ in eis vehebantur. Quam tamen injuriam nostri fortiter ac celeriter vindicantes, sex illorum naves magnas annona, et mercibus, ac aliis rebus onustas in mari deprehensas, tam ipsas quam omnia quæ in eis erant, sibi prædam fecerunt. Atque ita divina virtute et sua fraudem illorum viriliter ulti sunt. Renovato itaque bello cœpit hostilis rabies solito vehementior nostris incumbere, tum propter numerum pauciorem, tum quia et hi qui residui erant tanquam morte vicina imbecilles et invalidi putabantur. Quapropter visum est his qui inter eos præcipui habebantur, nuntios ad castra peregrinorum dirigere, quos in Græcia versari acceperant, ut civitati Achonitanæ, et illi portiunculæ Terræ sanctæ, quam adhuc nostri multo labore et periculo possidebant, maturo subvenirent auxilio, et scirent eam vix jam posse diutius defensari. Hanc quoque legationem, rogantibus illis, suscepit abbas Martinus cum alio quodam viro, Conrado scilicet, advocato de Swartzenberg : cui idem abbas testimonium perhibet tantæ integritatis, ut quoties se vel joco, vel serio, vel casu mentitum esse recordaretur, tot venias in secreto petere consuevisset. Ex quo et illud satis patet eum qui in levibus et his quæ alii fere omnes pro nihilo ducunt tam providus erat, in majoribus nullatenus fuisse negligentem. Tertia ergo die ante festum sancti Martini præfati duo viri navem ingressi sunt, et in Circumcisione Domini juxta Constantinopolim littora tenuerunt. Ubi tunc exercitus noster non satis lætus agebat, eo quod magnum discrimen incurrisset negotiis implicitus alienis. Quod utique Deum ita ordinasse credendum est, ut civitas illa, quæ pro sua magnitudine atque potentia jam multo tempore Romanæ sedi rebellis fuerat, virtute nostrorum et insperata victoria unitati ecclesiasticæ redderetur.

Venientes itaque ad nos nuntii transmarinæ Christi militiæ, reverenter ab omnibus ac benevole suscepti sunt, maxime autem a Teutonicis illis quibus abbas præesse consueverat. Exposita autem causa sui adventus, compassionem utique magnam experti sunt, sed nullam omnino spem consilii seu auxilii a nostris acceperunt, quippe qui nec sibi ipsis posse satis auxiliari videbantur. Erant enim in tanto extremæ adversitatis articulo, ut nec circa civitatem ipsam satis essent securi, propter inæstimabilem hostilemque Graiæ plebis multitudinem : nec ab ea absque multo labore ac periculo discedere possent, propter innumeras illorum na-

ves, quibus, si fugerent, eos persequi et expugnare A satis hostiliter cogitabant. Unde factum est id, quod raro solet accidere, ut nostri eidem civitati, de qua fugere non audebant, obsidionem ponere cogitabant. Ad cujus rei evidentem notitiam, operæ pretium est illud explicandum resumere, quod in superioribus nos ad tempus suppressisse meminimus. Quam rem si quisquis diligenter adverterit, occulta Dei judicia et latentes rerum accidentium causas poterit pernoscere.

11. Ordo autem rerum illarum quæ nostros in hanc perduxerant necessitatis angustiam, hoc modo colligi potest: Cum regius ille juvenis Alexius, quod et supra dictum est, cum nuntiis et epistolis Philippi regis in castra venisset; et ipse quoque precibus suis et promissis ingentibus principes B exercitus nostri plurimum permovisset, cœperunt paulatim omnes, ut diximus, in ejus favorem et causæ ipsius præsidium declinare, quod utique diversis ex causis agebatur, tum ob gratiam regis Philippi, qui nostris pro ipso attentius supplicabat, tum quia pium eis videbatur, si fieri posset, legitimum regni hæredem, crudeliter dejectum, in sedem suam reducere; tum etiam propter ejusdem juvenis preces atque promissa; qui si restitutus foret, magnum peregrinis omnibus et tunc et postea præstare posset auxilium. Aderat autem et illud, quod eamdem civitatem S. Romanæ Ecclesiæ noverant esse rebellem et odiosam, nec putabant ejus oppressionem a nostris summo pontifici, vel C etiam Deo plurimum displicere. Sed et Veneti, quorum navigio utebantur, ad hoc præcipue impellebant, partim in spe promissæ pecuniæ, cujus illa gens maxime cupida est, partim vero pro eo quod eadem civitas multitudine navium freta in toto illo mari principale sibi dominium arrogabat.

Harum omnium rerum et forte aliarum concursu illud actum est, ut omnes in favorem juvenis unanimiter consentirent, et ei suum pollicerentur auxilium. Fuit autem et alia, ut credimus, causa, longe his omnibus antiquior atque potentior, divinæ scilicet bonitatis consilium, quod gentem illam elatam ex rerum opulentia ab illo fastu suo deprimi, et ad pacem et concordiam sanctæ universalis Ecclesiæ revocare hoc ordine disponebat. D Congruum quippe videbatur ut gens illa, quæ aliter corrigi non valebat, paucorum cæde, et rerum temporalium, quibus intumuerat, amissione puniretur, ut et populus peregrinus superborum spoliis ditesceret, et terra tota in nostram transiret potestatem, et Occidentalis Ecclesia sacrosanctis reliquiis, quibus illi se indignos reddiderant, illuminata perpetuo lætaretur. Accidit autem et illud, quod utique magnum est, quod sæpe dicta civitas, quæ semper infida peregrinis exstiterat, deinceps, volente Deo, mutatis civibus, fida et unanimis permanebit, et nobis ad expugnandos barbaros, et Terram sanctam obtinendam ac possidendam quanto vicinius, tanto præstantius ministrabit auxilium. Quæ omnia utique cassarentur, si gens illa per homines alterius fidei, veluti gentiles aut hæreticos expugnata foret; imo, quod et gravissimum esset, in eorum transiret errorem. Has igitur causas apud Deum arbitror præcessisse, nobis quidem occultas, ei vero, qui omnia prævidet, manifestas, quibus res istæ grandes atque mirificæ, quas sumus dicturi, certo limite, sed occulto, ad suum perducerentur eventum.

12. Ex hac igitur tam occulta et inscrutabili divinæ mentis conceptione, quæ omnia formaliter comprehendit, quam nec arenæ numerus, nec guttarum in mari, nec frondium in silvis fallere potest, omnia quæ in tempore fieri vel contingere solent, certo tramite et immutabili cursu proficiscuntur. Unde et eam Græcorum philosophi archetypum, id est principalem figuram vocare solent: Joannes in Evangelio suo (cap. I) vitam nominat. Quod factum est, inquiens, in *ipso vita erat, et vita erat lux hominum*. Sicut enim in mente hominis, qui mortalis est, res illæ quodammodo vivunt, quas cogitat in præsenti, sive illæ præsentes sunt, sive adhuc futuræ sperantur; ita quidem, imo multo verius in mente divina, quam Græci *noyn* vocant, quæ tota vitalis, vel potius ipsa vita est, quæ nihil vel ignorare vel oblivisci potest, vivebant omnia etiam antequam fierent, quæ vel postea creata sunt, vel adhuc usque ad finem sæculi creabuntur. Quæ divinæ mentis conceptio cum rerum omnium et minimarum ideas, id est formas contineat, multo magis hanc rem, quam dicere proponimus, tantam, tam novam, tam mirificam, sicut futura erat, ita ab æterno complexa est. Itaque ex illa irrefragabili Dei dispositione processisse credendum est, quod exercitus noster, qui mox capta Jazira versus Alexandriam tendere festinabat, mutato proposito, huic tantæ civitati bellum indixit, et directo navigio fines ejus hostiliter ingressus est, positis castris haud longe ab ipsis mœnibus urbis ad bellum paratus consedit. Cui cum magna multitudine armatorum occurrit ille fraternæ sedis invasor et possessor Alexius, qui brevi conflictu virtutem militum vix expertus, diffidens causæ suæ et ignaviæ sociorum, quos nec sibi propter perpetrata flagitia satis fidos arbitrabatur, mox in fugam turpiter conversus est.

13. Cives itaque magnificæ (5) urbis territi fuga regis sui, quem etiam plerique nec prius propter scelera perpetrata satis dilexerant, simulque per nuntios a juniori Alexio promissis ac precibus frequentibus attentati, nostris quoque contra spem suam comminantibus excidium urbis, nisi illum legitimum hæredem regni in regem susciperent, patentibus portis illum cum toto exercitu intra mœnia pacifice admiserunt. Qui etiam

(5) Contigit hoc anno 1203, primo mensis Augusti; suffocatus est vero Alexius post sex imperii menses die 5 Februarii. (BASN.)

juvenis regalibus ornatus indumentis in sede regni, ut decuit, absque mora collocatus, dimidiam promissæ pecuniæ partem principibus nostris benevole ac liberaliter numerari jussit, sperans se id quod reliquum erat, brevissimo tempore redditurum. Manserunt itaque nostri in ipsa civitate per aliquot dies, et tam novi regis quam civium ipsorum obsequio moderate utentes, id maxime cavebant ne cui onerosi hospites viderentur. Sed quoniam civitas ipsa, licet magna et speciosa, duobus populis tam diversis lingua et moribus, nec satis mutua dilectione consentientibus, tantæque hominum et equorum multitudini sufficere non valebat, placuit eis ut, relicta urbe, in locum planum atque diffusum sese reciperent, ibique positis castris, promissa regis commodius exspectarent. Quibus urbem egressis cœpit oriri occulta quædam civium adversus regem seditio, plerisque murmurantibus quod ipse homines peregrinos et a moribus suis alienos tanto foveret affectu, et jam fere totius opes Græciæ sine causa ad eos transtulisset, et adhuc tantumdem vel forte plura, spoliato regno suo, eis largiri proponeret. Quam rem cum omnes fere quererentur, ausi sunt etiam ipsum regem patenter arguere, publice prohibentes ne regnum suum pro commodis spoliaret alienis, ne suorum inopiam prædam faceret aliorum; sed eos, tanquam rerum alienarum cupidissimos invasores, pariter cum ipsis persequeretur et perderet. Quæ illorum seditio novum regem vehementer exterruit, tum propter civium eorum perfidiam, qui eum coacti susceperant, tum propter illam, quam in nostros habebat dilectionem, tum propter juramentum de reddenda pecunia, quod ipse bona fide præstiterat. Videres eum graviter anxiari, quasi medium inter suorum nequitiam et amorem nostrorum, et gratiam Philippi regis, quod si nostros vel falleret vel læderet, graviter metuebat offendere. Cum ergo ad tantum facinus non facile posset impelli, Murciflo ille, cujus superius fecimus mentionem, cujus consilio pater ejus cæcatus, et ipse in carcerem retrusus fuerat, eum propria manu suffocavit, dicens: Minus esse malum, si solus ipse præsenti vitæ foret exemptus, quam si totius Græciæ opes ad ignotos quosdam homines ejus stultitia transferrentur. Quo sublato de medio ipse tanquam homo regii generis, et ipse quoque sanguine propinquus, diadema sibi imposuit, et regiam sedem tam audacter quam imprudenter occupans, cœpit de regni negotiis et nostrorum perditione crudeliter cogitare. Cujus nos in hoc facto impietatem attentius abhorrentes, ita cogimur exclamare.

14. Crudelis igitur parricida, postquam juvene suffocato regnum invasit et tenuit, jussit ad tempus rumorem hujus sceleris reticeri ac supprimi, ne statim ad castra perveniens nostrorum auribus insonaret, antequam ipse conceptæ fraudis experiretur molimina, misitque continuo nuntios sub nomine junioris Alexii, qui principes exercitus nostri de castris ad ipsum evocarent, quasi promissam pecuniam et insuper ampliora munera regiæ liberalitatis accepturos. Quod cum ad ipsos perlatum esset, ipsi tanquam homines Christianæ simplicitatis, nullam ibi fraudem suspicantes, urbem ingredi festinabant; quippe qui nil minus metuebant quam novum regem, quem ipsi creaverant, tam brevi temporis articulo de medio esse sublatum. Erat autem ibi vir quidam prudentissimus, dux videlicet Venetorum, cæcus quidem in facie, sed perspicacissimus in mente, qui corporis cæcitatem animi vigore atque prudentia optime compensabat. Hunc alii semper in rebus ambiguis omni diligentia consulebant, et ad nutum ejus publica negotia solebant disponere. A quo cum alii more solito quæsissent quid ei de hac re videretur, dissuasit ne se, amore pecuniæ, Græcorum dolis exponerent, dicens se idipsum timere quod evenerat, id est, ne juvenis Alexius vel a suis peremptus esset, vel tanquam Græcus genere, ab eis corruptus nostram cum illis machinaretur perniciem. Dum ergo principes super hac re diutius consultassent, nuntii vero perurgerent instantius, erupit rumor ille de medio civitatis, et universum exercitum gravi terrore concussit. Videbant se in terra hostili deprehensos, in medio pessimæ nationis, et illum raptum e vita, quem ipsi eis in manu potenti et magno terrore regem induxerant, qui utique si viveret, posset et illorum vecordiam reprimere, et nostros plurimum consolari, eosque securos ac locupletes de regno suo ad explendum iter suæ peregrinationis emittere. Quibus omnibus se nunc frustratos penitus agnoscebant, adeo ut nihil aliud quam mortem a rege novo et civibus certissime exspectarent. Quid enim agere, aut quid spei habere poterant homines peregrini in tali articulo deprehensi, nec habentes ullum securitatis receptaculum, quo vel ad horam possent ab incursu hostium respirare? Indicerent eis bellum, ut eos publice in suam persecutionem excitarent, quos sciebant et antea latenter sibi esse inimicos? At vero illorum infinitus erat numerus, et qui quotidianis cresceret supplementis, et in terra propria, ubi eis omnia copiose suppeterent; nostri autem pauci et inopes in medio inimicorum, a quibus nil aliud sperare poterant, nisi quantum, ut ita loquar, suis possent ab eis gladiis exsecare. Sed et illud eos plurimum contristabat, quod promissa pecunia magna ex parte frustrati erant, cujus spe ipsi iter suum distulerant, et viaticum peregrinationis suæ negotiis insumpserant alienis. Elegerunt tamen illud, quod in tali casu optimum putabatur, consilium, dissimulato metu, sine quo utique esse non poterant, minaciter obsessis hostibus imminere, et in vindictam suffocati regis, quem ipsi instituerant, totam urbem cum civibus suis et illo exsecrabili parricida, hanc quidem ad excidium, illos vero ad certam mortis pœnam reposcere. Quibus ita in-

saltando tantum eis terrorem incusserant, ut illi A de mœnibus suis egredi vix auderent, maxime autem propter balistas nostrorum, quorum usus quanto est rarior apud illos, tanto etiam terribilior et periculosior æstimatur. Interim autem nostri confirmatis animis ad utrumque parati erant, vel ad recedendum, si se honesta et utilis præberet occasio, vel ad cædendos hostes, et subeundam ab eis et cum eis mortem, si illi de lateribus suis ad conflictum auderent erumpere. Nam de victoria tantæ multitudinis obtinenda, sive de expugnatione urbis nulla eis spes poterat arridere, pro eo, quod illa munitissima erat; illorum autem numerus inæstimabilis quotidie succrescebat. Sed quanto studio noster exercitus optabat confligere et mori cum hostibus, tanto illi refugiebant victoriam de nostris B suis mortibus comparare, videntes jam illos in terra hostili laborare penurie, se autem in loco suo bonis omnibus abundare.

15. Consederat itaque exercitus noster ante regiam urbem, ut dictum est, sed absque ulla spe ejusdem expugnandæ. Quoniam ipsa non solum innumera civium multitudine, sed et bonis omnibus abundabat; et tanto munita studio, ut paucorum manu posset ab innumeris hostibus defensari. Est enim civitas triangula, ut aiunt qui eam viderunt, habens in quolibet latere magnum milliare, vel amplius, ex ea parte qua terram attingit, vasto aggere et muro firmissimo tripliciter clausa; turres habens per circuitum sui excelsas et fortes, adeo sibi C invicem propinquas, ut puer septennis de una turri ad alteram pomum valeat jaculari. Structuram autem ædificiorum in corpore civitatis, in ecclesiis videlicet, et turribus, et domibus magnatum vix ullus vel describere potest, vel credere describenti, nisi qui ea oculata fide cognoverit. Ex ea vero parte qua ipsam urbem alluit Hellespontiacum mare, quod separat Asiam ab Europa, quibusdam in locis adeo angustum, ut de una in alteram transmittat aspectum; ex ea, inquam, parte quoniam agger esse non potuit, propter frequentiam portus quem habet tutissimum ac celeberrimum, muri sunt alti admirandæ spissitudinis, et turres densæ, eductæ ad tantam celsitudinem, ut quivis in culmen ipsarum aspectum dirigere per- D horrescat. Hanc autem tantam firmitudinem et decorem, quem nunc habet, a prima origine non accepit. Nam olim quidem ita erat, sicut unaquæque aliarum, et Græco nomine Bizantion vocabatur. Unde et apud modernos nummi aurei, qui in illa formari consueverant, a nomine ipsius urbis *Bizantii* appellantur. Postea vero cujusdam regiæ visionis occasione de qua aliqua dicturi sumus, in eum quem nunc habet splendorem atque magnificentiam promota est. Quæ visio licet brevis humilisque appareat, magnæ tamen cujusdam rei fuisse prænuntiam, effectus subsequens declaravit. Sicut enim visione quandoque magnarum rerum longe minores designantur, quemadmodum in somno Joseph per solem, et lunam, et stellas undecim pater ejus, et mater, et fratres undecim designati, ita nonnunquam per infimas magnæ et celebres designatæ reperiuntur, velut in visione Danielis, ubi per quasdam bestias regna potentissima legimus præmonstrata. Quapropter falluntur hi qui putant eorum quæ se dormientes videre putant, nullam esse distantiam, sed omnia vana esse, et nullum prorsus in se continere mysterium.

16. Visio igitur illa, quam dicimus, huic tantæ pulchritudini et gloriæ civitatis illius occasionem præstitisse, hujusmodi fuisse narratur et legitur: Post illam celebrem donationem qua Constantinus, Græcorum ac Romanorum imperator, reddita sibi sanitate et fugata lepra cœlesti miraculo, Christum ejusdem salutis auctorem, et beatos apostolos Petrum et Paulum, qui nuntii fuerant, necnon et Sylvestrum papam, qui minister exstiterat, imo totam Christi Ecclesiam regaliter honoravit; idem Constantinus regiæ sedis dignitatem, quam Romæ habuerat, beato Petro derelinquens, Græciam petiit, et hanc urbem, quæ tunc Bisantium dicebatur, præ cæteris omnibus habitandam elegit (6), ubi dum nocte quadam regali strato suffultus quiesceret, videbatur sibi videre aviculam [*f.* aniculam] quamdam longævam valde et mortuam, quam et beatus Sylvester papa, qui et præsens adesse videbatur, dicebat ab eo certissime suscitandam. Quam cum idem imperator facta oratione in juvenculam quamdam pulcherrimam suscitasset, et illa casto amore suis aspectibus placuisset, induit eam regia chlamyde, et cum diadema suum capiti ejus impressisset, mater ejus Helena ei dicere videbatur: *Hanc, fili, habebis uxorem usque in finem sæculi in hac pulchritudine permansuram.* Quam visionem cum ipse pluribus retulisset, et alius sic, alius vero sic, eam interpretaretur; proposuit ipse rex a jejunio non cessare, donec Christus ei per famulum suum Sylvestrum interpretationem suæ visionis exponeret. Cum ergo septem diebus jejunasset, ipsa nocte septima apparuit ei beatus Sylvester in visione, dixitque ad eum: *Avis* [*f.* anus] *illa quam vidisti, civitas ista est, quæ jam quasi neglectu et senio defuncta, per te in tantum decorem renovanda est, ut regina dicatur inter omnes Græciæ civitates.* Qua visione rex non tam territus quam gavisus, convocatis de tota regione opificibus tam lignorum quam lapidum, jussit eam et ampliari loco, et muris ac turribus emuniri, ecclesiis cæterisque ædificiis exornari, donec in eam quam nunc habet pulchritudinis elegantiam juvenescens, Romæ similis, ut aiunt, redderetur. Unde et ipsa urbs quandoque altera Roma dicta est, et terra ei adjacens hodieque Romania vocatur. At ne ulla superessent vestigia vetustatis, repro-

(6) Eadem habet Althelmus *De laude virginum*, l. I. (BASN.)

bato priore vocabulo, quod posset homines illius primævæ humilitatis commonere, præcepit eam Constantinopolim appellari, a suo videlicet nomine et Græco, *polis*, quod *civitas* interpretatur. Hanc itaque, ut dictum est, a parte terræ nostri obsederunt, magis utique odio rerum suarum, quod aliud propter causas præmissas facere non audebant, quam ulla spe obtinendæ victoriæ, pro eo quod ipsa inexpugnabilis videbatur Cum ex ea parte nil aut parum proficerent, placuit eis ex altera parte, qua mari clauditur, non tam fortunam, quam divinæ virtutis potentiam, sine qua illud nullatenus fieri posse noverant, suo magno periculo experiri. Insilientes itaque naves suas velut quodam indignationis impetu ad terrorem inimicorum, trajecto mari, quod ibidem angustum est, in littore opposito civitati cuncti viriliter consederunt, ibique mutato proposito cœperunt de explendo negotio per mortem aut victoriam solertius consultare.

17. Sed et de navibus illis, quarum infinita erat multitudo, frequenter aliquæ leviores ac celeriores ad lacessendos eos et virtutem illorum experiendam subito erumpebant, quibus illi occurrentes jaculis et sagittis, et maxime terrore balistarum eos facile abigebant. Consulentes itaque ducem illum Venetorum, cujus paulo ante meminimus, hominem videlicet cæcum vultu, sed animo perspicacissimum, id habuerunt consilii, ut per singulas naves suas, juxta malum ipsius navis alias quoque arbores longas valde et fortes hinc inde erigerent, et eas carinæ fortiter tam cum ipso malo quam sibi invicem tam vasto collaquearent connexu, ut eis tanquam ligneæ turres, quasi propugnacula, præsidium exhiberent: quibus etiam arboribus aliquanto spatio ab invicem distantibus, veluti quosdam scalarum gradus infigerent, per quos animosi juvenes ad tuendas naves hostesque desuper impugnandos quaterni aut seni velociter ascendere possent et descendere. Quod et factum est, et turres illæ sive scalas vocare malueris, in tantum culmen altitudinis eductæ sunt, ut magna sui parte omnes turres et fabricas Græcorum excederent. Quas etiam cum totis navibus tali undique artificio muniverunt, ut nec tela nec lapides, nec ignem, vel communem, nec illum qui *Græcus* dicitur, formidarent. Exstructis ergo navibus et ad urbem applicitis, placuit eis prius in expugnatione portus et navium Dei gratiam experiri, ut ab illa parte securi eos qui in muro et turribus erant, tanto securius quanto facilius expugnarent. Erat autem clausus ille portus tutissimo quodam recessu, et catenis ferreis immensæ magnitudinis, quæ ab una fronte portus ad alteram extensæ naves omnes velut sub una clausula coercebant. Quæ postquam a nostris multo labore ruptæ sunt, fugientes Græci maxime terrore balistarum, quas ferre non poterant, captivas naves suis victoribus reliquerunt, quas illi cupide rapientes in suos usus, velut quædam belli spolia gratissima, transtulerunt. Deinde turrigeris navibus,

A quantum fieri potuit, ad murum admotis, et fortibus quibusque per scalas ascendentibus, præconis voce clamatum est, eum qui primus hostiles muros insiliret, centum marcas in præmium accepturum. Videres omnes vehementer appetere, quod uni tantum servabatur, non tam amore promissæ pecuniæ quam ob Dei honorem, et causæ communis utilitatem, et incœpti laboris compendium. Qui postquam scalarum summum tenuerunt, aliis ita festinanter sequentibus, ac si eos in medios hostes propellere, et ipsi eos subsequi properarent; tunc vero cerneres eos ex alto subjectis hostibus hastis, jaculis et sagittis odiosum imbrem impluere, illos autem turbatos ac trepidos, nec habentes quod contra facerent, gravissime coarctari. Balistarum tamen

B horror et impetus, eo quod gens illa naturaliter timida est, eos maxime reddebat exanimes. Postquam vero unus inventus est qui primus muros insiluit, et illum alii celerrime sequerentur, continuo cives exsangues et trepidi, videntes jam hostem sibi immistum, discurrentes per murum ubicunque possunt, sese in fugam præcipitant, quasi muris amissis tuti possent in sua civitate consistere, qui eorum præsidio nequiverant defensari. At nostri nihilominus per murum discurrendo turres illorum alacriter occupant. Jamque ex eis quindecim vel plures invaserant; tum hostes velut resumpto spiritu, tum pudore, tum periculo impulsi cœperunt in quamdam respirare audaciam, et se-

C ipsos mutuo exhortantes, clamore simul et omni genere telorum eos vehementissime perurgebant. Quod videns quidam comes Teutonicus, jussit urbem in quadam parte succendi, ut Græci duplici laborantes incommodo, belli scilicet atque incendii, facilius vincerentur. Quod et factum est, et hoc illi consilio victi penitus in fugam conversi sunt; qui autem e nostris jam intra muros recepti erant, portas, quas multo lignorum lapidumve objectu diligenter Græci obstruxerant, remoto omni obice vel exciderunt vel fregerunt, et his qui adhuc in navibus erant, optatum patefecerunt ingressum. Actum est hoc circa Ramos palmarum, Deo, ni fallimur, ita disponente, ut eodem die Christi exercitus hanc triumphaliter perfidam urbem irrumpe-

D ret, qua Christus veniens ad triumphum Passionis sanctam ingressus est civitatem.

18. Patentibus itaque portis, hi qui in navibus erant lætis clamoribus irruentes territis hostibus hastis, gladiis, balistis, et sagittis, et omni genere telorum mortem specietenus intentantes, sed nullam prorsus fundendi sanguinis habentes voluntatem, tanquam oves dispersas, eos per omnes plateas civitatis abigebant, in tanta multitudine fugientes, ut ipsa platearum spatiosa capacitas vix posset eis ad fugam sufficere: instabant enim eis tanto terrore et impetu, ut nec eos respirare, nec respicere paterentur. Cumque tantam haberent cædis copiam, quantam ipsi nunquam sperare potuerant, paucissimi tamen ab eis perempti sunt;

ipsis ultro parcentibus, quippe qui a viris religiosis secum in castris agentibus, Martino videlicet et aliis, frequenter erant admoniti, quantum fieri posset, manus suas a sanguine continerent. Ceciderunt tamen illa die civium quasi duo millia, non utique a nostris, sed a quibusdam Francis, Italis, Venetis, Teutonicis, et aliarum nationum hominibus, qui prius cum eis in ipsa urbe habitare consueverant, sed tempore obsidionis expulsi, pro eo quod de proditione suspecti civibus habebantur, nostris adhæserant. Cujus injuriæ memores illi gravissimam in Græcos plagam ultionis crudeliter exercebant. De nostris autem nullus omnino ibi cecidisse reperitur, excepto milite quodam nobili admodum et famoso, qui dum hostes vehementius perurgeret, incautus ipse pariter cum equo, cui insidebat, in foveam quamdam repente absorptus sociis omnibus in lætis rebus dolorem magnum invexit. Victis igitur omnibus et profugatis hostibus, et de tota urbe satis miserabiliter exclusis, foribus etiam diligenter obstructis, tum demum victoribus ad prædam currere permissum est, nec antea, quia sub periculo capitis erat prohibitum, ne quis ante plenam victoriam de præda cogitare præsumeret. Invenerunt itaque passim et copiose tantam auri argentique pecuniam, tantum splendorem gemmarum ac vestium, tantam pretiosarum mercium exuberantiam, tantam rerum victualium ubertatem, domos adeo egregias, et bonis omnibus plenas, ut omnes repente de advenis et pauperibus cives ditissimi redderentur. Vastaverat autem incendium interim supradictum fere tertiam partem civitatis, cum, omnibus tam civibus quam peregrinis graviori occupatis periculo, nulli erant qui flammas licite pervagantes possent exstinguere. Mulieres vero, et parvuli, ac decrepiti senes, qui fugere non valentes, in urbe remanserunt, in occursu nostrorum digitum digito in formam crucis implicantes, satis flebiliter: *Aiios Phasileos marchio* (ἅγιος βασιλεὺς μάρχιο)! decantabant, quod Latine *sanctus rex marchio* interpretatur, quod ideo faciebant quia marchionem, quem maxime Græci noverant, et idcirco inter nostros maximum reputabant, captæ urbis regem haud dubie cogitabant, quod tamen Deus aliter disponebat.

19. Cum ergo victores urbem victam, quam jure belli suam fecerant, alacriter spoliarent, cœpit Martinus abbas de sua etiam præda cogitare, ac ne aliis omnibus ditatis ipse vacuus remaneret, proposuit et ipse sacratas manus suas ad rapinam extendere. Sed quoniam prædam rerum sæcularium eisdem manibus attrectare putabat indignum, illud agere cœpit, ut de reliquiis sanctorum, quarum ibi magnam sciebat esse copiam, aliquam sibi corraderet portionem. Assumpto igitur secum altero e duobus capellanis, nescio quid grande præsagiens, quamdam petit ecclesiam quæ in magna veneratione habebatur ex eo quod mater famosissimi imperatoris Emmanuelis ibi nobilem habebat sepulturam, quod cum Græcis magnum videretur, nostri pro nihilo reputabant. Ibi de tota circumposita regione plurimum pecuniæ repositum servabatur, nec non et reliquiæ pretiosæ, quas de vicinis ecclesiis atque cœnobiis ad eum locum spes vana securitatis fecerat congregari, quod etiam nostris ante urbis expugnationem ab his quos Græci expulerant fuerat intimatum. Quam ecclesiam cum multi peregrinorum simul irrumperent, et alii circa res alias, aurum scilicet et argentum, et pretiosa quæque diripienda cupide occuparentur, Martinus, indignum ducens sacrilegium, nisi in re sacra, committere, locum petit secretiorem, ubi ea quæ maxime affectabat, reperiri posse ipsa loci religio promittere videbatur. Invenit ibi senem quemdam venusta facie, barbaque prolixa et cana, sacerdotem utique, sed nostris sacerdotibus ipso corporis habitu valde dissimilem. Unde et abbas, laicum ratus, placido quidem animo, sed voce quidem terribili vehementer increpitans: « Age, inquit, perfide senex, ostende mihi quas potiores servas reliquias, vel scias te statim mortis supplicio puniendum. » Ille vero, clamore potius quam verbis territus, quippe qui clamorem audiens, verba intelligere non valebat, sciens nec illum Græci sermonis habere commercium, Romana lingua, quam ex parte noverat, cœpit hominem mitigare, et iram ejus, quæ nulla erat, blanditiis emollire. Ad hæc vero abbas in pauca ejusdem linguæ verba vix potuit eluctari, ut eidem seni quid ab eo exigeret, aperiret. Tunc ille, vultum ejus habitumque considerans, et illud tolerabilius judicans si homo religiosus sacras reliquias cum timore ac reverentia contrectaret, quam si sæculares viri fortassis cruentis manibus funestarent, ferratam ei arcam aperuit, ostendens ei thesaurum desiderabilem, quem super omnes gazas Græciæ Martinus abbas sibi gratum et desiderabilem judicabat. Quem videns abbas, festinanter et cupide utrasque manus immersit, et uti strenue succinctus erat, sacrilegio sinus suos implens, tam ipse quam capellanus ea quæ sibi potissima videbantur, sagaciter occultavit, et protinus egressus est. Quæ autem sint, et quantæ venerationis illæ quas sibi prædo sanctus mancipavit, reliquiæ, postea competentius exponetur. Cum ergo, ut ita loquar, ad naves ita suffarcinatus properaret, videntes eum, qui noverant et amabant, de navibus et ipsi properantes ad prædam, an ipse aliqua rapuisset, aut quibus rebus ipse ita onustus incederet, læto animo requirebant. Ille vero læto, ut semper erat, vultu, et verbis jucundis, « Bene nobiscum actum est, » aiebat. Quibus « Deo gratias » respondentibus, ipse festinanter transiens, et omnem retardationis causam moleste ferens, ad navem reversus est, ibique in cubiculo suo, quod habebat honestum et mundum, votiva illa suæ militiæ spolia collocavit, donec ille tumultuosus in urbe strepitus resideret. Ubi etiam postea triduo mansit in multæ devotionis obsequio, nullo sibi hu-

jus rei conscio, præter alterum e duobus capellanis, et illum senem qui ei res easdem sacras tradiderat, qui etiam, videns eum hominem benevolum ac liberalem, jam ei satis familiariter adhærebat. Cujus etiam ministerio interim ei apud quamdam ejusdem urbis ecclesiam honestum satis et commodum, suæ professioni conveniens, præparavit hospitium. Postquam ergo præfatus ille strepitus conquievit, abbas cum illo, quem diximus, capellano, suum sibi secretum assumens, paratam sibi petiit mansionem, ubi tota æstate commoratus, sacras illas reliquias indesinenter amplectens, occulto quidem, sed magno venerabatur affectu, et quod minus erat in exteriori, obsequio devotionis supplebat. Manebat autem in loco eo licentius, quod inducias pacis, quas pagani violaverant, renovatas acceperat, tum quia per illud mare non erat satis tuta navigatio propter magnam et novam rerum mutationem, tum etiam detentus amore sociorum, simulque exspectans debitum statum civitatis et regni, ut his qui eum miserant rerum istarum formam posset exprimere. Atque ita, ut diximus, civitas illa regalis et inter omnes Græcorum urbes famosissima, brevissimo temporis articulo capta et spoliata, et a suis victoribus possessa est. Viderint igitur alii qualiter hoc factum metiantur. Ego in omnibus his quæ vel ab historiographis, vel etiam a poetis referuntur, nil me tale, vel tam magnificum legisse confiteor. Nec arbitror absque certo divini favoris miraculo fieri potuisse ut civitas illa munitissima, cui tota serviebat Græcia, in manus paucorum tam repente, tam publice, tam facile traderetur. Plus enim hic, ut ita dixerim, uno momento paucos fortes fecisse intelligo, quam poetæ veteres apud Trojam infinita hominum millia profecisse decennio mentiantur, inveniantur.

20. Capta igitur urbe ac spoliata, et ipsis ædificiis novis civibus distributis, ne absque principe quasi acephali remanerent, cœpit de rege statuendo inter eos quæstio agitari. Erant autem duo viri opinatissimi et celebres in exercitu nostro, marchio videlicet de Monteferrato, Bonifacius, et Flandrensis comes Balduinus (7); et quibus alterutrum in regem eligi, et res ipsa videbatur exigere, et universus exercitus acclamabat, et quoniam uterque multorum favoribus atque suffragiis nitebatur, nec facile alter alteri præferri poterat, pro eo quod ambo satis idonei viri putabantur, visum est omnibus transferre curam et arbitrium electionis in duodecim viros, qui maxime inter omnes integritatis et potioris consilii apud alios habebantur. Qui postquam habita multa deliberatione Flandrensem comitem nominarunt, collocatus est in sede regni, et capiti ejus diadema impressum. Provinciæ autem ejusdem regni in tres partes divisæ sunt, unam quæ ad fiscum regis speciabilem pertineret, alteram quam Veneti possiderent, et tertiam quæ data est marchioni, Thessalonica videlicet, et fines ejus amplissimi, qui etiam Martinum nostrum, sicut nobis certissime compertum est, secum deducere, et episcopum creare proponeret. Ille sibi votorum suorum conscius cum gratiarum actione recusavit, malens ad fratres suos, si Deus annueret, privatus et humilis remeare. Deinde minores possessiones, veluti castella, villæ et municipia, et quæ hujusmodi sunt alia, in illas personas quæ ad hoc magis idoneæ putabantur, distributæ sunt. Leges autem et jura, et cæteræ institutiones quæ ab antiquo tam in urbe quam in provincia laudabiles habebantur, ita ut prius fuerant, consistere permissæ sunt; quæ vero reprobabiles videbantur, vel correctæ in melius, vel penitus immutatæ. Quæ dum ita in civitate agerentur, interim pestifer ille Mortiflo (8), gravissimi sceleris perpetrator et brevissimi temporis imperator, qui suorum sibi malorum conscius, etiam pœnam timens, ante expugnationem ex urbe profugerat, nesciens quo se verteret, aut quid spei in aliquo vel homine vel loco habere posset, ad Alexium seniorem (9) se contulit; cui principes nostri in divisione regni, quamvis homini nefario, tamen quia regii sanguinis erat, quamdam terræ portiunculam habendam concesserant. Qui videns hominem sceleratum ad se venientem, quamvis nec ipse multum dissimilis, vix a suis prohibitus, quominus eum extremo mortis puniret supplicio; cæcari jussit, et expulit, recolens eum tantæ cladis auctorem, qui sibi fratrem cæcare, et nepotem carcerare, et utrumque regno spoliare persuasisset, et postremo, ad augmentum sceleris, eumdem nepotem suum manu propria suffocasset. Ille vero turpiter expulsus, qui dudum mente cæcatus fuerat, nunc etiam corporeo lumine privatus, pauper et miser, et omnibus odiosus, cum in illis partibus fugibundus miseram ageret vitam, audientes nostri miserunt qui raperent eum et eorum aspectibus exhiberent. Quod cum factum esset, cœperunt tam nostri omnes quam Græci qui in urbe relicti erant, misero probris et jurgiis et contumeliis insultare; parricidam, et patriæ subversorem, et dignum supplicio conclamare. Cumque de morte ipsius certa omnium esset sententia, de genere tamen mortis multa erat inter eos disceptatio, quibusdam censentibus eum laqueo suffocari, quemadmodum ipse dominum suum peremerat; aliis vero vivum flammis immitti, vel saxo alligato pelago immergi, vel terræ infodi, vel

(7) Fuit ille Balduinus IX, comes Flandriæ et Hannoniæ, qui, eodem anno quo electus est imperator, e vivis excessit ann. 1204. Basn.

(8) Fuit ille ex nobili Ducarum familia; vocabatur autem non Mortiflus, sed *Murzuflus*, vir scelerum plenus. Consule notas Cangii in Vir. ill. Harduinum. (Id.)

(9) Hic imperaverat Constantinopoli annos VII, m. III, excæcato fratre, cujus imperium usurpaverat. Sed capta Constantinopoli, omni potestate exutus miserrime vixit. Incidit in manus marchionis de Monteferrato, deinde in Lascaris, generi; a quo in carcerem detrusus reliquum vitæ confecit. (Id.)

detracta pene totius corporis viscera denudari, vel truncari omnibus membris, vel si quid aliud atrocioris pœnæ in hominem sceleratum posset ab aliquo reperiri. Quid putas misero tunc animi fuisse, cum audiret eos de morte sua tam subtiliter disputantes, nisi quod dolor luminis amissi mortis vicinæ formidinem leniebat. Placuit tandem principibus, pro eo quod, licet homo nefarius, alti tamen sanguinis erat, eum super altissimam pyramidem duci, et inde longo asseri alligatum præcipitem jaculando dari, ut qui de alto regni statu subita dejectione corruerat, nihilominus ab alto cadens mortem miserrimam quidem, sed non turpissimam, inveniret. Quod ubi factum est, toto corpore conquassatus cum dolore et miseria infelicem spiritum exhalavit.

21. De pyramide autem illa, de qua iste projectus est, quam et plerique columnam vocant, aliquid notabile dici potest. Exstructa est itaque de maximis lapidibus, ferro invicem arctissime consertis, incipiens ex magna spissitudine, et paulatim se acuens in immensam celsitudinis quantitatem; in cujus tamen summitate solitarium quoddam latibulum habuisse commemorant, qui terrenam sibi habitationem negans, nedum cœlestem attingens, quasi inter utrumque medius eremum sibi fecerat in medio celeberrimæ civitatis, cui etiam, ut dicunt, diversæ rerum imagines ab antiquo insculptæ sunt, quæ Sibyllæ vaticinia et maxime superiorem regno (10) variis dicuntur figuris exprimere. Inter quas erant et navium figuræ et quasi scalæ de navibus erectæ, per quas viri armati ascendentes civitatem nihilominus ibi sculptam expugnare et capere videbantur. Hanc sculpturam Græci usque ad hoc tempus contempserant, nil minus possibile reputantes quam ut tantæ urbi suæ tale quid unquam posset accidere. At ubi viderunt scalas in navibus nostris erectas, tunc demum illius sculpturæ jam recordati, seriosius cœperunt illud et quod diu spreverant, formidare. Unde et quidem lapidibus, malleis ferreis easdem imagines contundentes, plurimi eas deformaverant, arbitrantes se hoc modo infaustum in nostros auspicium retorquere. Quæ spes omnino ubique cassa fuit, et præfatam sculpturam veri significativam exstitisse, certus rei exitus declaravit. His omnibus ita gestis et bona parte medii temporis elapsa, Martinus, videns exercitum nostrum circa regni negotia studiis ingentibus occupari, ut infra multa tempora susceptæ peregrinationis iter exsequi non valeret, ac per hoc principalem crucis causam variis casibus impediri, totam suæ mentis intentionem in hoc contulerat, ut rediens ad fratres suos claustrali se redderet disciplinæ, quam in tanto rerum strepitu ita ut vellet non poterat observare. Cumque de loco in quo tunc erat usque Venetiam facili posset transnavigare compendio, maluit cum his quæ

A Deus ei præstiterat ad eos prius redire qui miserant, ut eis de statu illius regni et de omnibus quæ præsens audierat et viderat, nuntius fidelis existeret, et tunc demum valedicens omnibus, de Terra sancta, quam ex voto petierat, sui quoque reditus cursum feliciter inchoaret.

22. Ingressus itaque navem circa Nativitatem sanctæ Mariæ, quasi nolens et volens, securus et timidus, non sine metu et sollicitudine multa, prima die Octobris apud Achonem applicuit, ubi a sociis suis, maxime autem a Teutonicis, qui eum specialiter diligebant, lætissime susceptus, de statu regni et de his omnibus quorum ipse præsens testis adfuerat, vel ab aliis indubitanter audierat, fideliter enarravit. Secretum autem illud suum nulli voluit

B aperire, nisi cuidam honestissimo et forti viro, nomine Bernhero, qui cum esset natione Teutonicus, patria vero Elsaziensis, sanguine generosus, et, quod præcipuum est, virtute conspicuus, grande sibi nomen in terra illa comparaverat, adeo ut ipsius regis consilia maxima ex parte in ipsum reclinarentur. Hic abbati nostro semper familiaris exstiterat, qui eum et in terra sua noverat atque dilexerat, et ibi majori dilectione amplexus præ cæteris fere omnibus excolebat. Huic ergo cum abbas illa Dei munera quæ secum attulerat ostendisset, ille statim læto timore correptus expavit, et cœpit gratiam illam quam Deus servo suo contulerat, vehementius admirari. Cum autem audivisset

C sset ejusdem abbatis de reditu suo propositum, obnixe studuit dehortari dicens vix unquam fieri posse ut tantæ res tam pretiosæ inter tot terræ et maris pericula, inter tot piratas et latrones, inter tot casus qui frequenter occurrere solent, indireptæ ad terram Teutonicam pervenirent. Monebat igitur eum, ut ipse rebus eisdem Terram sanctam devote et humiliter honoraret; in qua etiam cum eis permansurus, vel episcopatum, vel quas vellet alias ecclesiasticas dignitates a rege cæterisque principibus non recusaret accipere. Qui si secretiorem et monasticæ professioni magis congruam vellet agere vitam, hoc quoque ipse apud regem, cui familiarissimus erat, pro libitu abbatis plenissime provideret. Est enim in partibus illis territorium

D quod tam moderno usu quam apud veteres scripturas mons Carmeli nominatur, locus omnibus bonis uberrimus, fertilis frugum, vestitus optime vineis, oleis et aliis arborum generibus eleganter consitus, pascuis etiam copiosis exuberans. In hoc monte tria sunt monachorum cœnobia, distincta ab invicem et latas possessiones habentia, quibus cœnobiis vel singulis uterentur, vel in unum redactis ipse abbas et dominus præsideret. At vero si magis vellet sui ordinis fratribus quam aliis præesse, cœnobitæ illi ad alia loca satis commode transferrentur; abbas vero, assumptis sui ordinis hominibus quibus vellet et quanto vellet numero,

(10) Forte leg. *de superioribus regnis* vel *regibus*.

totum præfati montis territorium tam ipse quam ejus successores perpetua ditione liberrime possiderent. Postremo si nil horum acceptaret, acciperet a rege et principibus tantam auri argentique pecuniam, quantam ipse nunquam vel posteri præsumerent vel sperarent, quam et commodius secum deferre et secretius occultare et eadem ecclesiam suam ditare facili posset impendio. Quæ omnia cum abbas renueret, dicens se nil aliud velle nisi sacras res illas quas Deus dederat, suo fideliter exhibere cœnobio, præfatus Wernerus, tanquam homo fidelissimus, secretum tenuit, et tam ipse quam alii quamplures ad navem quæ in portu parata erat, cum debito honore prosecuti sunt. Quam postquam Martinus ingressus est, mutua charitate dicto vale et accepto, feria tertia ante Palmas illi ad sua redierunt, Martinus expansis velis optatæ navigationis cursum aggressus est.

Libet insuper hoc loco huic nostræ narrationi quædam inserere quæ sola, si alia deessent, satis possent astruere ea quæ per abbatem Martinum vel jam gesta diximus, vel adhuc dicenda restant, de fonte divinæ dispensationis ordinem [originem] accepisse. Tertia siquidem nocte, antequam ipse Martinus sui reditus iter arriperet, quidam clericus admodum ei familiaris, Ægidius nomine, natus de Boemia, cujus nullum verbum nisi Latine prolatum abbas ipse intelligere poterat, qui et ipse cum abbate in eadem navi redire proponebat, non dormiens quidem, sed vigilans, certissime, sicut ipse penitus affirmabat, vidit angelos duos in eodem loco, ubi sacræ servabantur reliquiæ, ubi etiam tam ipse quam abbas cubiculum habere consueverant, abbas quidem ob sacrarum rerum diligentem custodiam; ille vero, quid ibidem servaretur penitus ignorabat. Qui angeli circa scrinium, in quo sacra Dei munera claudebantur, miræ devotionis officium satagere videbantur, et Deum qui hæc famulo suo contulisset, omni reverentia collaudare. Facto autem illo divinæ venerationis officio, alter alterum exhortantes Deum obnixe precabantur, ut eumdem virum, cui tanta bona præstantur, cum omnibus qui ei familiariter adhærebant, sua defensione protegeret. Quam utique certissimam visionem cum ipse facto mane abbati recitaret, subito inter ipsa verba ex multa cordis compunctione erupit in lacrymas : « Nescio, inquiens, qui sis, aut unde veneris, aut quid in illo scrinio tuo custodias; sed illud verissime scio, quia manus Domini tecum est. Quapropter in hac maris transfretatione a tuæ sanctitatis non recedam consortio, certissime credens me in illa navi, qua tu vehendus es, periclitari non posse. » Cujus sanctæ visionis abbas perculsus miraculo, præsertim propter hominis fidem, quem sanctum et veracem esse noverat, retulit et ipse aliam visionem, quæ ipsi dormienti eadem ipsa nocte occurrerat. Videbatur ei siquidem ab eo loco, ubi tunc erat, Achone videlicet, usque ad villam proximam claustro suo, nomine Sigoltsheim, nil aliud esse quam mare, sed adeo securum et tenue, ut in eo nec etiam navicula quantumlibet parva naufragium formidaret; præterea ab eodem loco usque ad villam præfatam facta videbantur esse desuper in directum velut quædam tectorum umbracula, ut nec ventus, nec pluvia, nec aliud maris aerisve incommodum abbati navigaturo nocere nullatenus prævaleret. Quam abbatis visionem nos modo sic possumus interpretari, quod ab illo loco usque ad cœnobium suum, licet inter multa terræ marisque pericula, divina tamen protectione in reditu suo tutum iter habiturus esset, et præfatæ villæ populus, viri scilicet ac mulieres, primi ex omnibus apud claustrum Parisiense sacris essent occursuri reliquiis, sicut postmodum expressa rei veritas hoc ipsum approbavit.

23. Non est facile casus omnes atque pericula memorare, quibus et abbas ipse et hi qui cum ipso in eadem navi ferebantur, frequentius expaverunt. Sed ipse tanto amplius, quanto plus amabat ea quæ perdere metuebat. Sed in tanto timore et periculo Dominus ei majorem fere, quam ipse sperare poterat, gratiam suæ protectionis exhibuit. Occurrebant ei frequenter naves piraticæ, quæ vel aliis spoliatis, vel alios spoliare cupientes, hac visa, subita mansuetudine mitescebant, et eam omni reverentia pacifice salutantes, illæsam abire non tam sinebant, quam sinere cogebantur. Virtus enim Dei erat, quæ et illos poterat coercere et istam securo cursu ad portum perducere. Post multos itaque labores et pericula non pauca navis illa Martini, vel potius Dei et sanctorum ejus reliquiarum, ad portum Venetiæ perducta est in vigilia Pentecostes, ubi, cum applicuisset abbas, et de statu terræ satis dissimulanter inquireret, comperit non minus periculi et timoris in terra superesse quam in mari præcesserat. Totam quippe Italiam, per quam ei transitus erat, in fervore ac strepitu bellorum positam asserebant. Ipse vero sciens quia idem Deus potens est in terra et in mari, et qui eum in mari salvaverat, salvare poterat et in terra, paratis equis, sibi et suis sarcinis deferendis, confidenter quidem, sed tamen non absque metu et sollicitudine versus Alpes iter arripuit. Cum autem ei frequenter armatorum cohortes occurrerent, quæ ad nil aliud nisi ad prædandum et rapiendum venerant, subito quodam terrore compulsi, oblatam sibi prædam inæstimabilem, tanquam ea indigni, timide abhorrebant, et cedentes de via, summario, qui scrinia cum sacris ferebat reliquiis, per medium sui transitum præstabant innocuum. Transiens itaque Martinus noster totam Italiam, et post illam Alpes asperrimas, post quas etiam loca multa periculosa et plena latronibus, urbem Basileam, de qua primum suæ peregrinationis iter inchoaverat, lætissime ingressus est, ac primo omnium beatæ Virginis ecclesiam petens, cui et peregre proficiscens devote se commendarat, quantas potuit ei gratiarum retulit actiones, quod eum apud dilectum Filium suum ejusdem Filii sui reliquiis honorasset, et de tot ac tantis periculis exceptum, lætum et in-

columem reduxisset. Unde et altare ipsius, quod in A ipsa ecclesia celeberrimum habet, palla nobili decoravit. Episcopo quoque ejusdem urbis, domino Lutholdo et aliis quibusdam personis et ecclesiis ejusdem loci donaria sua satis liberaliter erogavit. Mansit autem in loco paucis diebus, donec ei fratres sui, qui jam reditum ejus acceperant, reverenter, ut dignum erat, occurrerent, cum quibus ipse, assumptis quoque aliis de civitate quampluribus, qui eum gratissime prosequebantur, ad Parisiense monasterium egregie quidem, sed cum multa devotionis humilitate se contulit, ubi etiam, toto fratrum conventu tam ei quam sacris quas afferebat reliquiis ad portam humiliter recurrente, in nativitate sancti Joannis Baptistæ ante horam Tertiarum triumphales illas sacræ prædæ manubias, gaudentibus B cunctis et Deum corde et voce laudantibus, in ipsam invexit ecclesiam, et in ipso altari majori, qua potuit reverentia, collocavit.

24. *Benedictus* itaque sit *Deus*, *qui facit mirabilia magna solus* (*Psal.* LXXI), qui per ineffabilem virtutem et misericordiam suam Parisiensem respexit et illustravit Ecclesiam, per quædam suæ gratiæ donativa, quæ per venerabilem virum jam sæpe dictum, Martinum abbatem, ad nos transmittere dignatus est. Quorum præsentia et præsens exsultat Ecclesia et ipsorum patrociniis quælibet anima fidelis apud Deum adjuvatur et proficit; de quibus ut legentibus certior fides astruatur, quædam ex ipsis propriis duximus titulis exprimenda.

C Primum igitur et generalissimum, imo in omni veneratione dignissimum, vestigium sanguinis Domini nostri Jesu Christi, qui pro redemptione totius generis humani effusus est.

Secundum vero lignum est Dominicæ crucis, in quo Filius Patri pro nobis immolatus veteris Adæ novus Adam debitum exsolvit.

Tertium est non modica portio S. Joannis præcursoris Domini.

Quartum vero brachium S. Jacobi apostoli, cujus memoria per universam venerabilis habetur Ecclesiam. Sunt etiam aliorum sanctorum reliquiæ quorum nomina subsequuntur :

Christophori martyris.
Georgii martyris.
Theodori martyris. D
Item pes S. Cosmæ martyris.
Item de capite Cypriani martyris.
Item Pantaleonis martyris
Item dens S. Laurentii.
Item Demetrii martyris.
Item Stephani protomartyris.
Item Vincentii, Adjuti, Mauritii et soc. ejus.
Crisantii et Dariæ martyrum.
Item Gervasii et Protasii martyrum.
Primi martyris.
Sergii et Bacchi martyrum.
Proti martyris.
Joannis et Pauli martyrum.

Item de loco Nativitatis Domini, de loco Calvariæ, de Sepulcro Domini, de Lapide Revoluto, de loco Dominicæ Ascensionis, de lapide ubi Joannes stetit, quando Dominum baptizavit, de loco ubi Christus Lazarum suscitavit, de lapide super quem Christus in templum est præsentatus, de lapide super quo Jacob obdormivit, de lapide ubi Christus jejunavit, de lapide ubi Christus oravit, de tabula super qua Christus cœnavit, de loco ubi captus est, de loco ubi mater Domini migravit, de sepulcro ejus, de sepulcro S. Petri apostoli, de reliquiis sanctorum apostolorum Andreæ et Philippi, de loco ubi Dominus Moysi legem dedit, de sanctis patriarchis Abraham, Isaac et Jacob. Item S. Nicolai episcopi. Item Adelehi episcopi. Item Agricii episcopi. Item Joannis Chrysostomi. Item Joannis eleemosynarii, de lacte matris Domini. Item Margaretæ, Perpetuæ, Agathæ, Agnetis, Luciæ, Cæciliæ, Adelgundis et Eufemiæ, virginum. Factum et actum est hoc anno Domini millesimo ducentesimo quinto Dominicæ Incarnationis, regnante Philippo Romano, præsidente sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Innocentio summo pontifice, sub episcopis Luthaldo Basiliensi et Heinrico Argentinensi.

25. Nemo igitur fidelis aliud vel credere debet vel etiam opinari, quam hoc actum esse divinæ gratiæ respectu, ut tot et tantæ tam celebres reliquiæ per hominem se ipsum in tanta humilitate conservantem inter tot rerum impedimenta ad nostram pervenirent Ecclesiam. In quarum adventu tota, ut credimus, Teutonia atque apud seipsam lætior, et apud homines famosior, et apud Deum cœpit haberi felicior ; nullus ergo, ut alia multa, ita hoc fortuito æstimet evenisse. Quod utique nil aliud esset, nisi magnis Dei operibus debitum splendorem calumniando detrahere. Si enim illius maximæ civitatis, de qua hæc omnia translata sunt, tam incredibilem et subitam expugnationem et ordinem causarum præcedentium et transitum Martini abbatis terra et mari periculosum, et tamen protegente Deo de locis omnibus inoffensum diligenter attendimus, hæc omnia profecto non esse casus fortuitos, sed muneris divini, luce clarius apparebit. Quapropter omnes qui vel ista vident, vel audiunt, opus Dei, quo auctore facta sunt, in omnibus venerari, et credere, et ab ipso suæ fidei ac devotionis præmium præstolari

26. De his autem ipsis cœlestis gratiæ donis, quæ Dominus jam sæpissime Dominico famulo suo abbati Martino et per ipsum Ecclesiæ Parisiensi contulerat, eadem Ecclesia ad honorem Dei, et totius Romani imperii, Domino Philippo serenissimo imperatori laudabilem valde contulit portionem, tabulam videlicet quamdam inæstimabilis fere pretii, auro et gemmis pretiosis operosissime exornatam, et plurima sanctarum reliquiarum genera, longe auro et gemmis pretiosiora ibi diligenter recondita continentem. Quam tabulam Græcorum imperator in solemnibus festis velut quoddam certum pignus

imperii gestare consueverat de collo suo catena aurea dependentem. Cui tabulæ præter aurum vel alias gemmas quamplurimas, jaspis unus miræ magnitudinis infixus est, passionem Domini sibi insculptam et B. Virginis et Joannis Evangelistæ imagines hinc inde assistentes. Est autem sapphirus ibi quidam admirandæ quantitatis, cui divina majestas, quæ nulla prorsus imagine proprie repræsentari valet, artificiose tamen ita fieri potuit, insculpta est. Quod utique munus invictissimus rex Philippus, juvenis quidem ætate, sed in Dei timore et omnium morum honestate maturus, tanta mentis benevolentia et gratiarum actione suscepit, ut ipsam etiam Parisiensem Ecclesiam cum omnibus possessionibus suis in suam susciperet protectionem, et alias omnes reliquias quas Martinus attulerat, ei perpetuo possidendas imperiali privilegio confirmaret.

Scripsit autem hanc historiam magister Guntherus quidam, tunc monachus, prius autem scholasticus, vir admodum liberaliter eruditus. Qui etiam rebus ipsis quas scribebat vehementer applaudens, id habebat intentionis ac fidei, ut ab illo qui hæc per fideles suos operari dignatus fuerat, etiam ipse divinorum relator operum vitam acciperet sempiternam.

GUNTHERI POETÆ

LIGURINUS.

SIVE

DE REBUS GESTIS FRIDERICI

IMPERATORIS AUGUSTI, COGNOMENTO ÆNOBARBI,

LIBRI DECEM.

Post Jac. Spiegellii, Pet. Pithœi, Cunradi Rittershusii et Geo. Christi Joannis repetitas euras ad fidem editionis principis Augustanæ denuo recensuit, selectas virorum clariss. ut et Scioppii, Pelugii, Barthii, Withofii aliorumque adnotationes itemque suas adjecit, commentat. historico-litterariis, lectionum varietate atque indicibus auxit Dr. Car. Georg. DUMGE, historiarum professor Heydelbergensis.

Præmittitur Dissert. historico-litteraria de operis auctore, ætate, fatis ac editionibus; accedit comment. de Friderico I imp. Aug.

(Heydelbergæ, editoris impensis ex officina Jos. Engelmanni, typographi, MDCCCXII, in-8°.)

REGIÆ. CELSITUDINI. SERENISSIMI. PRINCIPIS. CAROLI. LUDOVICI.
IN. REGNO. BAVARIAE. SUCCESSORIS. HÆREDIS.
QUEM. ATAVORUM. GLORIAE. REGUM. PAREM. NEPOTEM. INVICTUM. BELLO. PACIS. AMICUM.
ÆTAS. MIRATUR. SUSPICIENT. POSTERI.
PRINCIPI. NOMINIS. IPSO. AUGURIO. PATRIAE. MUSIS. AUSPICATO.
D. D. D.

Magnorum regum præclara facinora, quemadmodum cæteris mortalibus rerum splendore, ita principibus, potissimum civis gestorum exemplis commendantur. Unde et heroum olim laudes in procerum aulis celebrari, tum vero libris compositæ augustis nominibus inscribi. Delectabantur autem optimi quique domesticorum cum maxime præconiis, neque certior in ulla re favor aut ampliora suffragia. Confirmatur itaque, mihi animus, dum regiæ Celsitudinis Tuæ pro Ligurino, *nobilissimo opere de laudibus summi imperatoris, præsidium imploro, novam hanc editionem pro viribus ornaturus, ut gloriosissimo nomine laureatus liber per litteratorum manus circumferatur, et argumenti dignitatem æqualis auctoritas extollat. Nec ad excusandam ambitionem seu voti temeritatem aliud quidquam præferimus, quam honestatem studiorum in revocando*

egregio scriptore, qui nostris typis frequentatus oblectamento bonis omnibus, ornamento Germano nomini sit futurus. Etenim novimus quæ tua sit bonitas et in litteras amor, quantisque studiis unicum illud centumvirale Tuum Germanicæ gloriæ delubrum exornas, quamque et divo Friderico Cæsari ibi aram vovisti. Cujuscunque etiam priscorum regum tibi sit sacra magis memoria, piove dignior favore? Vel enim generosam indolem, vel bellicam virtutem vel denique pacis in illo studia species; ubique similem reperias atque cognatum. Adde quod augustissimus heros nobilem curarum partem ordinandis Bavariæ rebus insumpsit, et insigni cum primis titulo regni satis memorabilis exstitit. Friderici namque Cæsaris primum auspiciis antiquus Norici ducatus, Henrico Saxonæ ademptus, illustrissimæ tuæ genti virtutis præmium concessit, translatus in illum Palatinum famosæ laudis Othonem, æternæ memoriæ principem principumque tantorum parentem. Fuerat nimirum iste Germanicus Achilles Friderici imperatoris in rebus gerendis auctor et regni firmissimum robur, cujus invictum periculis animum formidavit Mediolanum, mirata sunt Alpium cacumina, ipsa Roma suspexit.

Non injucundum erit percurrere, qua tu te cum tanto principe tuoque magno parente compares, et ex conscientia propriorum facinorum gaudeas avitam virtutem una cum prisca regia dominatione, novo splendore renatam. Atque majora spondens dum venerit tempus, jam cinctus victoriæ laureis pacis artibus vacas, magnarum pectore fovens semina rerum. Ita fiet uti, dum ipse nunc aliorum facta legis, alii scribant olim quæ tu fecisti, et quæ legentium animos admiratione tui detineant, cum animadverterint, eo magis faciendam esse veram virtutis laudem hac nostra tempestate, quo majori ad eam nisu contendi debeat in tanto luxu, atque ut libere dicam, assentationum ac mendaciorum studio et delirantium numero. Sed hoc historicis ævi hujus et futuri nobile sit argumentum: mihi unus est precum conatus; ut donum quamvis exiguum solito humanitatis et clementiæ affectu suscipias, meque sub tuo patrocinio beatum admittas et serves.

Regiæ celsitudinis devotissimus cliens,
C. G. Dungé.

PRÆFATIO EDITORIS.

Novam hanc Ligurini editionem post annos ab ultima fere centenos, tantorumque virorum iteratas curas ut instituerem, præter operis nobilitatem et argumenti præstantiam, aliæ quoque causæ, nec illæ leves, impulerunt. Explicandis nimirum Germaniæ mediæ antiquitatibus animum adjiciens, illud statim intelligebam, rerum solis momentis ægre adduci ac detineri juvenum studia, domesticorum plerumque aliena, et quæ vel proximæ modo necessitati vel oblectationi certe inserviant. His ut quacunque subvenirem, desertis compendiorum formulis circumspicere scriptorem ejus ævi idoneum, rerum locupletem, tenore jucundum, quo quidem interpretando potissima quæque disciplinæ veteris capita, quasi aliud agendo, submitterentur. Ferebat autem ipsa propositi ratio in Frederici I imp. ætatem, quam utriusque Germaniæ limitem ingentes reipublicæ vicissitudines atque unanima peritorum testimonia commonstrant. Earum ipse pars maxima fuerat inclytus heros, cui rara temporum felicitate gestorum condigni scriptores obtigere. Celeberrima quippe nomina, antistes Otho Frisingensis, neque minoris famæ Radevicus, tum utriusque nobilis interpres, Ligurini vates. Illi graves et rerum et verborum ponderibus, hic spiritu plenus, dicendi lepore venustus, et ut ævo suo mirandus.

Quapropter trium fere sæculorum continuo plausu exceptum testantur octo editiones, quas unus ille domesticorum æqualium expertus est. Verum omnes istæ editiones, excepta rarissima Rittershusii, commune hoc habent, quod majore folii forma excusæ, pleræque cum aliis in grande volumen conjunctæ, ad gestandum tractandumque incommodæ prodierunt; ipsæ nunc singulæ minus frequentes, nonnullæ maximis adeo bibliothecis alienæ. Præterea textus vel in optimis emendationum sæpe titulo veram injuriam accepit, dum ad antiquæ dictionis Romanæ leges examinatus, nativi coloris indiciis privaretur. Adnotationum denique bona pars otiosa, disjuncta, potentiam ipsam exercent. Plurima perperam explicata, non pauca plane neglecta, lectorem aut turbant aut penitus fugiunt.

Hæc ego mecum reputans, et juvenum studiosorum, quin imo forsan et eruditorum, me gratiam initurum sperabam, si præclarum scriptorem, temporibus nostris accommodatum concinno typo evulgarem. Atque operæ quidem summa in eo posita videbatur, ut, antecedentium editionum vitatis incommodis, in hanc novam cunctarum commoda, qua possem aucta, conferrem. Textum utcunque Rittershusianum, quippe correctissimum secutus, Augustanæ principis auctoritatem diligenter adhibui, non nisi manifesta necessitate ab illa discedens, et neque tunc quidem absque indicio. Eruditorum vero conjecturas, quot-

quod nancisci contigerat, ubique semper subjeci, appositis modo judicii signis, iisque non arrogantiæ sed brevitatis, rationes alibi additurus. Historiam operis litterariam singulari dissertatione complexus sum, ut nullus antea editorum. Denique et primum Friderici Aug. decennium leviter adumbravi, ut esset isagoge quædam in *Ligurini* libros. Proximum notarum volumen editionem selectas, omissis mere alienis, puta theologicis, ethicis, technico-politicis aliisque id genus quisquiliis, exhibebit. Illarum in locum neglecta plurima substituam, e potioribus, quæ tulit ætas, historiarum auxiliis petita, eaque vel omnino nova, vel diligentius exponenda. Denique binas eidem dissertationes præmittam, quarum una brevior, de poetarum veterum exemplis auctori cum primis familiaribus, altera prolixior, de reipublicæ Germanicæ universa facie, qualis illa Friderici I temporibus agnoscitur, disputabit.

Superest ut grates hicce publicas, haud equidem pares illas, tamen sincerrimas lætissimasque rependam iis, quorum me humanissimæ liberalitati præcipua quævis et paratissima laborum subsidia, perbrevi tempore collecta, debere recordor. Etenim talibus tantisque officiis cum maxime attribuam paratam editionem, ejusque meo Marte vulgandæ constitutum consilium, qualicunque scilicet studio condonata demeriturus.

Atque inprimis appellandus vir illustrissimus, generis splendore non magis quam summa doctrinæ elegantioris laude conspicuus L. B. ab Ittner, sereniss. M. D. Bad. a consil. intimis, apud diætam Helvet. minister plenipotent. et circuli ad Lacum supremus director, cujus egregium monumentum divi Caroli Friderici M. D. Bad. manibus, antiqua styli gravitate, dicatum una cum principis immortalis memoria et durabit et prædicabitur. Præclaram deinde nobis operam navavit vir solida variæ scientiæ gloria, luculentisque in rem litterariam meritis nobilissimus, Bibl. Regiæ Goettingensis antistes, Jerem. Dav. Reussius, plurima confestim eaque optatissima adjumenta, suopte manu nitide descripta, nostris precibus transmittens. Parisiis vota nostra explevit, quin imo diligentia exsuperavit vir penitioris eruditionis ac urbanissimæ facilitatis, multisque nominibus ille charus atque colendus Carolus Hase, Vinariensis, biblioth. Imperiali-Regiæ a custodia, nuper egregia adhuc ignoti pene scriptoris, Joannis Lydi editione litterarum orbi notissimus. Monachii summa cum humanitate percontantem excepit, promptissimoque favore edocuit bibliothecæ Regio-Bavaricæ laudatissimus custos, Bern. Josephus Docen, monumentorum ille Germaniæ veteris sospitator insignis. Perscriptis Romam quoque desideriis paratissime respondit indefessus antiquitatum Germanicarum eo loci indagator et vindex, Ferdinandus Gloeckle, Ingelheimensis, bibliothecæ Vaticanæ scriptor, proxime plurimis iisque egregiis industriæ titulis celebrandus. Nequaquam porro tacenda nobis amicissima studia prænobilis ac eruditissimi Sulpicii Boisseré, Coloniensis, cimeliorum artis prisco-Germanicæ possessoris instructissimi et liberalissimi, mox operoso et splendido laborum specimine artis cultoribus extollendi. Tum etiam viri doctrinæ multijugæ scriptis dudum clarissimi, Jo. Caroli Hoeckii, illustriss. Comit. Limburgo-Solmens. regimini a consiliis, qui rariora muneris otia litterarum augmentis conferre gaudet. Gratissima denique in nos exstitit humanissimorum bibliothecæ Albertinæ Friburgensis et Aulicæ Carolsruhanæ antistitum benignitas, qua vix non omnium *Ligurini* editionum percommodus usus indulgebatur. His itaque laborum præsidiis, atque potioribus temporum adminiculis ut plurimum debemus, quidquid in isto labore profecisse videbimur. Neque enim aliam nobis gloriolam, quam voluntatis, expetimus, et procul est vana persuasio, virorum celeberrimorum studiis momenta nos aliqua addidisse.

Illud tandem in votis præcipuum libere profitemur, ut florentissimæ olim reipublicæ nostræ, revocata imago, aliquando adhuc animos inveniat non prorsus alienos. Etenim vivitur magnis exemplis, et omnis ævi nobilissimæ gentes priscorum patrum præceptis ac imitatione steterunt, spretis contra vetustis moribus debilitatæ conciderunt. Quapropter laudabili majorum nostrorum instituto, domesticæ antiquitatis illustria documenta studiose in scholis exhibita, quemadmodum et *Ligurinum*, vix adhuc typis innotescentem, in celeberrimis patriæ gymnasiis lectitatum invenimus. Forsan et nostris cum maxime temporibus ejusmodi fomenta convenirent, quandoquidem in tenera adhuc ætate plurimum efficitur, et amor patriæ tantum decrepitus veluti cum lacte rursus infundi possit ac recreari. Sane majores nostri Græcæ et Romanæ vetustatis exempla non otiosa curiositate vel admiratione contemplantes, sed propriæ nobilitatis memores, et gloriæ gentilitiæ comparatione elati, fortiter ipsi agentes, factis et scriptis illa tanto felicius expresserunt.

Heydelbergæ, in vigilia Nativitatis, anni MDCCCXII.

PRÆFATIO PRIMÆ EDITIONIS LIGURINI.

Marquardus de Stain Ecclesiæ Bambergensis præpositus, Matthæus Marschalk, Bernardus et Chunradus Adelmann de Adelmannsfelden, canonici, Chunradus Peutinger ac Georgius Herbart, Augustani, Lectori salutem.

Venit hiis diebus Augustam Chunradus Celtis, vir tum in bonis artibus apprime doctus, tum etiam

diligens admodum veterum scriptorum indagator : quem cum pro nostra erga eum amicitia allocuti fuissemus, rogavimus, si aliquos libros antea nobis incognitos peregrinando per Germaniam reperisset, ut eorum pro sua in omnes humanitate copiam nobis faceret. Retulit Ligurinum quemdam egregium poetam de rebus gestis per Fridericum primum Cæsarem in monasterio quodam Franciæ Orientalis, quam nostrates Franconiam appellant, se invenisse. Eumdem cum legendum ac per otium conspiciendum nobis tradidisset, existimavimus profecto dignum fore, qui per ora virum volitaret. Adhortati itaque Chunradum fuimus, ut exprimi formis curaret, neque diutius delitescere permitteret. Cumque post aliquos tractatus cum artifice sibi parum conveniret, atque hinc abire decrevisset : verebamur, cum unicum solum exemplar exstaret, ne aliquo iniquo sidere jacturam aut periculum pateretur. Nostra itaque opera et ære tandem effecimus, ut artifex ille onus subierit, partim ne vigiliæ et lucubrationes Ligurini perirent, partim etiam, ne inclyti Cæsaris nostri Friderici primi labores et egregia facinora oblivioni traderentur. Accessit his peculiaris amor patriæ. Cum enim origo nobis, et quidem omnibus, ex Suevia foret, pulchrum admodum videbatur, Fridericum, qui et ipse ex gente Sueva originem duxit, Suevorum potissimum auxilio ex tetro carcere, et post aliqua sæcula iterum in lucem prodire. Multa quidem inclyto nostro Friderico propter innumeros labores, quos pro Romani imperii decore ac majestate conservanda pertulit, Germania nostra debet : sed longe plura universa Christiana respublica, pro qua insignem ac sanctissimam illam expeditionem ad res Christianorum in Asia restituendas suscepit, et in qua postquam Armenios feliciter devicerat, ut pium et religioni Christianæ devotum Cæsarem decebat, vitam quoque cum maxima Christiani populi jactura amisit. Solius enim Friderici per eam tempestatem virtus et rei bellicæ peritia tuto Saladini regis victoriæ ac felicitati opponi, et inclinatam rempublicam Christianorum in Asia erigere potuisset. Quisquis igitur es, qui hæc legis, Ligurinum hunc, egregium virtutum Friderici Cæsaris præconem ex Germania proficiscentem ne despicias, sed alacri animo amplectere atque revolve. Reperies revera pleraque, quæ te legisse non modo non pœnitebit, verum etiam plurimum juvabit.

In fine libri decimi subscriptum :

Guntheri Ligurini poetæ clarissimi de gestis divi Friderici primi libri feliciter editi impressi per industrium et ingeniosum magistrum Erhardum Oeglin, civem Augustensem, anno sesquimillesimo et septimo, mense Aprilio.

In fine editionis :

Felici fine completus Ligurinus, et per universam Germaniam et ejus publica gymnasia jam notus, et juventuti Germanicæ ad legendum et enarrandum præbitus, primo Viennæ per Chunradum Celtem; Friburgi per Hieronymum Baldung; Dubingi per Heinricum Bebelium; Ingolstadi per Jacobum Philomusum ; Lipsiæ per Hermannum Bostium (11), qui in prædictis gymnasiis publico stipendio Romanas litteras feliciter profitentur.

(11) Haud dubie Hermannus Buschius, quem tunc temporis Lipsiæ docuisse ostendit Burckhardus in Vita Herm. Buschii, p. 164.

IN LUGURINUM DISSERTATIO PRIMA.

De operis auctore, ætate, fatis ac editionibus.

§ I. — *De Ligurini auctore ejusque nomine.*

Magna, ut ferme solet in rebus dubiis, de Ligurini auctore inter eruditos disceptatio contentioque est. Ac de nomine quidem primos editores parum caute tradidisse vel ex hoc intelligitur, quod ipsi sibi non constant. Principio operis *Ligurinum* appellant, nec satis apparet, an patriam aut nomen proprium indicasse velint. Postremum P. Pithœo videtur. Quidquid admittas, utrinque hallucinari testis est (11*) ipsemet auctor, inditum libro Ligurini titulum disertis verbis enuntians l. x, v. 615 et sq.

. . . . *Doctos, quorum tutandus amore*
Atque fovendus erit, noster Ligurinus adoret.

Quo magis ego miror, non modo primos illos editores, sed recentiores etiam et magni nominis eruditos Melanchthonem (12), Gyraldum (12*), Pagium (13) et Jos. Anton. Saxium (13*) errorem apertum non animadvertisse. Tum vero iidem primi editores libro decimo subscripserunt Guntheri nomen, quod quidem recens inventum et laborante prelo quæsitum mox inde docebimus. Atque adeo Lilius Gyraldus illud Guntheri novum nomen vago rumore excipiens, alterum rerum Friderici I scriptorem effinxit, suoque Ligurino superaddidit (14). Reliqui recentiorum omnes, præter unum Senkenbergium, in Guntheri nomine conquieverunt, eoque ita securi, ut omnis illorum contentio in duobus tantum ejusdem nominis ævi medii scriptoribus versari omnino videatur.

Exstant nimirum illius ætatis Guntheri cujusdam inscripta nomine poemata de passione S. Cyriaci

(11*) Præfat. ad edit.
(12) *Chronicon.*, l. iv.
(12*) *Hist. Poetar.*, dial. 5, pag. 307 (edit. Lugdun. 1696, fol.).
(13) *Crit. in Baron.*, ad ann. 1160 (edit. Venet. ditos 1740, fol., tom. XII, p. 1427. Ipsum autem Baronium injuste notat Gerard. Vossius, *De hist. lat.*, p. 136 (ed. Amst. 1699, in-fol.), et Schurzfleisch *De Henr. Leone*, § 1 (Opp. xliv, p. 574).
(13*) Not. ad Sigonium *De regno Italiæ* (Opp. Sigon. ed. Murator., tom. II, p. 717, sq. not. 16).
(14) L. c. dial. 5, p. 307.

et usitatis Christianorum actibus, quæ ad annum A fere 1526. Basileæ typis vulgata P. Pithœus audivit nancisci diu quæsita non potuit (15). Eadem in monasterio Maulbrunnensi sæculo XVI impressa, nescio teste quo comperisse memini. Guntherus autem iste Sigeberto primum Gemblacensi (15*) deinde Trithemio (16) memoratus, fuit monachus Elnonensis S. Amandi monasterii (16*) ordinis S. Benedicti congregationis Cluniacensis. Hunc scriptores aliqui, præcipue Belgæ (17) Ligurini auctorem extulerunt, ab aliis merito reprehensi, quippe quod Sigebertus Gemblacensis jam anno 1112 vivis excedens, Friderici I, temporibus annorum quadraginta superior, facinorum ejus præconem Guntherum agnovisse perægre potuerit (17*).

Magis innotuit Guntherus alius, ætate ac scriptis B ab illo diversus, monachus ordinis Cisterciensis in cœnobio Parisiensi (18) diœcesis Basileensis (18*). Et hic est ille Guntherus communibus doctorum suffragiis Ligurini auctor celebratus (19). Historiam scripsit subactæ a Latinis Constantinopolis, ex ore Martini sui abbatis, qui rebus ipsemet interfuerat (19*). Librum typis vulgavit Petrus Canisius (20). Pithœum (20*) quidem et Caveum (21) dubitatio reliquit suspensos, quamvis neutrum dubiorum rationes exponere videamus. Cæteroquin omnes istæ doctorum opiniones argumentis idoneis destituuntur, cum nullus ævi medii scriptor auctorem Ligurini Guntherum agnoscat, quinimo ne nomen quidem et opus ipsum Ligurini æqualibus memoretur. Adde quod Henricus Bebelius, Ligurini primis C editoribus coætaneus et contubernalis, ac operis admirator fervidissimus, auctorem, nescio qua ratione, Christianum appellet (21*). Denique Joannes Nauclerus, illius ætatis non ignobilis scriptor, idemque plurimis familiaris et Celtis amicus, qui Chronicon suum anno 1500 absolvit, Ligurini, quem viderat, mentionem injiciens (22), auctorem Guntherum ignorat. Atque ex illo antiquorum silentio una cum recentiorum oscitantia Ligurini unicus idemque acerrimus adversarius Henr. Christi. Senkenbergius (23) argumentum desumpsit, specie magis quam pondere commendabile. Quid quod actum omnino foret de plurimis ævi medii monumentis, admissa tali ratione suspectæ originis. Chronicon Uspergense Conrado a Lichtenau plurium sæculorum stabili sententia ascriptum hac nostra demum tempestate Burchardi Biberacensis evicit ejusmodi rerum scrutator eximius Placidius Braunius (24).

Primam inventi nominis occasionem præbuit ipsemet Ligurini auctor. Sæpius enim meminit a se scripti *Solymarii* (25) s. de expeditione in terram sanctam poematis. Indicium propere nimis ac obiter prosequentibus occurrebat ille Guntherus expeditionis in Constantinopolim scriptor, et facile seduxit viros de nomine tantum sollicitos. Invento Gunthero mox alter accessit jure parti sodalitii, deinde proximam quæstionem nominum studia removerunt, oppressit favor, neglexit credulitas. Non equidem omnino defuere qui Solymarii argumentum ab illo scriptoris Canisiani diversum censerent (26), ad captam ductu Chunradi regis Jerosolymam trahentes ex Ligurini testimonio (27):

Obtulimus scriptos sacra de sede libellos.

Ast alii longe plurimi de Constantinopoli pronuntiarunt (28), quos inter unus Albertus Fabricius (29) vero propius accessit, errore saltim excusabili Bouillonæam expeditionem intelligens. Hæc inditi nominis genealogia, cujus origines editionis principis nondum fluitæ sed inchoatæ tangere tempus necesse est, quippe quod titulus tacet incognitum, post epilogus profitetur.

Juvat ascribere novum errorem ex Guntheri nomine prognatum. Investiganti codd. Ligurini mss. et alia quælibet subsidia litteraria, in manus inciderant indices censuræ Romanæ, novo Petri prænomine Guntherum adnotantes (30). Suspenso paululum rei miraculo confestim ratio subveniebat, cum alio loco notatam conspicerem ejusdem *Petri Guntheri Rhetoricam*. Felici casu non ita pridem

(15) Præfat. cit.
(15*) *De SS. Eccles.*, cap. 166 (ed. Miræi, p 157).
(16) *De SS. Eccles.*, p. 148 (ed. Colon. 1546, 4).
(16*) *Saint-Amand* Belgii vet. diœces. Tornn.
(17) Valer. Andr. Dessel. *Bibl. Belg.*, p. 336 (ed. D Lovan. 1643). Ant. Sander. *De SS. Flandriæ*, pag. 73 (ed. Antverp. 1624). Franc. Swert. *Athen. Belg.*, p. 519 (ed. Antverp. 1628).
(17*) Miror ipsum celeberr. Pithœum ejusmodi sententiæ patrocinari præfat. cit.
(18) Pairis, *S-Paires*, Alsat. superioris prope Basileam. Schoepflin *Alsat. illustr.*, t. I, p. 73 p. 451.
(18*) Miræus *Auctar. de SS. Eccles.*, n. 386.
(19) E plurimis paucos: Gerard. Vossium *De Poet. Latin.*, p. 254 (ed. Amst. 1696, fol.). Fabricium l. c. Christo. Saxium *Onomast. Lit.* ad ann. 1190. Hambergerum *Zuverl. Nachr. v. d. vorn. Schriftst.*, t. IV, p. 534 sq.
(19*) Miræus l. c., Caveus *SS. Eccles. hist. lit.*, p. 490 (ed. Genev. 1696, fol.) Oudinus *De SS. Eccles.*, tom. II, p. 1651 sq. Fabricii *Bibl. Lat. med. et inf. æt.*, t. III, p. 520 sq.
(20) *Antiquar. Lect.*, tom. V, p 358 sq.
(20*) Præfat. cit.
(21) L. c.
(21*) *Epist. ad Jo. Nauclerum:* qui auctores legendi sint. Phorcæ 1504, fol. g. z. b.
(22) *Chron. gener.* XXXIX, p. m. 759.
(23) *Conjecturæ de Gunthero*, Ligurini scriptore supposititio. Parerg. Goettingens., tom. I, lib. III, p. 149 sq., § 2.
(24) *Notitia mss. S. Udalrici*, tom. II, p. 93 sq., p. 252.
(25) *Ligurini*, l. I, v. 14 et 86; l. X, v. 648 et 729.
(26) Cunrad. Rittershus. in not. ad Ligurini, p. 17. Gerard. Vossius, l. c.
(27) L. I, v. 86.
(28) Miræus, Caveus, Oudinus, Andreas, Swertius, Sanderus, etc.
(29) L. c.
(30) Index libr. prohib. Alex. VII, jussu editus Romæ 1667, fol. p. 64. Innocentii XI. Romæ 1704. — Plures evolvere non datum fuit, sed et in aliis haberi Guntherum aliunde comperi (Clement. *Bibl. crit.*, tom. IX, p. 327).

obvenerat idem liber in præ tantissimo catalogo A bibliothecæ Heilsbrunnensis (31), ibique doctissimi Hockeri adnotatio, quam ultro prosequi facile poteram. Fuerat autem Petrus ille Guntherus Academiæ nostratis olim decus et ornamentum, qui Neostadio ad Haardtam oriundus, Heydelbergæ eruditus, in philosophorum ordine cum laude docuerat, decanatu functus 1508. Tum vero jurisprudentiam amplexus, improbo paucorum annorum studio effecit ut anno jam 1512 summis in utroque jure honoribus condecoratus; Nicol. Morsingero valetudine laboranti in exponendis Decretalium libris sufficeretur, spretis paucorum calumniis, corpusculi vitia exprobantium, ut semper alunt et sua monstra studiorum sedes. Postmodum ad codicis professionem evectus 1516, rector Academiæ renuntiatus 1517, B anno sequenti præmaturo funere ante senium exstinctus est (32). Vir equidem præstans natura ingenii, liberalium artium peritissimus et poeta laureatus, quem Ligurini auctorem non inepte reputares, nisi plurimæ gravissimæque temporis et loci rationes omnino dissuaderent. Nimirum ut taceam vetustatis notas et codici mscto et ipsimet operi inhærentes, etiam tempus primi rumoris huic nostro Gunthero non convenit, qui tunc adhuc adolescentulus tanto labori nullatenus par esse poterat. Adde quod insignis operæ præsens auctor hic loci minime latuisset, siquidem noveris cœtuum eruditorum mores, et ejusmodi secreta vel ubicunque tutius custodiri scias. Famam Petro conciliavit illa scripta C Rhetorica, quæ principis Musagetæ suffragiis illustrata (33), multorum manibus terebatur; ac demum typis exscripta iteratas confestim editiones (34) experta est. Atque hæc ipsa libri novi celebritas in oris longinquis, utpote Germanis, Romanæ curiæ censores induxit, ut qualemcunque interdicerent. Postmodum auctorem Ligurini Guntherum audientes et Friderici præconem, eumdem sibi persuaserunt, vel vice versa.

Hisce præmissis, quid tandem de Guntheri appellatione statuendum sit, nemo non videt; ast nihilo secius retinendam putaverim, scilicet usu receptam et prorsus innocuam, quandoquidem alia non datur. Monet præterea scriptorum ad Guntherum provocantium multitudo, neque etiam aliis potiori jure D priscorum nominibus utimur, et molestum sane foret, ne quid gravius dicam, in rebus usu longævo veritatis speciem consecutis turbare ordinem velle.

§ II. *Auctoris persona et patria.*

Supervacaneum videri possit, in vitæ genus et patriam inquirere, cum ne de nomine quidem constet. Monendum vero, disceptationem utramque non iisdem principiis niti, nec raro ex auctorum scriptis unum alterumve cognosci. Ac primo quidem ecclesiasticum suspicari nostrum nihil impedit, nonnulla juvant. Præterquam enim quod ante renatas litteras omnes fere scriptores illius ordinis fuisse notum est, in ipsis quoque Ligurini libris plurima reperiuntur e sanctis bibliis transsumpta. Catalogum congessit Rittershusius (35), cui pauca subjungimus. Auctor inducens obsessæ Terdonæ monachos Friderici misericordiam frustra deprecatos (36), utitur ista parabola :

Non secus irati sententia fine supremo
Judicis, æternum maledictos tradet in ignem,
Suppliciisque datos exerta puniet ira,
Qui toties moniti, toties sprevere monentem.
Sic miseri cives ad mœnia clausa gementes,
Ac velut in certam queruli redière gehennam.

Exponens initia funestæ contentionis inter imperatorem Romanum queponitificem, ipse pro sua parte caute non minus ac modeste subjicit (37) :

Principis an papæ fuerit pars justior, alter,
Qui melius potuit cognoscere, judicet : at nos
Ignari rerum partem veneremur utramque.

Hæc et similia non obscure ecclesiasticum innuunt, quem tamen monachum haud facile crediderim. Nec detinent illa futilia de Guntheris commenta, quo minus ego subscribam Pithœi (38) sententiæ : *Hic noster, si verum amamus, nescio quid præ se fert monachismo cultius, urbanius et magis aulicum, quod genus etiam vitæ se aliquando sectatum sub finem poematis significat.* Certe qui Ligurini libros vel obiter perlegerit, effati sentiet gravitatem.

Difficilior longe quæstio de patria suboritur, nec opinionum minor discordia. Plurimas autem submovere intactas percommode poteris, utpote quæ Guntherorum vestigiis insistant. Nil nobis hic profecto cum vanis speciebus, quas cui volupe erit, prosequatur. Ex ipsis Ligurini libris rationum formulæ repetendæ, dum alio quocunque certo indicio destituamur. Nonnullos Ligurem autumare supra meminimus (39), nec illa penitus inanis conjectura, modo ne Ligurini vocabulo commendatam velis. Etenim tenuis admodum injecta Pithœi dubitatio (40), Ligurem de patria ea unquam scripturum fuisse. Quasi vero sit inaudita res civis in cives accensus animus, quinimo contra non exstent exempla tanto majoris acerbitatis, quanto major injuria. Præterea quoque auctorem Italum non absque specie tueare, si cumprimis in censum attuleris elegantissimam Italiæ descriptionem libro secundo exhibitam (41). Maximam quidem partem ex Othone Frisingensi (42) transsumptam poeta

(31) *Libror. impressor.* sectio 5, n. 194, p. 263.
(32) *Annal. Acad.* vol. 4, fol. 175, 247 — Schwab Syllab. Rector Acad. Heidelberg., tom. I, p. 90 sq.
(33) Servatum erat msctum in Electoris Bibliotheca. Schwab. l. c.
(34 Moguntiæ 1521, Basileæ 1521.
(35) Ad calcem editionis p, 234 sq.

(36) Lib. III, v. 129 sqq.
(37) L. VI, v. 518 sqq.
(38) Præfat. cit.
(39) Cf. § 1, p. 1 sq. c. n.
(40) Præfat. cit.
(41) V. 56 sqq.
(42) *De reb. gest. Friderici I*, l. II, c. 13.

variis hinc inde momentis, iisque aptissimis amplidavit. Idem et aliis Ligurini locis regionum et urbium Italicarum epitheta apposuit, quæ virum omnino præsentem persuadere possint. Sperabam ego locis abditis quibusdam et minutis eoque difficilioribus deprehendere nostrum. Codices nimirum Othonis et Radevici, quorum libros ille heroico carmine circumscriptos reddidit, solitam librariorum oscitantiam, ut alii plurimi, sunt experti. Vir summus Antonius Muratorius, collatis cum præstantissimo codice Vindobonensi editionibus, haud raro corrupti textus exempla offenderat. Ex iis quædam adnotavit episcoporum nomina vel perperam scripta vel addita, tum et machinæ cujusdam bellicæ corruptum vocabulum. Occurrit illud in Othonis (43) et Radevici (44) libris, illic marga scriptum, hic vero manga; quod quidem utrumque falsum et manganam audire, docet illustris editor ut homo Italus et omni exceptione major. Noster autem non solum illa episcoporum elogia, sed etiam (quem magis mirere) machinæ illius bellicæ vocabulum declinavit, cum tamen alios ejusmodi terminos q. v. technicos passim receperit. Ne, quæso, hanc adnotationem velut otiosam præsumas, quam quidem consulto appositam inferius dicenda admonebunt.

Gallicum Ligurini vatem significavit unus, quod sciam, Gaspar. Scioppius (45), nec iste reliquorum ullo assensu exceptus. Id qua ratione fecerit vir doctissimus, non æque video, nisi forsan inductus Guntherorum vanis elogiis. Poterat etiam falli ipsius Galliæ vocis umbra, dum auctor Lombardicæ gentis mores et consuetudines ad Othonis Frisingensis pene verba recensus (46), ultro subjiciat :

Quoslibet ex humili vulgo (quod Gallia fœdum
Judicat) accingi gladio concedit equestri.

Nihil Otho de Gallia : bene vero Germanos infimæ conditionis plebem ab armis prohibuisse notum est, neque usquam terrarum ad arma vulgus vocare turpius habebatur. Quid igitur nostro cum Gallis, quando Germania eminebat? Quinimo Gallia Friderici temporibus, deserto nobili more, jam ad vulgus confugerat, ingravescentibus Anglorum armis, ut ea cessaret comparatio. Quid si Galliæ vocabulo Germaniam ipsam auctor significaverit? Miraculum clamas : declarabo. Gallia vel optimis adhuc sæculi XII scriptoribus dicebatur omnis trans Rhenum Germania. Sic Otho Frisingensis Moguntiam, Germaniæ metropolim, Galliæ civitatem disertis verbis appellat, adeoque totam a Moguntia Basileam usque provinciam Galliæ ascriptam Alemanniæ opponit (47). Nimirum omnis ista trans Rhenum tellus, victricibus olim Francorum armis quæsita, inde a Chlodovæo ad Ludovicum Germanicum, imperio Francico cum ipsa Germania paruerat. Exinde vero Francorum potestas ad Galliam antiquam, exceptis tribus ad Rhenum provinciis et veteris regni Burgundici opima parte, restringebatur. Itaque Gallorum appellatione Franci, Francorum Galli, eadem commisti populi significatione, ferebantur. Germani autem nobilissimo Francorum elogio passim extolli gaudebant, unde scriptoribus ævi medii promiscua gentium et regnorum formula (48), quos quidem noster hic secutus, Galliæ vocabulum poscente metro prætulisse videtur. Idem et alio loco Fridericum avaritiæ Romanæ ausibus respondentem his verbis meminit (49) :

Commercia certe
Non satis æqua mihi faciunt, dum vendere nobis
Nostra volunt; veluti plenis cum follibus emptum
Adveniam, pretioque novos sumpturus honores,
Quos sibi jam proprios effecit Gallica virtus.

Hanc distinctam editionis principis lectionem sequentes omnes immutarunt, pro Gallica Francona ponentes. Ipsemet ego vocabuli genuino sensu, virorum auctoritate et vetustæ manus correctura in exemplari Friburgensi abreptus, vocem Gallica rejeci, non equidem Francona nimis audaci emendatione, sed leviori ejusdem correcturæ, bellica substituens; nunc autem Gallica confidentius repono. — Quod reliquum est, his ad fidem expositis, unum et solum pro Gallica auctoris patria indicium evanuit.

Natione Germanum esse, plurimorum sententia est, quos inter eminet vir gravissimi judicii Caspar. Barthius. Rationum pondera si cognoveris, reliquis omnibus prævalere facile concedas. Ac primo quidem dictionem Germanismis abundare plurimis locis adnotavit Barthius, catalogum sequens adnotationum volumen suppeditabit. Animum deinde prorsus ac vere Germanum quilibet Ligurini libris vel tantum obiter intentus, frequentibus iisque præclaris indiciis ostensum collaudabit. Memorabilem præterea Ligurini locum, et ipsius auctoris in hanc rem quasi digitum, arripuit idem sagacissimus Barthius. Injecta videlicet mentione tentati sceleris in vitam Argolici imperatoris, ausu nefario cujusdam aulici, Radevicum Frisingensem hominis personam explicantem negligit auctor. Et ille quidem (50) *unus de servis palatii, caniclinus videlicet, quem nos*

(43) L. II, c. 17.
(44) L. II, c. 47.
(45) *Jambi de Gunthero primo Franciæ atque adeo Germaniæ poeta;* ad calcem edit. Rittershus. p. 207.
(46) L. II, v. 153 sq. cf. Otho Frising. l. c.
(47) L. I, c. 12, cf. c. 13.
(48) Otho Frising., l. II, c. 13. *Denique princeps (Fridericus) ad transalpina rediens, sicut Franciæ præsentia sua pacem reddidit, sic Italis absentia subtraxit.* — Francorum vocabulum ad Germanos trans Rhenum restrictum et Alemannis s. Suevis oppositum legitur lib. I, c. 13, fine.
(49) L. III, v. 458 sqq.
(50) L. II, c. 27.

cancel.arium dicere possumus, principi suo fraudem A *molitus est.* At contra noster (51):

> *Græci cognominis usu*
> *Hic caniclinus erat, nobis camerarius idem*
> *Esse potest.*

Recte Barthius ad h. l. (52): *Non obscure inde patet Guntherum Germanum esse: nulla enim alia natio camerarios habuit retento vocabulo.* Sed neque tacendum puto, Ligurini auctorem caniclini significationem Radevico minus apte reddidisse, dum caniclini personam cancellario magis quam camerario convenisse luculenter doceat illustriss. Cangius (53).

Nunc pauca de iis, quæ contra moventur. E primo quidem occurrit elegantissima oratio pro Friderici Cæsaris electione habita in curia solemni B Francofurtensi. Principis verba facientis personam noster vel ignorat vel dissimulat (54):

> *Tandem quid peteret regni fortuna, per unum*
> *Dignata est aperire virum, qui nomine clarus,*
> *(Dux, comes an præsul dubium) formaque verendus,*
> *Consilioque potens, et persuadere peritus,*
> *Surgit*

Miratur valde doctiss. Rittershusius (55) auctorem fugisse, quod fere vulgatum est: primum in electione suffragium ad Moguntinum pertinere. Senkenbergius (56) in orationem ut fictam invehitur, simul exprobrans proponendi formulas, quippe quod Fridericus delegatione potius Chunradi imp. quam principum studiis imperium fuerit adeptus. Gravissimi sane momenti est Rittershusii illa adnotatio, C quæ si probetur, auctorem Germanum plus quam suspectum reddere debeat. Verum enim vero tantum abest a nostro ejusmodi oscitantia, ut ipsemet adeo jus illud Moguntini Radevici verbis enuntiet (57):

> *Ad proceres electio pertinet, in qua*
> *Præcipuam vocem præsul de more vetusto*
> *Moguntinus habet.*

Fictam autem orationem facile concedas, cum apud Othonem Frisingensem ne vestigium quidem habeatur. Et vereor ne ipsa accusatio nostri laudibus accrescat; est enim oratio egregia, et sententiarum ponderibus et verborum concinnitate plane mirabilis. Tum vero nec omnino desunt rationes, cur auctor oratoris personam ignorare potuerit. Agebatur illo ipso electionis tempore tristis admodum D et ingens Moguntini cum suo clero contentio, nonnisi præsulis repudio dimissa (58), ut merito dubites de præsenti principis favore. Forsan et providus auctor religioni duxerit, orationem a se compositam certo principi, adeoque Germanicæ Ecclesiæ primati, inscribere. Cæterum quod sibi velit Senkenbergius cum illa Chunradi delegatione non æque capio. Fridericum enim electione solemni, maximo procerum et universorum suffragiis evectum testatur Otho Frisingensis (59) manifesto satis testimonio. De Chunradi porro delegatione, quam et noster observat (60), suo loco disputabitur. Sed pone quamcunque velis: quidni tandem poetæ cum rerum integro tenore, dum electio spontanea Friderici gloriam augeret, atque ipsemet auctor, spretis anxiæ narrationis legibus, illius tantummodo se præconem ingenue fateatur (61)?

Non parum denique negotii quibusdam (62) fecisse videtur ut Germanum crederent auctorem, operis nitor et summa concinnitas, omnes ævi ac popularium labores infinite exsuperans. Et bene mehercle cum nostro agitur, quando præstantia suspectum efficit, et neque patria nec ætas extulerit parem. Sed etiam exteri non suppeditant, non recentior ætas. Habeat optimos quosque suos æquales et populares nobilissimus exsul; definire nil ausim. Quis enim unquam critices artibus assequatur, quid omni tempore, quocunque loci valeat ingenii dotibus junctus amor?

§ III. *Indicia quædam auctoris Friderico I vel æqualis vel saltem supparis*

Quanquam autem et consummatissimæ critices non sit statuere, quæ quælibet ætas sive tellus ingenia proferre queat, in utriusque tamen inquirere vestigia et datur et convenit. Ac de patria quidem diximus, restat ut ævi nonnulla indicia per ipsos Ligurini libros festino calamo notemus. Missis enim illorum rationibus, qui suos Guntheros prosequuntur, nihil etiam summorum virorum auctoritati tribuendum censemus, quando probationibus opus est. Sæpe mecum ego mirabar scriptores doctissimos, probæque critices amicos, de Ligurini ætate adeo securos restitisse, ut ne levem quidem quæstionem ex plurimis pauci movissent. Puta Conringios, Vossios, Schœpflinos, Saxios, Lindenbrogios, Cangios, Spelmannos, Schilteros, Scherzios, Haltausios, Wachteros, Bunavios, aliosque multos jurium et antiquitatum Germanicarum sospitatores, quos quidem omnes in Ligurinum, velut indubitatam auctoritatem, provocare legimus. Scilicet in litterarum quoque orbe non secus ac in reliquo passim agitur, ut alius alium plerumque ducat. Est autem scrutinii ratio duplex in scriptis veterum, vel enim versatur circa notas, quas vocant exteriores, ut codicum faciem scripturæque signa, vel indagantur librorum argumenta tractandique modi, quorum alter est rerum, dictionis alter. Jam vero codicum absoluta penuria nostræ disceptationis

(51) L. VII, v. 389 sq
(52) Reuberi *SS. rer. Germ.* ed. Joannis, p. 660.
(53) Glossar. v. Caniclinus.
(54) L. I, v. 226 sqq.
(55) Not. ad Ligur., p. 22 sq.
(56) L. c. § 8, p. 161.
(57) L. VI, v. 640 sqq. cf. Radevic. Frising.; l. I. c. 16.
(58) Serrarius, *Rer. Mogunt.*, l. v. (Ed. Joannis v. I, p. 556 sq.) Cf. Otho Fris. de Frid. I, l. II, c. 9.
(59) L. II, c. 1.
(60) L. I, v. 316 sqq.
(61) L. I, v. 124 sqq.
(62) Spiegelium, Pithœum (præfatt. citt.) cumprimis ipsum quoque Senkenbergium l. c., § 2, p. 153; § 6, p. 157.

cardinem in opus ipsum et unum conjicit, et cum in recentiore bono scriptore Latino dictionis indoles parum edoceat, nisi quod forte discas, quibus profecerit, minoris utilitatis quæstione remota, potioribus rerum indiciis pro pagellarum angustia detinemur. Præprimis ea seligimus, quæ auctori quasi inscio et ludenti excidisse videntur, siquidem in minimis optime cognoscitur animus parum sibi constans, et male tecta simulatio. Deinde et propria tantum auctoris secuti, locos quam plurimos omittimus, ubi duces solummodo suos, Othonem et Radevicum, ipsis illorum verbis reddit.

Prima statim operis dedicatione alloquitur Othonem, Friderici imperatoris tertiogenitum, inter alia dicens :

Dubium, puer inclyte, dici
Rexne, comesne velis veterum nam regna potenter
Allobrogum materna regis, regnique decore
Dignus ab excelso nomen deducis Othone.

Hunc locum emendaturus doctiss. Barthius voci *comesne* substituit *duxne*. Scilicet observans mediam inter comitem et regem ducis dignitatem, hanc a nostro veluti per saltum neglectam suspicabatur. Verum sollicitus nimium censor, ut propriæ oscitantiæ, sic alienæ diligentiæ nobile prodidit exemplum. Etenim Otho Friderici filius vere Burgundiæ comes, non dux appellandus. Nusquam illa tempestate Burgundiæ dux, sed rector et comes. Rectoratus autem Burgundiæ penes duces Zaringenses, augustissimæ Badensis familiæ satores, ex quo Rainaldus ille tertius, potentissimus Burgundiæ comes, imperatori Lothario rebellis, proscriptus, dominiis privatus, eique patruus Chunradus dux Zaringensis suffectus, idemque totius Burgundiæ rector imperii vicarius constitutus erat. Exinde perpetua sævissimaque bella, nonnisi Rainaldi fortissimi principis ipsa morte cessatura. Tandem Fridericus imperator ejusdem Rainaldi ex fratre nepti Beatrici nubens, rectori Burgundiæ tunc temporis Bertholdo IV, Zaringiæ duci, dotales Beatricis aliasque plurimas Burgundiæ terras nec juste nec honeste subtractas et suæ familiæ quæsitas Othoni filio subdidit, servato quidem imperii supremo dominio (63). Zaringensibus autem rectoris elogium, vanus utcunque titulus remanserat. Itaque comes Otho Palatinus Burgundiæ, non dux (64), et salvus Ligurini locus inepta critica tentatus ; in re parva tanto majus exactæ fidei documentum.

Eumdem Othonem puerum vocat auctor, puerum ipsum quoque Henricum Friderici primogenitum (65), Romanorum regem et Constantiæ Siculæ maritum. Graviter in illum ob hoc invehitur Senkenbergius (66), formularum ejus ætatis ignorantiam exprobrans, quippe quod puerorum nomine nequidquam veniant viri nupti et in regno parentum socii. Verum enimvero afflcti criminis ipse reus est Senkenbergius, et noster omnino tutus. Ut enim taceam in poetis minus anxie captanda vocabula, frequentius metri numeris condonata, pueros non dici maritos juvenes manifesto falsum est, et ipsa Cangii (67) auctoritate vapulat Senkenbergius. Ille enim regum filios, nulla nuptorum habita ratione, simpliciter pueros appellari disertis verbis et exemplis testatur, utpote pueros κατ'ἐξοχήν, quemadmodum nostros fere principes. Solemnis hæcce formula multorum exemplis probari facile posset, siquidem in re vulgata testimoniis abutare.

Fusius describit auctor (68) illarum regionum tractus, quas imperator post peractam Francofurti electionem, inde Aquisgranum ad coronæ sacra proficiscens, peragravit. In hac autem descriptione, quam vix non omnem ex suo penu poeta adornavit, plura reperias ejus ævi geographiæ quam maxime propria, cumprimis diligentissimam agri Moguntini chorographiam, qualis tunc adhuc cernebatur. Eamdem præterea scriptoris fidem, ingenuam ubicunque rerum faciem exhibentem, vel in minimis deprehendas, quod quidem recentiori difficillimum fuisse, quilibet geographiæ mediæ modo non penitus ignarus ultro consentiet. Sensit et idem ille Senkenbergius, eoque haud leviter turbatus, quæ negari non poterant, ignobili satis artificio in auctorem retorquet. *Majorem*, inquit, *eruditionem hæc spirant, atque illud ævum agnoscit* (69). Simul autem ipse non æque insignis eruditionis specimen ostendit, Ripuariæ terræ vocabulum temporibus istis inusitatum audacter enuntians. Vel enim ex uno Radevico Frisingensi (70), quem noster sequitur, oportebat meminisse

Nativam ævi simplicitatem, nondum felicis rerum cognoscere causas, prodit et illud auctoris ingenuum de Thermis Aquensibus iudicium (71):

Hos illis secreta locis natura vapores
Addiderit, manuumve labor, quæratur ab illis
Qui loca nota colunt : causas secretaque rerum
Majorum fido possunt audisse relatu.

Idem et alibi (72):

Nocte fere media, quo tempore lumina Titan
Opposito præbens, si fas est credere, mundo,
Ex æquo medium noctis discriminat arcum.

Commemorans auctor pietatem Friderici Cæsaris, qui primum in Mediolanenses exercitum ducens, rapinas quasdam suorum in sacras ædes penuria victus commissas, priusquam ultra moveret, corrogatis ab omni exercitu nummis rependit,

(63) Mascov. *Diss. de nexu regni Burgund. cum imper. Germ.* sect. 2, § 1, pag. 21.
(64) Poterat ista Barthius ex alio ipsius Ligurini loco intellexisse. L. v, v. 284 sqq.
(65) L. I, v. 59.
(66) L. c., § 7, p. 159.
(67) Glossar. v. *Puer.*
(68) L. I, v. 375 sq.
(69) L. c., § 6, p. 157 sq.
(70) L. I, c. 14.
(71) L. I, v. 431 sqq.
(72) L. III, v. 630 sqq.

posthabita Frisingensis distincta relatione, dividundæ pecuniæ negotium episcopo et comiti suopte jure demandat (73):

Protinus ex omni collectos agmine nummos
Corrogat, atque viris commissa fidelibus æra,
E quibus hic præsul, comes ille, probatus uterque,
Distribui justa spoliatos sorte per omnes
Imperat.

Otho Frisingensis (74) id negotii duobus episcopis Tridentino et Brixiensi nominatim ascribit, nec ulla prorsus discedendi necessitas, nisi melius edoctum nostrum censere velis.

Repetens una cum Othone Longobardicæ gentis in Italiam adventum, servata veteri orthographia scribit:

Hanc olim bello, quem Scanzia miserat hostis,
Barbarus invasit.

Omnes ab Augustana editiones pro Scanzia Scandia posuerunt, nullo quidem sensus, at bene integritatis dispendio. Nimirum Scanzia legendum cum aliis plurimis ævi medii scriptoribus (75), eoque rursus apparet in minutis diligentia nostri.

Militarem Friderici imperatoris pompam post inaugurationis Romanæ solemnia depingens (76), eumque equo, quam maxime poterat, exornato insidentem, de isto equo quasi ludendo subjicit:

Lucidus e media dependet fronte pyropus,
Lucida multisonis phalerantur pectora bullis.

Bullas autem istas sive campanulas Friderici præsertim ætate frequentissima procerum ornamenta fuisse, quis nescit (77)? Postmodum obsoletæ, tandem adulto fere sæculo XV stolidis et scurris dementiæ insignia relinquebantur (78).

Insigne scriptoris æqualis documentum edidit auctor in accusando Veronensium facinore, qui Fridericum imperatorem ex Italia revertentem insidiis circumvenerant. Funesti sceleris auctor fuerat Albericus eques, nobilis Veronensis, una cum juvenum accita manu; de his ita noster (79):

Albricus cupidus scelerum, cupidusque rapinæ,
Horridus, acer, atrox, ex ordine natus equestri,
Civis erat, Verona, tuus, jurataque turpi
Obsequio, monstrisque novis accita juventus
Cum domino peritura suo.

Hæc, si quid unquam ad ævi genuinam indolem, ubi turpissimum erat equestris ordinis viros civitatum stipendia mereri. Quis enim non videt poetam exemplum in terris Italis haud insolitum Germana mente metiri. Tunc temporis enim Germaniæ nobiles, etiam infimi ordinis, civitatum ejusmodi fœdera quam maxime dedignabantur. Longe res aliter post paulo evenit, cum auctis civitatum opibus, nobilium contra ruentibus, non raro viros equestris ordinis in civitatum vel jura vel stipendia cogeret dira necessitas. Sed neque etiamnum impune concessit illa prisca superbia, siquidem ludorum equestrium consuetudines quemlibet equitem civitatis cujusve stipendiis vel juribus ascriptum ab illis ludis arcebant, donec utrumque desereret.

Optime sibi constat auctor in diversis allocutionibus, quas Friderici Cæsaris nomine vel composuit vel exornavit (80). In his autem non sine cura quadam extollitur regula: Romani regis electionem ad principes pertinere, et universos quidem. Id quamvis non obscure in Romani pontificis fastus et studia dirigatur, præterea tamen insigne reipublicæ Germanicæ momentum enuntiat a plurimis neglectum; electionem scilicet Romani regis non ad Septemviros fuisse restrictam (81). Haud parum hæcce stabilis dictorum fides æqualem et apprime gnarum videtur asserere.

Referens mortem Ekberti comitis ante muros Mediolanenses (82), quasi fortuito meminit pervetustæ Germanicæ consuetudinis, heroum casus et funera carminibus celebrandi:

Cujus et interitum lacrymoso tristia nectens
Carmine Teutonicas deflevit fama per urbes.

Hujus autem Ekberti, fortissimi principis, præmaturum fatum ab universa Germania graviter exceptum et Aventinus (83) affirmat.

Mox circumsessum ab imperatoris exercitu Mediolanum et agminum ordinem ex Radevico describens (84), antiquam Germanorum aciem, tunc temporis adhuc servatam, unius vocabuli transpositione perspicue reddit:

Totaque septenis distinguens agmina turmis,
Ductorem cuneo præfecit providus uni-
Cuique suum.

Nihil Radevicus de cuneis, ut qui peregrinum adeo vocabulum affectans, legiones commemorat, ambigua voce rerum faciem obducens

Disciplinæ castrensis leges ab imperatore procerum consensu in campis Mediolanensibus promulgatas, eodem Radevico duce, missis quatuor postre-

(73) L. II, v. 24 sqq.
(74) L. II, c. 11.
(75) *Gesta Normannor. in Francia*, ap. Bouquet SS. *rer. Gal.*, tom. VI, p. 204. *Histor. Normanner.*, l. I, c. 2; l. II, c. 1. *Ibid.*, tom. XI, p. 623, 626.
(76) L. IV, v. 54 sqq.
(77) J. G. v. Eckhart Erklaerung eines alten Kleinodienkaestleins, etc., § 9, p. 14.
(78) J. C. H. Dreyer v. d. Nutzen des vortreffl. Gedichtes Reinke de Voss., § 2, not. 2, p. 24 sqq.
(79) L. IV, v. 449 sqq.
(80) Exempla habes: l. I, v. 175 sqq.; l. VI, 314 sqq., v, 610 sqq.; l. VII, v. 325 sqq.
(81) Totus in hoc probando versatur Nicol. Cisnerus Diss. cit. Cf. Putter *Reichshist.*, I, 264.
(82) L. VII, v. 483 sq.
(83) *In Elencho rerum Boicarum.*
(84) *Ibid.*, v, 496 sqq.

mis, recenset auctor, quarum una sic habet (85) : A *Miles qui mercatorem spoliaverit, dupliciter reddet ablata, et jurabit quod nescivit illum mercatorem. Si servus, tondebitur et in maxilla comburetur, vel dominus suus reddat pro illo rapinam.* Hæc ita noster (86) :

Institor a nostro spoliatus milite cuncta
Conduplicata feret : maxilla servus adusta,
Vertice detonso, supponet terga flagellis,
Aut erit a domino prædicto more luendus.

Nihil de flagellis apud Radevicum : ne tamen falsam additionem putes. Tonsuram et stigma tunc temporis et flagellatio semper comitabatur, quæ non expressa subintelligitur illius ævi sententiis (87).

Et de ætatis quidem indiciis hactenus : calamum B sistere jubet pagellarum modus, dum insequenti adnotationum volumini plura, suis quæque locis majori cum pondere dicenda remittimus

§ IV. *De tempore scripti operis quale idipsum præ se ferat, et auctor an rebus interfuisse censendus?*

Ligurinum non esse compositum ante tricesimum quartum Friderici imp. annum manifesta librorum testimonia evidenter ostendunt. Atque primo statim limine Friderici filios allocutus, Henricum, Romanorum ac Italiæ regem appellat (88), alio loco (89) commemorans ejusdem nuptias cum Constantia Sicula; denique et Beatricis Burgundicæ, Friderici imp. uxoris, obitum deplorat, quem scriptorum plerique anno 1184 vel 1185, Spirensis au- C tem inscriptio monumenti (90) anno 1190 contigisse tradunt. Henricus equidem anno jam 1169 Friderico patre procurante Romanorum rex Bambergæ electus (91), quadriennis adhuc puerulus; at rex Italiæ coronatus anno demum 1184 (92), et Constantiæ nuptus anno sequenti (93), vel quod aliis videtur anno 1186 (94). Cum ista temporis definitione, quam non inepte paulum laxaveris, optime conveniunt alia plurima momenta, ut auctorem sibi penitus constantem reperias. Ita de nuptiis Henrici regis (95) :

. . . . . . *Uti tandem tempore nostro*
Æternum veteri finem positura querelæ,
Nobilis e Sicula tibi, rex Henrice, veniret
Nupta domo, gemini pax et concordia regni. D

De Turego, Helvetiorum, Arnoldi Brixiensis dogmata post viri supplicium tenacius adhuc servante (96-97) :

Unde venenato dudum corrupta sapore
Et nimium falsi doctrina vatis inhærens
Servat adhuc uvæ gustum gens illa paternæ.

Arnoldus autem Turegi docuerat annis fere 1140-1145, tantaque temporum distantia et vi verborum sustinetur.

Item de legibus feudorum, quas imperator in Roncaliis anno 1158 communi procerum utriusque regni consensu tulerat (98) :

Mox de communi feudorum jure, quod illa
Perspicuis nondum scriptis expresserat ætas,
Has dedit, et scripto jussit notescere leges.

Senkenbergius quidem in hoc ipso loco duplex νοθείας argumentum invenit (99). Primum in communi feudorum jure, quam ille loquendi formulam Friderici temporibus longe recentiorem contendit; alterum in verbis : illa ætas. *Quis enim*, inquit, *unquam de suo tempore dixit : illa ætas?* Nimirum non vidit castigator cupidus annorum XXX intervallum. De voce communi vero plane futilis objectio. Quid enim poetæ cum fori formulis? quodve νοθείας indicium, si quamlibet ipsius formulam post usus fori receperit? Quo demum alio vocabulo debuit jus illud significari, quod procerum utriusque regni suffragiis constitutum, communi utrosque vinculo astringeret?

Quapropter non nisi tropice intelligendus est auctor, ubi sub finem operis (100), post Friderici imperatoris alteram in Mediolanenses expeditionem, scribit :

Et nunc pauca quidem, sacræ quæ sanximus aulæ,
Carmina sufficiant, et respirare poetam
Ad tempus liceat, dum bellica signa quiescunt,
Grataque dimissus bello fovet otia miles.

Hujus enim expeditionis annus convenit octavo Friderici Cæsaris et manifeste repugnat iis, quæ modo nobis indicata sunt. Equidem dicam quod rei est : concludit ac desinit eodem illo tempore Radevicus Frisingensis, et suo duce noster destitutus, ficta penuriam intermissione tegens, cum dignitate recedit. Ne vero candorem simul atque probitatem desideres ingenioso satis artificio continuandi propositum subnectens, non obscure fatetur, quando scripserit, sibique optime constat :

Mox ubi sollicite revocatus in arma redibit,
Nos quoque belligeras acies, et castra petentes,
Interrupta novo repetemus cœpta labore :

(85) Radevic., l. I, c. 26.
(86) L. VII, v. 273 sqq.
(87) Ch. Ulr. Grupen *Observat. rer. et antiquit. German.*, Halæ 1763, p. 128 sq.
(88) L. I, v. 56 sqq.
(89) L. V. v, 416 sqq.
(90) Lehmann, *Chron. Spirense*, l. VII, c. 11, p. 648.
(91) Otto Sanblas., *Chron.* c. 21. *Chronicon Reichersperg.* ad ann. 1169.
(92) Sigon., *De regno Ital.*, c. Ant. Saxio, l. XIV (Opp., t. II, p. 823, ed. Murator.).
(93) Baron., *Annal. eccles.*, ad h. a., § 11. Pagi ad Baron. h. a., § 14, 15, 17.
(94) Sigon., l. c., p. 827, cf. Saxii adnot. (3). Diversa specie testimonia facile concilies, dum anno priori sponsalia, sequenti vero nuptias ascripseris.
(95) L. V, v. 416. Hunc autem Henricum omnino studiis prosequitur suis, industrie captans materiam laudis, ut non immerito clientem putes.
(96-97) L. III, v. 310 sqq.
(98) L. VIII, v. 590 sqq.
(99) L. c. § 10, p. 162 sq.
(100) L. X. v. 604 sqq.

Cunctaque summatim, superet modo vita sequentes, A
Continuo quodam suscepta negotia filo,
Propositi memores ad tempora nostra trahemus.

Fridericum denique imperatorem Ligurino superstitem ex eo colligas, quod auctor præsentem alloquitur (1), nihilque opus contineat illius ævo recentius. His autem aliisque invicem commissis, non nisi postremos regni annos, adeoque 1186-1190 Ligurino assignare poteris. Idem dicendum de Solymario, quem ipso poeta teste (2) vix quinto ante Ligurinum mense editum comperimus. Quo magis mirere summam viri facundiam et styli facilitatem, quæ tantos tamque egregios brevissimo spatio labores absolvit.

Motam præterea nonnullis quæstionem, num auctor ipse rebus interfuerit; ex prædictis partim testimoniis, partim ex alio ejusdem singulari negaveris, dum ille sub finem (3) disertis verbis :

Me quoque non armis sed carmine castra secutum.

Nec audiendus omnino Philippus Melanchton, qui poetam in obsidione Mediolanensi Friderico Imp. quomodo Scipioni seniori Ennium, juniori ad Carthaginem Polybium adfuisse, ut reliqua ferme omnia, sibi temere fingit.

§ V. *Operis ratio, scriptoris auctoritas.*

Errorem sane haud levem erraret, qui Ligurinum, vel specie formæ vel eruditorum elogiis inductus, ut carmen proprie epicum persuadere sibi vellet. Est enim totum opus nihil aliud, quam librorum Othonis et Radevici Frisingens. *De rebus gestis Friderici I Aug.* Περίφρασις poetica. Exorditur cum electione Friderici, sive cum Othonis Frisingensis libro secundo, desinens cum Radevici penultimo capite, sive cum altera Friderici in Mediolanenses expeditione, annorum octo res gestas decem libris complexum. Auctor vero, licet pressis plerumque vestigiis illos duces sequatur, non tamen anxie nimis in his agit, et sublatis hinc inde, quæ non ad rem facere videbantur, variis illa rerum figuris et imaginibus compensat. Nimirum historici Frisingenses nonnulla diplomata, de momentis præsertim ecclesiasticis, verbotenus inseruerant, quæ quidem egregia suis locis, heroico carmini non conveniunt. Hæc et minora quædam noster, unus Friderici laudibus intentus, et moræ velut impatiens, prætermisit. Atque ipse eas scribendi rationes luculenter exponit (4) :

Qui scripsere prius cupientes ordine certo
Historiæ servare fidem, non pauca videntur
Inseruisse suis (liceat modo dicere) chartis,
Quæ neque Cæsareos augent vehementer honores,
Nec contexta rei, sed tanquam adsuta cohærent.
At nos, si quid erit pulchrum minus, eximiumque
Vel quod ad egregios non multum Cæsaris actus
Pertineat, veri nihil adjectura decoris
Sponte relinquentes, tantum potiora secuti,
De multis modicam nitemur condere summam,
Claudendumque manu forma breviore libellum
Ad demulcendas conflare legentibus aures,
Ac velut e pleno, decerptis floribus, horto
Principe digna suo breviter compingere serta.

Sequitur inde nec alia nec nova tradere auctorem voluisse, tantum Othonis et Radevici libros in compendium quasi redacturum, et præter formæ nitorem nil sibi meriti tribuentem. Etenim ipse modeste subjicit (5) :

Ut, quem forte parum male cultus sermo movebit,
Hunc saltem structura pedum, versusque canori
Detineant, sitque hic aliquid laudabile nostrum.

B Debuerant ista, siquid unquam, retinere Senkenbergium, qui tamen eo usque petulantiæ processit, ut ipsam auctoris fidem insimularet, immodice culpandi studio veris falsa commiscens (6). *Ubique,* inquit, *cum Ottone Frisingensi et Radevico ambulat. Ubi hi breves, noster solito concinnior. Ubi latius se diffundunt, nihil nostrum, quo minus pariter exspatietur, moratur. Ubi exordium capiunt, et id noster sequitur. Ubi desinunt, nec nostro amplius scribendi materies. Et tamen hunc suum libellum fictitius ille Guntherus post nuptias Henrici postea VI cum Constantia, imperatori Friderico, regiæque genti, se obtulisse scribit. Egregie certe de magno imperatore, studiorum elegantiorum perito, qui ipse vitam litteris mandare jusserat propriosve commentarios eum in usum suppeditaverat,* C *meriturus, si versibus Ottonem tantum et Radevicum, et quidem, quod ipse fatetur, resque docet, non paucis omissis expressisset; atque id vicennio post, quam horum libri lecti jam probative erant. Exstabant sane tempore nuptiarum Henrici VI cum Constantia magis illustria Friderici facta, quam illa quæ noster describit, excidium nimirum Mediolani inprimis, quod, si civitatis potentiam consideres, ad omnem sane posteritatem memorandum est. Unde haud dubie gratiam initurus non erat, qui apte satis descripta recoquere tentasset, nova et illustriora omisisset. Recordor equidem ipsum impostorem dicere* (7) :

Continuo quodam suscepta negotia filo
D Propositi memores ad tempora nostra trahemus.

Sed hoc est illud ipsum, quod imposturam tegere debebat. At satis infeliciter, cum nostra tempora vix dicere conveniat scriptori ejusdem ævi, quique viventis et spirantis res describat, nec se postea demum natum profiteatur.

Hæc ille. Quam parum autem captionibus ejusmodi dialecticis veritas ipsa juvetur, nemo non videt. Ac primo quidem aperte falsum esse, quod

(1) L. I, v. 19 sqq.; l. X, v. 60, sqq.
(2) L. X, v. 650.
(3) L. X, v. 576 sqq. Quæ a quibusdam l. IV, v. 607 sq., dicta huc in censum afferuntur, ea saltim ex Othone Frisingensi transsumpta sunt. (L. II, c. 27.) Non advertit hoc vel astute suppressit Senkenbergius, dum auctorem oscitationis trahere conatur. (L. c., § 8, p. 160.)
(4) L. I, v. 125.
(5) L. c., v. 152 sqq.
(6) L. c., § 5, p. 156.
(7) L. X, v. 613.

auctor ubique cum Othone et Radevico vel incipiat A vel desinat, exemplarium comparatio, librorum numerus docere quemlibet potest, et aliis quoque super exemplis monstravimus. Tum vero inanis admodum et insulsa cavillatio, Ligurini scriptorem Friderici Cæsaris regiæque familiæ gratiam haud meriturum fuisse, nil nisi acta agentem. Ut enim taceam operis diversam omnino rationem, virorumque doctissimorum omnis ævi suffragia; quid si tandem familiæ regiæ seu potius aulæ desideriis Ligurinum noster concessisset? Atque Fridericum certe imperatorem laudis et famæ cupidissimum vel una commonstrat ejus epistola Frisingensi perscripta (8), cui præcipua rerum a se gestarum documenta transmiserat. Eumdem post viri sanctissimi obitum Radevici canonici Frisingensis officia B sollicitasse, monet itidem scriptoris illius epistola, Palatii duumviris inscripta (9), Utrumque principis desiderio, sed et prudentis probique viri officio satisfecisse, luculentis præstantissimi libri testimoniis perhibent. Iidem vero, graviori stylo exarati, rerum verborumque ponderibus magis, quam artis elegantia sermonisve lepore commendantur. Præterea Friderici laudibus non ubique favet virorum ingenuus candor, neque etiam potuit salvo rerum tenore. Quis autem unquam heroum suum Homerum non amat, non odit sanctam nimis veritatem? Quid mirum, si vel ipsius Friderici, vel amicorum studia faciliorem facinorum præconem exoptaverint? Et ecce! præsto fuit Solymarii so- C lertissimus auctor, Chunradi patrui præconiis probatus, Augustæ familiæ devotus. In promptu materia, eaque non rudis, sed ad stylum digesta et docilis occupanti. Haud absimile, ni fallor, scribendi consilium ipsemet noster indicare videtur, dum assentandi propositum festiva quadam simplicitate prodit, vituperationem veluti deprecaturus. Et sane cum his egregie conspirare putes dicendi formulas, perbreve tempus et festinationis ac tædii non rara vestigia, denique quod ultra fines paratæ materiæ non processerit.

Monet hic ipse locus dictorumque ratio, paucis agere de argumentis in singulos Ligurini libros, quæ editio princeps Augustana uno in loco præmissa exhibet. Sunt autem illa totidem singula D versibus composita, quot libris universum opus constat, nimirum δεκάστιχα. Ejusmodi sane lusus bene convenit sæculo XII, res ipsa non caret exemplis. Ita sæculo jam III, Herennium Modestinum JCtum singulis Æneidos Virgilianæ libris argumenta δεκάστιχα præfixisse legimus, argumenta quoque suis libris .nmuerunt Gualterus, Jos. Iscan, Devonius, Guilelm. Brito, sæculo XII fere æquales. Est autem in illis Ligurini summa disparitas; priora septem cum rebus traditis, tum auctoris etiam dictioni sat bene concordant; contra reliqua corruptissima, nec solum librariis imputanda, nec ulla arte sananda (10). Vel enim rerum tenorem, vel vocabula spectes, vel denique dicendi modum; Ligurini certe nusquam auctorem agnoveris. Priora semper, ut oportet, in præsenti rem ponunt, apparet fida gestorum series, et metri consona concinnitas: postremis falsissima rerum momenta (11), monstrosa vocabula, præteriti frequens cum præsenti conjunctio, denique et nomine Ligurini compellatus auctor (12). Postremus hicce inepti versificatoris (quisquis ille fuerit) error, suspicionem cl. Pithæo moverat (13), in sola cæterum Augustana obvius (14). Miror ista simulasse doctissimum Rittershusium (15), adeoque proposito non stetisse, restituendi argumenta ad fidem principis editionis. Reliquæ omnes editiones singula singulis inscripserunt. — Igitur septem priora δεκάστιχα auctoris vere crediderim, quippe quod nulla νοθείας indicia, quin imo duplex adhuc rei fides. Etenim ex illis dubius Ligurini locus (16) (ex argumento quinti) percommode restituitur; tum vero et ipsa intermissio nostrum vel fatis abreptum, vel alio quocunque modo prohibitum non obscure probare videtur.

§ VI. *Eruditorum in Ligurinum testimonia.*

Optimum quidem pro Ligurino testimonium fateberis opus penitus inspectum; ast nihilominus ego doctorum quorumdam insignium judicia referre mearum partium reor. Etenim e litteratis haud pauci alieno arbitrio feruntur, atque etiam non injucundum videtur, diversa sæculis ac regionibus virorum sensa contueri. Monendum tamen, in iis placitis rationem et ævi haberi et patriæ, tum vero stylo cujusque ac ingenio nonnulla condonanda. Sic inter primos Chunradus Celtis (17):

Cedo libens, Ligurine, tuis, doctissime, scriptis:
Et genua et plantas, Celtis, adoro tuas.
O felix tantum nactus, Friderice, poetam
Qui tua grandiloquo carmine gesta tonat.
Proximus est vati, quem Mantua docta creavit,
Et qui Pompeii et Cæsaris arma canit.
Nec Stilico tantum vel Honorius aut Majoranus,
Nec qui Scipiadas Sporciadasque sonat:
Per freta nec tumidum qui cantat Jasona vectum
Æaciden, vel qui Thebaidenque notat:
Gesta ducis Macedum totum vulgata per orbem
Qui colit, Heroicis cedat et ille tuis.

(8) Præfixa est Othonis Fris. libro I. *De reb. ges'. Frid.*
(9) Eadem præmissa Radevici libris.
(10) Witholius quidem restitutionem promiserat, sed viri jactantia omnino insignis. Nonnulla tentavit cl. Vonckius adversa penitus fortuna.
(11) Argum. l. VIII et IX.
(12) Argum., l. X, v. ult.
(13) Præfat. cit.
(14) Nimirum Spiegellius Ligurini proximus editor ingeniose magis quam recte lectionem transmutavit, quem reliqui sequebantur.
(15) Notæ in Guntheri Ligurinum, p. 9, adeoque proferre non dubitat: *Quid vetet, quin ipsum Guntherum pro auctore habeamus, non video.*
(16) L. V, V.
(17) Ad Ligurinum carmen post Præfat. Ed. August.

Gaudeat hoc nostro bellax Germania vate
Teutonicum tanto qui canit ore decus.

Jacobus Cujacius et Franciscus Hotomannus celeberrimi sæculi XVI ICti, iique in omnibus ferme aliis rebus invicem æmuli, Ligurini tamen in laudes amice conspirant. Et ille quidem viginti plus locis ejus auctoritate nititur, alicubi testatus : *Melius eum nonnulla feudorum capita explicare, quam tota feudistarum fæculenta cohors* (18). Hic *poetæ nobilissimi* et *eximii* nostrum aliquoties elogio deprædicat. — Gerard. Vossius (19) *omnino poetam pro sæculo suo magni ingenii atque etiam elegantem et Apollinarem alitem compellat*. Justus Lipsius, *poetam spiritus et ingenii haud spernendi, imo ut illo ævo mirandum*. — Marquardus Freherus in Chunradi Rittershusii de Ligurino edendo consilium rescribit (20) : *Institutum tuum, mi Rittershusi, in Gunthero recensendo et illustrando intellexi et vehementer probo : certe ille auctor ultra ævum illud, imo et gentem elegans, et famu hilariore quam hactenus dignus*. Ipse Rittershusius, Ligurini sospitator (21) : *Inter paucos qui supersunt (ævi med. scriptores) præcipua dignatione eminet Guntherus, qui res suo ævo domi forisque fortiter et sapienter atque magnanimiter gestas a maximo et optimo potentissimoque imperatore Germanici nominis Friderico I, cui a barbæ colore Ænobarbi vel Barbarossæ cognomen fuit, carmine supra quam sæculum suum ferat elegante, bonoque et erudito descripsit, secutus filum Othonis antistitis Frisingensis et continuatoris ejus Radevici, ejusdem Ecclesiæ canonici, ad quos etiam, velut fontes, ipse alicubi operis sui non obscure lectores remittit.... Cum autem vel ex argumento operis ejusdem solent dignitas ac præstantia æstimari, vel ex modo ac forma tractandi : et vero hic de rebus gestis Friderici Ænobarbi agatur, qui tantus et talis, qui pace belloque tam inclytus princeps fuit, ut sub eo non injuria aureum quasi sæculum rediisse videatur ; idque nec vulgariter, sed omnibus adhibitis ornamentis et luminibus orationis : potestne cuiquam esse obscurum, quanti ab omnibus noster hic Guntherus fieri mereatur?* — Gaspar Scioppius (22) eumdem salutat : *Vatum poetam Franciorum principem* (23), *per quem poetam Franciæ Germania debere primum cogitur faterier*. Janus Dousa (24) his fere verA bis (25) utitur : *Les critiques conviennent que Guntherus est un poëte de grand génie et de beaucoup de feu, qui faisait trop d'honneur à un siècle qui n'était pas assez fin pour savoir faire le discernement de son mérite*. — Caspar Barthius (26) : *sane omnino melior poeta est, et spiritum habet prorsus insignem, quo cæteri id genus (ævi medii) destituuntur, adeo que plus laboris, quam ingenii afferre videntur, ubi cum illo in comparationem ducuntur*. Idem alio loco (27) : *Omnes medii ævi poetæ longissime infra hunc Germanum sunt. Laudabatur præ cæteris Galterus : compone unam paginam, videbis æra in hoc, in illo lupina*. — Petrus de Mexia eques Hispanus, in fine Friderici Barbarossæ : *Guntherio insigne poeta, quem escriveo in versus heroicos*. — Henrico B Stephano (28) *nobilissimus et eximius poeta* vocatur. — Hermanno Coringio (29) : *Felicissimus sæculi XII poeta, Friderici Cæsaris ævo dignus*. — Jo. Frid. Gronovius (30) : Guntherus *poeta est primus, quos scimus Germanorum ex Helicone perenni fronde coronam retulisse*. — Meric. Casaubonus (31) : *Poeta, prout barbari sæculi captus erat, perelegans*. — Olaus Borrichius (32) : *Respectu ætatis, qua Guntherus scripsit, ejus dictio plane magnifica, compositio docta*. — Adr. Baillet (33) : *C'est un poëte merveilleux pour le temps, et j'ignore sur qui se fondent ceux qui disent qu'il était moine... Outre le grand talent qu'il avait pour la poésie, il avait eu soin pour cultiver son style, et de le rendre assez élé-* C *gant, pour donner de l'agrément à ses vers*. Denique Hieronym. Gundling (34) : *Ordinem regis eligendi antiquum Guntherus et fuse et perspicue descripsit. Quod carmen ut omnes rerum Germanicarum studiosi repetitis vicibus perlegant, optandum*.

Unanimis hisce doctorum suffragiis unus obstrepit Lilius Gyraldus : *Opus quidem*, inquit (35), *tale, quale illa ferre potuit ætas, canorum et volubile, sed inconcinnum et circumfluens, et quod saporem scribentis et scripti refert vernaculum*. — Gravis ille profecto judex, modo ut librum legisset. Verum hercle vero tantum abest, ut ne viderit quidem. Etenim idem ipse paulo post (36) : *Exstat et Ligurini de Henrico Ænobarbo, hoc est Barbarossa. Exstat et Guntheri Germani opus duodecim libris digestum car-* D *mine heroico, quibus Frederici Cæsaris gesta continentur, quos si legere vacet interdum ad levandos*

(18) Hanc vero laudem Frisingensibus cedere comparatio docet.
(19) *De poet. Latin*., p. 254, ed. cit. de *Histor. Latin*., p. 136 ib.
(20) Reuberi *SS. rer. Germ*., edit. Joannis, p. 414.
(21) Præfat. in suam edit.
(22) Ad calcem edit Rittersh., p. 207.
(23) V. supra § 2. col. 267.
(24) Præfat. altera *Annal. Batavor*. carmine scriptor.
(25) Interprete scil. Baillelio, cum ipsum adire non detur.
(26) *Adversar*. p. 2340 sq
(27) In notis msctis a Fellero congestis et Geo. Christi. Joannis communicatis. v. Reuberi *SS. rer. Germ*. Præfat. Joannis, p. 411, 414.
(28) Ad Saxon. Grammat. *Hist. Dan*., l. II.
(29) Epistol., p. 303. *Antiquit. acad*. diss. 6.
(30) Ad Nicol. Heinsium. *Sylloge epistol. a viris illustr. script*., ed Burmann., tom. III, p. 4.
(31) Not. in Polyb., p. 171.
(32) *De poetis Latin*., diss. 2, p. 88.
(33) *Jugements des Savants*, tome III, p. II, n. 1209, p. 336 (ed. Amstel.)
(34) *Gundlingiana Fascic*. VI, observ. 2, § 27, p. 185.
(35) *Histor. poetar*., dial. 4, p. 247. (Ed. Lugd., 1696, fol.)
(36) L. c., dial. 5, p. 307.

ætatis, quosdam quasi Lucani poetæ spiritus sub cœlo Scythico spirare videatis, tumentes scilicet et inflatos. Scripsit præterea hic Vitam divi Cyriaci eodem pene carmine circa annos Christi 1100. Ecce ridiculas hominis oscitationes et quasi deliria : Ligurini de Henrico Barbarossa, Guntheri duodecim libros de Friderici Cæsaris gestis, horum denique scriptorem circa annos 1100. Nimirum agebatur de scriptore mediæ ætatis, adeoque Germanico, scilicet Scythico : ad hæc fere sua composuit gentili fastu Gyraldus

§ VII. *Codicum Ligurini msctorum defectus ejusque causa probabilis.*

Prima mihi omnium atque potissima hanc editionem paranti cura fuit, ut in exstantes uspiam codd. Ligurini msctos inquirerem, sæpe mecum miratus, cur ne vel unum quidem priorum editorum res ea maximi momenti sollicitum fecerit. Læta studiis auspicia pollicebantur præcipuæ temporum rationes, plurimæ scilicet eæque ditissimæ bibliothecæ publicæ, codd. msctorum infinita multitudo, novissimis mutationibus longævo situ excitata et quasi redempta, tum vero possessorum ac antistitum humanissima liberalitas et insignis litterarum favor. Nec mora, simul adivi celeberrimas bibliothecas, Romanam Prisco-Vaticanam, Viennensem, Parisiensem, Monacensem, denique San Gallensem ac Turicensem Helvetiorum. Et hic mihi cumprimis iterandæ publicæ grates viris elogio meo majoribus, quorum officiis integerrimis, quanquam non id quod optaverim, tamen eam demum certitudinem assecutus sum, ubique cod. msctum Ligurini nequidquam reperiri. De Viennensi quidem affirmare non ausim, dum adhuc silentio potius quam certo responso stare detur, minus facilem experto virum alias litterarum antiquo-germanicarum amore laudatissimum Fridericum Schlegelium. At vero deluso spes melior illuxit, cui tutius acquiescam ; nec deerit occasio, publicis usibus inferre quidquid olim obtigerit.

Interea dum ex illis locis amicas litteras exspectarem, omnes egomet, quotquot nancisci poteram, codd. msctor. catalogos evolvi : Lambecii, Labbei, Montisfalconii, Reiseri, Sinneri aliosque quamplures una cum quibusdam bibliothecarum privatarum cimeliis illustrium. Frustra diu investiganti tandem in manus inciderunt : *Catalogi libror. msctorum Angliæ et Hiberniæ in unum collecti* (37), et inibi (38): *Cataloqus ll. msct. Eduardi Bernardi*, ostendens (39) sub rubro : *Libri Latini cum veteribus exemplaribus collati : Guntheri poema de Barbarossa*, nemini quod sciam, adhuc observatum. Atque illico quidem diversæ cogitationes mentem subire, inventi gratiam augere. Nimirum auctorem Ligurini natione Anglum credebam, ipso principis editionis elogio persuasus. Quid? quod piæ vanitatis aliquid suspicabar in illa magnifica Chunradi Celtis inscriptione : *apud Francones in silva Hercynia et Druydarum Eberacensi cœnobio*. Poterat ista vir summus suopte ingenio addidisse favoris aut pretii gratia; siquidem illi præsertim ætati non adeo rarus titulorum splendor et multis nominibus excusandus. Quinimo poterat ipsis Druydarum Eberacensis cœnobii vocabulis, forsan in codicis fronte conspicuis Chunradus Celtis induci. Etenim Eboracum Angliæ monasterium (40) haud inepte Druidarum elogio gaudere possit, quos ex Anglia primum advenisse, gravissimo teste Julio Cæsare (41) comperimus; Franconica autem tellus Druidarum Germaniæ præcipua sedes antiquitus celebratur. Deinde percommode simul respondebatur Senkenbergii dubio non prorsus inani circa locum inventi codicis, utpote quem non vidisse miratur Joannem Trithemium Monast. S. Jacobi Herbipolens. vicinum abbatem, eumque Franconiæ bibliothecarum solertissimum scrutatorem. Accedebat porro nobilis Ligurini locus (42), anglici regis ad Fridericum imperatorem datas litteras ac dona manifesto quodam studio circumscribens atque exornans. Explicabatur denique Ligurini locus alter, idemque omnium longe difficillimus, ni peregrinum scriptorem adeoque longinquum admittas, quem quidem valde miror, doctissimos viros, quotquot in Ligurinum aliquid ediderunt, omnino fugisse.

Scilicet annum suscepti a Friderico regni millesimum centesimum quinquagesimum quartum expressis numeris designat Ligurini scriptor (43). Hunc autem annum aperte falsum esse, duorumque spatio restringendum, cuivis in *Histor. Germ.* vel obiter tantum versato communi scriptorum testimonio liquet. Quomodo hoc æqualem fugere poterat vel supparem? quomodo Germanum aut imo Italum? Non equidem ignoro chronologicas illius ævi difficultates et summam æqualium in computandis annis discrepantiam, vel in ipsa Friderici imp. historia luculento exemplo conspicuam, videlicet celeberrimæ illius curiæ Moguntinæ, quæ Friderici Cæsaris primogenitum Henricum regem Germanorum imperatorem salutavit (44). Neque etiam ignoro primum ipsius Friderici regis annum a quibusdam peregrinis quinquagesimum tertium perhiberi, quinimo domestico, Joanni Nauclero (45). Nullus autem omnino scriptorum habet annum 1154,

(37) Oxon. 1595, 2 voll. in-fol.
(38) Tom. II, p. 227.
(39) N. 1507, 155.
(40) York.
(41) *De Bello Gall.*, l. VI, c. 13.
(42) L. VI, v. 168 sqq.

(43) Ligur. l. I, v. 167 sqq.
(44) Curiam istam solemnem ac frequentissimam nonnulli æqualium anno 1181 alii 1182, alii denique 1184 ascribunt. de Bunau Leben und Thaten Friedrichs I, p. 285.
(45) Chron. l. c.

præter unum Viennensem cod. msctum Othonis Frisingensis *De reb. gest. Friderici I Aug.* (46). Ejusmodi codicem, si non eumdem præ oculis habuisse Ligurini scriptorem, librarii lapsum bona fide secutum, dubitari vix potest.

Hæc si quis forte contulerit cum illo principis editionis epilogo (47) : *Ligurinus . . juventuti Germanicæ. . . præbitus primo Viennæ per Chunradum Celtem :* et si virum noverit poetices laude sui ævi facile principem, tunc vero gravissimæ suspicionis impetum peræegre sustinebit. Atque ego lubens fateor aliquantulum laborasse ; sed hæsitantem revocabat ipsius codicis antiquior facies : *Vetustate et ferme carie absumpti exemplaris.* Ita diserte testantur primi editores (48). Ecquis autem ferat viros illos celeberrimos, fama nobiles, morum integritate laudatissimos in fraudem una conspirasse ?

Habes igitur quæ Germanum aut Italum æqualem suspectum reddant ; recentem minus probabilem ; habes quæ peregrinum eumque Anglum commendare possint, adeoque Anglici quasi codicis interpositam fidem. Sed codex ille (modo ut talem existimes), haud magni adhuc momenti faciendus. Ut enim taceam nondum visum atque expertum, detinet cumprimis inscriptum Guntheri nomen et recentiorem arguit editione prima, licet proinde non temere damnandum.

Causam præterea summæ codicum penuriæ plurimis deperditorum exemplis facile tueare, præsertim cum in eam argumentum, et potiori quidem jure, transtuleris, quod illustr. Rittershusium editionum raritati apposuisse legimus (49). *Bonum scilicet auctorem suppressum ab iis, qui veritatis lumen oculis suis irradians nec minimis nec maximis in rebus ullo modo ferre possunt, quique, quantum in ipsis est, abolere student ex omni memoria hominum, quidquid forte ipsorum cupiditatibus et dominatui adversatur.* Quamcunque vero defectus rationem admittas, certe νοθείας indicium inde frustra quæsiveris. Et cave nimium tribuas illi Senkenbergii adnotationi, quæ quidem tanti non est, ut Eboraci adeo Francorum inventum codicem omnino neges. Quid ? quod idem ille Trithemius anno demum 1506 Herbipolim abbas concesserat, adeoque plures post inventum codicem annos ; tum etiam idem edito Ligurino XII annorum vita superstes et inquirendæ veritati commodissime positus, nusquam dubium deinceps movit, ne dum aperte contradixit. Cur in catalogos non retulerit auctorem, non adeo captu difficile. Scilicet intellexerat forte Ligurini vocabulum, et inde personam ignorans, nec libro de viris illustribus neque de SS. ecclesiasticis inserere potuit. Atque etiam tantine Trithemii silentium in catalogis ? Nonne idem præteriit Dithmarum Merseburgensem, scriptorem celeberrimum ? Et ubi nunc est codex ille Dithmariani chronici præstantissimus Antuerpiensis olim Leibnitio traditus, cujus ne vestigium quidem diligentissimo Dithmariani chronici editori Jo. Aug. Wagner hac ætate nostra indicari poterat (50) ?

Tandem id unum conjiciendo non assequor, cur in commerciis illius ævi litterariis de Ligurino ne vocula quidem occurrat. Qualiacunque enim eruditorum judicia fuerint, indicata saltem exspectares. Movebat me præ cæteris altum silentium in epistolico commercio Udalrici Zasii ICti famigeratissimi, principibus ejusdem ætatis viris, adeoque et illis necessitudine juncti, qui Ligurinum vel ediderant vel suis in eum lectionibus illustrabant ; Hieron. Baldungio, Henrico Bebelio, Jacobo Philomuso, Chunrado Peutingero, Jacobo Spiegellio. Totam ejus editionem (51) alioquin præstantissimam, perlegi, de omnibus aliis ejus ætatis memorabilibus, de Ligurino nequicquam edoctus. Hæc mihi qui cum eruditorum moribus ac ævi indole componat, erit magnus Apollo !

Quidquid postremum statuas de codicum penuria ; absolutam adhuc definire nequis. Donec autem fortunæ favor ubicunque tale quid excitaverit, spes melior pendet ex Anglia, et ibi quidem, uti nunc est rerum publicarum facies, aliquanto pendebit.

VIII. *Editiones.*

Primam ac principem editionem Augustinam, Ligurini conservatricem eamque rarissimis omnino bibliothecarum cimeliis ascribendam luculentius indicabimus.

Inscriptio tituli singulari folio non datur, ut in libris fere solet, sed codicum more præfationem præcedit. Legitur autem prima fronte :

Ligurini de gestis imp. Cæsaris Friderici primi Augusti libri decem carmine heroico conscripti nuper apud Francones in silva Hercynia et Druidarum Eberacensi cœnobio a Chunrado Celte reperti, postliminio restituti.

Æternitati et amori patriæ ab eodem consecratum.

Sequitur statim editorum præfatio s. epistola ad lectorem, quam supra præmisimus. Altera folii pagina legitur in fronte : *Ad Ligurinum* (*Chunradi Celtis*) *carmen* idem illud nobis exhibitum (52). Mox *Incipiunt argumenta in decem libros Ligurini*, quibus hæc folii pagina cum utraque secundi insumitur, nisi quod finitis II argumentis iterum legitur : *Epigramma ad Joannem Rymannum per universam Germaniam librarium et bibliovolam C.* (*hun.*) *C.* (*eltis*) *Car.* (*men*)

(46) Muratori *SS. rer. Italicar*, tom. VI, p. 699, not. 1.

(47) V. supra, pag. 261.

(48) Sub finem editionis, in fronte catalogi emendandor.

(49) Præfat. in Ligurin.

(50) Præfat. cit.

(51) Udalrici Zasii *Epistolæ* ad viros ætatis suæ doctissimos. Edid. Jos. Ant. Riegger Eq. ICt. Friburgi et Ulmæ 1774. 8m.

(52) V. § 6, col. 280.

« *In nostras terras Latius Græcusque character*
Jam venit studio, culte Ilymanne, tuo ;
Pro quo condignas tibi dat Germania grates,
Et referet laudes hic et ubique tuas. »

Cum folio tertio demum exorditur opus ipsum Ligurini ; duabus lineis inscriptum litteris majusculis : *Incipit liber primus Ligurini de gestis imp. cæs. Friderici primi Aug.* Eadem inscriptio cuique sequentium ll præfigitur, nusquam autem finis indicatur verbo : *explicit* vel simili. Totum absolvitur foliis LXXV, et justa folii LXXV altera pagina clauditur, subjuncti librarii, loci et anni indiciis, d. l. nobis itidem transscriptis. Hæc autem subscriptio, solum operis Ligurini, non totius editionis fini apposita, ideoque nonnullis prætervisa plures peperit errores. Ac primo quidem omnes Ligurini editiones, quarum sine loco et anno hinc inde mentio injicitur, Augustanæ censendæ, dum testimonium illud scriptoribus, in fine ultimi editionis folii quærentibus apparere non potuit. Augustanæ porro censendæ, quæ sub anno 1567 quibusdam (53) notantur, numero nimirum tertio 0 in 6 scriptoris cujusdam oscitatione mutato, quem alii temere secuti sunt. Librarii denique nomen editionis Rittershus. mendo in *Veglinum* corruptum legitur.—Folii LXXVI prima pagina omnino vacua, folium ipsum singulariter videtur impressum, est enim glutine reliquis adjectum. Secunda ejusdem pagina legitur epistola Chunradi Peutingeri dedicatoria, eaque superscripta : *Dn. imp. cæs. Maximiliano augusto Conradus Peutinger Augustanus felicitatem.* Clauditur illa justa folii LXXVI hac altera pagina, deinde cum prima folii sequentis LXXVII sequitur uno quasi contextu *Friderici I imp.* epistola ad *Othonem Frisingens.* integra, qualem prologus libror. Othonis *De reb. gest. Frid. I* exhibet ; ut adeo folium illud LXXVI unius Peutingerianæ dedicationis, forte tardius exaratæ, gratia impressum videatur. Finitam prima fere folii LXXVIII pagina imperatoris epistolam excipit : *De ortu, genere et posteris imp. Cæs. Friderici primi aug. Conradus, Peutinger, Augustinus ad lectorem.* Finito media folii LXXIX brevissimo commentariolo sequitur index emendationum sub epigraphe : *Errata libri primi Ligurini partim incuria impressorum partim vetustate et ferme carie et blaptis absumpti exemplaris. Orthographiam diligens Lector observa.*

Integra duo folia cum dimidio catalogus hic erratorum explet, ipse mendis plurimis labefactus, ut ubique species artis infantiam, quacum editorum et correctorum diligentia frustra luctata intelligitur. Alioquin typus, ut illo tempore perelegans, litteræ

A neque pingues nimis, neque graciles, atramentum vivi coloris, chartæ species densa, probe limata, lævigata, atque pulchræ omnino albedinis ; forma, quam vocant in folio, justissimæ proportionis. Denique pro more sæculi nusquam paginarum numeri, custodes aut signaturæ ; norma vero q. v. librorum tantum numerum observat, ut uni folii paginæ vocabulum : Liber, alteri libri numerum constanter inscriptum reperias.

Exemplari, quod in usum hujus editionis nobis benigne concessit liberalitas antistitum bibliothecæ Friburgensis, prima pagina post præfationem subscriptum legitur : *Dn. Jacobo Heinrichmanno* (54) *Conradus Peutinger Augustanus dono mittit.* Quo
B quidem testimonio primi ac principis editoris haud parum augetur pretium nitidissimi hujus exemplaris, quod paucos ante dies prelo subtractum reputes, nisi eadem ista pagina, forte longius obnoxia, levem rubiginem contraxisset, reliquis omnibus intactis. Præterea plurimas adnotationes ascripsit, nec illas indoctas *una* manus, quam tamen Peutingeri ne censeas, monet alia forma litterarum et atramentum plane diversum. Peutingeri littera pinguissima, contra gracilis adnotationum, adeoque ductus omnino discrepant. Sola folii LXXVIII, pagina prima Peutingerus omissam vocem in suapte dissertatione de Friderici ortu, genere, etc., supplevit, iisdem plane litteris ac eodem atramento quibus in fronte ille ipse usus erat. Cæterum adno-
C tationes istæ, vel Heinrichmanni vel alterius, in primis copiosæ libro I et II, sequentibus rariores, in libro VI subsistunt. Eadem denique manus majusculis litteris Ligurini titulo, quasi typum imitata, superscripsit : *Guntheri Alemanni clarissimi poetæ*, quæ verba deinde excipit impressus Ligurini titulus uno veluti contextu, ut auctorem de Ligurini vocabuli significatione penitus recte sensisse perspicias. Postremo non indignum notatu duxerim, haud paucas harum adnotationum Rittershusii conjecturas præoccupare, qui quidem alio Augustanæ exemplo, Henischii medici August. adnotationibus instructo, sese usum esse profitetur (55).

Secunda editio Argentorati apud Joann. Schottum una cum Bartholini *Austriade* prodiit, in-
D scripta :

Guntheri poetæ clarissimi Ligurinus, seu opus de rebus gestis imp. Cæsaris Friderici I Aug. lib. X absolutum. Richardi Bartholini Perusini Austriados lib. XII Maximiliano Augusto dicati. Cum scholiis Jacobi Spiegellii Selest. V. C. 1531. *fol.*

Falso quibusdam anno notatur 1551, scriptorum oscitatione prognato ; tum etiam Selestadium,

(53) Caveo et Oudino ll. cc. Oudinus præterea locum Argentoratum suopte ingenio affingit. Obripuit error iste duplex et cl. Maittairium (*Annal. typogr.*, t. I, p. 742. Ed. Amstel. 1733) ac ipsum hæsitare fecit diligentiss. G. Panzerum (*Annal. typogr.*, t. I, p. 67) ad Maittair. provocantem.

(54) De hocce Jacobo Heinrichmanno celeberrimo Grammatico et Gymnas. Tubingensis præceptore, qui anno adhuc 1560 Augustæ Vindelicor. post exantlatos scholæ labores fere centum annorum venerabilis senex degebat, v. Burckard. *De l. Lat. in German. fatis*, t. I, p. 290 · t. II, p. 415, 417, 419, 421.

(55) Præfat. fol. 6. b.

Spiegellii patria, in officinæ locum errore simili mutatum legitur. Copiosis utrumque librum adnotationibus instruxit Spiegellius, iisque historicis, geographicis, ethico-politicis, theologicis atque etiam grammatico-philologicis. Nihilominus ipsum Ligurini textum, ultra quam credi fas est, neglexit, vitiis adeo manifestissimis relictis. Argumenta singulis libris primum singula addidit, exemplo parum commendabili, sed reliquis imitato. Typus, ut illo ævo, satis elegans, idemque rarioribus annumerandus.

Tertia editio est Petri Pernæ, bibliopolæ Basileensis anno 1569 cum præfat. Philippi Melanchthonis.

Hanc egomet nondum vidi, adeoque frustra adhuc exploravi, cum in ipsa præstantissima bibliotheca Goettingensi non inveniatur. Attamen exstare nullus dubito, gravissima testium auctoritate persuasus. Visa nimirum et manibus tractata doctissimo Rittershusio, qui sibi dono concessam a Joachimo camerario medico Norimberg. diserte memorat (56). Junctam Othonis Frisingensis et Radevici libris indicat Dav. Clement (57). Quomodo vero differat a sequenti, nusquam reperio, nisi quod eodem illo teste Frisingensium libri post Ligurinum addita videantur. Equidem unam eamdem utramque crediderim, divisis bibliopolæ vel industria vel obsequio exemplaribus, ut eo magis commendarentur pro diversa virorum favore; aut etiam honoris gratia, quem utrique deferre, sui commodi fecisse potest.

Quarta editio anno eodem eadem ex officina profectá sequenti sub titulo conspicitur.

Ottonis episcopi Frisingensis Leopoldi Pii marchionis Austriæ F. Chronicum, sive rerum ab orbe condito ad sua usque tempora gestarum libri octo. Ejusdem de rebus gestis Friderici I Cæs. Aug. libri duo. Radevici Frisingensis canonici de ejusdem Frid. gestis libri II, *prioribus additi. Guntheri poetæ Ligurinus, sive De gestis Friderici libri* X. *Addita sunt et alia, cum ad Friderici, tum ad posteriorum imperatorum historiam pertinentia, quorum catalogum proxima pagina notavimus. Ex quibus quædam nunc primum, reliqua integriora longe quam antea eduntur, adjectis etiam notis et indice accurato. Basileæ apud Petrum Pernam* 1569. *Non sine Cæs. majest. privilegio, fol.*

Indicem adversa tituli pagina exhibitum sequitur P. Pithœi epistola Jacobo Cujacio IC. scripta, post illam ejusdem Pithœi de Ottone, Radevico et Gunthero judicium, quod præfationis loco positum et nos hoc elogio appellavimus. Tum vero index capitum in Ottonem et Radevicum, quem intermisso folio vacuo excipiunt eorumdem libri cum appendice vetusti scriptoris in Radewinum (scil. Radevicum), quo quidem clauditur iste tomus. Intermisso deinde altero folio vacuo sequuntur septem impressa folia, sed illa paginarum numeris non distincta. Continent supplementa quædam et varietates lectionis in Othonem et Radevicum, e codicibus per M. Flacium P. Pithœo transmissis, quorum unus antiquissimus insigne prorsus additamentum præbet in historiam comitum Schirensium, præsertim Othonum de Wittelspach, cum doctissima Pithœi adnotatione. Hisce finitis paucissimæ exhibentur viri illustris in Ligurinum emendationes et adnotata quædam ad Albertum Argentinensem; subjungitur brevis deprecatio de promissis et non datis uberioribus in Ligurinum adnotationibus, quarum vice, ad explendum ternionem illis a bibliopola relictum, Conradi vetus et bene notum Chronicon rerum Moguntiacarum substituitur. Intermisso denique iterum folio vacuo sequitur, nullo inscriptus titulo, Ligurinus, post Alberti Argentinensis chronicon, cum adjecta Cuspiniani in illud epistola, denique index rerum et verborum, qui tamen ad Ligurinum et Albertum Argent. nequidquam pertinet. Illi duo singulare veluti volumen constituunt, singulari quoque paginarum serie distinctum. Et de promissis quidem adnotationibus ipse Pithœus : *Statueramus autem*, inquit, *ampliores notas aut potius conjectanea addere, quibus juris veteris Gallici Germanicique aliqua non satis vulgo nota, potissimum vero dignitatum officiorumque ac militiarum origines progressusque, quantum quidem in nobis esset, brevissime explicaremus. Sed cum nos hinc preli currentis properatio, aliud tum nescio quid agentes, premeret, inde suborta quædam privata eaque magis necessaria occupatio avocaret, rem jam penitus mente conceptam, in aliud tempus differre coacti sumus.* Dolendum profecto virum peritissimum, aliis curis abstractum, eas maximi momenti materias illustrare non potuisse; modo ut serio rem actam ab illo constaret. Ex ipsis autem illius verbis haud obscure intelligitur Pithœum, quæ mente conceperat, actu faciliora reputantem, eruditorum non insolito more, propositis ac promissis plus æquo indulsisse. Videas nimirum integrum ternionem bibliopolæ fiducia pollicitis relictum, postmodum aliis explendum. Quid? quod adeo viginti septem annorum editioni superstes ille fidem non liberavit.

Quintum Ligurini typum promulgavit Justus Reuberus consiliarius palatinus in Collectione SS. rerum Germanicarum Francofurti apud hæredes Andr. Wecheli 1584, fol.

Nihil in hac editione, nisi verbotenus receptum universum Jacobi Spiegellii volumen, una cum omnibus omnino vitiis. Reuberianam hanc editionem, alias nitidissimam, quam primam nos appellamus, sub falso quibusdam (58) anno 1582 notari scias; deceptis videlicet indicio Rittershusianæ. Non-

(56) Præfat. fol. 6. b.
(57) L. c. p. 326.
(58) Christi. Neu Mentissa ad Degorei Wheari *Relectiones hiemales*, sect. 110, p. 130. Leyser, *Hist. poet. med. ævi*, p. 790.

nulli (59) de tertio quodam Reuber. collectionis tomo fabulantur, qui nunquam prodierat.

Sextam, eamque omnium longe præstantissimam editionem adornavit Conradus Rittershusius, et ecce titulum :

Guntheri Ligurinus seu de rebus gestis imp. Cæs. Friderici primi P. P. Aug. cognomento Ænobarbi, sive Barbarossæ, libri x. Opus non solum poetis lectu jucundum, sed et historicis et politicis et aulicis, ad deliberationum, consiliorum, legationum, orationum et epistolarum exempla ; jurisconsultis quoque ad juris feudistici cognitionem utile in primis ac necessarium. Cunradus Rittershusius, JC. recensuit : quinque editionibus inter se collatis mendas hinc passim plurimas gravissimasque tam lectionum, quam distinctionum sustulit : notis illustravit ; et accurato rerum ac verborum memorabilium indice nunc primum locupletavit. Tubingæ, apud Georgium Gruppenbachium 1558, *in*-8°.

Adnotationum singulare volumen annum ante comparuit, cique titulus inscriptus :

Notæ in Guntheri Ligurinum, auctore Cunrado Rittershusio, JC. profess. Norico. Ad nobiliss. et eruditiss. D. Joan. a Bredow, Eq. Marchicum. Tubing. typis Georgii Gruppenbachii, an. 1597, in-8°

Audiamus ipsum celeberrimum editorem de causis et rationibus hujusce suæ editionis verba facientem (60) :

Equidem (ut de me pauca dicam, deque occasione qua ad istam editionem parandam sum delatus) cum adolescens in scholis jurisconsultorum elegantium (cæteris enim tantum est cum bonis auctorib. et litteris, quantum cani cum balneo) aliquoties in explicatione doctrinæ feudalis audivissem laudari hunc, quem dixi, Guntherum ; produci etiam aliquot elegantes ejus versus ad exornanda et illustranda quædam in illo jure feudorum, satis alioquin barbare et infeliciter descripto : sensi me sæpius magno accendi desiderio videndi legendique totius auctoris, qui quam esset bonus, in promptu erat ex illis, quæ proferebantur, particulis æstimare, ex ungue leonem, quod dicitur. Sed quod nunquam ille commoda forma editus, qua vero editus erat, ea nusquam venalis reperiretur, exemplaria Guntheri a me et commilitonibus frustra tum quidem requirebantur. Tandem cum paucis adhinc annis in eum incidissem, sic avide eum diligenterque lectitavi, ut qui diuturnam sitim explere cuperet. Multa inter legendum, quæ mihi forte in mentem veniebant, ac vel ad emendandum vel ad illustrandum hunc scriptorem videbantur pertinere, ad oram libri mei adnotabam : eaque quæ adnotassem ita temere, atque ut quidque sub acumen styli venerat, postea inter describendum novis subinde accessionibus augebam. Tandem etiam, accedentibus præsertim clarissimorum virorum adhortationibus, incentivo etiam addito per nobiliss. et eruditiss. Christophorum Pflugium Eq. Misn. cœpi de nova aliqua Guntheri editione procuranda cogitare, et quidem ejusmodi, quæ pluribus usui esse posset, measque illas adnotatiunculas, quas magni aliquot viri non inutiles neque contemnendas judicabant, adjunctas haberet......

Idem in Præfatione.

Hic igitur tantus et tam præclarus scriptor, cum debuerit perpetuo sinu gestari, et manibus teri, lectitarique ab omnibus, propter uberem ac multiplicem fructum, qui inde ad omne hominum genus, maxime qui imperium Romanum, sive potius Germanicum agnoscunt, redundare potest : adeo tamen male acceptus et habitus fuit, ut me ad commiserationem fortunæ suæ commoverit. Non solum enim multis sæculis ignorabilis latuit, sed etiam deinde cum liberali manu assereretur, et in lucem ex squalore et tenebris carceris producere ipsius carmen, et plurimis illud mendis turpificatum fuit, et auctor pene de suo nomine periclitatus est. Nam cum a Cunrado Celte Protucio, qui primus post renatas bonas litteras Germaniæ poeta exstitit, codex manuscriptus Augustam Vindilicorum allatus esset, comitateque Cunradi Peutingeri JC. et aliorum quorumdam nobilium et eruditorum virorum liberalitate procuratum, ut typis describeretur ; tum vero Ligurinus, quod auctor operi indiderat, ipse scriptor vocitatus est : eumque errorem complures postea etiam docti errarunt, dum Ligurinum pro Gunthero laudant..: Non tuli diutius indignam hanc Guntheri fortunam, et post priores illos duos Cunrados, quibus vitam ac lucem debet, tertius ipse superveni, ut essem ei vindex et assertor, accedentibus præsertim aliquot magnorum virorum adhortationibus, quibus me satisfacere posse optarim. .

Ego tandem, qui consilium auctoris animadvertissimum, voluisse videlicet ipsum conflare

Claudendum manibus forma breviore libellum :

hoc est Enchiridion scribere, sequendum id mihi arbitratus, auctor fui typographo, ut hunc auctorem minori forma tandem recuderet. Sed et propter mendas, quæ in prioribus editionibus omnibus plurimæ ad hoc temporis resederunt, omnino aliam duxi necessariam editionem, ex qua illæ, quoad ejus fieri posset, eluerentur. Quanquam autem pleraque errata, quæ hinc sustuli, talia fuerunt, ut a quovis non oscitante neque indocto lectore deprehendi potuerint, neque mihi magnam inde vel ingenii vel acuminis laudem tribui postulem ; tamen hunc scriptorem diutius tam depravate circumferri, ferre aut dissimulare non potui. Ita nescio qua cupiditate accensus sum, adornandæ hujus novæ editionis, cui peculiarem librum Notarum adjunxi, in quibus non modo emendationum ratio redderetur, sed etiam res nonnullæ,

(59) Valer. Andreas, Casim. Oudinus, ll. cc.
(60) Epist. dedicat., fol. 2, b. sq. Præfat. fol. 4. a. b, fol. 7, a.

et formulæ atque sententiæ insigniores illustrarentur.

Hæc ille, et jure quidem. Primus enim communi doctorum judicio Ligurini libris priscum veluti nitorem restituit, notisque plurimis, eruditione plenis, operæ fructum adauxit, raro ac nobili studiosæ critices in sequiorem exemplo. Gravis ubique dictorum ponderibus, dives exemplis, observator eximius; verumtamen potior in grammaticis. Reliqua minus excellunt; nonnulla disjuncta, quantumvis doctissima. Multus præsertim in quæstionibus theologicis, in regulis ethicis atque politicis pro more sæculi. Tum etiam Romanæ jurisprudentiæ nimium sedulus assertor, plurima Germanarum consuetudinum capita cum illa perperam commiscet, non æque gnarus disciplinæ prisco-domesticæ. Quandoque neglecti Ligurini fontes (61). Ipsa denique parum commoda editionis οἰκονομία. Quærentem crebro molestat notarum in capita distinctio, cujus nullam omnino rationem perspicias; deinde frequens earumdem cum operis textu discrepantia, qua fit ut sæpissime emendationem in notis legas, quam in textu redditam frustra quæsiveris. Et de librorum quidem argumentis jam supra diximus (62); ipsemet autem Rittershusius notarum volumini præfatur: *Argumenta, quæ in aliis editionibus libris præfixa sunt, curavimus uno in loco imprimis initio ante ipsum Guntheri opus, secuti auctoritatem editionis primæ et antiquissimæ Augustanæ.* Bene scilicet istud, modo ut factum invenias. Hæc aliaque, cum primis nominum orthographiam, Augustanæ non solum, sed etiam auctoritatibus refragantem, cum viri diligentia perægre concilies, nisi textus et adnotationum diversas editiones in causam admiseris, adeoque Rittershusium alienis negotiis impeditum, dum Ligurinum prelo subjiceret. Neque enim in plurimis mentem mutasse, neque temere sibi contradixisse credi fas est, cum ne vestigium quidem desertæ sententiæ in præfatione reperiatur.

Septimum Ligurini typum exhibet recusa Justi Reuberi *SS. Germanicorum Collectio, Hanoviæ ex typographeo Wecheliano. sumptibus Danielis et Davidis Aubrii et Clementis Schleichii* 1619, *folio* (63).

Iterata tantum editio quinta eaque nec aucta nec emendata. Secunda nobis audit in adnotationibus.

Devenimus ad octavam eamque ultimam adhuc Ligurini editionem, ejusdem collectionis Reuberianæ denuo recusæ curante Georgio Christiano Joannis. Francof. ad Mœnum 1726, folio. Inibi pag. 407 :

Guntheri poetæ clarissimi Ligurinus, sive De rebus gestis Cæsaris Friderici I A g. libri x. *Cum scholiis et adnotationibus Jacobi Spiegelii, Conradi Rittershusii et Gasparis Barthii.*

De suis in Ligurinum curis ipsemet Georgius Christi Joannis (64) :

Paucis exponam, quid in nova hac editione opera mea præstitum sit. Enimvero cum recognoscendis his Guntheri libris me dedi, editionem secutus sum Rittershusianam, quippe optimam; ut tamen, quod ad argumenta librorum, quæ junctim ille, simulque initio operis imprimi curarit, Spiegelii Reuberique, qui singula singulis præfixere libris, presserim vestigia. Dein suasu virorum quorumdam, ut litteratum, sic munerum ac meritorum gloria amplissimorum, notas Rittershusii Spiegelianis inserui, quod et raro admodum inveniantur, et tamen luculentæ prorsus sunt, ut merito Vossio (65) *audiunt et Sagittario* (66), *doctissimæque, ut Struvio* (67). *Inserui autem non eas modo, quas doctissimus auctor olim Gunthero subjecit, ac an.* 1597. *Tubingæ edidit, sed illas etiam, quas postea margini exemplaris sui adlevit; consultissimus vero vir, multisque nominibus non de academia solum Altdorfina, in qua jus canonicum et publicum magna nominis sui celebritate profitetur, sed de universa etiam re litteraria meritus Eucharius Gottlieb Rinckius, benevole mecum communicavit; quin, præter has Casparis quoque Barthii manuscr. quas nobilissimus Fellerus olim hunc in finem contulit; paucas quidem numero, easque breves admodum, quæ tamen auctorem interdum emendant, interdum luce aliqua perfundunt. Ut autem noris, quæ cujusque sint, Spiegelianas lit. Sp. Rittershusianas lit. R. Barthianas lit. B. ubique apposita notavi.*

Verissima quidem omnia, quæ vir celeberrimus de suis in Ligurinum laboribus hicce profert. nec erit qui Reuberianam hanc editionem inde præstantiorem longe redditam inficietur. Modo omnes omnino Spiegelii ac Rittershusii adnotationes tanti non duxisset, ut illas integras adderet. Aucta hinc sine fructu voluminis moles et lectoris incommoda. Quippe quod textus veluti cymba in Oceano, ita in notis natat, oneratque potius lectorem quam juvat. Præterea de suis parum aut imo nihil addidit Joannis, qui singulari profecto studio vitam omnem atque doctrinam in id semper impendebat, ut aliorum fæces purgaret atque nomen efferret. Quomodo vero Rittershusii textum a se adhibitum dicat, non facile capio (68), siquidem ille argumenta ab Rittershusio uno ordine, simulque initio Ligurini præfixa monet, quod manifesto falsum ostendimus. Quod reliquum est, virum clarissimum eadem bona fide Rittershusii tam ipsius monita, quam aliorsum petita, translulisse deprehendi, quo factum est, ut nonnullos quoque Rittershusii errores, ipsasque mendas typothetæ transsumpserit.

(61) Insigne oscitationis ejusmodi exemplum habes in not. ad lib. IX, v. 55 sq. Cf. Radevic. Frising., l. II, c. 9.
(62) Col. 279.
(63) Præfat. edit. sequentis p. 2.
(64) Præfat., p. 413 sq.

(65) *De historicis Lat.*, edit. cit., p. 254.
(66) *Introd. in Hist. eccles.*, c. 24, § 39, p. 629.
(67) *Biblioth. hist.*, c. 7, § 14.
(68) Tamen præ oculis habuisse vel ex hoc intelligas, quod corruptum Œglini typographi nomen accusat.

Subjungere lubet huic editionum catalogo nonnulla de duabus aliis, quæ lucem non aspexerunt. Primam earum serio meditatus erat vir solo nomine laudatissimus Joannes Fridericus Gronovius, celeberrimus apud Lugdunenses historiarum et eloquentiæ professor. Quæ quare successum non habuerit, ipsius verbis (69) audiamus:

C. Rittershusius cum notis Tubingæ ante quadraginta fere annos eumdem (Ligurinum) publicavit. Constitueram ego quoque aliquando in honorem nostræ gentis, tum, quod etsi vitia sui ævi non effugit, apparet tamen in eo et vis ingenii et imitatio optimorum poetarum: ne dicam de historia, in quam cum Othone Frisingensi et Raderico ille unicus est: ne dicam, quod artes aulæ papalis prodit pulcherrime, Cæsarisque majestatem et jus asserit, ut non intersit boni publici istum scriptorem perire. Est autem corruptissimus adhuc et plurima jam notaveramus, anno præcipue cum Amsterodami ejus mihi copia esset. Sed bonum factum quod consilium illud abjeci; quæ enim de hoc scriptore nostraque opera judiciorum ludibria fuissent apud eos, quibus Silius Statiusque, postquam nos illis non male fecimus, viluerunt. Isthoc pretio omnibus omnino manus abstineamus, ne cum illos recensuerimus, ut recenseantur jure habeantur indigni.

Ecce paucorum superciliis ingens damnum illatum Ligurini profectibus atque rei litterariæ!

Alteram eamque speciosam quidem sæpius annuntiaverat (70) famosus in accademia Duisburgensi eloquentiæ professor Joannes Hildebrandus Withofius, cujus titulum transcribo:

Guntheri Ligurinus cum commentario, notis et emendationibus. Accedunt integræ Rittershusii et Pithœi, tum excerptæ Spiegelii nec non selectæ Barthii, Lipsii, Casauboni, Heinsii et aliorum observationes.

Prelo parata jam ipso anno 1730, cur quadraginta post annis, quos ille Withofius ferme superstes, publicata non fuerit, haud facile dictu, ne dicam captu, reputares. Certe Withofium in eam rem plurima contulisse probat editum illud specimen, quod quidem post annos viginti quatuor iterum excusum, singulari sane exemplo ne litterula quidem auctum, quin imo cum ipso mendarum eodemque catalogo repetitum est. Jam vero si specimen illud et auctoris commentandi modum inspexeris in alia quæque semper evagantem, ominis causam assequeris. Nimirum singulos Ligurini libros ista methodo circumscriptos in spissa volumina debuisse excrescere, ut Ligurinum in Ligurino perægre invenisses. Hæc autem divinatio non admodum difficilis, absque dubio bibliopolas, quanquam illis temporibus operum volumina foventes ipsumque adeo eruditorum favorem amovisse videtur. Sic ingentes illæ minæ in vanis elogiis conquieverunt, atque operis Dædalei solam vidimus inscriptionem.

§ IX. *De sparsis variorum in Ligurinum curis.*

Scriptorem majoribus nostris tam charum nec solum doctis et academiis, sed etiam, imitabili prorsus instituto, per Germaniæ gymnasia lectitatum, duorum fere sæculorum spatio typis octies evulgatum, eruditorum curas multiplices expertum esse, dubitari non potest. Id vero stupendum pene favoris exemplum, ubi plurimos nil nisi Græca vel Romana crepasse novimus, quod simul in causa potissimum censeas, quæ maximam partem ejusmodi curas intra schedam continuerit.

Ex iis autem, quas publicis usibus vel præbitas vel destinatas accepimus, omnium primo loco habendæ sunt adnotationes doctissimi sæculi XVII polyhistoris Casp. Barthii. Exiguam sane partem exhibent, quæ lucem adhuc viderunt, adversariorum libri LX, eamque minus illustrando Ligurino, quam aliis ex illo scriptoribus, inservientem. Alias itidem paucissimas debemus nobili officio Felleri erga Geo. Christi. Joannis, quas ille suis locis apposuit. At vero ditissimam segetem in subductis adversariorum CXX libris msctis latuisse, testibus idoneis comperimus; quos inter cumprimis appellandus Christianus Daumius, æqualis et familiaris, de iis ita locutus (71):

Gunterum poetam cum notis marginalibus totum jam olim oppleverat nondum tamen in « tres » illos tomos præter quæ in I. librum animadvertit, omnia exscripsit. Totus autem « centesimus octogesimus liber adversariorum » libro Gunteri secundo dicatus est; his verbis incipiens, quæ exscribam, ut garrulitati meæ, nec minus fidei satisfaciam: « Gunterum Germanici stirpis et nominis scriptorem, poetam sequiorum omnium longe præstantissimum, recensere exorsi, ad librum ejus secundum progressi sumus. »

Obsoleta penitus exinde schedarum Barthii memoria, nostris hisce temporibus fortuita eruditi Gallici de illis quæstione resuscitata est (72). Et faustis ea quidem auspiciis, cum desideratissimum illud bibliopolæ Lipsiensis Friderici Rochii commercium litterarium paulo post institutum, quæstionem denuo susceptam strenue prosequeretur (73). Nec dubitandum, quin ad certa demum

(69) Epist. Nic. Heinsio scripta in sylloge epistol. a viris illustrib. scriptar. ed. Burmanno, t. III, pag. 4.

(70) Leipziger neue Zeitungen von gelehrten Sachen a. d. J. 1730, n. 23, p. 203 sq. — *Miscellan.* Duisburg., fasc. I, p. 142. Withofii specimen in Guntheri Ligurinum., Duisb. 1731, in-4° 1755 in-4° passim.

(71) *Epist. ad Reinesium in*: Thomæ Reines I Epist. ad Christ. Daumium ed. J. A. Bosio, Ienæ 1670, 4, p. 77, 78.

(72) *Allgem. Litterar.*, Anz. 1797, n. 151, p. 1557 sq.

(73) *Allgem. Litterar.*, Anz. 1798, n. 74, p. 763 sq. — 1799, n. 182, p. 1815 sp., n. 199, p. 2016 sq. — 1800, n. 205, p. 2016 sq. — 1801, n. 180, p. 1729 sq.

indicia multorum consilia perduxerint, ni fatis iniquis optimum illud institutum auctoris funere concidisset. Siquidem eo perventum jam erat, ut velnti digitis ulterior investigandi modus monstraretur, et valde etiam suspicor, magni cujusdam nominis eruditi famam haud parum periclitatam fuisse, si res ultra processisset. Gravissimi ponderis indicium postremo suggesserat ipsemet ille Fridericus Rochius, candore nobili simul ac temperato. Nam quanta cupiditate non minus ac impudentia quidam eruditi Barthii posthumis inhiarint, in ipso præstantis viri statim funere observatum est, eoque notabilis Daumii locus (74) :

Barthii τοῦ μακαρίτου (*cras sepeliendi*) Adversariis *imminuerunt jam dudum, si non sagaces at retentrices invita nobilissima Vidua manus. Ea nimirum sibi assertum ivit Matthæus von der Lage, sed publice ea restituere coactus, voto Epicedium meum deproperatum, at postea aliqua emendatius transmissum corrigendi, haud satisfecit.*

Adnotationum itaque Casp. Barthii, præter paucas illas editas, deflenda adhuc jactura est. Pars minor quidem in Adversariis, quas ad CLXXX modo librum continuatas, eumque Ligurini secundo denuum dicatum percepimus; reliqua maxima in schedis, ni forsan alterutrum aliquando protrahatur. Earum quæ vidimus brevissimæ omnes, plerumque nudæ, sæpius audaces, haud raro felices, aliquoties temerariæ et sola memoria profluentes. (75), ut ferme subitæ. Nimirum Barthius ingenii ac judicii acumini et immensæ doctrinæ de suis optima quæque debet, meditationibus parum. Hinc quoque non aliis, tantum suimet, exemplum, ac omnino viris accensendus, quos quidem rectius suspicias quam imiteris.

Feruntur et Lipsii, Casauboni et Heinsii, summorum virorum in Ligurinum emendationes, quas quidem omnes videre nondum contigit. Meminit illarum unus, quem sciam, Withofius, in illo titulo nuntiatæ editionis. Frequens illi cum doctis Batavis, in primis Burmanno præceptore commercium, A et cum studiis eorum familiaritas, quæ editarum æque ac ineditarum ejusmodi adnotationum copiam fecisse potest, et vereor ne virorum illustrium conjecturas quasdam, ut aliorum, occuparit. Egomet autem, ut saltim illis uti quandoque liceat, monstrante manu cujusdam eruditi nostris laboribus faventis, vehementer optarim.

De ipsius Withofii in Ligurinum specimine, quod ad formulas ac editiones jam diximus. Exstant autem et aliæ viri doctissimi in Ligurinum conjecturæ, quibusdam ab illo editis quasi ludendo dispersæ. Ita locum Ligurini felicissime emendatum legimus, *Orationi in memoriam confessionis Augustanæ* (76) subjectum. Plurimas autem, ipso teste, seorsum (77) exhibitas, precibus publice prolatis B huc usque frustra deposcimus. In conjiciendo Withofius non raro felix, quantum quidem assequi potuit acumine vel memoria veterum; idem vero mediæ latinitatis non admodum gnarus, et in ipsis Ligurini fontibus nequidquam versatus. Inde factum ut auctori aliquoties affingat contra indolem ejus ævi, nimirum cuncta pene revocans ad normam antiquæ venustatis, quod critices modum excedentis vitium et in aliis advertimus, eoque de corruptissimo Ligurini textu nimias querelas magnam partem existimes. Grande præterea supercilium, audacia petulans (78) et inverecunda temeritas in judicandis aliis. Denique non paucas emendationes a Pithœo, Rittershusio, Barthio præoccupatas invenimus, easque singulis restituendas putavimus. C Quippe quod Withofii temporibus octava jam editio pridem innotuerat, eumque fortuito convenisse neque probari possit, neque adeo censeri.

Recentissimæ, quas novimus, in Ligurinum conjecturæ sunt Corn. Valerii Vonckii. Exiguus autem earum numerus et rarius acumen, ut, si tres quatuorve exceperis, reliquæ depravent potius textum quam adjuvent, neque omnino ego doctissimi auctoris et illustris cum illo Saxii judicio subscribam : plures perinde maculas Ligurini libris fuisse abstersas.

(74) L. a. p. m. 223.

(75) Exemplum habes in Adversariis- d. 1259, ubi : Gunterus non ineptus poeta, l. III, v. 220 :

. . . . . *vix hæc stimulatus Apolline toto*
Vel Maro vel magnus fatis æquaret Homerus.

Ita legendum, cum *factis* perperam edatur. — At vero nulla prorsus editionum neque *factis*, neque *fatis*; omnes omnino *verbis*, ut ipse Barthius alio reddit (Advers. p. 2529).

(76) Duisburgi 1727, fol.

(77) Kaiser Friedrichs erdichtete Kopftretung, ganz neue Beweisthümer nebst einer Stelle aus Günther. vier Stücke. Duisburg. Intelligenzbl. 1737, n. 5 sq. Funfzehn Discurse von den vornehmsten Thaten und Verrichtungen Kaisers Friedrich Barbarossa, nebst Ausbesserung vieler merkwürdigen Stellen aus Guntheri Ligurino. Ibid. 1747.

(78) Audacissimum criticum appellat van Staveren in *Miscellan. observat. crit. novis.*

FRIDERICI I. IMP. AUG. PARENTES ET FILII.

Fridericus de Buren. — *Hildegardis*

Otho Episcopus Argentinensis.

Fridericus I, de *Buren*, tum de *Stauffen*, Comes in Suevia, post Sueviæ Dux. Uxor: *Agnes F. Henrici IV*. Imp. post mariti obitum nupta *Leopoldo IV*, Austriæ Marchioni.

Ludovicus, Comes Palatinus.

Chunradus.

Adelheidis.

Fridericus II. Monoculus, Luscus, s. Cocles, Sueviæ Dux. patri succedens. Uxores: 1) *Juditha F Henrici Nigri* Bavariæ Ducis et *Wulfidis* Billungæ Saxonicæ. 2) *Agnes F. Friderici* Comitis de Saarbruck.

Chunradus Dux Franconiæ Herbipolensis, tum regni Italiæ invasor, demum Germaniæ Rex hujus nominis *tertius*. Uxor: *Gertrudis F. Berengarii* Comitis de Sulzbach.

---

1 *Fridericus III.* Sueviæ Dux; post Germanor. Imperator hujus nominis *Primus*. Uxores: 1) *Adelheidis* s. *Adila*, Fil. *Diepoldi de Vohburg*, repudiata: nupsit *Diethoni de Ravensburg* Ministeriali. 2) *Beatrix* F. unica et hæres *Rayaldi III.* Burgundiæ Comitis, et *Agathæ* Lotharingicæ

1 *Juditha* s. *Bertha.* Uxor *Matthæi* Ducis Lotharingiæ.

2 *Chunradus* Comes Palatinus Rheni. Uxor: *Irmengardis* F. *Bertholdi* Comitis Henneberg, et *Berthæ* Palatinæ Saxonicæ.

2 *Claritia* s. *Juditha*, Uxor: *Ludovici* Ferrei Landgravii Thuring.

Henricus puer elect. Germaniæ Rex mortuus superstite patre.

Fridericus Dux Sueviæ dictus a sede *de Rothenburg*. Uxor: *Richenza* s. *Richsa* F. *Henrici Leonis* Saxoniæ et Bavariæ Ducis et *Clementiæ* de Zæhringen.

Henricus Imperator hujus nominis *sextus*.

Fridericus IV. Dux Sueviæ, mortuus in obsidione urbis Acaron in Syria.

Otho Palatinus Burgundiæ.

Chunradus D. Franc. Herbipol. post fratrem *Frider. IV.* D. Sueviæ Obtruncatus in oppido Durlach.

Philippus D. Tusciæ et t. Mathildinæ Defuncto F. Dux, tandem Imperator.

Chunradus Comes Palatinus Rheni, mortuus *ἄπαις*.

Agnes Comitissa Palatina Rheni, nupta *Henrico Juniori* Duci Saxoniæ, *Henrici Leonis* filio, Comiti Palatino Rheni.

Fridericus in infantia mortuus.

* Filiæ duæ ante nuptias mortuæ, Soldano Iconiensi et Richardo C. Pictav. despons.

IN LIGURINUM DISSERTATIO II.

De ortu, genere et rebus gestis Friderici I Aug., præsertim in primo regni decennio.

Famam extendere factis. (VIRGIL.)

§ 1. *Antiqua Stauffensium sedes et prima gentis incrementa.*

Inter familias Germanorum illustres, quæ virtuti fortuna comite diutino regni fastidio potiebantur, ——-inuam longe sibi dignationem conciliavit sium inclyta progenies. Etenim a primis A veluti famæ auspiciis adusque postrema nepotum fata pro Cæsarum et imperii juribus illa fortiter stetit, et incorrupto gestorum tenore servans regni majestatem, gloriosissima morte occubuit. Antiquiorem autem Stauffensium sedem in Sueviæ partibus orientalibus, oppido pridem imperiali libero

Gemundæ vicinis, et nominatim in loco Buren (79) haud inepte quæsiveris. Manent adhuc in ea regione priscæ memoriæ vestigia, nimirum vicus nomine Wæschenbeuern, et in conterminis pratorum tractus, vocabulo Buren hodiedum insignis. Castrum Hohenstauffen Fridericus I, adulto fere sæculo XI contiguo monti vel inædificavit, vel certe restituit, atque solemni tunc temporis more gentis cognomen inde transsumpsit. Erat iste Fridericus comes ab Henrici IV imperatoris partibus contra Rudolphum anti-cæsarem; vir probus et bello strenuus, animo constans et fide. Itaque Cæsari gratissimus et rerum suarum auctor et vindex in hisce finibus constitutus, opimum Sueviæ ducatum, Rudolpho rebelli ademptum, regisque unicam Agnetem filiam uxorem promeruit.

§ II. *Fridericus II, cognomine Cocles seu Monoculus, imperii candidatus; ejus gesta ad Rhenum.*

Illico adauctæ Stauffensium opes, indulgente quoque nepotum studiis Henrico V avunculo. Quo factum ut, mortuo tandem imperatore, Fridericus II, Friderici I filius et Suevici ducatus hæres (80) in spem imperii consurgeret, voti compos exstiturus, ni Moguntinum archiepiscopum adversarium habuisset. Is enim Stauffensium acerrimus hostis, Friderici consilia callide præveniens, pro Lothario Saxona procerum suffragia festinavit (81). Scilicet idem ille Moguntinus, Henrici V, Cæsaris olim cancellarius, ejusque præcipuo favore Germaniæ primas evectus, beneficiorum usque immemor proditorem agebat. Quapropter custodiæ mancipatus, et brevi post tempore civium armis restitutus, nihil non in imperatorem absentem infesto animo moliri, infima summis ubique miscere. Tunc vero Sueviæ dux ille Fridericus cum exercitu Rhenum trajiciens, valida quoscunque motus auctoritate compescuit (82). Mox ipsam turbarum officinam, Moguntiam bello adortus, obsidione cingebat, militibus utcunque suis a vastatione prohibitis. Deinde Treugas expetenti versutissimo præsuli liberaliter concessit, ipse exercitu dimisso cum paucis ad propria reversurus. Quem statim episcopus cum numerosa militum manu, contra sacramenti fidem, insecutus, undique circumventum perdelere parabat. At ille subito dolo nequidquam turbatus et periculis major, collecto paucorum comitum manipulo in Moguntinos irruens, ingenti edita strage aggressores profligavit, fugientibus adusque portas cædendo insistens, ut paucissimi tantum ultorem ensem evaderent. Summum tunc ipsi præsuli discrimen imminebat, qui vix intra mœnia receptus, civium diras ac pene et arma in se convertit, funesti facinoris auctorem episcopum, orbatasque parentum domos immani fremitu exsecrantium (83). Hinc inimicissima viri in Suevum studia, et pro Lothario subreptus principum favor. Quid enim acerbius offensa ignavia? quid vehementius odio sacerdotis?

§ III. *Stauffensium fratrum cum novo rege Lothario simultates.*

Fridericus ereptum sibi regnum indignissime ferens, vix tandem tertia post electum die, multorum precibus exoratus, in curia regem salutavit; spretis omnino CC marcis in beneficium oblatis (84). Eoque ambigua videri ducis voluntas, prouti raro principatus novi suspicionibus carent. Mox factum in curia Ratisbonæ decretum: *Feuda indignis ablata non regis patrimonio, sed regni bonis vindicanda* (85). Quod quidem aperte directum in Stauffensium opes Lotharius avide nimis exsequebatur, ad regnum plurima revocans, quæ Suevi fratres retinebant. Fridericus hostis judicatur in proxima curia Argentinensi; rex postero vere in ducem movet. Forte tunc absens erat Chunradus frater, dux Franciæ Orientalis, laborantibus nuper in Palæstina Christianis cum electa militum manu in auxilium profectus (86). Totius igitur belli moles Friderico incumbere, qui prudenti consilio præliorum discrimine vitato, munitisque se continens Alsatiæ castris, quoscunque inimicorum conatus elusit incolumis (87). Interea redux ab expeditione Chunradus, junctis repente viribus communem causam agebat, infensior idem et perniciosior hostis. Occupatum a fratribus castrum Norimbergense, validoque præsidio ad subitos casus instructum. Contra Lotharius Bavariæ ducem Henricum, Stauffensium generum, sibi ascivit, unica filia Gertrude in matrimonium collocata (88). Magnum illud regis partibus momentum addidit, non modo divisis, verum etiam

(79) Egregiam harum regionum, et in primis castri Stauffensis cum adjacentibus monumentis, descriptionem suppeditant: e sæculo XVI, Mart. Crusii *Annal. Suev.* p. III, l. XII, c. 35, et passim; recentissimam vero faciem: *Die Walfarth nach Hohenstauffen*, in optimæ frugis libello, cui titulus: *Herda; Erzaehlungen und Gemaelde aus der teutschen Vorzeit*, etc., von J. G. Pahl. Zweyt. Thl. Freyburg 1812, p. 151 sqq. — Inibi p. 175 illa de Buren conjectura, cui penitus subscribimus ex gravissimo Wibaldi testimonio. Epist. 384 (Martene et Durand., t. II, p. 557). cf. Schoepflin *Alsat. illustr.*, t. II, p. 557 sq.

(80) Ea tempestate comes quidam Fridericus ex nobilissimis Sueviæ comitibus cognomen trahens, in castro Stoyphe dicto, coloniam posuerat. Otho Frising *De gest. Frid. I*, l. I, c. 8.

(81) Anonymi narratio de electione Lotharii ap. Pezium, *SS. rer. Austriac.*, tom. I, p. 570 sqq.

(82) Plurima per totam Rheni ripam castella munivit, ut in proverbium verteret: *Dux Fridericus in cauda equi sui semper trahit castrum.* Otho Frising., l. c., c. 12.

(83) Ibid., c. 13.

(84) Anonymi narrat. cit., § 7, p. 573.

(85) Dodechini Append. ad Mar. Scotum, ad ann. 1125.

(86) *Chron. Ursp.*, ad ann. 1124.

(87) *Annal. Sax.*, ad ann. 1126.

(88) *Idem*, ad ann. 1127. — Fridericus Henrici sororem Juditham in matrimonio habuerat, anno ante defunctam. Koeler, *Familia Aug. Stauffens.*, p. 9.

commissis utriusque familiæ studiis. At novam fortunam importunius rex tentabat, Norimbergam extemplo suis armis aggressus. Adventantibus nimirum Suevis, obsidione deserta, neque et pugnam quidem ausurus, cum ignominia discessit. Contra reversi victores, veluti frugis aliquid acturi collecto exercitu, Spiram oppidum, expulso præsule, facili triumpho occupavere.

§ IV. *Chunradus regnum affectat.*

Vigentibus itaque Stauffensium armis multorum studia conferri; ipsi animis elati majora quæque moliri, ad spem imperii reverti. Jamque Chunradus, Friderici fratris et amicorum hortatu regis titulum sibi assumens, in Italiam contendit, ubi B cumprimis Mediolanensium ingenti plausu exceptus, ab Anselmo archiepiscopo primum Modoetiæ, deinceps Mediolani rex Italiæ coronatur(89). Inde Lombardicas ambiens civitates, largitionibus aut armis in suas partes plurimas pertrahebat, nisi quas Mediolanensium potius quam causæ invidia retinuit (90). Sed auspicatos usque rerum eventus parum subito turbavit Honorius pontifex. Is enim addictus Lothario regi, quem electum probaverat, inaugurandum exspectabat, adeoque raro temporum exemplo Romani populi securus, adventantem per Tusciæ fines Chunradum nil veritus, et urbe prohibuit, et una cum Friderico fratre solemniter diris devovit (91). Fulminis ictum fatalem præ cæteris reddidit ratio status, dum ex una parte nobilissimæ C quædam civitates Mediolanum odissent, ex altera Rogerii Siculi metus immineret, utrinque pondus accresceret favori Romano. Eoque tabescere Chunradi fortuna, desciscere comites exhausta pecunia. Ipse Parmæ plerumque se continens, coacto otio torpebat. Eumdem civitati graviter obæratum et veluti captivum hæsisse, vel ex hoc intelligitur, quod Mergingerum archiepiscopum Trevirensem Roma revertentem, in itinere captum Parmensibus obsidem tradidit contracti æris alieni. Fuerat autem iste Mergingerus, dum in Germania degeret, Suevorum studio suspectus, et forte pallium acceperat, ut Lothario faveret; certe nunc missus ab Honorio cum anathemate promulgando (92). Tandem ipse Chunradus appropinquante Lothario rege, D desperatis omnino rebus, clam ex Italia recessit (93),

A et nescio si non obside Trevirensi liberatus, quandoquidem tempus exacte convenit.

§ V. *Bellum cum Suevis in Germania.*

Hæc dum apud Italos geruntur, Fridericus domi sustinet hostium impetus, uxore viriliter adjuvante (94); neque illi quidquam proficere, donec singuli pugnant. Henricus ne vultum quidem Friderici ferens, probrosa fuga dilabitur (95), ad dolum frustra conversus majore dedecore (96). Rex autem a Spira, quam obsederat, pactis induciis removetur (97). Tunc junctis uterque viribus Spiram rursus infestat, non nisi longa obsidione nec absque pacto capiendam. Nimirum uxor Friderici ducis oppidum strenue tutata, rebus demum extremis, B inediæ magis quam armis concessit. Ipsa summa virorum admiratione excepta, cum suis libere dimissa et a rege donata, cum fere omnium indigeret (98). Atque ex eo nutare Stauffensium opes, instante potissimum Henrico Bavaro, qui pene totum Sueviæ ducatum, ad castrum Stauffen usque pervadens, igne ferroque devastabat (99). Mox etiam dedita Norimberga expugnante Lothario (100). Repetitæ præterea diræ per Innocentii legatum in curia Wirceburgensi, præsentibus XVI episcopis (1). Verum etiamnum superstes animo Fridericus regi obluctabatur, qui cum exercitu ducem aggressus, pugnæ copiam illo non faciente, infecto negotio discessit.

§ VI. *Stauffenses supplices in gratiam recepti.*

Rex in Italiam profectus cum parva manu (2), pontificem exsulem Innocentium strenue Romam perductum, in sedem restituit, coronatus ab ipso Romanorum imperator in ædibus Laterani (3), dum S. Petri basilicam Anacletus pseudopontifex, factionis opibus fretus, custodiret (4). Inde plurimis per Italiam negotiis feliciter gestis, magnam sui admirationem utrique populo sancivit, validissimis suorum studiis in Germania exceptus. Unum adhuc Mediolanum Chunradi partes tuebatur, nihil auso Lothario in urbem præpotentem (5). Contra pridem Anselmum præsulem Honorius papa defunctus, convocato post Chunradi discessum (6) Papiæ concilio, sacris interdixerat, brevi sede cessurum. Itaque duces Stauffenses deserta causa resipiscere, præeunte Friderico in curia Fuldensi. Quippe Bavarus

(89) Landulph. Jun., *Hist. Mediol.*, c. 39 (ap. Murator. *SS. rer. Ital.*, t. V, p. 510 sqq.).
(90) Lithifridi Novariens. *Epist. ad Lothar.* (ap. Eccard. corp. *Hist. med.* ævi, t. II, p. 364. n. 354); cf. Landulphus, l. c., p. 512.
(91) Otho Frising. Chron., l. VII, c. 17. *Annal. Saxo.*, ad ann. 1128.
(92) Saxii adnot. in Sigon., *De regno Italiæ*, l. XI, p. 659 (ed. Murator.). Corrigendus ideo Mascov. in *Comment. de Lothario II*, etc., p. 23.
(93) Otho Frising., l. c., c. 18.
(94) Nimirum altera, Agnete F. comit. de Saarbr., et nepte Alberti Moguntini archiepiscopi a Friderico debellati.
(95) Otho Frising., *De reb. gest. Frid. I*, l. I, c. 18.
(96) *Ibid.*, c. 19.
(97) *Annal. Saxo*, ad ann. 1128.
(98) *Chron. Ursperg.*, p. 277 (ed. Basil. 1569).
(99) *Ibid.*, eadem.
(100) *Annal. Saxo*, ad ann. 1130.
(1) *Ibid.*
(2) Mascov., l. c., c. 27, p. 43.
(3) *Annal. Saxo*, ad ann. 1133.
(4) Otho Frising. Chron., l. VII, c. 18 sqq.
(5) Mascov. l. c. adnotat. 3, in-f., p. 329 sq.
(6) Landulph. Jun., *Hist. Mediol.*, l. c., ibique annotat. cl. Saxii, p. 512.

Henricus, decreto nuper in Suevos bello, imperatorem prævertens extrema conatuum præsidia, munitissimam Ulmæ civitatem primo impetu captam, incendio deleverat (7), ut imperator superveniens Friderici tantum clientes implorata fide reciperet. Tunc dux ad incitas redactus Richenzam Augustam Fuldæ supplex adivit, in conspectum imperatoris non admissus, sed dicto die in proximam curiam, diris illico solutus per legatum apostolicum (8). Anno sequenti Fridericum fortissimum ducem coram Lotharius imperator supplicem vidit in frequentissima curia Bambergæ celebrata. Duram profecto viri sortem, at non usque indignam; neque adeo facile dictu est, utrum tanti rigoris exemplo magis imperii dignitati et reipublicæ commodis, quam propriis animi stimulis imperator intenderit. Fridericus autem præter pudorem ac juratam Cæsari obedientiam absque noxa dimissus, ad Italicam expeditionem sua robora spopondit (9); graviora forsitan passurus, nisi pontifex ob Rogerii Siculi metum totis viribus urgens expeditionem, conciliandis principibus omne studium impendisset (10). Chunradus autem Fridericum fratrem e quinque mensium intervallo secutus, neque easdem penitus veniæ leges, neque eamdem etiam cum illo sortem habuisse videtur. Atque is regem quidem in plena Mulhusæ curia pariter supplex adivit, solutus in præsentia diris a Chunrado præsule Magdeburgico, sed majore cum facilitate in gratiam receptus, pristinæ quasi dignationis favorem expertus est. Etenim ipsi Lotharius primum inter duces locum assignavit, omnia sua restituit, traditoque imperii vexillo regiæ proximum personæ ascivit (11). Cæterum Chunradus ad propositam expeditionem Italicam suum auxilium pollicitus, non modo integrum adduxit, sed imperatorem cum maxime principum consilio manuque fortiter adjuvit, ut omnino potius animi generosi stimuli, quam conscientiæ tanta officia censeantur. Itaque novem annorum immania bella, satis æqua conditione sopita, tandem conquieverunt, eo magis funesta reipublicæ Germanicæ, quo major certantium potentia, et perniciosius paci publicæ virorum exemplum.

§ VII. *Lotharii obitus; Chunradus rex Germanorum.*

Non diu piissimus imperator laborum commodis et parta victoria fruebatur, mox ordinatis utcunque Germaniæ rebus Italiam iterum profectus, penates nunquam revisurus. Etenim senio gravis in ipso reditu morbo corripitur, atque nihilo secius cupidine patriæ festinans, in Tridentinæ vallis ignobili viculo mali viribus occumbit (12), maximum sui desiderium universis relinquens. Mortuo autem sine filiis Lothario, summam imperii spem et habebat et meditabatur Henricus ille Bavarus, qui præter sanguinis affinitatem et rerum in Italia gestarum famam insigni potentia eminens, defuncti favorem ac tradita regni insignia præ se ferebat (13). Sed idem fastu tumidissimus, cunctorum invidiam in expeditione Italica concitarat (14), adhuc ipsa potentia suspectus. Contra Chunradus ereptæ dignitatis miseratione, liberalissimis in pares et minores officiis, et auctoritate præsertim Trevirensis episcopi, quem amicissimum habuit, commendabatur. Nimirum vacante tunc sede Moguntina, cum infensissimus ille Stauffensium hostis Albertus paulo ante decesserat, rerum summa penes Trevirensem (15). Juvabant etiam Friderici fratris integerrima studia (16), propriaque Chunradi in rebus agendis dexteritas. Is enim gliscentibus inter Henricum Bavarum et Albertum Ursum Brandeburgicum simultatibus opportunissime usus, gravem in æmulum adversarium commoverat. Itaque convocatis per Trevirensem comitiis ad Confluentes (17), præsentibus Trevirorum ac Wormatiensium episcopis et cum ipso Chunrado fidissimo fratre Friderico, votis unanimis renuntiatur Chunradus rex Germanorum (18) adnitente modis omnibus Theodevino cardinali (19), patria Suevo (20), pontificis Innocentii II legato. Mox deductus Aquisgranum in divi Caroli sedem antiquo ritu elevatur (21), peragente sacrorum solemnia prædicto Theodevino, dum Coloniensis adhuc pallio careret. Adeoque tandem post varios fortunæ casus et ingentes labores voti compos nobilissimus Chunradus, Augustam Stauffensium seriem faustis auspiciis inchoavit.

§ VIII. *Electio frustra impugnatur.*

Maximam, uti par erat, consternationem rei nuntius Henrico Saxona-Bavaro ejusque amicis incussit. Omnes illegitimam electionem et subreptam clamitare (22), multi quoque per Bavariam optimates, cumprimis episcopus Salisburgensis, venerabi-

(7) *Annal. Saxo*, ad ann. 1134

(8) *Idem*, ad ann. 1135.

(9) *Ibid.*

(10) *Idem*, ad ann. 1136.

(11) *Annal. Bosoviens.*, ad ann. 1135 (ap. Eccard. Corp. *Hist. med. ævi*, t. I, p. 1011). Gotfr., Viterbiens. *Pantheon*, parte XVII (ap. Muratori, l. c., t. VII, p. 459). Landulph. Mediol. l. c., c. 41. Non audiendus *Annalista Saxo* ad h. a. rerum tenorem adnotatione maligna conspurcans, prout manifesto in Suevos studio scripsisse agnoscitur.

(12) Die 3. Dec. 1137. Othon. Frising. *Chron.*, l. VII, c. 20. *Annal. Saxo* ad h. a. Chron. Ursperg. p. 278 med.

(13) Otho Frising. *De reb. gest. Friderici I*, l. I, c. 22.

(14) Mascov., l. c., l. II, c. 2, p. 115.

(15) *Ibid.*

(16) Otho Frising., l. c.

(17) Die 22 Febr. 1138.

(18) Otho Frising. *Chron.*, l. VII, c. 22.

(19) *Ibid.*

(20) *Chron. Luneburg.* ap. Mascov., l. c., p. 117, n. 4.

(21) Die 6 Martii.

(22) Otho Frising., *Chron.*, l. VII, c. 22. *Annal. Saxo* ad ann. 1138.

lis senex, facta improbare, crescentibus per Saxoniam bellorum turbis. Rex autem Chunradus imperium valide exercens, Bambergæ diem indicit, ibique curiam celebrat festo Pentecostes. Conveniunt plurimi Saxoniæ principes cum ipsa Richenza Augusta, regemque metu salutant (23). Contra superbus Henricus et plerique Bavariæ proceres adhuc desiderantur (24). Quapropter Chunradus in mediam Bavariam diem ultra constituit, Ratisbonæ celebrandum. Et hic quidem Salisburgensis ex regni pace consultans, una cum aliis principibus viri exemplum secutis, Chunradum regem adivit. Quem dux Zaringiæ Chunradus in plena curia ad præstandum regi homagium ultro compellens, responsum tulit : *Videte, domine dux, quia si plaustrum essetis, boves præcurrere non dubitaretis. Inter me et dominum regem sic causa determinabitur, ut nullum nostri in hac causa curam habere sentiatis.* Rex autem graviora virorum convicia reformidans, commotum ducem, aversa manu os ejus amice comprimens, a responsione compescuit, simul coram testatus : *Nil ab episcopo se velle, nisi bonam voluntatem* (25). Quæ regis verecundia non modicum universæ curiæ favorem excitans, clericorum præsertim animos ad illum convertit. Atque etiam præsens Henricus Bavarus, jam nunc de suis omnino, spe regni posita, sollicitus, magnisque promissis illectus, insignia tradit (26). Cum autem de diversis utrinque conditionibus non conveniret, prorogato die Vindelicorum Augustam, curia dimittitur. Nimirum receptis, quæ magni semper momenti fiebant, regni insignibus, jam in alia quæque mentem intendens, parum de pace Chunradus cogitasse videtur.

§ IX. *Desertum negotium, Henricus proscriptus.*

Ancipitem valde ac periculosam fore pactionem, ipsa rerum natura portendebat, tum vero calamitatum recens memoria, perpetua belli scintilla. Et Henricus quidem Bavarus regem Augustam insecutus, cum numerosa satis militum copia, non procul ab urbe, Licum flumen insedit ; rex intra mœnia pacatus agebat (27). Frequentes utrinque nuntii ac mediatores ambulare, neutro paciscentium alteri condonante. Quippe Chunradus nonnulla ducis beneficia reclamabat a Lothario concessa, quæ cum Henricus minaciter pernegaret, rex viri consiliis ac loci rationibus diffidens, et fratris exemplo territus, abrupto negotio ex urbe noctu discedit, cum paucis fidelibus Franconiam contendens. Mox celebrata Wirceburgi curia Henricus subito proscribitur, sane præcipiti nimis judicio, nec illo rege condigno. Chunradus autem posthabita regni et majestate et salute, tantum animo indulgens, in proxima statim curia Goslariensi Saxoniæ ducatum Alberto Brandeburgico, Henrici acerrimo hosti, indeque Bavariam profectus, ejus terræ ducatum uterino fratri, Leopoldo V marchioni Austriaco adjudicavit (28). Huic autem regis violentiæ paucissimi principes accesserant, ut curiæ præsertim Goslariæ et Quedlinburgi pene privatæ censerentur (29).

§ X. *Bellum Saxona-Bavaricum; pugna ad Weinsberg.*

Traditum utrique principi ducatum Leopoldus Austriacus (30) et Albertus Brandeburgicus nil morantes occuparunt. Et hic quidem præcupidus novæ dignitatis, late per Saxoniam armis grassabatur, neque suscepta solum jura, sed quoslibet Lotharii fideles potestati vindicaturus (31). Pridem ille, mortuo statim imperatore, cum Henrico Bavaro de Saxoniæ ducatu ex jure hæreditario disceptans, et a plurimis ejus amicis, ipsaque Augusta Richenza, junctis viribus impugnatus, prælio victor discesserat (32). Jam vero sæviores longe motus per Germaniam efferbuerunt, et quæ secundis minus claruerat, in adversis emicuit Henrici virtus. Etenim e paucis, qui viri fortunæ steterant, non nisi quatuor assumptis, in Saxoniam contendit, reliquis specie peregrinationis variis itineribus secutis. Atque cum his Albertum Brandeburgicum repentino adortus, direptis plurimis ejus castris, toto ducatu breviter dejectum ad regem confugere compulit. Tum ipsum quoque Chunradum cum exercitu supervenientem, ostenso fortiter prælio, ad inducias commovit (33). Potissima in eo negotio Trevirensis auctoritas, et ingeniosa viri solertia callidi temporum et morum. Is enim regi cum viginti millibus adfuturum se promiserat, nonnisi quingentos adducens, cum infinitis eduliorum ferculis et triginta vini carratis, quæ liberaliter principibus erogans, negotium facile conduxit, et sine sanguine debellavit. *Perpendit enim plus conferre ad victoriam atque ad animos accendendos virorum vini copiam, et aliorum victualium, quam multa millia famelicorum* (34). Henricus autem restitutis in Saxonia rebus, inde Bavariam meditans, subita morte exstinguitur (35),

(23) Otho Frising., l. c. c. 23. *Annal. Bosoviens.* ad h. a. p. 1012; cf. Mascov. l. c. p. 119, n. *
(24) Dodechinus ad ann. 1138, p. 472.
(25) Vita Chunradi episc. Salisb. cap. 4.
(26) Otho Frising. l. c.
(27) Chron. Ursp., p. 279.
(28) Otho Frising., *Chron.*, l. VII, c. 23.
(29) *Annal. Saxo* ad ann. 1139. Nimirum insignis inter curiam privatam et plenam seu solemnem differentia et omnino diversa utriusque auctoritas. Illa regem comitabatur, in hac publice tractata negotia et certa principum munera.
(30) Otho Frising., *Chron.*, l. VII, c. 25.
(31) Helmold. *Chron. Slavon.*, l. I, c. 54.
(32) *Annal. Saxo* ad ann. 1138.
(33) *Chron. Ursp.*, p. 279 sq. Otho Fris. c. 25. Helmold. c. 56.
(34) *Gesta archiepiscop. Trevirens.*, ap. Martene et Durand., tom. IV, p. 200.
(35) Veneficium innuit *Annalista Saxo* ad ann. 1139, nullo æqualium confirmante suspectum viri testimonium. Etenim duobus fere sæculis recentius *Chronicon Montis Sereni*, neque majoris omnino ponderis, quæ ex Fabricii adnotat. petit Habnius (Reichshist. III, 210.)

egregiam sui memoriam summumque filioli favorem apud Saxonas relinquens. Leves et vani Brandeburgici conatus præ populorum amore, studiisque prudentissimis archiepiscopi Magdeburgensis necessitudine juncti (36). Bavariam porro Henrici frater commendatam tutabatur, nobilissimus ille Guelphus, bellorum gloria et virtutibus inter principes insignis, Tubingæ comes Palatinus, et potens terrarum per Sueviam et ad Rhenum uxorio titulo hæredis Utæ filiæ Godefridi comitis de Calwe, Palatini Tubingensis. Et Leopoldum quidem Austriacum Guelphus feliciter profligavit (37), bellumque fortiter sustinuit Rogerii Siculi præsertim pecuniis, et Geisæ Pannoniæ regis adjutus, utroque domi Chunradum implicaturo (38). Jamque et regem ultro aggressus, Weinsbergæ castrum oppugnantem, infaustis avibus dimicavit, victus fugatusque celeberrima illa pugna, gentilitiis partium signis Germaniæ fastis memorabili (39). Nimirum corrupta significatione factionum penitus diversarum ea vocabula invaluerunt, reipublicæ paci tandiu funesta (40). Neque etiam minus famosa ipsius castri secuta deditio, feminarum egregio facinore, regis iram eludente. Laudatur et nobile Chunradi responsum: *Regum fidem immutabilem* (41). Scilicet publice regem decere, quæ privatim negligantur.

§ XI. *Saxonia Guelphis vindicata; profectio Italica impedita; fœdus cum Byzantinis; bellum Stauffense-Zaringicum.*

Barum ad Saxonas ea victoria, quos ad sua vota perducere rex adhuc frustra laborabat; scissis nuperrime Wirceburgi comitiis (42): quid enim vel arma vel artes concordibus populis? Igitur opportunum Austriaci funus, nulla prole relicta (42*). Ducatus Henrico fratri confertur, conciliato cum Henrici superbi vidua Gertrude connubio. Saxonia pactis asseritur Henrico puero, Superbi filio, Leonis elogio postmodum insigni; renuntiat idem suis in Bavariam juribus, consilio matris inductus (43). Albertus autem Brandeburgicus, a Moguntino persuasus, ducis Saxoniæ dimisso titulo in vet. Marchiam restituitur recipiens una, quæ bello amiserat. Celebratæ confestim nuptiæ præsenti curia, regio sumptu et apparatu, tantoque hilarior lætitia publica, quanto tristior utriusque domus longa discordia. Non ita cum Guelpho, qui pertinaciter jus in Bavariam hæreditarium causatus, bellum ac seditiones hinc inde transferens, perpetuas movere turbas mavortio studio perseverabat (44).

Rex autem de suscipienda imperii corona serio cogitans, ipsisque ab Italis, præcipue Venetis, Rogerii metu invitatus, ambigua pontificis cum illo Siculo compositione deterretur; qui tamen solemni legatione placare virum non distulit (45). Inter legatos Theodeuinus, probato studio charus, et celebratissimus ille Bernardus abbas Claræyallensis. Tunc rex propositum resumere, legatos papæ destinare, qui de negotiis convenirent. Nuper et fœdus renovatum (46) cum Joanne Byzantino, desponsata simul reginæ sorore Manueli Comneno, Joannis filio. Fuit ista Bertha C. de Sulzbach, dilectissima Chunrado regi ac pro filia omnino habita (47), Græcis Eirene vocata; cæterum formæ venustate summisque ingenii dotibus, adeoque Græcorum litteris, scriptoribus laudatissima. Proinde rerum Germanicarum, illa superstite, apud Byzantinos magna prosperitas et uberrima commoda, dum patriam incorrupto semper favore prosequeretur, et nobilissimo studio utriusque aulæ amicitiam foveret.

Interea magis magisque res Italorum turbari, præliantibus invicem civitatibus plurimis, urbe Romana, post mortuum Innocentium, factionibus agitata. Harum potissima pars et auctor Arnoldus Brixiensis, Abælardi famosus discipulus; homo subtilis ingenii, litterarum egregie peritus et incorruptæ, quin adeo austeræ conversationis (48). Hic in lascivos clericorum mores et monachorum luxuriem invectus, ingenti coronarum plausu ubicunque excipitur. Eoque gaudens popularibus auris, dogmatum capita proferre: *Nil proprium cleri Scripturæ sacra tenore, nulla potestas sæcularis, non certi reditus, nedum affluentes; vivendum caste piorum eleemosynis, vitandas honorum ambitiones, omnino terrenis abstinendum expletis sacrorum officiis.* Tum vero hortari populum ad sua jura capessenda, lectisque magistratibus antiquo ordine administranda, depulsis Ecclesiæ præposituris, adeoque restrictis imperii regalibus. Inde stupenda rerum conversio, clericorum odia, persecutiones et cædes (49), tandemque, ut opes quidem ferebant, Romæ priscæ ludibria (50). Sollicitatus et pontificum et populi crebris epistolis (51) certatim invicem accusantibus, prudenter in medio sese rex continuit, per litteras, missos atque diplomata re-

(36) Mascov., l. c., p. 125, n. *
(37) Monach. Weingart., c. 13.
(38) Godefr. Viterbiens., l. c. p. Monach. Weingart., l. c.
(39 *bis*.) Die festo S. Thomæ seu 21 Dec. 1140. Otho Fris. l. c. Trithemii l. c.
(40) Mascov., l. c., p. 141.
(41) *Chron. S. Pant.* (l. c. p. 931).
(42) Mascov., l. c.
(42*) Mense Oct. 1141. *Chron. Mellic.* ad h. a.
(43) Otho Fris., l. c. Dodechinus, ad ann. 1142. *Chron. reg. S. Pantal.*, l. c.
(44) *Otho Fris.*, l. c. Trithem. l. c. ad ann. 1142, p. 410.
(45) Trithem., l. c., p. 411.
(46) Pridem a Lothario percussum. *Annal. Saxo* ad ann. 1135.
(47) *Epist. Guibaldi abbat.*, n. 188, l. c., p. 375.
(48) Bernardi Claræval. epist. 195 (ed. Mabill. Paris, 1690).
(49) Otho Frising., *Chron.*, l. VII, c. 31. Idem *De reb. gest. Frid. I*, l. II, c. 28, cf. Guibaldi epist. n. 211, 212, 213 et passim p. 396 sqq.
(50) Serio nimis ea tractantem invenio cl. Simonde Sismondi *Hist. des républ. Italiennes*, t. II, p. 34 ss.
(51) V. n. 1.

qui pandens majestatem. Neque enim pontificum A tuta fides, neque etiam populi vanæ penitus querelæ; ipsa Bernardi abbatis ingrata facundia (52). Nihilominus Romanæ sedis privilegia, post brevem curiæ suspensionem, episcoporum præsertim ope, servato tenore confirmantur.

Detinebant etiam profecturum domestici motus, vicina negotia. Bellum atrox inter Trevirensem et Henricum Namurci comitem; graves Hungariæ principum et Poloniæ contentiones; utriusque reges exsules ad imperium confugientes. Hæc inter arma quoque gentilitia in Chunradum Zaringiæ ducem. Gliscebat vetus principum simultas, ex quo Sueviæ ducatus, Zaringensibus primum violenta fraude subreptus, deinceps bello extortus, fortunæ Staufensium obtigerat. Invisa mutuo vicina potestas, B manifesta pro Guelphis Zaringensium studia, eaque recens in Chunradum adversa (53). Jam vero Fridericus junior, Sueviæ dux et post imperator, sumpto cingulo militari quærendæ laudis cupidissimus, non ita pridem edito in Bavaria splendido tirocinio, Chunradum Zaringiæ ducem adortus, fortissimum atque ditissimum gemina ditione principem, expugnatis firmissimis belli præsidiis, ipsoque castro gentilitio, regis misericordiam implorare coegit (54). Causa præcipua non liquet (55), neque ea sollicite nimis inquirenda ratione temporum, ubi nuda sæpissime pugnandi libido (56) in prælia viros moveret.

§ XII. *Expeditio Chunradi sacra.*

Subitus illa tempestate terror Christianum orbem pervaserat ex crudelissimo Edessæ urbis in Palæstina excidio (57). Prævalentium hæc orsa per Asiam Turcorum, prolatique ad Latinorum fines recentis imperii. Jamque in extremis videri Hierosolymæ regnum, tot millium generoso sanguine et laboribus partum. Hostis formidinem, ut solent, extulerant fama, longinquitas, auxilii desiderium. Hinc ingens omnium metus et miseratio rerum, de die novissima trepidatio (58). Tunc autem prima Francorum in militiam vota (59) pro nobili gentis alacritate; stimulabat et ipsum regem privata religio. Neque minora summi pontificis Eugenii studia, per litteras ac legatos ubique principes excitantis, dum ipsum coram sollicitaturum (60) turbæ domesticæ præpedirent. Negotii cardines agitabat Bernardus abbas Clarævallensis, per universum Occidentem vir potentissimæ auctoritatis, ad commovendos ducendosque mortalium animos omnino compositus (61). Atque ille quidem in Gallia rebus mirifice expeditis, altioris consilii plenus, in Germaniam ascendit, ibique regem primum ad Francofurtum secreto conveniens (62), dum alienum adverteret, prudenter dissimulat: *Non esse*, dicens, *parvitatis suæ, importunius instare regiæ majestati.* Eoque discedens, aliquanto Constantiæ moratur, deinde subito converso itinere, Chunradum Spiræ rursus adoritur, eumque futuræ veluti cladis quodam præsagio obluctantem spiritualibus armis ad responsum compellit: *Deliberaturum se cum principibus.* Tum vero paucos post dies, inter media missarum solemnia, impetu quasi repentino in verba solutus, omnesque facundiæ nervos intendens adeo perculsit præsentium animos, ut rex in lacrymas effusus confestim vota nuncuparet, ac porrecto per abbatem coram altari vexillo, continuo cruce signaretur, una cum Friderico nepote, mox Romanorum imperatore, principumque et nobilium numerosissimo agmine, regis exemplum imitantium (63). C Non præsens in curia fortissimus Guelphus, ipsa Dominicæ nativitatis nocte cum aliis quibusdam nobilibus in proprio castro Bitengau crucem susceperat (64). Per Germaniam autem innumerabile vulgus, audito rumore, confluxit, per abbatem Eboracensem signandum, cui Bernardus operam delegarat. Ægerrime tulit regis frater, Fridericus dux Sueviæ, filium crucesignatum, quippe invalidæ senectutis unicum solatium juvenem, et familiæ robur. Atque a Bernardo quidem visitatus et benedictione repletus, tamen ipse orbitatis dolo-

(52) Nimium quippe pontificum auctoritati suisque affectibus indulgens, damnare temere solebat ac inconsiderate perstringere, quæcunque displicebant; acerrimus Abælardi ac Arnoldi hostis, videsis *P. Abælardi Apologeticum contra Bernard. abbat. Claræval.* (*Abæl. et Heloysæ Opp.*, Paris, 1616, 4, p. 302 sqq.); cf. *Guil. Godelli Chron.* ad ann. 1137, ap. Bouquet, t. XIII, p. 675, *Bernardi Claræval.* epist., n. 189, 195, 196. Cf. Epist. *ad Cæs.*, n. 244, quam quidem minus apte in Roger. Siculum scriptam intelligit cl. Mascov., l. c. p. 156.

(53) Schœpflin, *Hist. Zar. Bad.*, t. I, p. 167.

(54) Otho Frising., *De reb. gest. Frid.*, l. I, c. 25, 26.

(55) Non liquet et tempus; at recte notatur cl. Mascovio Schœpflini lapsus, qui nota quadam marginali deceptus, annum 1138 consignat. Schœpflin, l. c., cf. Mascov., l. c., p. 175.

(56) Ita eumdem Fridericum in ipsum regem avunculum arma Guelpho sociasse legimus. *Chron. reg. S. Pantaleon.* ad ann. 1143, p. 931 sq.

(57) Guil. Tyrius *Hist. belli sacri*, l. XVI, c. 4, 5. Auctar. Gemblac. ad ann. 1146 (ap. Bouquet, *SS. rer. Gall.*, t. XIII, p. 273).

(58) *Annal. Bosov.*, ad ann. 1147 (l. c., p. 1013).

(59) *Sugerii abbat. Epist.*, ap. Mascov., p. 185.

D (60) Guil. Nangis *Chron.* ad ann. 1143 (1145) in d'Achery Spicil. edit. noviss., t. III.

(61) *Oratorem eum non immerito dixerim, qui a rhetoribus definitur : vir bonus, dicendi peritus. Siquidem vir ille bonus longo eremi squalore, et jejuniis ac pallore confectus, et in quamdam spiritualis formæ tenuitatem redactus, prius persuadet visus, quam auditus*, etc. Guibaldi abbat., epist. 147 (l. c., p. 339).

(62) Primum istud colloquium nonnullos scriptores induxit, ut regem Francofurti crucesignatum falso perscriberent, e. g. Bern. Guido *De origine Francorum regum et Chron. Turon.* (Bouquet, l. c., t. XII, p. 251, 473).

(63) *Vita S. Bernardi*, l. VI, *De miraculis*, n. 15 (ap. Bouquet, t. XIV, p. 378). Cf. Otho Frising. *De reb. gest. Frid.*, l. I, c. 39. Roberti de Monte append. ad Sigebert. Gemblac. ad ann. 1146.

(64) Otho Frising., c. 40.

rem non sustinens, brevi mortem occubuit (65). Notabiles præterea pontificis astus, qui comperta regis devotione et Germanorum securus, amice virum increpabat, quod inconsulto se (66) rem tanti momenti assumpserit (67) : nimirum nactus occasionem vel impunis arrogantiæ, vel certe vitandæ accusationis. Denique Saxonæ, ut Francos semper perosi, societate abstinebant, ipsi quidem, ne studiorum gloria cederent, in proximos Christianorum hostes, Obotritas Leuticiosque, scilicet Slavos, moventes (68), adeoque diversa cum Francis signorum figura (69).

Chunradus antequam pergeret, Henricum filium creari in regem curat, nullo principum refragante; mox Aquisgrani coronatum imperii socium constituit (70), scilicet publice simul atque privatim de regno prospiciens. Adolescentulo necdum idoneo Henricus archiepiscopus Moguntinus ex more consilium et auctoritas adjungitur, una cum abbate Corbeiensi Guibaldo (71), celeberrimo sæculi viro, quatuor ab Henrico V, imperatorum in regni negotiis arbitro. Ipsa infausta nimis expeditio, quamvis immensæ regum copiæ, ut LXX. M. tantum loricatorum, præter pedestrium calonumque multitudines, uterque exercitus æstimaretur (72), e quibus paucissimi reversi. Chunradus maximam partem Constantinopoli degebat, sive pudore minuti exercitus, sive principum crebris discordiis, præterea ipsa quoque valetudine (73). Nobile tamen facinus et insigne fortitudinis documentum rex ad Damascum edidit, per laborantes medias Francorum turmas cum suis Teutonibus in Turcorum aciem irrumpens, eosque perterritos in fugam conjiciens, in quo certamine barbari militis caput, cum dextra scapula uno ictu amputatum, victoriæ signum reportavit (74). Cæterum opus penitus destitutum, et cum dedecore discessum. Inde non modica Bernardi invidia, qui quidem pontificem ostendebat (75). Neque etiam vana prorsus suspicio, papam Eugenium familiæ Cisterciensi laudem quæsivisse, Bernardi studiis adjutum. Etenim uterque ejusdem regulæ, Bernardi opera pridem restitutæ (76); atque ipsi postmodo Cistercienses novæ expeditionis propositum totis viribus repressere (77). Solum et unicum dispendiorum solatium plurimorum principum et expeditionis favorem ab armis abstineretur, adeoque tristes præliorum tempestates tristiori remedio interdum quiescerent.

§ XIII. *Chunradi reditus, novissima gesta et obitus.*

Vix autem ad propria reversum regem gravissimæ lites exceperunt. Nimirum Guelphus ille Bavarus in expeditione comes et familiariter habitus, adeoque donis cumulatus (78), pro gratia damna moliri. Discesserat a rege Hierosolymæ, dum in Damascum hic accingeretur, domumque revertens specie valetudinis, in transitu Siculum salutat, honorifice tractatus et pecuniis auctus, ut in regem conspiraret. Eoque Romam profectus in Germaniam contendit, perfidiam opere testaturus. Intercepti Romæ famuli a quibusdam senatorii ordinis asseclis manifesta proditionis indicia dederunt, repertis Rogerii litteris, Guelphum Friderico Sueviæ duci, Henrico Saxonæ, Conrado duci Zaringensi ejusque filio Bertholdo (IV) voluntatis conscium commendantibus (79). Neque omnino latuere consilia regem adhuc in Græcia detentum; quippe ducem Fridericum nepotem, cui plurimum deferebat, in Germaniam præmisit, ut pacem publicam tueretur contra Guelphi conatus (80). Forsitan ipsum ille Fridericum perspexerat, ac honorabili mandato juvenis animum tentabat. Certe reditum Chunradi res ea quam maxime urgebat (81), cum non de pace solum, sed etiam de regno versari quæstio videretur. Nec longe distulit hostilia Guelphus, Egram castrum regis peculiare rapto bello assiliens. At male nactus occasionem, ab Henrico Chunradi filio, Germaniæ rege, gloriosa pugna profligatur, Guibaldi consilio proscribendus, nisi Fridericus Sueviæ dux componendo dissidio ambiguam operam obtulisset (82).

Propius quoque regem tangere videbatur Henrici Saxonæ resumpta quæstio de Bavariæ ducatu. Statim ille defuncta matre Gertrude Bavariam, Austriaco marito pactione concessam, reposcere, quem tunc, instante expeditione sacra, Chunradus blande allocutum, differre causam induxit (83). Jam vero rursus insistens in Sueviam concesserat, soceri Chunradi Zaringiæ ducis potentia fretus (84). Contra rex vim prohibere, quæstioni diem indicere; de eventu non liquet. Mox autem Alberti Brandeburgici consiliis rex in Saxoniam movens,

(65) Otho Frising., c. 39.
(66) Bernardus ex jussu pontificis expeditionem urgebat. *Gesta abbat. Lobiens* (d'Achery, *Spicil.*, t. II, p. 754).
(67) Guibald., epist. 20, p. 205.
(68) Helmold, *Chron. Slavor.*, c. 63.
(69) Nimirum crucem non assutam subiecta rota protendebant. Otho Fris., c. 40.
(70) *Ibid.*, c. 43.
(71) Guibaldi Corbeiens., epist. 99, 30, 31, l. c., p. 268, 212.
(72) Guil. Tyrius, *Hist. belli sacri*, l. XVI, c. 22.
(73) *Epist. Chunradi regis ad Guibald. abbat.*, l. c., p. 252 sq.
(74) *Gest. Lud. reg.*, c. 22 (ap. Masc., l. c., p. 225).
(75) Otho Fris., c. 60. Gaufredi *Vita S. Bernardi*, l. III, c. 4, § 9.
(76) *Gesta abbat. Lobiens.*, l. c.
(77) Otho Fris., c. 29, 42.
(78) *Chron. Ursp.*, l. c., p. 280 sq. *Chunradi regis epist. ad imper. Græc.* inter Guibald., n. 188, p. 377.
(79) *Joannis notarii Chunradi regis tunc forte Romæ morati ad Guibaldum epist.*, n. 239, p. 423.
(80) Otho Frising., l. c., c. 59.
(81) *Chunradi epist.* cit.
(82) *Chron. Ursp.*, p. 281.
(83) Otho Frising., l. c., c. 43.
(84) Mascov., l c., p. 280.

Henricum ad propria recurrere compulit, ipso A superstite voto neutiquam potiturum.

Sed neque etiamnum devicto Guelpho, repulso Saxona, Bavariæ demum arma conticuere, suborta gravi contentione palatinorum Bavariæ comitum Othonum cum episcopo Ratisbonensi, quem pater una cum filiis infestis armis premebat. Antiquissimum Othonum genus ab Arnulfo deducitur, Henrico I, et Othone M. Impp. Bavariæ ducatum occupante. Fertur ea tempestate quidam comes Schirensis ex Bojoaria, sævam Hunnorum gentem in imperium evocasse (85), nobilissima Othonis M. victoria deletam. Comes ab Hunnis enecatus in cladis ultionem. Tum vero bona direpta et in fiscum redacta, partim ecclesiis divisa, partim hæredibus B relicta cum castro Schirensi. Postmodum a castro Wittelsbach, ab Othone III Schirensi sæculo XI ædificato (86), pro ejus ævi consuetudine, gentis novum cognomen; manente cognato in clerum odio (87). Nunc autem episcopi partes amplexo rege, palatinus proscriptus et obsidione Kelheimii castri territus, dato obside altero filio Othone, Chunradi fidem implorabat (88). Hic ille est Otho, Bavariæ comes palatinus, Friderici I, imperatoris regno summis virtutibus illustratus, qui tandem accepto Bavariæ ducatu, laudatissimi nominis memoriam in augustissimos Bavariæ reges perenni stirpe transmisit.

Inter maximas demum Chunradi curas Italica expeditio, variis adhuc negotiis, et expeditione C præsertim sacra, impedita. Jam vero dum litteris, legationibus omnique studii diligentia urgetur propositum, inopinata regis morte spes regni gemina destituta. Concesserat ille Bambergam, ibi curiam celebraturus, exspectans reduces ab Italia legatos, qui modo Spiram intrantes tristissimum nuntium offendunt. Ossa gentilitiæ Loricensi sepulturæ inferenda Bamberga sibi detinebat, juxta divi Henrici imp. tumulum regio cultu recondita (89). Fuerat Chunradus vir simplex et probus, haud absque nativo quodam acumine, sed litterarum omnino rudis, eoque consilio minus quam armis pollens. Cæterum summa in illo comitas, et forma regem late ostentans (90). Henrico filio Germanor. rege D jam ante defuncto, filius unicus patri superstes, Fridericus adolescentulus, mox Sueviæ dux inter principes nobilis, dictus de Rothenburg a castro in sedem delecto. Hic dum in Tuscia moraretur expeditionis Italicæ comes, una cum plurimis proceribus pestis contagio abreptus Romæ exstinguitur (91), Ebraci Franconiæ sepultus (92). Cum uxore Richenza Henrici Leonis Sax. ducis unica filia, filium itidem adhuc unicum habuerat in cunis mortuum, ut adeo tota Chunradi progenies in ipso defecerit.

Et hæc quidem de primis Stauffensium fatis paulo fusius enarravimus, quippe semel dicenda; reliqua strictiori stylo prosequimur, probationibus videlicet notarum volumini digestis.

§ XIV. *Fridericus dux Sueviæ, Germanorum rex. Ejus electio, indoles, et regni auspicia.*

Chunradus morti jam proximus, et considerato imperii statu de filio parvulo veluti desperans, accitum nepotem Fridericum ducem, traditis coram regalibus, in successorem commendabat. Nec destituta voti auctoritas, dum sextodecimo fere ab ejus obitu die Fridericus omnium omnino suffragiis, Francofurti in regem eligeretur. Inde post biduum, dimissa curia acceptisque procerum homagiis. Aquisgranum profectus, in divi Caroli augustam sedem, successor dignissimus, elevatur. Pacatum et breve electionis negotium præterea multa juvarant. Mortui recens Chunradi favor, Friderici duplex cum potentissimis regni familiis affinitas, eoque fausta pacis auguria; tum etiam privatæ cum Guelpho et Saxona necessitudines, Guibaldi abbatis validissima studia, denique ducis eximiæ dotes. Nimirum certa facinorum fama, mentis et animi corporisque vigor, prudentia rerum ætatem exsuperans, formæ venustas ac dignitas, gratia morum et gravitas insignis; cuncta regem imperii gloriam in juvene heroe pollicebantur.

Et sane majorem a summo Carolo neque Germania adhuc, nec ulla terra conspexerat, qui primo statim regni decennio aliorum vitam emensus, universis orbis nationibus verendam imperii majestatem suis virtutibus effecit. Atque ut alii ante imperatores non nisi vagam sæpe gestorum normam, pro rebus enatis, observabant, hic ille constantem regni tenorem, per maxima impedimentorum discrimina, mente immota direxit. Quapropter excelso plane exemplo comparandus, in hoc forte anteponendus, quod difficiliores longe adversarios, nec illos bello solum et fortitudine, sed artibus et prudentia superandos invenerit. Videtur autem consiliorum summam in hæcce quatuor conjecisse: supremam et absolutam imperii majestatem, eamque forte hæreditariam; justam regni et sacerdotii invicem rationem; vindicatam imperio Italiam, ac

(85) Indicari videtur Hermannus cognomine Pusillus Arnulphi filius, cui uxor Hungarica, nimirum Agnes Geisæ regis soror, fuisse vulgo creditur. Tolner, *Hist. Palat.*, p. 197.

(86) Tolner, l. c., p. 267.

(87) Otho Frising., *Chron.*, l. VI, c. 20. Notabilis in isto chronici loco dictorum mutatio cl. Pithœo indicata. Vulgares Chronici editiones nil nisi diras auctoris in Schirensium familiam exhibent, contra codici Pithœo viso, mira tenoris diversitate, palatinorum æqualium egregiæ laudes appositæ.

(88) Otho Fris., *De reb. gest. Frid. I*, l. I, c. 63.

(89) Otho Fris., c. 63.

(90) *Gesta Ludovici VII, Fr. regis*, c. 27, Guilelm. Tyrius, l. XVII, c. 8.

(91) A. 1167. Otho S. Blasian., c. 20.

(92) Gropp., *Monum. sepulcr. Eccl. Ebrac.*, p. 67.

denique publicam Germaniæ pacem, repressa potenter armorum licentia.

§ XV. *Novi regis erga patriam studia.*

Antiquissima Friderico cura, principum gratiam promereri, componere veteres parentum lites, atque sublatis bellorum scintillis potentum animos reconciliare. Primam igitur Bavariæ rebus diligentiam adhibuit, dicto die Henrico Austriaco. Hic autem, dum adhuc tertio monitus, pertinaciter recusaret, Henrico Saxonæ Leoni, post assiduas viri sollicitationes, ducatus adjudicatur, tradita brevi Ratisbona, plurimisque proceribus in ejus jura adactis. Nec tamen cessit Austriacus, Friderici securus, nimirum fretus verecundia augusti nepotis. Et haud inepte prospexerat, siquidem resumpto mox negotio Fridericus ultro processit adventanti, datisque amplissimis (93) privilegiis et novi ducatus honoribus, ingenti curiæ gratulatione causam gravissimam tandem expedivit. Præcesserat compositio inter æmulos Henricum Leonem et Albertum Brandeburgicum; alia sequebatur inter Austriacum et Othonem episcopum Frisingensem. Inde gratissima Leonis voluntas, Italicæ regis expeditioni præcipuo robore adfuturi. Sed etiam regis mutua liberalitas, Henrico totum Utonis comitatum sponte deferentis. Contra præsens turbatorum pœna, Arnoldi præsulis Moguntinensis et Hermanni comitis palatini ignominia testata. Portare canem palatinum cum sociis, et ægre tantum parci episcopo, territi proceres spectaverunt. Præterea assidua in regno itinera, et oculus paci quocunque invigilans; direpta prædonum nobilium castra, sumpta in plurimis severa supplicia. Abolitis denique teloneorum usurpationibus insigniter auctæ commerciorum utilitates.

§ XVI. *Italiæ status, Friderici proposita.*

Totam deinde regis virtutem Italiæ regnum occupabat, vix adhuc nominetenus appellandum. Regnabat pontifex, regnabant civitates, regnabit Siculus. Scilicet imperatorum longinqua absentia, incuria, imbecillitate hæc triplex potestas succreverat, eaque ut invicem plerumque æmula, ita in regnum tamen una conspirans. Dilapsa potissima imperii jura, subrepta fisci regalia, ad tenuem fere cuncta memoriam obsoleta. Prima omnium Friderici in Siculum consilia et in urbem Mediolanum. Domesticis autem negotiis detentus, ad Græcorum imperatorem legatos dirigit, fœdus in Siculum pacturos, proposito simul matrimonio inter regem et Manuelis filiam. Nimirum perspexerat pridem Rogerii studia, et novimus ejusdem litteris Friderico Guelphum olim commendatum. Jamque proscripti imperii fideles, violentiæ testes, Herbipoli suas injurias conquesti, indignationem commoverant; neque mutata rerum facies, interea mortuo Rogerio, dum eadem moliretur filius, qui successerat, Guilelmus. Tum vero cum maxime Mediolanensium tumores offenderant, et sane præcipitem regis iram, Constantiæ proditam, post eventus probavit. Cum pontifice Eugenio III leve discidium exortum ob regni jura destinatius custodita in electione Magdeburgensi, secuta mox conventione antiquatum. Deinceps missis a pontifice legatis Moguntinus amovetur, brevi Mindensis et Eistettensis, et hactenus ex regis assensu; dum autem licentius agerent legati, adeoque Magdeburgense negotium revocarent, statim prohibiti, excedere regno jubentur. Inciderat forte pontificis obitus, cui Anastasius suffectus, natione Romanus. Cum illo pacatum omnino, sed et perbreve tempus. Post menses XIV defuncto succedit Adrianus, natione Anglus, hujus nominis IV. Hunc a vilissimis initiis ad summum honorum fastigium excelsa indoles evexerat, ingenio grandem, majorem animo, sed durum, tristem, fortuna tumidum.

Jamque Fridericus, appropinquante condicto tempore anno regni sui tertio circa principium mensis Octobris (quippe Germanis commodissimi), collecto ad Augustam exercitu in Italiam movet, ex eventuum potius consiliis, quam præmeditate rem acturus, certis utcunque studiorum propositis. Igitur primo statim adventu civitatum injuriis exceptus, potentibus arma tantum et iram ostendit, afflictis minoribus; in id potissimum incumbens, ut insigni aliquo facinore clarus Romam victor accederet. Eoque punitis in itinere quarumdam tumoribus, et ordinata castrorum disciplina, Terdonam urbem aggreditur, Ligurum (94) sociam, pollentem opibus, tutamine mœnium ac fœdere fretam. Hanc Papiensium præsertim studiis, post validissimam defensionem, nec sine gravibus obsidentium damnis, in potestatem redactam, terribili magis quam honesto severitatis exemplo, miserrimis civibus vix tantum vita donatis, diripiendam militibus tradit, postea flammis perdelendam. Inde Papiam concedens per triduum splendidum triumphum agit, ab æmula civitate Terdonensium cladi potius et Ligurum injuriæ, quam ipsi regi exhibitum. Susceptam autem Placentiæ obsidionem, auxiliis Ligurum difficilem, rex moræ impatiens relinquit, adulto jam vere ad urbem Romam coronamque imperii mente et viribus conversus.

Adventu subito commotus pontifex legatos obviam dirigit, regis animum exploraturos; ipse diffidens Romanorum studiis Urbietum secesserat. In causa Arnoldus Brixiensis, quem Innocentio defuncto reversum Romam memoravimus. Hunc in Eugenium et Anastasium favore publico tutatum, opportunissimo pridem remedio Adrianus depulerat. Quippe

(93) Injusta de documenti fide ill. Bunavii dubia (*Leben und Thaten K. Friedr. I. S.* 64 *f.*) sustulit Senkenbergius. (*Gedanken v. Gebrauch des uralten teutschen burgerl. und Staatsrechts S.* 113.)

(94) Hoc breviore scilicet, et concinno vocabulo Mediolanenses deinceps appellabimus.

sacris interdicta ad majorem hebdomadam vulgi religio trepidarat; placando pontifici desertus Arnoldus. Atque is Urbe profugus, cardinalis cujusdam insidiis captus et custodiæ traditus, mox Campanensium quorumdam comitum ope liberatus, in vicinia latebat. Jam vero vehementior ex ipsa victoria pontificis timor : occulto hoste, ambiguo populo, instante cum exercitu novo et callido rege. Hinc omnium primum in mandatis de Arnoldi punitione. Annuit facile Fridericus, hominem ipsemet perosus in regni jura iniquum. Extortus miser a defensore, cleri vindictæ permittitur, qui quidem sanguinis abstinens, per urbis præfectum cremari curat. Nec tamen adhuc mutua fides, nisi receptis utrinque legatis. Tandem Viterbum procedere pontifex, regem in castris invisens. Pro dignitate reverenter exceptus, de stapia fertur litigasse; res prope discidium, ni coronæ Fridericus animi stimulos detulisset. Itaque Sutrium una profecti Romanorum magnifica verba crepantes : *Placere quiritibus, admitti regem, decretos imperii fasces, juret obsequium Urbi, quinque millia eroget multitudini in Capitolio acclamanti*. Prompta responsio, studiose singula diluens, et hactenus infra regem. Nimirum videas paulo præstrictum nominis Romani specie factique stupore; quid? quod ex minaci legatorum discessu pene sollicitus et consilii inops, rei gerendæ summam pontifici, exercitus ductor, committeret. Ac sane laudabilis tunc apparuit Adriani fides, qui sua potissimum ope Fridericum Romam perductum, nil curans aditum discrimen, imperatorem coronavit. Namque immanem populi furorem peracta solemnia rescientis, consecuta repente pugna atrocissima ostendit. In hac ancipitem diu Germanorum victoriam haud parum feminæ juvarunt Romanæ, dum juvenum speciem depereuntes, hortatu et precibus suorum arma continerent. Spectata simul Henrici Leonis pro Cæsare virtus, et ingenua pontificis in utrumque voluntas. Investituram Altenburgensis episcopi, invito archiepiscopo Bremensi per Henricum instituti, potentissimo regis amico constanter pontifex pernegarat; jam vero in præmium devotionis ultro oblatum præsenti confestim ordinatione roboravit.

Cæterum nulla ex victoria commoda, quinimo Roma discedendum annonæ penuria. Tiburtinos cum urbis clavibus obvios, id molestissime ferenti papæ imperator subdidit, servatis nihilominus imperii juribus. Mox recreando militi, aeris inclementia afflicto, ad proximos Appenninos remota castra, vitalibus auris et artis quibuslibet utilitatibus fruitura. Indictam Fodri collationem dum fraudulenter facerent Spoletani, uno impetu excisa civitas, ipso cum militibus imperatore irruente. Brevi collectis ex rogo spoliis ad Anconam exercitus pergit, ubi Cæsar, auditis Græcorum legatis, in Siculum arma promissis auxiliis et grandi pecunia petentibus, adversa procerum voluntate, quamvis ipse paratissimus, differre propositum cogitur. Missi contra legati cum amicitiæ tesseris, quos inter ipse nobilissimus Guibaldus abbas Corbeiensis. Jamque exercitus parte plurima dimissa, cum reliquis Cæsar Veronam proficiscitur, in contemptum paucitatis a civibus non solum urbe prohibitus, sed et insidiis petitus, quas iterum viri fortuna comes et palatini virtus Othonis, non sine gravi hostium injuria, feliciter profligavit.

Effluxo inter curas domesticas triennio Fridericus revertitur, locorum et hominum bene gnarus, præmeditato consilio, et cum exercitu C. M. armatorum. Ingentis apparatus potissima causa Mediolanum, quæ civitas, dudum rebellis, effrenata potentiæ lascivia imperatorem provocarat. Atque ipsa culpæ conscia, belli molem prospiciens, et obsequium dedignata, rerum unicum præsidium in munitissima mœnia civiumque virtutem, et immensas divitiarum opes contulerat. Vana superbiæ solatia, dum primo statim imperatoris adventu Brixiensium civitas, ob Ligurum fœdus attrita, sinistrum omen ostenderet. Ipsum continuo Mediolanum, sociatis Italorum auxiliis, obsidione arctissima circumsessum, post pertinacissimos civium conatus, fame magis quam armis ad deditionem compellitur, multatum novem marcarum millibus, et acerbiori procul dubio supplicantium spectaculo. Sed brevis admodum triumphus; vix enim discesserat cum exercitu Cæsar, Italiæ negotiis intentus : ecce denuo consurgunt Ligures, et longe molestior ea seditio, nonnisi post maxima bellorum discrimina urbis excidio vindicata.

Curarum proxima in pacando Italiæ statu, in requirendis ac revocandis imperii regalibus. Igitur Cæsarem rediturum præcesserant comes Otho palatinus et Raynaldus cancellarius cum militum lecta manu, qui sola fere nominis dignatione civitates quam plurimas in regni fidem asseruere. Secuta deinceps Mediolani deditione, factoque cum civitatibus usurpationum scrutinio, triginta millia talenta, per annum fisco quæsita. Tunc etiam feuda famosæ Mathildis ad imperium retracta Guelpho duci imperator concessit, confirmato gratiæ fœdere potenti amico, appositoque adversus Siculum validissimo robore.

Omnium ægerrime tulit ejusmodi diligentiam Romanus pontifex, Cæsari pridem infensus, qui viri fastus repulerat. Scilicet prima statim papæ epistola collatum imperii *beneficium* incautius ostentans, tantum curiæ universæ tumultum excitarat, ut legatorum cæde vix abstineretur, stricto jam gladio instante Othone comite palatino. Legati Romam cum ignominia reversi, præscripto itinere additisque custodibus. Accesserant alia pontificis studia, præsertim ictum cum Siculo fœdus, servata Romæ picturæ calumnia, damnatum Cæsaris cum Beatrice connubium, si quidem vera tradunt scri-

plores. Nec multum profuit mitior epistola, procerum rogatu Augustam transmissa, dum novi succederent pontificis fastus. Etenim præsentem in Italia imperatorem inverecunde lacessere criminationibus propter electum Ravennatem, et omnem plane modum excedere insolentissima illa in Fridericum invectiva, Germaniæ duumviris archiepiscopis perscripta (95). Quid ergo mirum, imperatorem Romanæ sedis calumniis furibundum, non modo indubia regni jura revocasse, sed in ipsam quoque Ecclesiæ disciplinam iniquas manus intulisse? Tristissima quidem excusatio malorum ingentium, et justæ magis iræ quam prudentis. Ex illo tempore labefactata Friderici fortuna, familiæ Stauffensi paratus interitus. Nimirum Cæsaris illud, non imperii, cum sede Romana certamen, Germanæ causæ proditores inter principes Germanos; inde pontificum victoriæ...

§ XVII. *Friderici auctoritas in Ecclesiam Germanicam.*

Residua in Ecclesiam German. jura Fridericus primum fortiter ac moderate tutari, crudescentibus autem cum sede Romana inimicitiis violenter interdum et ex libidine agere, pontificum artibus ac diris, ipsemet artes et potentiam opponens. Nimirum ad alta regni consilia cleri divitis indigebat, contra certos pontificum conatus Ecclesiæ studiis adjutandus. Eoque cautus et justus in electione Magdeburgici, mox in consimili Coloniensis; non absque studio indulgens in remoto per pontificem Henrico Moguntino, quippe suffectus Arnoldus, Friderici cancellarius. Italiam iterum profecturus eleemosynas, præsertim Ecclesiis, erogavit, tum etiam episcopis in consilium diligenter adhibitis, Trevirensem privilegiis insigniter auxit. Rudolphum Zaringiæ ducem, Arnoldo Moguntino crudeliter occiso, illicitis suffragiis electum dedignatus, ipsum quoque Christianum amicum, præcipitanter subrogatum, prohibuit, substituto Chunrado Bavaro, Othonis palatini fratre germano. Atque hæc quidem uti ex propria auctoritate, ita pontificis etiam assensu. Jam vero subortis cum Alexandro simultatibus, episcoporum in sedem Romanam obsequia gravissime ulciscebatur, spoliatis, depulsis, quocunque modo afflictis pontificum asseclis. Chunradum scilicet Moguntinum ob Alexandri studia suspectum, deinceps Romam profugum, fratris gratia nil obstante, confestim proscripsit, substituto Christiano pridem reprobato. Neque in ipsa tandem conventione, cum Alexandro Venetiis, licet iniqua sorte facta, Chunradum recepit, sed Salisburgi constitutum, nonnisi mortuo demum Christiano Moguntiæ reddidit. Proscripsit eadem potissimum ex causa Folmarum Trevirensem, qui pro dolosa electione pontificis opem sollicitarat. Suffectus Rudolphus ille Zaringensis, olim Moguntia dejectus, et spreta Folmari per pontificem ordinatione, Cæsaris armis investitus; ferociter in adversarios Henrico rege animadvertente. Proscripti pariter Salisburgensis archiepiscopus Eberhardus, ejusque successor Chunradus; nec admissus Albertus, inconsulto substitutus. Nonnulli metu perculsi sedem sponte reliquere, quos inter Henricus Passaviensis et Bertholdus Metensis. Cum Philippo Coloniensi diu gravis simultas, data tandem pecuniæ summa et ejurato nocendi studio sopita. Postremum eo res perducta, ut instituti per imperatorem episcopi, prohibitis Romæ investituris, a Moguntino consecrarentur, statuta repulsa in refragantes. Acerba inde episcoporum, nec illa injusta, querimonia, sed parvus effectus. Perstitit animo fortis imperator, adnitente Henrici regis potentissimo vigore. Adeoque valde minuta Romanæ sedis auctoritas, vix Moguntino et Coloniensi privato studio ejurantibus quasi in speciem vindicata.

§ XVIII. *Regni foris majestas.*

Augustum late longeque Friderici nomen exporrectus potissimum imperii vigor et bella Italica effecerunt. Exteris ostensa magis arma, quam illata, dum imperatorem principum studia, domestici motus et illæ ipsæ tandem Italicæ tempestates a propositis revocarent. Sane sub primis regni auspiciis in Geisam Hungariæ regem et Rogerium Siculum molienti procerum mentes adversabantur. Utrumque Saxonæ Henrici, Zaringiæ ducum et Guelphi præcipue consiliis evenisse, dubitari vix potest, quandoquidem novimus Rogerii litteras, et utriusque pecuniis Guelphum in regni injurias sustentatum.

Geisa legitimum Hungariæ regem Boritium, Colomanni regis filium regno exuerat, qui post irritos recuperandi conatus ad Chunradum confugiens, imperii opem implorarat, Uladislai Bohemiæ ducis et Gertrudis uxoris, Chunradi germanæ, commendationibus adjutus. Annuit votis Chunradus; mox autem, decreta expeditione sacra, regis propositum intra voluntatem substitit, nimirum aliis curis distracti, adeoque Geisæ indigentis, per cujus ditionem transeundum. Eamdem ob causam destitutæ Boritii preces ad Ludovicum Galliæ regem cum exercitu insequentem; nil nisi tutum iter in regis comitatu. Tandem Constantinopoli summo favore exceptus in Geisæ hostis invidiam, Græcorum ductor adversus Hungaros militavit, in expeditione quadam scelere militis sui occisus. Chunradi promissum susceperat Fridericus, vivente tunc adhuc Boritio, et integra cum aula Byzantina imperii amicitia. Jam vero Geisa pro diversa status ratione mutato consilio, Fridericum officiis circumvenire, transmissa militum delecta manu adversus Italos. Tum et futura spondens auxilia in tantum obstrinxit imperatorem, ut Stephanum quoque Geisæ germa-

(95) S. F. Hahn Collectio monument. t. I, p. 122 sqq.

num, fratris tyrannidem conquestum, suspensa lite Constantinopolim destinaret, ancipiti causa certis commodis, honeste minus quam prudenter, postposita.

Contra Rogerium Siciliæ regem præter veterem injuriam et recentem ambitionem, spoliatorum quoque ob regni fidem Apuliæ procerum præsens commiseratio principum animos incitarat. Condicta tunc expeditio una cum Romana conficienda intra biennium. Sed ad rem ubi perventum fuit, ex bello Romano tristes miseriæ, contagio cœli, minutus exercitus tædio speciem præbuere, nequidquam urgente imperatore, quem ad proprios iræ stimulos etiam pontifex accenderat, Erat autem Rogerius celeberrimi Roberti Guiscardi, regni Siciliani fundatoris, ex fratre Rogerio nepos, patri comes Siciliæ succedens anno 1101 sub matris Adelaidis Burgundicæ tutela. Deficiente ad ann. 1127, Apuliæ ducum cognata stirpe, Rogerius terram illam invaserat, indicto bello Honorio II, pontifici contra factum intercedenti. Sed in feudum accepta provincia, ducem pontifex agnovit. Mox orto schismate inter Innocentium et Anacletum Perleonium, hujus partes amplexus Rogerius, Anacleti sororem ducit, in regem Siciliæ coronatus a pontifice genero. Postea diris devotus per Innocentium, a Rainulpho Campaniæ comite tota Apulia profligatur, ducatum Rainulpho concedit Lotharius imperator. Mortuo Rainulfo Rogerius revertitur, et recuperata brevi universa provincia, pontificem ipsum Innocentium Beneventi captum ad imponendam sibi coronam et ineundam ex voluntate conventionem invitum compellit. Jamque ad majora consurgens et Italiam meditans, inter altissima studiorum proposita secundo Friderici regis anno exstinguitur. Hic idem est ille Rogerius, cujus in Constantinopolim egregium facinus Ligurini poeta celebrat. Inde revertens Ludovicum Franciæ regem e Palæstina reducem Græcorum insidiis eripuit, ab eo festivo satis artificio diademate tertium coronatus. Habuit Rogerius ex toro primo cum Joanna Anglica filium Guilelmum I, patri succedentem, ex tertio filiam Constantiam, Henrico regi, Friderici imp. primogenito post Germanorum imperatori 1186 nuptam, qui Guilelmo II, Guilelmi I filio, 1193 absque liberis decedente, Siciliæ regnum adeptus est. Itaque imperii et Augustorum Stauffensium ex patre perpetuæ injuriæ, splendidissimo tandem piaculo quieverunt.

Decretæ in Polonos expeditionis causa vetus exstiterat. Facta per Boleslaum III, Poloniæ ducem anno 1138 mortuum, inter filios divisione, natu maximus Uladislaus, Silesiæ et Cracoviæ sorte non contentus, primum conqueri, mox bello manifeste privare fratres. His autem invicem conspirantibus repentino prælio victus fugatusque ad regem Chunradum perfugiens, in fratres opem sollicitat, contra injustæ causæ conscientiam cognatione fretus, erat enim uxor Chunradi regis uterina. Missi per Chunradum legati responsum ambiguum tulere, quippe sciebant fratres regem in Palæstinam procinctum. Nec ille quidquam efficere, quam exsulem Eugenio pontifici commendatum, concesso interim Uladislao in hospitium Altenburgo. Postmodum redux, una cum filio, Henrico rege, diligentiam omnem adhibuit, juvante Eugenio etiam pontifice interdictis per Poloniam sacris. Verum episcopis hæc parum curantibus, infecta negotia Fridericus invenit. Erat autem tantus expeditionis favor, ut secunda Italica posthaberetur, et miles Teutonicus ad Oderam perveniens, inexspectato pontis trajectu, in hostem ultro rueret. Poloni late vastantes propriam terram arcere frustra conati, in deditionem coguntur; sed præter datam pecuniæ summam, et restitutam Uladislao Silesiam, neglectæ cæteræ pacis conditiones.

In Daniæ regnum spectata auctoritas, dum Sueno et Canutus, magni Suenonis Angliæ et Daniæ regis ex filiis nepotes agitatam diu et violenter de corona contentionem imperii judicio submitterent. Res inter prima regni negotia Merseburgi tractata, citatis ac præsentibus litis auctoribus. Regnum Suenoni deberi curia censuit, Canuto Scelandiæ provinciam cum ditionibus nonnullis assignandam. Igitur Sueno statim diademate cinctus, et præstito Friderico regi fidelitatis sacramento, de more cum gladio investitus, in pompa solemni coronatum regem, gladium Domino præferens Vasallus, ad ecclesiam præcessit.

Uladislaum, dictum aliis Boleslaum, Bohemiæ ducem, contra Polonos in regis exercitu egregie promeritum, regia dignitate donavit imperator, eumdem etiam in Ligures insigni robore adfuturum. Postmodum ob neglecta Friderici jussa dignitate iterum privatus, quæsita virtutis præmia in hæredes non transmisit.

Cum Angliæ et Galliæ regibus ut plurimum culta amicitia, nec tamen fida cum Gallo. Siquidem ex recepta primo Burgundia, tum quoque pontificis Alexandri studiis, mutuæ suspiciones, interdum leves injuriæ. Demum et ultimis Friderici annis breve bellum ac tumultuarium propter Flandriæ comitem. Nec tamen præsens imperator, qui expeditionem delegarat. Postremo, Galliæ rege imperatoris auxilium contra Anglum implorante, percussum fœdus, quo facto et Anglus armis abstinuit.

Cum aula Byzantina, donec Eirene superstes, in speciem saltem concordia, benevolentiæ declarationes, proposita fœdera. Mox autem, repertis Græcorum dolis, in legatos injuriæ, fastus et simultates. Tandem et odium implacabile, ex quo Byzantini cum Alexandro pontifice in imperium communicata consilia resciebantur.

Cæterum aula imperatoris omnium ævi longe magnificentissima; principum salutantium perpetua multitudo, curia privata solemnem speciem continuo referens, legationum undique affluentium inexhausta frequentia, dona innumera, et pretio et arte insolita ac viro digna. Medius inter Fridericus

et vultu et habitu imperatorem ostentans, fama gestorum admirationem, gravitate reverentiam, suavitate et facundia amorem omnium sibi conciliabat. Negotiorum et hominum callidissimus, adeuntes ex propositionum tenore ac ordinum dignitate auditos et habitos nunquam non cum æquabili responso dimisit.

§ XIX. *Orbis imperium affectatum.*

Retardata sæpius et fracta principum studiis imperatorum virtus, jam inde a Carolingorum temporibus minus ex iis æstimanda est, quæ perfecit, quam quæ perficere potuerit. Quippe maxima in rebus gerendis consilii unitas ac disponendi certa facultas ad magna molimina convenit, et excelsa cumprimis ingenia decet. *Sed illud odiosum est*, inquit Cicero (96), *quod in hac elatione et magnitudine animi facillime pertinacia et nimia cupiditas principatus innascitur;* id quod in Friderico etiam contigisse animadvertimus. Is enim non modo suorum dissensum indignissime tulit, et æquo severius plerumque repressit, sed exterorum etiam regnum auctoritati invidens, ad universalis imperii fastigia aspiravit. Caroli Magni scilicet exemplum sermone et actu præseferebat, cujus ossa quoque Aquisgrani immensa pompa levata, cum insigni veneratione novo sepulcro recondidit, augustissimo Heroe inter divos relato. Ipse Fridericus divi elogio appellari sustinuit (97), more cæsarum Romanorum. Urbis legatis respondens, antiquæ Romæ dominatum regesque subditos jactabat; absolutam in rebus Ecclesiæ auctoritatem erga Franciæ regem Ludovicum in colloquio Laonensi. Præcipua tumorum fomenta ex invalescente pridem jure Romano, cæsarum Henrici V et Lotharii favoribus evecto. Jamque adhibitæ novæ formulæ in citandis Mediolanensibus; ex lege Romana in Roncaliis definita regni Italici jura, tum etiam feuda Longobardica. Eoque enata tandem illa monstrosa universalis imperii formula, juris Germanici doctorum diutinum ludibrium.

§ XX. *Erga familiam studia.*

Amplificandis gentilitiis opibus ac domus augustæ splendori tanta Fridericus diligentia intendit, ut nullus antea imperatorum. Nec tamen omnino vituperabilis ista cupiditas, dum invalescente feudorum hæreditario jure nepotum virtutibus aut fortunæ spes exigua relinqueretur. Ipsius autem imperii hæreditatem familiæ quæsivisse, cum plurima factorum haud obscura indicia, tum Henrici præsertim filii, patris vestigia prementis, aperta studia prodiderunt. Statim in regem promotus Fridericus avitum Sueviæ et Alsatiæ (sc. Alemanniæ) ducatum Friderico, Chunradi filio, incertum pacto an gratia, resignavit. Mox inde Chunradum fratrem consanguineum Hermanno comiti palatino Rheni, absque prole decedenti, substituit. Henricum filium primogenitum tenerrima adhuc ætate Germaniæ regem creari fecit, quem posthac juvenem ingenio et studiis patri simillimum tam impense dilexit, ut coronatum Italiæ regem ac Siciliæ futurum hæredem coronandum quoque imperatorem et regni socium moliretur. Filiorum alteri Friderico, post orbam patruelis Rothenburgici mortem, Alemanniæ ducatum in cunas contulit. Othonem tertiogenitum, in cunis itidem balbutientem, Burgundiæ comitem palatinum renuntiavit, exauctorato per conventionem Burgundiæ rectore, Bertholdo Zaringiæ duce. Quod quidem iniquius visum in principem optime de Friderico promeritum, excusatione tamen haud caret. Etenim duplici veluti jure Fridericus Burgundiam obtinuit, cum obsoletam satis imperii auctoritatem, ipse ditissimus Burgundiæ princeps ex connubio Beatricis, dotalibus terris amplissimis augeret, et Bertholdo præter honoris elogium pridem nihil restitisset. Filium quartum Chunradum Herbipolensi Franconiæ ducem præposuit, post cælibem Friderici fratris in Palæstina decessum, Sueviæ ducem futurum. Natu minimum denique Philippum, ecclesiasticis forte fastigiis primo destinatum, Tusciæ dominum ac terræ Mathildis instituit, a Guelpho duce redemptæ. Cæterum omnibus hisce donis nihil fecit aliud imperator, quam quod avita pleraque beneficia, ex invalescente tunc hæreditatum more, familiæ assereret, adeoque temporum potius, quam aviditatis ista studia existimanda.

(96) *De officiis*, l. I, c. 19.
(97) Testes Radevici Fris. libri, imperatoris hortatu scripti.

GUNTHERI POETÆ

LIGURINUS

SIVE

DE REBUS GESTIS IMPER. CÆS. FRIDERICI, AUG.

Cognomento Ænobarbi

LIBRI DECEM.

Tu patriæ laudis juvenis desertor et hostis,
Atque peregrinæ cultor egene famæ;
Suspice Teutonici lætissima culmina regni,
Terrarum domini, gentiliumque decus.
Jamque age, priscorum dignus de stirpe parentum,
Collige virtutes, promere tempus erit.

NOTARUM COMPENDIA.

A. Augustana editio princeps, 1507. fol.
Sp Spiegelliana. Argentorati. 1531. fol.
P. Pithœana seu Pernæ. Basileæ 1569, fol.
R. Reuberiana prima. Francof. ad Moen. 1584.
Rs Rittershusiana Tubingæ 1598. 8. Ejusque notæ. Tubingæ 1597, 8.
R. Jo. Reuberiana tertia, cura Geo. Christi Joannis. Francof. 1726. fol.
B. Barthii breves in Guntherum stricturæ in ejus Adversariis.
Pfl. Pflugii monita Rittershusio allegata.
SC. Scioppii monita. Ibidem.
V. Vonkii Emendationes in lection. Latin. lib. ii, c. 4. p. 124-132.
W. Withofii specimen in Guntheri Ligurinum et notæ alibi occurrentes.
m. mavult.
pp. proposuit.
r. restituit.
rr. reliquæ editiones.
s. sequitur.
ss. sequuntur, v. sequentes editiones.
c. correctura manu adscripta, comprimis exemplari Augustanæ præstantissimo Biblioth. acad. Friburg.
* Lectio videns omnino bona, quam tamen in textum contra fidem editionis principis Augustanæ recipere non urget necessitas.
(*) Lectio seu locus innuens auctorem temporibus Friderici I, Cæsaris æqualem.
† Lectio seu emendatio non admittenda.
†† Lectio pessima pro emendatione obstrusa.
(†) Lectio recentiorem auctorem et a Gunthero alienum ostendens in præmissis librorum argumentis; at quatenus occurrit signum ipsius Ligurini textui subjectum, innuens lectionem seu locum creditæ auctoris ætati non æque convenire.
o Vitium typothetæ editionis principis Augustanæ, quod sequentes editores vel in errorem rapuisse, vel frustra exercuisse videtur.

Lectiones seu notæ, quibus nullum vel assensus vel dissensus signum appositum, haud magni momenti reputavi; quibus nullum auctoris nomen additum, eæ quidem editoris periculo venire censeantur.

ARGUMENTA

LIGURINI LIBRIS INCERTA MANU PRÆFIXA.

—

PRIMUS habet primos electi regis honores.
Sceptra manu, primamque sacra cervice coronam
Gestat Aquis : merita Trajectum protinus ira
Flectit : et hinc magnas invisit rex puer urbes.
Dat populis leges, et pristina jura reformat.
Sceptraque Danorum [1], cognata lite dirempta,
Donat habenda Petro ; cupiens indicere bellum
Pannonibus, multo procerum fidoque rogatu
Vincitur : ingentis causam fomentaque belli,
Exceptum patruo reddit tibi, Saxo, ducatum.

Regia trans Alpes producit signa SECUNDUS,
Cæsare Runcaliis posito, ceu sideris ortu
Illustrata novi plebs Itala gaudet, et omnes
Suppressas dudum properant efferre querelas.
Laudaque præcipue Cuma cum supplice noxas
Incusat Ligurum : quorum rex fraude reperta
Nobile præsidium capit, evertitque Rosatum.
Vastat cæde reos, turres cum pontibus urit,
Castra rapit Ligurum, Cairam subvertit et Astum :
Obsidione gravi Terdonæ mœnia cingit.

TERTIUS obsessam tradit victoribus urbem ;
Civibus expulsis vastantur mœnia flammis.
Victori meritos devota Papia triumphos
Exhibet : hinc Tuscas tendit Fridericus in oras.
Munera portantes Pisanos laudat, eisque
Imperat in Siculum validas armare carinas.
Occurrit præsul Romanus, et impia plebis
Acta suæ queritur : periitque [2] procax Arenoldus.
Urbem ingressuro patriæ mandata diserti
Imperiosa ferunt, responsaque dura reportant

QUARTUS in imperium supremaque nomina regem
Promovet, Ausoniam sacrata in sede coronam
Induit : hinc æstum, violentique ætheris iram
Morbida castra ferunt, et dira peste laborant.
Mox ausam falsa fiscum [3] fraudare moneta
Spoletum vindex ferro populatur et igne.
Apuliam, Calabrosque parat invadere fines ;
Dissuasu procerum concepta negotia mutat.
Milite dimisso, natalia rura revisens,
Condigna sævos exstinguit morte latrones.

QUINTUS in occursum redeuntis concitat urbes
Principis, expansis hilarescunt oppida valvis.
Bellorum strepitus, incendia damna, rapinas,
Vindicat, et merita consumit clade nocentes.
Cumque Palatino comites bis quinque potentes
Ferre canes scapulis fœdissima pondera cogit.
Omnibus in formam solida jam pace reductis
Casta Beatrici partitur fœdera lecti :
Nominis antiqui patruo vir mitis honorem
Servat, et esse novum jubet Austria rura ducatum.

SEXTUS in indomitos regalia signa Polonos
Excitat : Herbipolim repetit post prælia victor.
Plena dolis Graios sprevit [4] mandata ferentes.
Anglicus eximium mittit tentoria munus.
Chrysopoli positum [5] papalis epistola verbis

VARIÆ LECTIONES.

[1] (✝). [2] *perit igne* W. [3] W. — A. ss. *fidum*. o. [4] *spernit?* [5] Rs. — *positis* A. forte : *positos*.

Ambiguis suspecta movet : mox Norica princeps
Rura petit : patruosque suos in fœdera cogit
Prisca : Labeslaum regem creat ex duce primum.
Pace domi facta, Ligures invadere bello
Approperat, revocatque suas in castra cohortes.

SEPTIMUS Augustæ conventum indicit : et inde
Intrat ad Italiam summos sumpturus honores.
Hinc Graium fraudes memorat, legataque papæ,
Atque interceptos comites, rescriptaque narrat.
Dacorum regi donantur sceptra, et ab Arcto
Conveniunt gentes, Ligurum et contendit ad urbem
Scribuntur leges : proceres hortatur; et ira
In Liguros totus candet fortissimus heros [6].
Acriter ad Trecium pugnatur, et obsidione
Mœnia cuncta quatit, portas, turresque refringit.

OCTAVO Ligurum speculatur providus urbem
Cæsar : et antiqui theatri [7] procul aspicit arcem.
Mutua bella gerunt Ticinum [8], Cremonaque fortis:
Inde fames, pestisque ferox Ligurum urbe fremebat [9]
Guido [10] Bladerensis [11] causam, sed pacis, agebat
Et [12] Cæsar pacis dederat [13] mox conditionem [14]
Civibus, et pulchrum duxit de more [15] triumphum.
Dimittit proceres, Tisuidum et castra reformat,
Curia Roncaliis mandatur ; et castra metatur :
Consilium [16] celebrat : feudalia juraque dantur.

Ære Placentinus Cremonenses [17] damnat : et inde
Cæsar Sardiniæ fines [18] Januamque tenebat.
Ille Frisingus Otho moritur : mox papa superbit.
Deficiunt Ligures, veniunt legata : Ligurque
Victus erat, papæ sua pristina jura reponens.
Pugnaque conseritur, cum magna clade suorum :
Depopulatur agros, et cingitur obsidione
Ligur, et ingentem capiunt sua mœnia cladem.
Cumque fame jam pestis adest : et crimine magno
Insidiæ regi, Ligurum de more struuntur.

In DECIMO magni conjux Augusta Beatrix
Cæsaris, Italicas venit deducta sub oras,
Principibus comitata suis : et Crema gemiscit.
Castra locat, Romamque suam clementius audit.
Hinc redit ad Ligures victor, papamque creavit.
Crema petit pacem, rursus Liguresque petuntur.
Tandem concepta princeps perferbuit ira,
Urbs Ligurina cadit [19], viginti millia capti
In cinerem ip a fluit [20] Cæsar dat munera, grates,
Castraque dimittit, Ligurinus carmina scribit [21].

LIBER PRIMUS.

Ardua sollicito versu, memorandaque seclis A
Gesta cano : mundoque tuos, *Friderice*, triumphos,
Atque tibi toties conatam illudere frustra
Fortunam, vulgare paro : monstrique biformis
Ambiguos vultus, motusque volubilis orbem
Frenatum virtute tua, casusque sinistros
Exceptos habitu quo prospera mentis eodem.
Res onerosa quidem, nec præsumenda minori
Ingenio, magnisque etiam metuenda poetis.
Sed tamen exiguas amor et devotio vires
Supplebit : fragilemque animi spes magna vigorem
Fulciet : affectusque pios Fortuna juvabit.
Jamque adeo, si quid studio possemus in isto
Experti, nosterque legi *Solymarius* audet,
Atque etiam fortasse placet : quem gratulor ante

VARIÆ LECTIONES.

[6] (†) [7] (†) [8] (†) [9] *fremebant?* [10] (†) [11] (†) [12] Ut P. Rs. [13] *dederit* P. Rs. [14] *conditiones?* [15] *morte* Rs. †. [16] *concilium?* [17] vel corruptum, vel falsum : forsan : *Placentinos Cremonensis?* [18] falsum. [19] falsum — *Cremaque victa jacet.* P. ss. † (†) [20] *Urbs fluit in cinerem* P. ss. †. (†). [21] Ligurinus obambulat aulam. Sp. ss. †. (†)

Regales penetrasse domos, puerique potentis A
Ingenuas tetigisse manus, præludia quædam
Illud opus, ceu prima novæ tentamina Musæ,
Et munus puerile fuit: nunc altera summo
Dona viro, scriptos propria de laude libellos
Offerimus: pariterque patrem cum prole canentes,
Omnibus ista simul consorti jure dicamus.
Suscipe cunctorum regnator Maxime regum,
Suscipe lux mundi, cui nullum parve priusve
Spirat in orbe caput: te gaudet, principe, mundus:
Te populi, te regna timent: te solis ab ortu
Solis ad occasum, submisso vertice cuncti
Suspiciunt: dominumque simul, regemque fatentur. B
Nec solum nostri, vir maxime, temporis omnes
Prægrederis virtute viros; sed cuncta retrorsum
(Pace loquar veterum) cedunt tibi nomina regum.
Solus ab Augusto consorti gaudet honore,
Et socium claris admittit Carolus actis.
Certa quidem vatis dementia, carmen agreste
De tanto cecinisse viro; sed parce furori
Princeps magne pio; nec te præsumptio nostra
Exagitet; solis licet insanire poetis.
Cernis [22] ut æstivi blando spiramine solis,
Ceu pecudes hominumque genus: sic parvula opaci C
Monstra soli, viridesque solent gaudere lacertæ.
Utque suo volucres cœlum modulamine mulcent:
Sic fruticosa leves quatiunt arbusta cicadæ.
Imo etiam mos est, ut plus cantare laborent,
Qui gravius cantant; et balbi plura loquuntur [23].
Sic ego, quem celebres optant laudare poetæ,
Nec digne laudare valent, temerarius ausu
Præcipiti, tenuique paro celebrare camœna
Annue sollicito, princeps mitissime, vati,
Officioque pium devoto intende favorem.
Vos quoque, Cæsarei juvenes, quos inde paterna D
Nobilitas veterum traducta ab origine regum,
Hinc [24] matris commendat honos, seriesque vetusti
Sanguinis, et claræ Rainaldus originis auctor.
Annuite, et vestras [25] pariter magnique parentis,
(Hoc etenim commune sacrum est) admittite laudes.
Tu primum placatus ades, qui jure paterno.
Virtutum regnique simul successor et hæres,
Sceptra geris: magnisque patrem virtutibus æquas,
Rex puer: et jam nunc Italis, Tuscisque timendus,
Eridanum, Tiberimque premis; fortassis et ista
Indolis acta tuæ, quæque ipse sequentibus annis
Adjicies virtute tua, modo vivere detur
Et sceptris placuisse tuis, Henrice, canemus.
O bene, quod talem divina potentia regem
Instituit: qui sic studiis imbutus honestis,
Novit ab insipido doctum secernere vulgo;
Jamque diu mutas, solitasque silere camœnas
Excitat ad veterem digna mercede laborem.
Tu quoque, quem patrio reverendum nomine Rhenus,
Et metuenda aliis formidat Suevia terris,
Dux Friderice ducum, nostræ munuscula curæ
Suscipe: nec parvi placidus monimenta laboris,
Porrectaque manu magno sub fasce labantem,
Oppressumque metu (siquidem potes) erige vatem.
At [26] tibi, cui Rhodanus totus famulatur ab ortu
Usque suo, totusque fluit, dum gurgite fesso
Oceani tumidis tandem se misceat undis,
Hæc placuisse velim: dubium, puer inclyte, dici
Rexne Comesne [27] velis: veterum nam regna potenter
Allobrogum materna regis, regnique decore
Dignus, ab excelso nomen deducis Othone.
Nec tu, regifico Chunradi nomine clarus,
Ac verus virtute nepos, cui fœdere certo
Nominis et juris, succedens, Franconia rura
Herbipolimque regis, primæ cui munera Musæ
Obtulimus, scriptos sacra de sede libellos,
Prætereundus eris; sed hic quoque nomen habere
Te volumus, partemque novi sacramus [28] honoris.
Ultima magnifici, sed non minus inclyta, proles
Principis, oblatum puerili suscipe dextra
Munus, et his gaudens allude Philippe libellis,
Quod tibi venturi promittere nomen honoris
Rite queam? Comitemne vocem, regemne, ducemne,
Pontificemne magis? sic quippe est fama, verendum

VARIÆ LECTIONES.

[22] Rs. — *certus* A. o. *cervus* Sp. P. R. ††. [23] *loquantur*. m. Rs. †. [24] Rs. *nunc*. A ss. o. [25] Rs. *nostras* A. ss. o. [26] *Ac*. Sc. [27] *Duxne* B. †. (*) [28] *dicamus* Sp. † (*)

Disposuisse patrem: cujus præsagia nunquam A
Fallere fata solent, rerumve incognitus ordo.
Quidquid eris, nobis jam magnus es, atque venerandus,
Jam te non puerum, sed sacra tempora mitra
Velatum, celsa residentem fingo cathedra.
O vere magni proles generosa parentis
O vere felix dulci de stipite fructus!
O vere famosa domus, cui totus ab ortu
Solis ad occiduas mundus substernitur undas;
Quam qui novit amat, qui non novere, verentur.
Cujus in auditu [29], confusis mentibus hostes
Tabescunt, contraque nihil se posse fatentur;
Nam pater invalido [30] robustus et integer ævo B
Extimulat, teneram ducitque per ardua prolem.
Illa velut patriæ sectatrix æmula laudis,
Accelerat: tardamque [31] putat, damnoque futurum,
Exspectare dies, meritisque supervenit annos.
Quisnam igitur talem, tali cum prole parentem,
Laude satis digna poterit celebrare poeta?
Et tamen aggrediar; liceat modo fortia gesta
Eximii memorare viri; non omnia, sed quæ
Pulchra magis; quis enim, si prosequar omnia, codex
Hæc capiet? seu quis poterit percurrere lector?
Illa quidem officio magnorum clara virorum
Sunt satis: et metus est, ne dum prodesse laboro, C
Inveniar nocuisse magis, rebusque serenis
Arguar insanus tenebras obducere vates.
Est tamen et ratio, quæ forsitan ausa tueri
Nostra queat, veniamque dare, et detergere culpam.
Qui scripsere prius, cupientes ordine certo
Historiæ servare fidem, non pauca videntur
Inseruisse suis (liceat modo dicere) chartis
Quæ neque Cæsareos augent vehementer honores,
Nec contexta rei, sed tanquam assuta cohærent.
At nos, si quid erit pulchrum minus, eximiumque,
Vel quod ad egregios non multum Cæsaris actus
Pertineat, veri nihil adjectura decoris D
Sponte relinquentes, tantum potiora secuti,
De multis modicam nitemur condere summam:
Claudendumque manu forma breviora libellum,
Ad demulcendas conflare legentibus aures:
Ac velut e pleno, decerptis floribus, horto,
Principe digna suo breviter compingere serta.
Si quem igitur rerum prolixior ordo, fidesque
Incorrupta juvat, doctorum scripta virorum
Consulat, atque ipso latices de fonte petitos
Hauriat: at si quis summatim carpere tantum [32]
Rem satis esse putat, nostris apponat ocellum,
Et medio [33] tenuem de gurgite sorbeat undam.
Præterea [34] rerum freti splendore, simulque
Artifici sermone suo, sensuque profundo,
Materiæ insigni metricas asciscere leges
Spreverunt: puduitque reor, puerilibus illos
Lascivire jocis, et inanes texere nugas.
Nos autem, sermone rudes, animoque pusilli,
Singula sub numerum certa ratione vocantes
Verba, superposito velabimus inlita fuco:
Ut quem forte parum male cultus sermo movebit,
Hunc saltem structura pedum, versusque canori
Detineant, sitque hic aliquid laudabile nostrum.
Nunc age, præmissis quæ vel res ipse monebat,
Vel vatis studiosus amor, solamine tuti
Principis ac juvenum, de re, quod restat, agamus.
Atque adeo præsens, ex illo tempore textus
Incipiat, quo prima sacra, Friderice, tulisti
Sceptra manu: licet ante quidem non pauca relatu
Digna, vel a tenero gessisti fortiter ævo.
Nam neque prima tuæ nobis monimenta juventæ
Percensere vacat, nec quæ crescentibus annis
Sub patre, vel patruo cunctis memoranda tulisti.
Illa suis speciosa locis; nos regia tantum
Gesta levi calamo, quadam brevitate sequemur.
Annus ab urbe nova millesimus, utque notetur
Res, qua voce potest, octingentesimus ibat:
Vel magis, ut Christi, qui tempora condidit, ortu
Tempora distinguas, millenis adjice centum,
Mox quinquagenis subnectens quatuor annis [35]:
Temporis hæc series effluxerat, orbaque regni
Teutonici sedes Chunradi morte vacabat.
Acturi sacræ de successore coronæ
Conveniunt proceres, totius viscera regni,
Sede satis nota, rapido quæ proxima Mogo
Clara situ, populoque frequens, murisque decora est,
Sed rude nomen habet: nam Teutonus incola dixit
Franconefurt: nobis liceat sermone Latino
Francorum dixisse vadum: quia Carolus illis
Saxonas indomita nimium feritate rebelles
Oppugnans, rapidi latissima flumina Mogi
Ignoto fregisse vado, mediumque per amnem
Transmisisse suas neglecto ponte cohortes
Creditur; inde locis mansurum nomen inhæsit.
Huc sacri, celebresque viri, quos laude serena
Infula, vel gladius mundo facit esse verendos,
Ex omni regione fluunt, ad publica regni
Commoda: de summis agere ac disponere rebus

VARIÆ LECTIONES.

[29] *inaudita* A. Rs. o. [30] *in valido* Rs. [31] A. Rs. — rr. *tardumque.* [32] *tantum.* Rs. [33] *modico.* B. †. [34] *præteriti.* B. ††. [35] Idem annus, licet falso, notatur in cod. mscr. Othonis Frising. testante Muratori *SS. rer. Ital.*, tom. VI, p. 699, Not. 1.

Exacta ratione parant, eque omnibus unum
Qui modo sit tanto succedere dignus honori,
Præfecisse sibi celeri pietate laborant.
Sic ubi noctivago stellarum lumine puppis
Decurrit pelago, si forte nocentibus illam,
Qua regitur cursus tenebris premit invida nubes.
Abrumpitque vias, alio sibi sidere nauta
Quærit iter, clavique modum, velique tenorem
Innovat, et radiis accommodat arte carinam.
Sic [26] postquam sedere duces, dubioque volutant
Pectore, cui tanti regni tribuantur honores
Saxones, et quorum Ripuaria nomine tellus,
Westualiæque urbes, et Norica rura regentes,
Allobrogumque duces coeunt, Cimbrique feroces,
Quos perfusa suo pugnax Germania Rheno
Misit, et a magno tellus signata Luthero.
Vindelici, Rhætique ruunt, quos Suevia nutrit,
Quosque Carentinis collimitat Austria campis,
Quos Lycus, et tumidis Ister prælabitur undis;
Quique [27] suos urbes huc direxere potentes,
Claraque Teutonici coierunt nomina regni.
Nec minus ex Italis multos, et gente Latina
Traxerat huc rerum miratrix fama novarum;
Concilium, regemque novum, faciesque verendas
Aspexisse ducum, famosaque nomina nosse
Optabant, populisque suis exacta referre.
Ergo ubi tanta patres audire negotia, dignum
Insedere locum, diverso magna favore
Pondera librantes, nunc hos, nunc protinus illos
Inspiciunt : versantque diu moresque genusque,
Ingenium, famam, fortunæ simplicis usum,
Eventum, finemque simul, quæ commoda regni
Inde fluant, quæ damna sui : judexne severus,
An facilis, pius, anne ferox, largitor honestus,
Anne rapax, pacem portendat [28], an arma minetur,
Omnia sollicito curarum examine pensant.
Tandem quid peteret regni fortuna, per unum
Dignata est aperire virum : qui nomine clarus,
(Dux, comes, an præsul, dubium) formaque verendus,
Consilioque potens, et persuadere peritus,
Surgit. et ut magnis vocem cum corpore rebus
Composuit, facunda pater sic ora resolvens,
Omnia suasibili permulsit pectora voce :
Francorum proceres, quos inclyta robora regni,
Et validas nunquam pudeat dixisse columnas,
Scitis ut e medio, dolet heu; sublatus acerbo
Funere Chunradus vitam regnumque reliquit :
Nunc igitur (veluti cum luditur alea) prudens,
Si qua male acciderint, ea lusor corrigit arte :
A Sic nos humanæ lusit quos alea sortis,
Consilio fati casum properemus iniqui
Corrigere, et tanto solatia ferre dolori.
In manibus vestris regnum est : ea quippe potestas
Ad vos more suo, semper viduata recurrit.
Regibus est aliis potiundi jure paterno
Certa fides, sceptrumque patris novus accipit hæres.
Nos, quibus est melior libertas, jure vetusto
Orba suo quoties vacat inclyta principe sedes,
Quodlibet arbitrium statuendi regis habemus.
Ex quo Romanum nostra virtute redemptum
Hostibus expulsis, ad nos justissimus ordo
Transtulit imperium; Romani gloria regni
B Nos penes est : quemcunque sibi Germania regem
Præficit, hunc dives submisso vertice Roma
Suscipit, et verso Tiberim regit ordine Rhenus.
Consulite in medium, tantaque a plebe potentum,
Unum, quem tanto deceat succedere regi,
Eligite, Ausoniam dignum gestare coronam.
Ast ego, si vestra, quæ sit sententia mentis,
Pace monere licet, quo nostri pondera vergant
Consilii (vos rem propius perpendite) promam.
Est hic eximiæ juvenis probitatis, et alto
Nomine majorum clarus, sed clarior actis
Ipse suis, patrii Fridericus nominis hæres,
C Suevus, et a veterum non longe sanguine regum,
Quem sibi, dum supera frueretur luce superstes,
Rex patruus dignum gaudebat habere nepotem,
Multaque cognati mandare negotia regni
Sueverat, et socium summis adciscere rebus.
Quid juvenis de laude loquar? quid fortia primæ
Acta juventutis? quid, quod peregrina secutus
Castra Dei, primis [29] tyro famosus in armis
Gessit? et invicta quantos virtute labores
Pertulit, expediam? timeo, ne multa loquendo
Inveniar dixisse minus. Notissima res est,
Quam qui forte negat, nunquam vidisse diurnos
Se Phœbi radios, nec verno tempore flores,
Æstibus aut mediis audisse tonitrua dicat.
Hunc ego rectorem fausto clamore cieri,
D Incingique sacro nitidos diademate crines,
Et moneo, et nunquam, fateor, monuisse pudebit.
Si satis hunc novi, nec me præsagia fallunt,
Nobilitate viget, claroque hinc sanguine reges,
Inde duces contingit avos : facundia dulcis,
Forma nitens, animusque sagax, manus impigra, solers
Consiliis, belloque ferox et pace modestus,
Mente senex, ætate puer, prudentia rerum,

VARIÆ LECTIONES.

[26] *hic.* B. [27] *quæque* Rs. [28] *pacem partendat* (*). [29] P. Rs.—A. rr. *primus.* — Emendat. sibi sumit W.

Disposuisse patrem : cujus præsagia nunquam A
Fallere fata solent, rerumve incognitus ordo.
Quidquid eris, nobis jam magnus es, atque verendus,
Jam te non puerum, sed sacra tempora mitra
Velatum, celsa residentem fingo cathedra.
O vere magni proles generosa parentis
O vere felix dulci de stipite fructus!
O vere famosa domus, cui totus ab ortu
Solis ad occiduas mundus substernitur undas;
Quam qui novit amat, qui non novere, verentur.
Cujus in auditu [29], confusis mentibus hostes
Tabescunt, contraque nihil se posse fatentur;
Nam pater invalido [30] robustus et integer ævo B
Extimulat, teneram ducitque per ardua prolem.
Illa velut patriæ sectatrix æmula laudis,
Accelerat : tardamque [31] putat, damnoque futurum,
Exspectare dies, meritisque supervenit annos.
Quisnam igitur talem, tali cum prole parentem,
Laude satis digna poterit celebrare poeta?
Et tamen aggrediar; liceat modo fortia gesta
Eximii memorare viri; non omnia, sed quæ
Pulchra magis; quis enim, si prosequar omnia, codex
Hæc capiet? seu quis poterit percurrere lector?
Illa quidem officio magnorum clara virorum
Sunt satis : et metus est, ne dum prodesse laboro, C
Inveniar nocuisse magis, rebusque serenis
Arguar insanus tenebras obducere vates.
Est tamen et ratio, quæ forsitan ausa tueri
Nostra queat, veniamque dare, et detergere culpam.
Qui scripsere prius, cupientes ordine certo
Historiæ servare fidem, non pauca videntur
Inseruisse suis (liceat modo dicere) chartis
Quæ neque Cæsareos augent vehementer honores,
Nec contexta rei, sed tanquam assuta cohærent.
At nos, si quid erit pulchrum minus, eximiumque,
Vel quod ad egregios non multum Cæsaris actus
Pertineat, veri nihil adjectura decoris D
Sponte relinquentes, tantum potiora secuti,
De multis modicam nitemur condere summam :
Claudendumque manu forma breviora libellum,
Ad demulcendas conflare legentibus aures :
Ac velut e pleno, decerptis floribus, horto,
Principe digna suo breviter compingere serta.
Si quem igitur rerum prolixior ordo, fidesque
Incorrupta juvat, doctorum scripta virorum
Consulat, atque ipso latices de fonte petitos
Hauriat : at si quis summatim carpere tantum [32]
Rem satis esse putat, nostris apponat ocellum,
Et medio [33] tenuem de gurgite sorbeat undam.
Præterea [34] rerum freti splendore, simulque
Artifici sermone suo, sensuque profundo,
Materiæ insigni metricas asciscere leges
Spreverunt : puduitque reor, puerilibus illos
Lascivire jocis, et inanes texere nugas.
Nos autem, sermone rudes, animoque pusilli,
Singula sub numerum certa ratione vocantes
Verba, superposito velabimus inlita fuco :
Ut quem forte parum male cultus sermo movebit,
Hunc saltem structura pedum, versusque canori
Detineant, sitque hic aliquid laudabile nostrum.
Nunc age, præmissis quæ vel res ipse monebat,
Vel vatis studiosus amor, solamine tuti
Principis ac juvenum, de re, quod restat, agamus.
Atque adeo præsens, ex illo tempore textus
Incipiat, quo prima sacra, Friderice, tulisti
Sceptra manu : licet ante quidem non pauca relatu
Digna, vel a tenero gessisti fortiter ævo.
Nam neque prima tuæ nobis monimenta juventæ
Percensere vacat, nec quæ crescentibus annis
Sub patre, vel patruo cunctis memoranda tulisti.
Illa suis speciosa locis; nos regia tantum
Gesta levi calamo, quadam brevitate sequemur.
Annus ab urbe nova millesimus, utque notetur
Res, qua voce potest, octingentesimus ibat :
Vel magis, ut Christi, qui tempora condidit, ortu
Tempora distinguas, millenis adjice centum,
Mox quinquagenis subnectens quatuor annis [35] :
Temporis hæc series effluxerat, orbaque regni
Teutonici sedes Chunradi morte vacabat.
Acturi sacræ de successore coronæ
Conveniunt proceres, totius viscera regni,
Sede satis nota, rapido quæ proxima Mogo
Clara situ, populoque frequens, murisque decora est,
Sed rude nomen habet : nam Teutonus incola dixit
Franconefurt : nobis liceat sermone Latino
Francorum dixisse vadum : quia Carolus illis
Saxonas indomita nimium feritate rebelles
Oppugnans, rapidi latissima flumina Mogi
Ignoto fregisse vado, mediumque per amnem
Transmisisse suas neglecto ponte cohortes
Creditur; inde locis mansurum nomen inhæsit.
Huc sacri, celebresque viri, quos laude serena
Infula, vel gladius mundo facit esse verendos,
Ex omni regione fluunt, ad publica regni
Commoda : de summis agere ac disponere rebus

VARIÆ LECTIONES.

[29] *inauditu* A. Rs. o. [30] *in valido* Rs.* [31] A. Rs. — rr. *tardumque.* * [32] *tantum.* Rs. [33] *modico.* B. †. [34] *præteriti.* B. ††. [35] idem annus, licet falso, notatur in cod. msct. Othonis Frising. testante Muratori *SS. rer. Ital.*, tom. VI, p. 699, Not. 1.

Exacta ratione parant, eque omnibus unum
Qui modo sit tanto succedere dignus honori,
Præfecisse sibi celeri pietate laborant.
Sic ubi noctivago stellarum lumine puppis
Decurrit pelago, si forte nocentibus illam,
Qua regitur cursus tenebris premit invida nubes,
Abrumpitque vias, alio sibi sidere nauta
Quærit iter, clavique modum, velique tenorem
Innovat, et radiis accommodat arte carinam.
Sic[36] postquam sedere duces, dubioque volutant
Pectore, cui tanti regni tribuantur honores
Saxones, et quorum Ripuaria nomine tellus,
Westualiæque urbes, et Norica rura regentes,
Allobrogumque duces coeunt, Cimbrique feroces,
Quos perfusa suo pugnax Germania Rheno
Misit, et a magno tellus signata Luthero.
Vindelici, Rhætique ruunt, quos Suevia nutrit,
Quosque Carentinis collimitat Austria campis,
Quos Lycus, et tumidis Ister prælabitur undis;
Quique[37] suos urbes huc direxere potentes,
Claraque Teutonici coierunt nomina regni.
Nec minus ex Italis multos, et gente Latina
Traxerat huc rerum miratrix fama novarum;
Concilium, regemque novum, faciesque verendas
Aspexisse ducum, famosaque nomina nosse
Optabant, populisque suis exacta referre.
Ergo ubi tanta patres audire negotia, dignum
Insedere locum, diverso magna favore
Pondera librantes, nunc hos, nunc protinus illos
Inspiciunt : versantque diu moresque genusque,
Ingenium, famam, fortunæ simplicis usum,
Eventum, finemque simul, quæ commoda regni
Inde fluant, quæ damna sui : judexne severus,
An facilis, pius, anne ferox, largitor honestus,
Anne rapax, pacem portendat[38], an arma minetur,
Omnia sollicito curarum examine pensant.
Tandem quid peteret regni fortuna, per unum
Dignata est aperire virum : qui nomine clarus,
(Dux, comes, an præsul, dubium) formaque verendus,
Consilioque potens, et persuadere peritus,
Surgit, et ut magnis vocem cum corpore rebus
Composuit, facunda pater sic ora resolvens,
Omnia suasibili permulsit pectora voce :
Francorum proceres, quos inclyta robora regni,
Et validas nunquam pudeat dixisse columnas,
Scitis ut e medio, dolet heu; sublatus acerbo
Funere Chunradus vitam regnumque reliquit :
Nunc igitur (veluti cum luditur alea) prudens,
Si qua male acciderint, ea lusor corrigit arte :
A Sic nos humanæ lusit quos alea sortis,
Consilio fati casum properemus iniqui
Corrigere, et tanto solatia ferre dolori.
In manibus vestris regnum est : ea quippe potestas
Ad vos more suo, semper viduata recurrit.
Regibus est aliis potiundi jure paterno
Certa fides, sceptrumque patris novus accipit hæres.
Nos, quibus est melior libertas, jure vetusto
Orba suo quoties vacat inclyta principe sedes,
Quodlibet arbitrium statuendi regis habemus.
Ex quo Romanum nostra virtute redemptum
Hostibus expulsis, ad nos justissimus ordo
Transtulit imperium; Romani gloria regni
B Nos penes est : quemcunque sibi Germania regem
Præficit, hunc dives submisso vertice Roma
Suscipit, et verso Tiberim regit ordine Rhenus.
Consulite in medium, tantaque a plebe potentium,
Unum, quem tanto deceat succedere regi,
Eligite, Ausoniam dignum gestare coronam.
Ast ego, si vestra, quæ sit sententia mentis,
Pace monere licet, quo nostri pondera vergant
Consilii (vos rem propius perpendite) promam.
Est hic eximiæ juvenis probitatis, et alto
Nomine majorum clarus, sed clarior actis
Ipse suis, patrii Fridericus nominis hæres,
C Suevus, et a veterum non longe sanguine regum,
Quem sibi, dum supera frueretur luce superstes,
Rex patruus dignum gaudebat habere nepotem,
Multaque cognati mandare negotia regni
Sueverat, et socium summis adciscere rebus.
Quid juvenis de laude loquar? quid fortia primæ
Acta juventutis? quid, quod peregrina secutus
Castra Dei, primis[39] tyro famosus in armis
Gessit? et invicta quantos virtute labores
Pertulit, expediam? timeo, ne multa loquendo
Inveniar dixisse minus. Notissima res est,
Quam qui forte negat, nunquam vidisse diurnos
Se Phœbi radios, nec verno tempore flores,
Æstibus aut mediis audisse tonitrua dicat.
D Hunc ego rectorem fausto clamore cieri,
Incingique sacro nitidos diademate crines,
Et moneo, et nunquam, fateor, monuisse pudebit.
Si satis hunc novi, nec me præsagia fallunt,
Nobilitate viget, claroque hinc sanguine reges,
Inde duces contingit avos : facundia dulcis,
Forma nitens, animusque sagax, manus impigra, solers
Consiliis, belloque ferox et pace modestus,
Mente senex, ætate puer, prudentia rerum,

VARIÆ LECTIONES.

[36] *hic*. B. [37] *quæque* Rs. [38] *pacem partendat* (*). [39] P. Rs.—A. rr. *primus*. — Emendat. sibi sumit W.

Certus amor, robusta fides, constantia mentis A
Nec frangenda malis, nec sustollenda secundis,
Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,
Tranquillus placidis, ferus indomitusque superbis,
Supplicibus facilis, justis pius, asper iniquis,
Fortis ad instantes casus, prudensque futuri,
Præteritique memor, sociis bonus, impius hosti,
Hæc sunt, o proceres, hæc sunt quæ regna tueri
Ac munire solent: his artibus infima crescunt,
Maxima servantur: ni fallimur, artibus istis,
Seque suosque reget: neque enim quas hactenus ultro
Et gratis coluit, sumpta mercede relinquet.
Nam quod summa probos mutare potentia mores B
Dicitur, ex alia sumptum magis æstimo causa:
Si quis forte sibi perversæ conscius artis,
Ingeniique mali, tacitis captator honoris
Tempore dissimulat: cum quod cupiebat, adeptus,
In vitium moresque redit, mutasse videntur
Immeritique hominem violasse putantur honores,
Quos magis ille malo corrumpit et inquinat usu.
At cuicunque bonum, et nullo violabile casu
Ingenium natura dedit, si lætus honorem
Forte tulit, quo dignus erat, tunc tempore rapto,
Illa latens probitas læto pubescere fructu
Incipit; et sese virtutum germina produnt.
Sic puer a tenero castis qui moribus ævo C
Floret, et hunc habitum naturæ vertit in usum,
Qualis erit? quantusve putas? quæ gloria regni?
Quis decor imperii tanto sub principe surget?
Hunc ipsum voluisse suis succedere regnis
Et patrum, res ipsa probat, cui sanguine juncto;
Ac velut hæredi moriens insignia nuper
Regia, nil parva sperans de prole, reliquit.
Quippe Deus, si regna diu voluisset in illa
Stare domo, prolem potuit servasse priorem,
Quæ jam suscepto consorti fœdere regno,
Flebilis indigna præcessit morte parentem.
Nunc quoniam fatis e fratribus alter iniquis
Occidit, et casu regnum fraudavit acerbo,
Alter adhuc teneris puer est male firmus in annis: D
Quis melius patruo (faveat modo vestra voluntas)
Succedat, quam quem studiis et carne propinquum
Ipse sibi hæredem quasi designasse videtur?
Noverat ille quidem generosæ robora mentis,
Noverat, atque ideo regnum, quantum esset in ipso,
Tradidit, et nato voluit præferre nepotem.
Non alienus erit: nulla hic translatio regni,
Nulla sub ignoti redigemur jura tyranni.
Adde quod antiqua regum nutritus in aula,
Regia prudenter tractare negotia novit.
Adde quod et geminas poterit regumque ducumque,
Hanc patris, hanc claro contingens sanguine matris,
Conciliare domos, quas seditione frequenti
Excitat impatiens sociæ discordia laudis.
Si quis ob invidiam studiique latentis amorem,
Tot bona secreto dissuasor inutilis astu
Impedit, imprudens aut perfidus esse probatur.
Sic ubi melliflua, quisquis fuit ille, disertus
Voce peroravit, concordi protinus omnes
Assensere sono: læto clamore cietur
Dux puer in regem: Friderici curia nomen
Tota canit: moresque probos, et fortia facta
Extollunt, dignum sceptris, ultroque petendum,
Cogendumque ferunt: alii famosa priorum
Nomina, permistumque genus regumque ducumque
Commemorant; alii studium, magnique vigorem
Pectoris, et placidos, sed non sine pondere, mores.
Pars operum titulos jactant, ævique minoris
Vix æquanda viris, annisque valentibus, acta.
Hanc ego rem penitus, quam dicere pauca,
Tutius esse puto: non est mihi carminis inde
Tanta fides, pleno scribens ut cuncta relatu
Exæquare velim; magnum res ista poetam
Exigit, in minimis nobis audacia rebus.
Mox ubi rite suam proceres juramine sacro
Astrinxere fidem, cunctis, quæ postulat ordo,
Expletis, paucisque novo cum rege relictis,
Discedunt, lætique suas referentur ad urbes.
Sic ubi mundanis dominantia sidera rebus
(Si modo vera canunt, qui talia tradere gaudent
Dogmata) propitio post plurima sæcula signo
Conveniunt, aliquemque boni majoris in orbe
Proventum, pacem terris, hominumve salutem,
Temperiemve poli, fidosve colentibus agros,
Aut simile his aliquid concordi fœdere jurant:
Inde suis iterum vicibus, versoque relapsu
Discedunt, solvuntque chorum, repetuntque penates,
Non nisi post longos iterum coitura labores.
At rex prima movens, ibi re feliciter acta,
Castra, per emensas memorati fluminis undas,
Classe petit celebrem famosi nominis urbem,
Qua Mogus tumido miscet sua flumina Rheno:
Qui licet ipse suum perdat cum gurgite nomen,
Dat tamen egregiæ primordia nominis urbi:
Illaque majori, cum sit popularior amni,
Negligit, et fluvio dignatur ab hospite dici.
Namque premens Rhenum (si credimus omnia famæ)
Nomen ab infuso recipit Moguntia Mogo.
Hæc urbs Francorum mediis in finibus, agris,

Vitibus, arbustis, populo generosa frequenti, A
Hinc statione sua Rhenum contingit, at inde
Extendit rapidam fines procul usque Mosellam,
Quæ non pene minor, placidos dum permeat agros,
Frugibus et pomis, et dulci fertilis uva,
Nomen, aquasque suas, proprio sub jure retentans,
Fluminis ex gemini confluxu nomen habentem
Servat adusque locum : victor mox Rhenus utrumque
Eripit, et mistis dominatur fortior undis.
Turribus hæc eadem quondam, murisque superba,
Pane fuit toto sedes notissima regno, B
Donec ob infandum detestandumque furorem
Strata, luit meritas, occiso præsule, pœnas ;
Inde ruinosis deformis et horrida muris
Testatur justas offensi principis iras.
Huic ne præcipuam celebret Germania sedem,
Invidet, atque locum tenet Agrippina priorem.
Ambæ metropoles : hæc quas præterfuit amnis
Altior ad fontem (modo te, Basilea, remota),
Aut hinc inde sitas lateraliter aspicit urbes :
Altera, quas eadem Rheni procul aut prope ripa
Possidet, æquoreis donec se misceat undis,
Prisco jure regunt : sic Rhenus partibus æquis
Scinditur, et dominæ solus famulatur utrique.
Mox, quantum libuit [60], per eumdem defluus amnem C
Remige carpit iter : multi, magnique potentes
Occurrunt, regemque novum, dominumque salutant.
Utque satis visum est, Rheno, ratibusque relictis,
Flumineos cursus evectu mutat equorum.
Inde per Ardennæ saltus pervenit ad illum
Usque locum, cui nomen aquis posuere priores.
Quæ ratio facti, vel quæ sit nominis hujus
Causa requirenti, solum hoc [61] opponere possum :
Sunt ibi secreti terræ, cæcique meatus,
Dissimilique modo, tacita tellure latentes D
Ejaculantur aquas. Alias nam sulfure vivo
Ferventes, undante ferunt erumpere fumo ;
Ast alii gelido veluti de fonte liquores
Emanant, tunc ducta cavis canalibus unda
Confluit in quamdam mira ratione lacunam.
Regia [62] sic calidis miscentur balnea thermis,
Marmoreosque gradus veterum solertia circum
Artificum posuit, per quos descendat in undam,
Quantum quisque volet : gelidas hinc, inde calentes
Invenit, arbitrioque suo sibi temperat undas.
Hos illis secreta locis natura vapores
Addiderit, manuumve labor [63], quæratur ab illis,
Qui loca nota colunt : causas, secretaque rerum
Majores [64] fido possunt audisse relatu.
Hoc sibi prima loco veluti cunabula regni
Carolus esse volens, magno cum Francia regi
Utraque serviret, primam gestare coronam
Jussit, et in sacra reges ibi sede locari.
Et [65] simul a nostro secessit Gallia regno,
Nos priscum regni morem servamus ; at illa
Jure suo gaudet, nostræ jam nescia legis.
Ergo ubi multorum turba præsente potentum,
Non modo Germanis, sed et his, quos Flandria,
Miserat auditæ miratrix Gallia famæ, quosque
Imposuit capiti gestamina regia sacro
Arnoldus, quo tunc pastore Colonia dives
Gaudebat (quippe hunc veteris sibi juris honorem
Vindicat ille locus), tunc sacra sede locatus,
Conscendit solium veterum Fridericus avorum.
Nec reticere libet quædam manifesta severæ
Pignora justitiæ, strictique exempla rigoris.
Quippe ministrorum quidam de plebe suorum,
Dum privatus adhuc ageret, male sanus atroci
Eximium clarumque ducem percellere culpa
Ausus erat, justamque viri quam noverat iram,
Territus ipse sui fugiebat imagine facti :
Hic quoque gaudendi, veniæ spe lusus inani,
Intererat populo, vultuque ignotus operto [66],
Ac se dissimulans, humili sub veste latebat.
Ergo ubi pontifices sacram de more coronam
Imposuere viro, prostratus corpore toto,
Regiaque amplectens vestigia, voce gementi,
Et lacrymis, veniam miserandus poscere cœpit.
Moti omnes, precibusque piis instantius orant,
Parcat, et afflicto velit indulgere clienti :
Ille suum cupiens cunctis sancire timorem,
Et terrere malos, multumque diuque rogantes
Exaudire viros firmata mente negavit.
Neve gravi proceres quaterentur forte repulsa,
Non odio miseri, sed stricti juris amore,
Exemplique loco, sese hoc fecisse patenter
Asseruit, factique sui vir providus omnem
Sustulit invidiam, documentaque fortia sanxit.
Forsitan hæc alii culpent : ego nobile factum
Laudo viri, dignumque voco gestare potenti

VARIÆ LECTIONES.

[60] *licuit* Rs. † [61] *hæc?* [62] *frigida.* m. Rs. * [63] (*) [64] *Majoris* s. *majorum.* V. * [65] *at.* Rs. † [66] Rs. A. ss. *aperto.* o.

Sceptra manu, qui sic animum pietate repressa A
Continuit, cunctisque sui documenta vigoris [47]
Certa dedit; plus sæpe nocet sapientia regis,
Quam rigor: ille nocet paucis, hæc incitat omnes,
Dum se ferre suos sperant impune reatus.
Audierat fortasse puer generosus, ut olim
Ille suæ primus regnator Romulus urbis,
Conditor imperii, teneras infringere leges,
Atque humiles ausum saltu transmittere fossas,
Jusserat ultrici fratrem succumbere morti,
Dum cupit æterni fundamina ponere regni.
Jamque sui plenum sortitus culmen honoris
Rex puer, ex animo puerilia quæque virili
Propulsare manu, magnisque intendere rebus B
Ingenium puerile parat; non inscius olim
Ipse sui, quantumque oneris comitetur honorem,
Cœperat ex obitu clari sentire parentis.
Sed nunc se solito graviori pondere sentit
Urgeri, multumque sibi crevisse laboris.
Ut cum post multos indefessosque labores
Alcides fesso succedere jussus Atlanti,
Cum tot sideribus magnum miratus Olympum
Ferre, et insolito sudaret pondere pressus.
Ergo viros, famosa quibus prudentia nomen,
Longaque multarum dedit experientia rerum,
Sæpius arcanis solitos interfore rebus,
Asciscens, magni secreta negotia regni C
Pertractans studio, de cunctis rebus agendis
Consulit: et pulchrum, justumve, vel utile quid sit,
Quid deceat, quid non, studiosa mente requirit.
Nec mora, legatos summo mandata ferentes
Pontifici, properare jubet, cunctasque per urbes
Ausoniæ vulgare suos indicit honores.
Primitias operum princeps has esse suorum
Maluit, ut regni manifestos protinus hostes
Frangeret, et justo purgaret scandala ferro
Haud mora, Trajectum, patruo regnante, superba
Abjecisse jugum cervice, piumque recenter D
Offendisse virum factis crudelibus ausum,
Hostili fervore petit: murosque parabat
Inclinare solo, captasque evertere turres,
Suppliciumque reis (pietas o magna nepotis
Judiciumque viri) patrueles fortiter iras
Ultrici satiare manu, regnique dolorem.
Sic augustorum primus summusque monarches,
Eximiusque nepos, crudelia Cæsaris olim
Hostibus exstinctis, pius ac fortissimus ultor,
Protinus accepto diademate fata piavit.
Tandem multorum vix eluctante rogatu
Magnorumque ducum, multo prius ære redemptis
Parcitur, et justi ferra principis ira resedit.
Nec melius stultæ furor atque superbia plebis
Puniri poterat, quam tanti ut causa tumoris
Eriperentur opes: et [48] quos opulentia rerum
Fecerat elatos, in se revocaret egestas.
Inde gradu verso, gaudentibus obvia Rheni
Signa ferens undis, te pulchra Colonia, lætam
Lætior ingrediens: ibi digno vir pius illum
Egit honore diem, quo Christus carne resumpta,
Victor ab infernis rediens nitidissimus umbris,
Retulit eximios superata morte triumphos.
Postea Saxoniæ fines ingressus, ad illam,
Quam Martinopolim vocat incola Teutonus urbem,
Concilium procerum toto de corpore regni
Convocat: ut digno celebretur curia cœtu
Tempore solemni, quo Spiritus almus ab alto
Cum sonitu veniens in pectora sancta piorum,
Ignea distinctis effudit lumina linguis.
Huc etiam geminos, Petrum simul atque Guidonem,
Danorum proceres, quos inter sanguine junctos
Moverat ejusdem regni dissensio litem,
Evocat, ac tali causam ratione diremptam,
Terminat: ut quædam provincia tota Guidoni
Cederet, at regnum cum nomine Petrus haberet.
Ergo ubi vexillo partem, quam diximus, ille,
Hic autem gladio regnum suscepit ab ipso;
(Hunc etenim longo servatum tempore morem
Curia nostra tenet) posito diademate Petrus
Regali dextra tulit alti principis ensem,
Præcessitque sacram brevius diadema coronam.
Huc quoque Virginea, modo dicere fas sit, ab urbe
(Nam neque barbaricum recipit mea pagina nomen,
Nec melius dici sine nomine posse videtur)
Electo partes gemino de præsule litem
Pertulerant: quas dum placide componere rector
Et revocare diu frustra studuisset in unum,
Tandem exsufflato, qui poscebatur, utroque,
Tertius invitis datus est a principe pastor.
Hoc etenim sibi jus collatum a præsule summo
Rege sub Henrico testatur curia quinto:
Ut si forte novo certat de præsule sedes,

VARIÆ LECTIONES.

[47] *rigoris* m. Rs. † [48] *ut* Ps. †

Nec valet imposito sopiri fine querela,
Debeat ipse suas mox interponere partes,
Arbitrioque suo pastorem ponere sedi.
Nec prius electum quemquam de jure sacrandum,
Quam sceptro princeps regalia præstet eburno.
Inde Ratisponæ (vetus ex hoc nomen habenti,
Quod bona sit ratibus, vel quod consuevit in illa
Ponere nauta rates : hac Noricus urbe ducatus
Præcipua gaudet) solemnis curia certo
Tempore mandatur, modico post ista sequentis
Temporis elapsu, totus quo tempore mundus
Gaudet apostolici gemino splendore triumphi.
Jamque viri reduces, princeps quos miserat olim,
Urbibus ex Italis, nec non a præsule summo
Sedis apostolicæ, felicia quæque reportant.
Mox ubi propositas, quo debuit ordine, causas
Egit, et in placida rex omnia pace locavit;
Magna sibi cupiens quærendæ semina laudis,
Et propagandi momenta potentia regni,
Protinus Hungaricos armato milite fines,
Si placuisset idem sociis, intrare parabat,
Et facturus erat, nec inutile principis esset
Propositum : poteratque suo rem claudere voto.
Sed quidam, seu mente bona, monituque fideli,
Sive dolo, tacitoque (magis quod credimus) astu,
Dissuasere duces : ac ne contrarius illis
Ire videretur, nec in hac re commoda regni,
Sed privata sequi, quamvis invitus, ab alto
Cessit proposito ; sic dissuadentibus illis,
Non sublata quidem, sed adhuc dilata voluntas,
Vel magni virtute patris complenda, vel alti
Sanguinis auspiciis, nactis sua tempora rebus,
Speratur : neque enim frustra voluisse, nec unquam
Concepisse sacro præsagia vana futuri
Pectore, vel quidquam temere sperasse putabo.
Non tamen in tanto rerum splendore locatus
(Usque adeo nulla est hominis sincera voluptas)
Gaudia plena capit tranquillo pectore rector
Quem bene compositis divino munere rebus,
Anxia cognatæ torquet discordia rixæ.
Nam duo magnifici proceres, Henricus uterque [44]
Nomen, et ambo pares factis insignibus, ambo
Majorum titulis, bellum grave prorsus, et anceps
Et multa regni metuendum clade gerebant
E quibus hunc ipsum patruum generaverat ille
Austricus ex avia Leopoldus marchio regis
Hunc Noricus ductor et regis avunculus idem,
Nobilis Henricus generosa stirpe creavit.
Hi tristes belli causas, et prima furoris
Ex his nimirum traxerunt semina causis :
Nam pater alterius, Noricorum ductor, atrocem
Pulsus ob invidiam dudum, moresque superbos,
Saxoniæ tantum nudo sibi jure relicto,
Senserat ultrices Chunradi principis iras.
Ereptumque sibi, regno tribuente, ducatum
Ante Leopoldus, nunc ejus frater, et idem
Rectoris patruus, pugnax Henricus habebat.
Utque hæc una lues sano de corpore tandem
Ac velut e medio nubes odiosa sereno
Cederet, e cunctis, claro sub principe, regni
Paribus Herbipoli jussi coiere potentes.
Adfuit hic Saxon, non adfuit Austricus, ut qui
Judicium fugeret : dudum possessa ducatus
Perdere jura timens : nam causa semper in omni
Judicium spoliatus amat, qui possidet, odit.
Quem tribus absentem totius curia regni
Censuit edictis in jus debere citari.
Nec minus Apuliæ Calabrisque ex finibus alti
Sanguinis hic aderant proceres : quos ille locorum
Invasor patriis migrare Rogerius oris
Jusserat, et tota profugos regione fugarat :
Multaque flebiliter crudelia facta tyranni
Dequesti, patria sese tellure fugatos,
Proscriptosque bonis, indignaque plurima passos,
Morte, vel exsilio, vel longo carceris usu
Damnatos, miseras gemitu rumpente querelas,
Addiderant, rebusque suis a principe nostro
Auxilium, et regni vindictam jure petebant.
Mota manus procerum, regemque fideliter omnes
Tam manifesta rogant, totius scandala regni
Vindicet, et tantam juris morumque ruinam.
Accipit hæc lætus princeps, gaudetque rogari,
Materiamque novæ sectandæ laudis habere;
Signaque trans Alpes post prima biennia ferre,
Regia, communi procerum juramine sancit :
Ut simul imperii sacra de sede coronam
Sumat, et injusti fera corrigat acta Rogeri.
Hunc, ut fama, virum, pariter cum fratre Roberto,
Cui propter sensus agiles, animique vigorem
Cognomen Guiscardus erat, Normannia quondam
Ediderat : media rerum seu stirpis agentes
Fortuna, sed mente suis et pectore longe

VARIÆ LECTIONES.

[44] *utrique* Rs.

Præstantes, validosque manu, formaque venustos,
Laudis amatores, magnarum semina rerum
Quærentes, cupidosque suis notescere factis
Quique magis sese claro de sanguine regum,
Quam de privata Gallorum gente docerent.
Hi dum sub teneris, et adhuc crescentibus annis,
Nescio quid valido [50] tractarent pectore pulchrum,
Ipsa nimirum fortuna voce latenti
Exhortante viros, et blanda maxima quædam [51]
Promittente manu, jam spe ventura trahentes,
Omne solum forti patriam quique [52] esse putarant :
Ausi sunt tota, spretis natalibus agris,
Demigrare domo, nomen, gentemque, domumque
Optantes peperisse sibi : nec Gallica tantum
Rura, sed abruptas excelsis rupibus Alpes
Festino transire gradu : tandemque per urbes
Italiæ, Latiasque domos, quasi debita rura,
Apuliam, Calabrosque viri petiere penates.
Regia sic volucris, primas ut crescere plumas
Artubus, et teneros durescere senserit ungues,
Naturæ sectatur iter : jamjamque parentum
Officio contemnit ali, nidoque relicto
Egreditur, parvoque pudet latuisse cubili :
Mox confisa sibi securo tuta volatu,
Aut leporem venatur agris, aut æthere cygnum
Corripit, et proprios in acuta rupe penates
Ædificat, similesque sibi parat edere fœtur.
Illa quidem tellus nullius muneris expers
Fetibus arboreis uberrima, vitibus, agris,
Urbibus, et castris, omnique decore nitebat :
Sed vulgus stolidum, pravum, rude, futile, vanum,
Otia longa sequi solitum, fugiensque laboris,
Mente manuque pigrum, nec pace, nec utile bello.
Ergo viri, mores hominum, cultusque locorum,
Ingeniumque suum, solerti pectoris astu
Tractantes, semperque viros ingentia fortes
Ausa decere rati, potiundi finibus illis
Spem rapiunt animo : missisque fidelibus, omnes
Francigenas, quos aut humilis fortuna parentum,
Aut novitatis amor, seu magna audacia mentis
Finibus e patriis ad præmia magna vocavit,
Asciscunt, totamque brevi sub tempore terram
Viribus, arte, dolis, multoque labore subactam,
Civibus expulsis, injusto jure tenebant.
Teque sibi, patriæ laudis Robertus, et alti
Nominis hæredem dignum, Boamunde, reliquit.
Qui mox auspiciis tibi designata paternis,
Antiochena manu cepisti mœnia victor
Fatalis, generique tuo servanda dedisti.
Alter at æquivocum sibi consimilemque Rogerum
Progenuit : patriis, qui nunquam degener actis,
Marte suo Siculis adjecit plurima regnis ·
Quin et belligeris Byzantion usque carinis
Vectus, inauratas in regia tecta sagittas
Ipse manu propria juvenili fortiter arcu
Misit, et æternæ laudis monimenta reliquit.
Hanc tamen historiæ seriem plerique relatu
Confundunt, variantque suo, solique decorem
Roberto, magni gaudent ascribere facti,
Cumque Boamundo fortem genuisse Rogerum
Hunc perhibent, natosque suis virtutibus ambos
Informasse patrem : nec solum rebus in illis,
Quas jam sors dederat, sed quas præsaga futuri
Spondebat [53] mens alta viro, magnique paratus
Hæredes in spem magnam succedere jussos
Instituisse sibi, mandataque fortia pulchræ
Indolis extremo pueris in fine dedisse,
Et larga tribuisse manu, quæcunque vel hostis,
Vel timidus, dignusque minus possessor haberet.
Unde Boamundo noster Solymarius illam
Externi juris Libyam, Siculosque penates,
Et claram Antiochi, quam nondum viderat, urbem
Assignasse refert, famæ vulgata secutus.
Rumor, an historicus sit certior ordo, requirat
Lector, et ambiguo scribenti grandia versu
Ignoscat vati : nondum satis illa propago,
Et Siculæ series nobis innotuit aulæ,
Ex qua præclaro generosam sanguine nuptam
Augustas tetigisse sinus, castumque potentis
Regis inisse torum lætatur maximus orbis.
Primum post istam vidit Vormatia sedem
Concilium procerum jussu concurrere regis.
Huc ambo venere duces ; sed curia nec tunc
Evaluit veterem procerum sopire querelam.
Tempore mox alio rursum revocata potentum
Turba Ratisponam, studio tentavit inani,
Pace reformata, longam compescere litem.
Proximus inde fuit procerum concursus in urbe
Spirensi geminosque duces, multumque diuque

VARIÆ LECTIONES.

[50] calido a. Rs. † [51] *quæque?* [52] *cuique* Sp. P. R. Rs, † [53] *Spondebant* Sp. P. R. †

In placidos mores, solidamque reducere pacem A
Conati, longum frustra insumpsere laborem.
Hinc etiam rector Manueli, principe quo tunc
Porphyrio genito [54], gaudebat regia sedes,
Legatos properare jubens, de fœdere pacis
Communique bono, regnique utriusque salute
Verba ferenda dedit, suadens ob facta Rogeri
Guilhelmo, qui jam defuncti sceptra parentis
Et raptas servabat opes, indicere bellum.
Et quia nuper eum deprenso fœdere juncti
Sanguinis, a prima secernere conjuge papa
Jusserat, et thalami viduatus sorte carebat,
Consortem dignam pariter regnique torique
Ejusdem de stirpe petens, quo firmius illum
Constringat validis in pacis fœdera nodis.
Tandem instante pio vehementer Saxone regi,
Ac repetente suum penitus sine fine ducatum,
Quem castris adscire suis rex ipse parabat,
Goslariam proceres, et partem litis utramque
Evocat. Hic patruo causam fugiente, nepoti
Reddidit evictum, servato jure, ducatum.

LIBER SECUNDUS.

Tertius eximio regni felicis ab ortu B
Annus erat, Friderice, tui, castrisque movendis
Instabat præfixa dies : tunc rura relinquens
Saxoniæ, superasque petens cum milite multo
Ipse sui partes regni, qua Norica lambit
Rura Lycus, placidis factus jam mollior undis,
Non procul Augusta consedit rector ab urbe :
Proxima Brixnoram famosi nominis urbem,
Altera saxosum tetigerunt castra Tridentum.
Inde per anfractus rigidos, angusta locorum
Saxosis horrenda jugis, faucesque malignas
Carpit iter : tandem longo magnoque labore
Alpibus evictis, campos et plana jacentis
Aspicit Ausoniæ, stagnoque propinqua jacenti C
In campis Verona tuis tentoria ponit.
Sed quia defectu miles cogente ciborum,
Dum rigidam duro transiret limite vallem,
Et loca nec Cereri fecunda, nec hospita Baccho,
Illicito raptu sacras spoliaverat ædes ;
Ante profecturis quam rex procedere castris
Vellet, et humani tractare negotia regni,
Instituit placare Deum, regique superno
Seque suosque piis humiles supponere votis.
Protinus ex omni collectos agmine nummos
Corrogat, atque viris commissa fidelibus aera,
E quibus hic præsul, comes ille, probatus uterque D
Distribui justa spoliatos sorte per omnes
Imperat et licitæ [55] compensat damna rapinæ.
Nobile regis opus : quamvis penuria factum,
Ut quondam sancti David, excusare valeret :
Non tamen hac in re causas attendere, sed rem,
Nec quid sit licitum perpendere, sed quid honestum.
Mentis quippe bonæ proprium est [56] agnoscere culpam,
Culpa ubi nulla subest. Tunc demum signa revellens,
Runcaliam properat rapidis attingere castris.
Est locus Italiæ, modicum sejunctus ab urbe,
Cui, quia pulchra situ placet, inde Placentia nomen,
Planus, et Eridani placido junctissimus amni,
Effundit latos spatioso limite campos :
Hic quoties claram regnator tendit ad urbem
Teutonus, Ausoniam sumpturus rite coronam,
Ponere castra solet : ligno suspenditur alte
Erecto clypeus : tunc præco regius omnes
Convocat a dominis feudalia jura tenentes.
Excubias regi prima celebrare fideles
Nocte, vetustorum debent ex more parentum.
At quicunque domi domino nolente relictus,
Defuerit, feudo privari curia censet.
Tunc quoque nonnulli censura vindice regni
Amisere diu tali possessa reatu.
Quin et pontifices Halberstadensis, et ille
Sub quo Brema fuit, tali regalia jura
Amisere nota : personæ scilicet ipsæ,
Non tamen Ecclesiæ : neque enim quod pastor inique
Gesserit, Ecclesiæ fas est in damna refundi.
Nunc age, de terra memoratu plurima sacro
Digna relaturi, positum, sedemque locorum,
Nominibusque datis, populos, ritusque vetustos
(Sicut ab antiquo vulgavit fama) canemus.
Hæc Appennini rigidis hinc rupibus, inde
Alpibus aeriis pressa, atque coercita tellus

VARIÆ LECTIONES.

[54] Porphyrogenito B. [55] *illicitæ*. B. †. [56] deficit *to* est in A. Sp. et R.

Longa, sed angustam zonæ sortita figuram, A
Hinc sale Tyrrheno, Venetis hinc clauditur undis.

Quippe Noti rapidos æstus, Austrique vapores,
Appennine, tui sibi temperat obice [87] montis.
At rapidum [88] Boream, gelidamque timentibus Arcton
Præsidio veniunt objectis rupibus Alpes :
Tyrrhenum Zephyro, vagus Adria tunditur Euro.

Forsitan hos aliquis, velut uno corpore, montes
Jungit, et ut capiti duo brachia subjicit uni,
Ut Pyrenæum vero sit nomine totum,
Totius partes sint Apenninus et Alpes.
Hæc tamen hinc aliquas invasit opinio mentes : B
Nam qua belligeris toties experta carinis
Janua Tyrrheni pulsatur gurgitis æstu,
Cernuntur gemini sese contingere montes,
Ac velut expansis hinc inde fideliter ulnis
Amplecti gremio populos et mœnia lato.
Magnus, et Hesperio non ignoratus in orbe,
Et multum debens antiquis vatibus, unda
Hanc medio secat amne Padus, zonasque minores
Ex una facit esse duas, populosque bipartit,
Quem geminis hinc inde fluens e partibus unda
Ditat, et Adriacas opulentior influit undas.

Hac una tellure, triplex provincia, ternos C
Scinditur in populos : Venetus, Ligus, Æmiliusque
Incolit : a populo recipit provincia nomen
Quælibet, et multas in se complectitur urbes.
Hæc igitur dulci gaudens uligine tellus,
Tam Cereris, Bacchique ferax, et mitis olivæ
Arboris, et pecorum, nullius frugis honorem
Ignorat, nulloque dolet se munere tardam,
Æmiliæ primam fama cognovimus urbem,
Quæ velut ex aquila, cunctarum lege volucrum,
Nomina clara trahens, Aquileia rite vocantur.
Metropolim Ligurum dicunt, sedemque supremam,
Quam Mediolanum Ligus incola nominat urbem : D
Sive quod in media quadam tellure medulla
Omnibus ingenuis acerrima [89] rebus abundat :
Seu quod ab invento trahit ista vocabula porco,
Lanea qui medio portabat vellera tergo.

At quam præcipuo Venetus colit ordine sedem
Nomine non alio quam tellus ipsa vocatur :
Urbs opulenta nimis, quamvis circumsonet illam
Pontus, et Adriacis ingestus fluctibus agger
Eliso modicam concesserit æquore sedem.
Hanc vetus Italiam sermo vocat ulteriorem :
Quod media Tusci seclusa crepidine montis
Longius a pulchra Romana colonia Roma
Distet, et Ausonii quidam sit terminus orbis,
Hæc autem magno quæ clauditur Appennino,
Etruscasque domos, et claram continet urbem,
Interior veteri consuevit more vocari.

Mox ea quæ Siculum protenditur usque profundum
Apuliam, Calabrosque sinus, Campanaque rura
Amplectens, seu citerior, seu Græcia major
Ante vocata fuit, mediam tamen huic quoque multi
Connumerant, unoque duas sub nomine ponunt.

Hanc olim bello, quem Scanzia [90] miserat, hostis
Barbarus invasit : maribus qui marte peremptis,
Crinibus ad mentum torva sub casside pressis,
Cæruleaque coma barbam simulante virilem,
Femineas armasse greges, cladem que virorum
Infirma supplesse manu, sic denique victor
Hæc loca femineo fertur tenuisse triumpho.
Hac quoque de causa signato nomine tellus
Dicitur a longis ea Longobardia barbis.
Protinus indigenis paulatim sanguine misto,
Barbara plebs, præter consuetum gentibus usum
Transiit in sociam suscepto nomine gentem.

Gens astuta, sagax, prudens, industria, solers,
Provida consilio, legum jurisque perita :
Corpore, mente valens, animo vigil, ore venusta,
Membrorum levitate vigens, patiensque laboris,
Prompta manu, sermone fluens, avidissima laudis,
Artibus atque operum studiis exculta novorum,
Sobria, venturi metuens, sumptuque modesta,
Invigilans opibus, studiose parta reservans,
Exiguo contenta cibo, fulgentibus armis,
Et nitido corpus componere gaudet amictu :
Libertatis amans, pro qua nec tristia rerum
Damna, nec extremam gaudet exhorescere mortem ;
Nec regis, dominive jugo cervice volenti
Subdita : consulibus rerum committere summam
Gaudet, et hoc triplici sumptos ex ordine fastum

VARIÆ LECTIONES.

[87] P *objice* • [88] Sic A. — rr. *rigidum* † [89] *uberrima*. B. † [90] Sic A.—rr. *Scandia* †. (*)

Ne pariat diuturnus honos) mutare quotannis, A
Vivere quemque suæ subjectum legibus urbis
Cogit, et externos sub eodem jure potentes
Alligat : ut terra vix inveniatur in illa
Aut comes, aut alius civili jure solutus.
Utque suis omnem depellere finibus hostem
Possit, et armorum patriam virtute tueri,
Quoslibet ex humili vulgo (quod Gallia fœdum
Judicat) accingi gladio concedit equestri.
Illa tamen legum prudens, et juris amori
Dedita gens, facto leges ac jura [61] nefando
Infringit, maculatque gravi se sponte reatu;
Dum quem præcipuo venerari debet amore,
Atque timere simul, nunquam nisi territa regem B
Suscipit, et facili susceptum fraude relinquit.
Hoc magis imposito renuens se subdere regi,
Quod revocare suos victrix Alemannia reges
Sæpe solet : quippe hæc tanto præsentia regna
Diligit affectu, quanto tremit illa pavore.
Inde fit ut gemino noceat gens improba damno,
Dum premit indigno regem malefida labore,
Et patitur meritas a justo principe pœnas.
Sic ea quem mitem contemnit, sentit acerbum :
Ille ream punit, quam mallet habere fidelem.
Omnibus Italiæ processerat altius una
Urbs Ligurum, titulisque potens, et nomine claro
Ardua sidereum pulsabat vertice cœlum.
Illa fere paribus spatiis Alpemque Padumque C
Separat, hinc Adua, Ticino clauditur inde,
Qui de vicinis orientes [62] Alpibus ambo,
Et famosa Padi majoris stagna petentes
Hanc aliasque duas, Cumam, Laudamque capaci
Inclusere sinu; sed fortior illa duabus
Prævaluit, victasque gravi ditione premebat.
Usque adeo nocuit, vicinis [63] urbibus esse
Majorum : siquidem multos vicinia læsit.
Nec tantum populos, aliasque potentior urbes
Presserat, imo etiam rebus sublata secundis,
Et quasi prima suæ ducens momenta ruinæ [64].
Ausa fuit validas incessere principis iras.
Ergo ut tantorum notescat causa malorum, D
Pauca super veteri regnorum jure revolvam.
Ductus ab antiquo priscorum tempore regum
Mos habet, ut quoties regnator Teutonus Alpem
Transit, et Italicas invisere destinat oras,
Qui repetant fisco fiscalia jura, fideles
Per quascunque suos præmittere debeat urbes :
At quæcunque ream se perfida fecerit ausu
Sacrilego, regique suo sua jura negarit,
Strata luat meritas fraudato principe pœnas.
Inde fit, ut fractis deformiter horrida muris,
Nunc quoque per totam videas loca plurima terram.
Hoc quoque per cunctas regnator Teutonus urbes,
Non modo Teutonicas; sed et hic et ubique jacentes
Jus habet : ut præsens quasi maximus omnia judex
Claudere jura manu, cunctasque recidere lites
Debeat, atque omnis judex, omnisque potestas,
Atque magistratus ipso præsente quiescant.
Hunc etiam regi priscarum sanctio legum,
Longævique vigor moris, profitetur honorem,
Ut cunctos fetus, quos educat Itala tellus,
(His modo, quæ poscit terræ cultura, retentis)
Principis ad nutum fisco præstare colonus
Debeat, in regni sumptus et militis usum.
Ergo ubi Runcaliæ paucis residente diebus
Cæsare, fama loquax post tristia nubila clarum
Sidus, et ultorem violati juris adesse
Urbibus [65] et populis circumtulit : undique multi
Conveniunt, properantque suas exponere causas.
Factaque multorum mœstis efferre querelis
Impunita diu; quos longo tempore tutos
Fecerat, et scelerum cupidos absentia regis.
Sic cum post tenebras, hibernaque frigora noctis
Igneus Æthiopum montes transcendere Phœbus
Incipit, et nitidos terris ostendere vultus :
Gaudet, et optati gratanter luminis ortum
Suscipit [66], æquoreis afflicta carina procellis :
Quam neque luna prius, nec cætera sidera fessam,
Inter nocturnas poterant servare tenebras.
Spes nitida cum sole redit, jam temperat arte
Nauta ratem, clavumque regit, jam tota resedit
Seditio, pelagique fragor cum nocte quievit.
Commemorare piget, magnisque ascribere rebus
Oppida, seu celsis castella minantia pinnis,
Ob scelerum noxas, regnique ultricis honorem,
Paucorum assultu, facilique eversa triumpho.
Inter propositas multasque gravesque querelas
Regia Lauda sui, Cuma cum supplice, regis
Implorabat opem, missisque fidelibus ambæ
Consulibus, patribusque suis, crudelia facta
Deflebant querulis Ligurinæ vocibus urbis,
Ærumnasque suas, longæque tyrannidis usum

VARIÆ LECTIONES.

[61] Rs. et A. c.—rr. *jure*. [62] P. Rs.—A. et rr. *orientis* o. [63] Ita A.—rr. *vicinos* †. [64] Transpos. Rs. — A. et rr. v. 185, præced. v. 184. o. [65] P. Rs. A. c.—rr. *viribus*. o. [66] *suspicit*?

Facundo mœstoque tamen sermone gemebant, A
Consulibus Ligurum præsentibus, atque paratis
Excusare suam phaleratis vocibus urbem.
Sed quia per fines Ligurum loca summa petenti
Italiæ, restabat iter, differre querelam
Maluit, inter eos modicum post tempus agendam
Finibus in propriis : veluti gravioris utrinque
Consilii, spatiique simul majoris egentem.
Utque viæ gnaros, monstratoresque locorum
Detinuit Ligures : jamjamque redire parantes,
Prævia ferre suis jussit vestigia castris.
Jamque aderant juvenes regi peregrina ferentes B
Munera, læta novo quæ miserat alta triumpho
Janua : nuper enim contritis hostibus urbes
Barbaricas populata suis everterat armis,
Quæsieratque sibi nomen memorabile facti [67],
Eximia magnam referens cum laude rapinam.
Miserat ergo suæ regi nova munera prædæ
Barbaricas vestes, struthiones atque leones,
Psittacon humanis æquantem murmura verbis.
Tandem castra movens, Ligurum Fridericus in ora
Tendit, et in mediis ponit tentoria campis.
Ast ubi signa viros præcedere regia jussos,
Ductoresque viæ per dura, per arida sese
Ducere, perque locos steriles et frugis egenos
Comperit, agnovitque dolum : tunc fervidus ira C
Exarsit, jussitque suis excedere castris
Damnatos, urbique suæ sine laude remisit.
Addidit huic alios justo fortuna dolori
Irarum stimulos : namque aspera frigora passus
Miles, et hiberni contusus turbine cœli,
Esurie, nimboque simul vexatus egebat.
Inde furor, feritasque viris, iramque furenti
Adjiciunt, stimulosque graves : accessit eodem,
Quod quascunque prius bello subverterat urbes
Urbs eadem Ligurum, ne forte resurgere vellent,
Urgebat, victasque gravi terrore premebat,
Inque sui sceleris consensum flectere mentem D
Principis invicti (quid enim non impetrat auri
Gratia?) si posset, multa mercede parabat.
Inde locos steriles, jejunaque rura relinquens,
Haud procul a celsa rex invictissimus urbe
Regia fecundis posuit tentoria campis,
Attritasque fame, duroque labore cohortes,
Uberiore cibo, placidaque quiete refovit.
Turribus, et valido longe spectabile muro,
Infida modicum distabat ab urbe Rosatum,
Municipum secura domus, tutique receptus,
Si quid ab incursu tutum satis esse valeret
Teutonico, regnique minas contemnere posset.
Hoc tunc quingentis in eadem sede relictis,
Hisque bene instructis, victuque et fortibus armis
Munierant Ligures (sed quæ munimina regni
Auspiciis obstare queunt?) ; depulsus ab arce
Cogitur infidam sine sanguine miles in urbem.
Nec mora, direptis quæcunque paraverat hostis
Ipse sibi, flamma munimina tota cremari
Rex jubet, et fractis everti mœnibus arcem.
Nec minus e castris audax effusa juventus,
Ocius ad muros, et portas urbis adusque
Irruit : occurrunt hostes, validoque tumultu
Prælia prima movent, multos arsura [68] per annos,
Nec nisi post longos, indefessosque labores,
Extremamque loci tandem cessura ruinam.
Hic præter captos, quos nec numerare valemus,
Nec libet, innumeri proprio rediere cruenti
Sanguine semineces : multi jacuere perempti.
Hoc stupefacta malo plebes, cladisque futuræ
Territa primitiis, jam nunc præsentia damnans,
Et ventura timens, Giraldi consulis ædes [69]
(Quippe hic præcipuus famosi criminis auctor
Et suasor fuerat) rapido fremebunda tumultu
Diruit : hoc justam violati principis iram
Sperabat placare modo ; sed inania princeps,
Et quasi vana ratus, stultæ ostentamina plebis
Sprevit, et his alias properans adjungere clades,
Extemplo rapidas Ticini tendit ad undas.
Hic fluvius gelida venam sortitus ab Alpe,
Haud procul a pulchra cursu breviore Papia,
Influit Eridanum : quam nomine gurgitis urbem
Nonnulli vocitare solent : mediusque locorum
Terminus, a Ligurum te parva Novaria campis
Semovet. Hic geminos pontes, et pontibus ipsis
Addiderant Ligures valido munimine turres;
Ut quoties fines vastare Novaria vellent,
Sive Papia tuos, tuto transcurrere possent
Ac remeare gradu : pontes rex occupat ambos,
Traductisque suis, munimina lignea, turres
Concremat, et ruptis distinguit pontibus amnem.
Protinus immani fastu tria rector ab illis
Hostili fundata solo castella, potenter
Diruit, et miseros longa formidine cives
Solvit, et ereptos victoribus eripit agros
Hanc etiam dudum gentili fraude rebellem,

VARIÆ LECTIONES.

[67] *factis* m. Rs. [68] A. *Ausura ;* — Rs : *quid si mansura?* [69] A. *ædem.*

Princeps Henricus penitus subverterat urbem, A
Tempore mox alio, satiata principis ira,
Jam dominis servire suis edocta, vetustas
Erexit, fatis melioribus usa, ruinas :
Parva quidem, sed tuta novo, speciosaque [70] [muro,
Et circumducti lato satis aggere valli.
Hujus ab antiquo comitatum in finibus urbis
Solus ab angariis Italorum pene solutus,
Præsidio Ligurum Guido Blandratensis habe- [bat :
Qui veluti multas, sic hanc quoque, viribus usi,
Absorbere suis sperabant faucibus urbem.
Postea Vercellum, Taurinaque mœnia prin- [ceps
Præterit : utque [71] Padi qua plus accedit ad [ortum, B
Contigit oppositam traducto milite ripam,
Protinus ad pulchræ fines et rura Papiæ
Vertit iter, fidam gaudens invisere terram.
Urbs erat, antiquo quam nomine dixerat Astum
Usus, habens propriis in finibus oppida lata,
Ac populosa nimis, Cairam gens illa vocabat.
Hæc loca Ferrati Guilhelmus marchio montis,
Debita jura sibi, dignumque negare timorem,
Publica Runcaliæ tractante negotia rege,
Suppliciter conquestus erat, fastumque su- [perbæ
Gentis, et acta gemens immobilis improba [vulgi, C
Contemptusque suos : edictaque regia sæpe
Parvipensa ferens, multumque diuque loquendo
Moverat ingenuas invicti principis iras.
Accedebat ad hoc, sociatum sanguine misto
Inter utrumque genus; nam quæ sortita mari- [tum
Hunc erat, hæc regem gaudebat habere nepo- [tem.
Hos igitur populos, longo jam tempore læsa
Majestate reos, toties, frustraque citatos
Legibus, invicta [72] jam tandem plectere pœna
Constituit, rapidoque gradu petit oppida prin- [ceps.
Territus hoste novo, sed non correctus, in [altos D
Exierat populus trepida formidine colles :
Irruit : et gaudens exercitus invenit, omni [73]
Oppida plena bono, spumante nectare cellas,
Horrea frumentis, oleo spirante [74] lagenas.
Hic paucos egere dies, dum plurima saccis
Infundunt frumenta suis, utresque, cadosque
Ventrosasque replent oleo, Bacchoque lagenas.
Nec mora, direptis potioribus, oppida flammis
Tradunt, et validas evertunt funditus arces.
Inde recedentes, non tantum criminis hujus
Terreno sub rege ream, sed jure superno
Damnatam proprii contemptu præsulis Astum,
Hostili terrore petunt : quæ cive fugato,
Omni plena bono, victores ubere læto
Excepit, multisque viris alimenta diebus
Uberiora dedit : tandem spoliata, rogisque
Tradita, perversi sceleris, geminique reatus
Pertulit immeritam sedes innoxia pœnam.
Sed quia castrensis crebris assueta rapinis,
Rixari, ferroque etiam pugnare juventus
Duxerat in morem, pravæque libidinis usum
Providus hunc tali mitescere lege furorem
Rex jubet : ut si quis castrorum ex agmine [quemquam
Pulset, et injustis socium ferus appetat armis,
Aut caput, aut dextram tali pro crimine lictor
Amputet, et facinus feriat capitale securis.
Haud mora, Terdonam (Ligurum quæ fœdere [pravo
Consiliis adhibebat opem, scelerique nefando,
Quam regi vesana suo præstare favorem
Maluerat, nec adhuc toties revocata redibat)
Constituunt raptis petere, atque evertere si- [gnis.
Hæc etenim fidam regnis inimica Papiam,
Plus quoque quam Ligures, crebro grassata [premebat.
Nam licet urbs Ligurum spatio breviore loco- [rum
Dissideat, medius Ticini gurges utramque
Separat, et geminos intersecat unda tumultus.
At qua turrigeram spectat Terdona Papiam,
Omnia plena jacent : non hic mons, silva, vel [amnis,
Qui queat alternos medius cohibere furores.
Proxima magnifici vidit tentoria regis
Marchia, vulgari quæ nomine Busca vocatur.
Inde Palatini gaudentem juris honore,
Unanimumque sibi Chunradum nomine fra- [trem,
Signiferumque suum, quem Norica misit Otho- [nem
Terra, virum magnis spectatum sæpe periclis,
Allobrogumque ducem, cujus sub jure fatigat
Lenis Arar placidas Rhodano [75] quæ commo- [dat undas
(Huic nomen Bertholdus erat), cum milite multo
Præcursare jubet, dictæque sagaciter urbis
Explorare situm, quid agat, quid cogitet hostis,
Seque secuturum castrorum robore toto
Subsidioque viris venturum spondet : at illi
Præcelerant urbemque petunt : Taneramque [76] [rapacem.

VARIÆ LECTIONES.

[70] *Spaciosaque* V. †. [71] Rs. Jo. *usque* ††. [72] *Indicta?* [73] Rs. A. c.—A. Sp. R. Jo. *omnis*. [74] *spirare* B. †. [75] A. *Rheno*. o. [76] A. *Tancramque* o. — c. *Tanarumque*.

Transgressi, muros et portas urbis adusque A
Discurrunt, oculisque notant, et mente sagaci
Naturam sedemque loci, pensantque laborem,
Signaque dispositis exspectant regia castris.
Tertia lux aderat, totis cum viribus ecce
Bellator Fridericus adest: tentoria ripa
Ulteriore locat: ne protinus agmina jungi
Possent, auctus aquis pluvialibus obstitit amnis.
Ast ubi detumuit fluvius, positoque furore
Cœpit habere vadum, necdum residentibus undis,
Protinus evectu validorum [77] miles equorum
Non tam flumineas transit, quam transnatat undas, B
Junctaque [78] considunt sociatis agmina castris.
Montis in abrupti scopuloso vertice sedes
Arcis erat, teretique tumens excreverat umbo
Saxeus ille jugo, monti vicinus utrique,
Qua sibi confines sunt Appenninus et Alpes.
Nec solum Terdona tuos locus ille penates,
Sed velut e specula Ligures et plana Papiæ,
Atque alias Italis positas in finibus urbes,
Ceu capiti subjecta suo, prospectat ab alto
Membra, nec obsistunt ullæ spectantibus [79] umbræ.
Hic præter validas turres, quibus undique sedes
Tuta videbatur, rubeo nitidissima muro,
Pro saxo laterem celeberrima turris habebat. C
Hanc ibi Tarquinum quondam fundasse Superbum
Rumor erat: nomenque loco retinente Superba
Illa vocabatur longo jam tempore turris:
Huic subjecta jugo, valido firmissima muro,
Turribus, et celsis consurgunt mœnia pinnis,
Exornantque suam tectis sublimibus urbem.
Hanc secat exiguus saliens e monte propinquo,
Sed faciles iras modico sumpturus ab imbre
Gurges, et in geminas sejungit mœnia partes.
Prima dies magnis momenta potentia cœptis
Addidit, et dubiis [80] depressit pondera fati.
Ipsa namque die primo expugnata labore,
Hostibus afflictis cessere suburbia nostris, D
Et sese tutam populus revocavit in arcem
Densior, augustam [81] muniret ut undique sedem.
Hic præter cives et signa domestica, multi
Intererant Ligures, paucis quos ante diebus
Urbis Ligurum, tantæ communis causa ruinæ,
Vana laboranti solatia miserat urbi.
Præterea multis stipatus Opitius [82] armis,
Addiderat socium rebus se sponte supremis
Marchio: quem propter mores, ni fallor, acerbos
Spinam fama malam vero satis ore vocabat,
Quod [83] contra mores et legum scita rebellis.
Nam quid in humanis reperitur acerbius actis
Sævitia stimulare pium, et compungere regem?
Viribus his, validoque loci munimine freti
Infausti cives, nec mœnia dedere, nec se
Post mala tanta suo dignantur subdere regi:
Perstat in incepto stolidus furor, inque ruinam
Tendit, et ad certam properat gens perdita cladem.
Tunc vero ut justam sese collegit in iram
Regia nobilitas, et tandem sæva coactus
Venit in arma furor, non jam servare laborat
Ingratos, veniamve ultra sperantibus offert:
Jam toties revocasse pudet, monituque salubri
Invitasse reos ad dulcia fœdera cives.
Ut leo qui dudum placido mansueverat usu,
Exueratque [84] feros longo jam tempore mores,
Si quis cum [85] jaculis, vel nudo cominus ense
Præditus [86] irritet, generosi pectoris iram
Dissimulat, reprimitque diu, spernitque minori
Tingere cæde genas, et vili sanguine pasci:
At si persliterit damnatus et improbus hostis,
Addideritque minas, tunc se stimulante flagello
Incitat, et miserum violento pectoris ictu
Involat, et laceros frangit crudeliter artus.
Sic suppressa diu generosi principis ira
Exarsit, rapuitque novum mens alta furorem:
Utque satis certo plebs noverit improba signo,
Quam sperare suis mercedem debeat ausis,
Protinus ante fores miserorum certa reorum
Attolli tormenta, cruces, cernentibus ipsis,
Imperat: ac ne quis sese subducere cladi
Cautus, et elapsu trepido discedere possit,
Undique conclusos princeps hoc ordine cingit:
Qua zephyrus clausam geminis prohibentibus arcem
Montibus, a tergo blando spiramine tangit,
Regia signa nitent, et clausis hostibus omnes
Aggressus [87], aditusque negant: qua pinniger austros
Excipit, atque notis obsibilat Appenninus,
Saxonas indomitos, et Norica castra superbus
Asperat Henricus, perituraque mœnia terret.
At qua plana jacent, et liber transitus Euro
Accessusque patet, popularia signa, suasque
Pulchra Papia locat numeroso milite vires.
Protinus ingenti muralia pondere princeps
Attolli tormenta jubet, quæ grandia saxa
Incutiant validis agitato verbere muris.

VARIÆ LECTIONES.

[77] *Validore* o. Sp. *validiore.* † [78] Emend. W. — Edd. *cunctaque.* [79] A. et rr. *sectantibus* o. — A. et Sp. c. *spectantibus.* [80] *dubii?* [81] *angustam* P. † [82] P. Rs. — rr. *Apicius.* o. [83] *Quam.* A. — forsan: *Eum?* [84] Rs. rr. *exueritque.* [85] *eum* R. Jo. [86] *perditus.* P. Rs. [87] *Egressus.* V.

Quæque superveniens hostiles machina turres A
Despiciat, missis et desuper implicet [88] hastis,
Quæ levibus subjecta rotis, aut fraude latenti
Suffodiat validos, aut pulset turbine muros
Tunc jaculis strident auræ, levibusque sagittis
Sibilat excussum balistæ turbine telum,
Fundaque fatifero tenerum secat aera plumbo.
Nec minus infausti summis et turribus hostes
Grandia saxa rotant, ferrum jaculantur, et ignes,
Adjiciuntque animos, seque exhortantur in arma:
Urget quippe metus, faciuntque pericula fortes.
Sæpe etiam propriis confisi viribus, ultro
Prosiliunt, turbantque viros, celerique relapsu B
Evadunt, iterumque suam referuntur in arcem.
Non impune quidem: nam præter multa suorum
Funera, quæ mœsta clam servabantur in urbe,
Multi dum refugo repetunt pede mœnia, capti
Appensique cruci, miseranda sorte peribant.
Nec reticere libet triste ac memorabile quiddam,
Ignotumque prius: rapido nam turbine saxum
Inflictum muris, violento frangitur ictu,
Tresque sui partes faciens, tria corpora sævo
Dat juvenum leto, dum starent agmine denso,
Et media summis agerent de rebus in arce.
At rex eximius, tandem pietate remota
Adjectisque minis, socios hortatur, et addit C
Ipse suis animos: oppugnat et assilit hostes.
Sæpe levi jaculo validam, celerique sagitta
Excitat ipse manum, tormentaque bellica præsens
Instruit, et certos in mœnia dirigit ictus;
Et nihil infectum, fieri quod postulat usus,
Neglectumque sinit, multumque et ubique jubendo,
Pugnandoque manu, perfecti militis usum,
Officiumque simul discreti principis implet.
Fons erat ex illa qua mœnia parte Papiam
Respiciunt, unus turbæ castrensis in usum
Sufficiens, dum liber erat; nunc æmulus hostis
Asservat latices, inimicaque signa Papiæ D
Infaustos propriis arcent a fontibus hostes.
Unde fit, ut duros pugnandi ferre labores
Jugiter, et rigidis versari semper in armis
Cogat eos sitiens, et ob hoc animosa juventus,
Fundere dum proprium vetito pro fonte cruorem,
Sanguinis et fluvio permistas sumere lymphas
Non timet, atque animos eadem, quæ corpora frangit,
Auget acerba sitis: nulla est audacia major,
Quam cui materiem naturæ præbet egestas,
Ut sitis atque fames: sitiens mala nulla timere,
Esuriensve potest: miseræ violentia pestis
Cogit abesse metum: dum plus præsentia torquent,
Qam ventura movent: vidit discrimina summa,
Et totum princeps hac vergere parte laborem.
Præsidioque viris Ferrati marchio montis
Additur: ut socios juncto discrimine casus
Excipiat, servetque lacus, et terreat hostes.
Præterea sordes, et quæque nocentia fonti
Injiciunt, purasque ipsis cernentibus undas
Morticinis, turpique audent corrumpere tabo:
Et delibutas immergunt sulfure tædas,
Ut sapor ingenuus gustu violetur amaro.
Nec minus has cupide sitiens, et egena liquoris
Appetit, et certa pugnat pro morte juventus,
Permutans olidas effuso sanguine lymphas.
Nam qui per mediam manabat rivulus urbem
Mole ruinarum, saxis et pulvere multo
Hostibus exiguas ultro [89] turbantibus undas,
Gurgite limoso sordens ac putridus ibat.
Nec mihi cujusdam virtus reticenda videtur,
Seu magis incautæ præceps vesania mentis.
Strator erat, de plebe quidem, nec nomine multum
Vulgato, modica in castris mercede merebat
Hic velut iratus bello, longasque perosus,
Indignansque moras, et ob hoc crudelior hosti,
Dum gravis assultus, solitoque ferocior arcem
Urget, et hinc illinc Hibernæ grandinis instar
Saxa, faces, et tela volant; neque casside clausus
Tempora, nec chalybum munitus pectora textu,
Vix gladio, clypeoque levi protectus, in altum
Nititur ascensu collem, quo regia turris
Tarquini fundata nitet, parvaque securi,
(Quam genus hoc hominum serviles gestat in usus
Subnexam sellæ) vestigia cædit in alta
Rupe sibi, sociis revocantibus, hostibus autem
Attonitis, et stulta viri mirantibus ausa.
Non illum lapides, non illum ferreus imber
Telorum; non quæ violento turbine turrim
Saxa petunt, revocare valent: interque suorum
Clamorem, hostilesque minas, evadit ad arcem.
Protinus armato cuidam congressus inermis,
Fortior ad terram scopulo deturbat ab alto
Præcipitem, versoque gradu vestigia victor
Fortuna comitante refert, et corpore toto
Integer, ad socios et regia signa reversus,
Se pariter castris, et tuta mente recepit [90],
Mirans ipse suum revocato pectore factum.
Cui rex ob facinus præclarum, præmia laudis

VARIÆ LECTIONES.

[88] *implicat*. A.—Rs. m. *impluat*. [89] For. an *ultra*, id est, insuper. Rs. [90] *tota* B†.

Digna referre volens, titulos et nomen equestre, A
Armaque, cornipedesque feros, cultusque nitentes
Largiturus erat : puduit consurgere tantum
Plebeium, generisque sui transcendere fines;
Et sub fortuna potius remanere priori
Credidit, acceptis largis a principe donis.
At rex ignavo cœptum procedere tractu,
Ægra mente ferens, (properabat quippe coronam,
Atque monarchiam totius sumere mundi,)
Omnia quæ lentum valeant impellere bellum,
Et tardas celerare moras, sub corde sagaci
Ventilat : ingenuo videt undique mœnia firma
Robore, nativoque loci munimine tuta.
Una parte tamen, stabat qua regia turris, B
Quod natura minus dederat supplesse labore,
Artificumque [91] manu : tandem memorabile quiddam,
Egregium dictu, sed non satis utile menti
Incidit : ut solidæ fodiendo viscera terræ,
Ima cavans, ductis ad fundamenta cavernis,
Ipsam inclinato turrim subvertere muro
Apparet, et subito rescret sibi mœnia lapsu.
Hanc regis curam versutus prævenit hostis,
Atque artem solers opponere cogitat arti.
Ergo ubi visceribus sese telluris opacæ
Regius immersit secreto limite fossor,
Protinus occurrens patulæ scrobis hostis hiatu
Deprensos tellure viros, redituque negato
Attonitos, medio suffocat in aggere fossæ. C
Sic miseros proprium sibimet fodisse sepulcrum
Pœnituit, clausosque cavo telluris hiatu
Ulterior [92] cœlo non reddidit atra vorago.
Nec minus iratos alios quoque crimine vultus,
Fortuitos omnes solito contemnere casus,
Ausa fuit fortuna procax ostendere regi.
Haud procul ejusdem distans a finibus urbis
Fulgebat Ligurum longe spectabile castrum;
Hoc expugnandi dudum Fridericus amorem
Pectore conceptum perducere tentat in actum.
Protinus in castris scalas, et cætera per quæ
Hostibus ignaris conscendi mœnia possunt,
Exstruit : hæc in se fabricata putantibus illis,
Oppida qui servant, atque admirantibus usum:
Haud mora, delectos ex ordine rector equestri
Ductori Allobrogum, præstanti corpore fortes,
Atque Palatino juvenes committit Othoni.
Atque illuc jubet ire viros, quo tempore luci
Extremæ gelidas miscet nox prima tenebras :
Paret, et ad tutam miles duce fretus uterque [93]
Tendit iter sedem : cunctisque sopore solutis,
Allatis [94] furtim scalis, fastigia muri
Summa petunt : ac ni temere clamore coorto
Indicium facti juvenes properantius æquo
Fecissent, erepta brevi castrensibus hora,
Et pulchro sublata dolo castella fuissent.
Armorum strepitu, et subito clamore citatum
Prosilit e stratis vulgus castrense, fugamque
Arripit : at postquam trepidis audacia major
Adfuit, et sumptis virtus incanduit armis,
Bella movet, hostemque suis jam pene potitum
Mœnibus, excutiunt, capto muroque [95] repellunt.

LIBER TERTIUS

—

Jamque dies aderat, qua Christus mystica cœnæ D
Discipulis statuens convivia, corporis esu
Ipse sui, potuque sacri satiare cruoris,
Post agni carnes priscæ libamina legis
Nos voluit, veram panis, laticisque figuram
Protendens oculis, sed certæ [96] pabula vitæ
Sensibus infundens, cum jam cessante vetusti
More sacri, nova jura novus statuisse sacerdos
Creditur altaris, quæ tradita primitus uno
Ac suscepta modo, tenet ecclesiasticus ordo.
Hunc, et tres alios spatio propiore sequentes,
Temporis ob sacri princeps generosus honorem
Constituit celebrare manu devotus inermi.
Hac quoque prælerita, jamque orta luce sequenti
Qua Deus in ligno vera sub carne pependit,
Ecce profugata [97] miserabile vulgus ab arce,
Clerus, et informis monachorum turba, solutis
Mœnibus, ad placidi properant tentoria regis :
Exhausti macie, jejunia longa ferendo,
Esuriem faciente siti, squallentia sacris
Vestibus ora tegunt, nudo vestigia gressu
Figentes : tunc signa crucis, capsasque piorum

VARIÆ LECTIONES.

[91] *artificemque* B. (?) [92] *ulterius.* m. Sc. A. c. idem. [93] Rs. *utroque.* † [94] Rs. et c. Sp.— A. et rr. *ablatis* o. [95] *castro muroque* Sc. † [96] *Certe* Sp. Rj. † *certe* P. R. ††. *certe* A. *quidem sed eadem et : vite.* [97] *proculcata* s. *flagellata* pp. Rs.— et *profugus alta*, Sc. † *profligata* Pfl.

Custodes cinerum, prælato thure vaporant. A
Quos ubi pacifice venientes agmine denso
Vidit, in occursum princeps reverendus eorum
Prudentes jubet ire viros, et quærere causas
Quid veniant? quidve illa velit novitatis imago?
 Protinus ex illis pallenti squallidus ore,
Voce satis mœsta, fortunæ verba coaptans,
Facundo sermone tamen, sic incipit unus:
Mens erat, invicti pedibus procumbere regis,
Et quos immeriti patimur, deflere labores:
Quem quia nunc misera prohibemur adire repulsa,
Vos saltem nostras illi deferte querelas.
Quid luimus miseri? quid dignum fecimus ira,
Rex invicte, tua? quæ tantum causa furorem
Movit, ut imbellem, solitum fideliter hymnos B
Pro populo Christi, pro te quoque sæpius ipso,
Si credis, resonare Deo, cum plebe nocenti
Perdere coneris tanto molimine clerum?
Quod scelus hic nostrum? nisi si scelus esse putetur,
In medio populi sedem posuisse nocentis.
Nos neque consiliis immania cœpta, nec acta [98]
Juvimus; invitis fiunt hæc omnia nobis
Illi civiles causas, et pondera rerum
Inter se tractare solent: nos vulgus inerme,
Nos abjecta manus, nullis adhibemur eorum
Consiliis, tantum studiis nocturna diurnis
Jungimus, assiduos soliti depromere psalmos,
Et precibus pulsare Deum; sed bella nec illos
Exercere sinunt in tantis cladibus usus. C
Undique concutimur bello, lapidumque rotatu
Templa flagellantur, sacris altaribus astans
Confixus telis exspirat morte sacerdos.
Ergo pius pariter pereunte peribit iniquo,
Nec vixisse pie sub judice proderit æquo?
Si [99] scelerum vindex, consolatorque piorum
Venisti, si jura tuis, legesque reformas
Gentibus, inque suum satagis revocare vigorem:
Parce bonis, et perde malos, propone quibusque
Justitiam meritis, compensans præmia causis.
Quanquam (si veris liceat modo vocibus uti,
Pace tua, princeps) pensato pondere rerum
Non tam formosæ rea sit Terdona Papiæ,
Quam rea Terdonæ formosa Papia tibique. D
Nam præter reliquas, quas aut servire coactas
Subdidit, aut captas evertit funditus urbes,
Aspice quam turpi Lunelli nobile castrum.
Atque Palatini sedem, fidosque penates
Verterat [100] illa dolo: comitem, civesque vocabat
Perfida, colloquio pacis de rebus habendo,
Incautosque viros, et nil hostile timentes,
Fraude mala captos in vincula dura coegit.
Ipsaque non armis, nec belli jure, sed astu,
Vel potius subversa dolo castella reliquit.
Et nunc ille comes concors, et regius aulæ
Ille potens princeps, sub quo Romana securis
Italiæ punire reos de more vetusto
Debuit, injustæ [1] victrici cogitur urbi,
Ut modicus servire cliens, nulloque rencio
Jure sibi, dominæ metuit mandata superbæ.
Hæc feritas urbi Ligurum, quæ sola Papiam
Non timet, infausto, princeps, nos fœdere junxit:
Non odio regni, non seditione rebelli,
Imo (ut vera loquar) non ipsius urbis amore
Hanc sequimur; sed ne nos ore Papia voraci
Absorbere queat, quæ cunctas devorat urbes:
Et tamen in tantis scelerum proventibus illa
Gaudet, et ecce tui felix habet omen amoris.
Sed nihil hæc ad nos; ad te, justissime princeps,
Attinet, Italicos jam dudum inquirere mores,
Ulcisci scelerum noxas, punire nocentes,
Oppressos relevare manu, frenare superbos.
Nos proprios tantum contenti flere labores.
Oramus, jam parce piis, hominesque memento
Fœdere naturæ, fidei charactere junctos.
Aspice tabifico languentia corpora morbo,
Aspice deformes vultus, atque arida longa
Ora siti: vix hæc fauces in verba solutæ
Vocis iter præstare valent, quos [2] tempore longo
Sulphureus torret potius, quam temperat humor;
Corruptos sanie latices, infectaque tabo
Pocula, vix mediis ex hostibus ense recepta
Sumimus: obducto durescunt viscera cœno,
Arctantur [3] fauces, insano fervidus æstu
Pectoris alternos angustat pulmo meatus:
Nec pestem relevare cibo, vel languida victu
Membra fovere libet: misero solatia morbo
Jussimus esse famem: sic pestem peste levamus.
Heu miseram, atque omni graviorem funere vitam,
Vivere, nec gratas vivendi noscere causas!
At tu per fidei communia sacra, per illum
Quem crucis in ligno potatum felle, piasque
Extendisse manus, et sacri fluminis imbre
Conscissum rorasse latus, mortemque subisse
Lux hodierna monet, vir maxime, parce, nec ultra
Innocuos affige pius: sine, morte relicta
(Mortis enim species) alias [4] quocunque jubebis,
Omnibus ereptis, inopem traducere vitam:
Neve velis iterum miseris nos reddere claustris;
Olim grata domus, nunc carcere tristior omni

VARIÆ LECTIONES.

[98] *actis* Rs., *actu* B. * [99] Rs. A. c. — *Sic ... venisti*? Sp. P. R. o. [100] *verterit* Rs. Rj. * [1] Ita *expresse* A. — *injuste.* in. Rs. †. [2] B. quas *. [3] Sic A. probante Rs.—rr. *arctantur.* [4] *aliis quæcunque* Rs. †

Ille locus, stygioque magis metuendus averno A
Dixit, et erectis omnes ad sidera palmis
Principis absentes feriunt ululatibus aures:
Qui tamen occulta tractus pietate, laborem
Dissimulans animi, documentaque magna, suique
Exemplum sancire volens, ad tuta [1] redire
Imperat, et clausam miseros compellit in arcem.
Non secus irati sententia fine supremo
Judicis, æternum maledictos tradet in ignem,
Suppliciisque datos exerta puniet ira
Qui toties moniti, toties sprevere monentem.
Sic miseri cives ad mœnia clausa gementes,
Ac velut in certam queruli rediere gehennam.
Tandem spe posita, jam desperare coactus, B
Ac velut incertæ conclusus carcere mortis,
Ingentes animos ex ipsis cladibus hostis
Colligit: ac medio concessæ tempore pacis,
Exstruitur miræ Balearica machina molis,
Quæ valido longum transverberet aera jactu.
Ergo ubi divino concessum tempus honori
Præteriit, rursum jaculis, lapidumque rotatu,
Et teli quocunque modo tentantur: et inde
Illa gravis moles ingenti pondere fulta
Erigitur, celsasque supervenit altior arces,
Saxaque magna rotans, nostros absistere longe
Cogit, et ipsius tormenti robora frangit,
Quod magis obsessos affligere sueverat hostes.
Addidit hoc animos hosti, quantumque doloris
Accessit nostris, tantum ferus ille superbit. C
Respirant utrinque minæ, paulumque remissa
Pugnandi serie, renovato robore rursum
Fit fragor, et valido quassantur mœnia bello.
Nec minus obsessi, quantum timor, iraque præceps
Suggerit, accelerant, ferrum jaculantur, et ignem
Saxaque terrifico vibrant excussa flagello.
Nec dubitant ipsos in prælia frangere muros
Seque ipsos hosti, si desint tela, minantur.
Tandem post multos bellorum hinc inde labores,
Et miseræ cladem numerosaque funera plebis,
Expugnata magis, quam reddita [2] mœnia nostris D
Cesserunt, tantumque reis pro munere summo
(Id quoque vix procerum precibus, multoque rogatu)
Est concessa salus; in sortem cætera prædæ
Omnibus, et longi pretium venere laboris:
Ipsaque disjectis hostiliter undique muris
Mœnia, pulverea pessumsedere ruina.
Quis referat miseræ squalorem plebis, et ægro
Tabida membra situ, detestandumque colorem?
Cum velut e tumulo permissu regis ab arce
Non homo, sed pallens hominis prodiret imago.
Tunc licuit miseris, quam sit miserabile longa
Obsidione premi, proprio perpendere casu.
Inde profecturum Ticini læta juventus
Ad sua victorem divertere mœnia regem
Flagitat, insignes antiquo more triumphos
Exhibitura duci; non est in finibus, inquit,
Italiæ tanto locus aptior ullus honori,
Quemve tuo cupias magis illustrare triumpho,
Quam quæ fida tibi per læta, per aspera quæque
Exstitit, et nullo defecit tempore sedes.
Adde, quod iste tuus nostros procedit in usus
Sudor, et ista tuæ gessisti bella Papiæ.
Hostilem. nostrisque malis inhiare paratam,
Hostibus et sævis astricto fœdere junctam,
(Quid referemus ad hæc?) vertisti funditus urbem.
Non sumus ingrati: liceat modo solvere grates,
Ingressuque sui regis gaudere Papiam.
Paret: et exhibitum non aspernatus honorem
Mœnia victor adit: non est tractabile sensu,
Eloquiove meo, quæ gaudia, quantus ab urbe
Occursus populi: quo scilicet ordine castus
Antistes, lætusque suo cum præsule clerus,
Vestibus ornati nitidis, pretiosa ferentes
Signa crucis, textusque sacros, thurisve vaporem,
Prodierint: ut purpureo velamine passim
Belligeros instratus equos fulgentia late
Signa ferens, phaleratus eques fremebunda lupatis
Ora terat, cogatque leves subsistere cursus:
Utve nurus, matresque simul, mitesque puellæ
Candida sidonio velatæ corpora textu,
Gestantes nitido baccata monilia collo,
Fulvaque gemmatis incinctæ tempora ciclis,
Urbis utrumque latus densa statione tenentes,
Vocibus acclament faustis, dominumque salutent:
Ut domus aulæis late pendentibus omnis,
Et picturatis constrata platea tapetis,
Rebus odoriferis, et pingui thure vaporet:
Ut tuba terribili spiramine, tibia leni,
Cornua ventoso strepitu, cava tympana rauco,
Seu lyra percussis dulci modulamine nervis,
Murmure mirantes placido demulceat aures:
Ut pueri, populusque minor venientibus ultro
Exuvias substernat equis, Pæanaque lætum,
Ioque triumphe canat: hæc omnia, pluraque nobis,
Si modo suppeterent vires, memoranda fuerunt
Deficit ingenium, non hæc fiducia menti,
Ut penitus meminisse velim, rerumque nitorem
Voce sequi: vix hæc stimulatus Appolline toto

VARIÆ LECTIONES.

[1] *tecta*. [2] *dedita* m. Rs.

Vel Maro, vel magnus verbis æquaret Homerus. A
Quid volui demens, tantarum pondera rerum,
Agresti tentata [7] sono, tenuique Camœna?
Materiæ succumbit opus : mihi paupere vena
Verba fluunt : magnum res exigit ista poetam.
Comiter exceptum sancti Michaelis ad ædem,
Qua veterum fulgent antiqua palatia regum
Producunt : nitidumque caput gemmante corona
Cingitur, et sceptro decoratur dextera sacro.
Hunc triduo regi populus devotus honorem
Exhibuit, largo cumulans nova gaudia sumptu
Inde Placentinos fines, et rura Cremonæ,
Et Mutinæ transcurrit agros : atque urbe potitus B
Quæ quasi plena bonis est dicta Bononia, sacri
Flaminis adventum digno celebravit honore
Mox Appeninum scopuloso limite transit,
Ingrediturque tuos, bellatrix Tuscia, fines.
Occurrere duci proceres, quos bellica Pisa
Miserat, æquoreis celeberrima Pisa triumphis,
Pisa peregrinis statio bene nota carinis.
Hos jubet in Siculum condicto tempore regem
Cogere belligeras, atque emunire carinas.
Inde caput mundi Romam petit, atque Viterbum
Contigit, excelsa non longius urbe remotum
Quam quantum biduo tardus valet ire viator
Sedis apostolicæ præsul, summusque sacerdos C
Tunc Adrianus erat : qui fama lætus eadem,
Protinus eximia cleri stipante corona
Occurrit, magnasque viro, tristesque querelas,
Multaque facta suæ crudelia pertulit urbis :
Contemni sese referens, populique furenti
Jurgia, probra, minas, risus, convicia, rixas
Sæpe pati, clerumque suum, ceu vindice nullo,
Expositum probris, crebras perferre rapinas.
Pulsari grassante manu, ferrove lacessi.
Sic pater invalidus nato post longa reverso
Tempora, seu castris, seu de regione remota,
Quem penes et rerum jus est, et tota regendæ
Cura domus, noxas et facta proterva suorum
Contemptusque suos, et quos absente labores
Pertulit, eversamque domum, numerosaque damna D
Commemorat, multumque minas ultoris acerbat.
Cujus origo mali, tantæque voraginis auctor
Exstitit Arnoldus, quem Brixia protulit ortu
Pestifero, tenuit nutrivit Gallia sumptu,
Edocuitque diu : tandem natalibus oris
Redditus, assumpta sapientis fronte, deserto
Fallebat sermone rudes, clerumque procaci
Insectans odio, monachorum acerrimus hostis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipsumque gravi corrodere lingua
Audebat papam, sceleratque dogmata vulgo
Diffundens, variis [8] implebat vocibus aures.
Nil proprium cleri, fundos, et prædia nullo
Jure sequi monachos, nulli fiscalia jura
Pontificum, nulli curæ [9] popularis honorem
Abbatum sacros referens concedere leges.
Omnia principibus terrenis subdita, tantum
Committenda viris popularibus, atque regenda:
Illis primitias, et quæ devotio plebis
Offerat, et decimas castos in corporis usus
Non ad luxuriam, sive oblectamina carnis
Concedens, mollesque cibos, cultusque nitorem,
Illicitosque jocos, lascivaque gaudia cleri,
Pontificum fastus, abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores, monachosque superbos.
Veraque multa quidem, nisi tempora nostra fideles
Respuerent monitus, falsis admista [10] monebat,
Et fateor, pulchram fallendi noverat artem,
Veris falsa probans; quia tantum falsa loquendo
Fallere nemo potest : veri sub imagine falsum
Influit, et furtim deceptas occupat aures.
Articulos etiam fidei, certumque tenorem
Non satis exacta stolidus pietate fovebat,
Impia mellifluis admiscens toxica verbis.
Ille suam vecors in clerum, pontificemque,
Atque alias plures adeo commoverat urbes,
Ait jam ludibrio sacer, extremoque pudori
Clerus haberetur; quod adhuc (ni fallor) in illa
Gente nocet, multumque sacro detruncat honori.
Mox in concilio Romæ damnatus, ab illo
Præsule, qui numeros vetitum contingere nostros
Nomen ab innocua ducit laudabile vita,
Territus, et miseræ confusus imagine culpæ,
Fugit ab urbe sua, transalpinisque receptus,
Qua sibi vicinas Alemannia suspicit Alpes,
Nomen ab Alpino ducens, ut fama, Lemanno
Nobile Turregum, doctoris nomine falso,
Insedit, totamque brevi sub tempore terram
Perfidus, impuri [11] fœdavit dogmatis aura :
Unde venenato dudum corrupta sapore,
Et nimium falsi doctrina [12] vatis inhærens,
Servat adhuc uvæ gustum gens illa paternæ.
Ast ubi de medio sublato præsule summo,
Eugenius sacræ suscepit jura cathedræ,
Ille Petri solidam cupiens convellere petram,

VARIÆ LECTIONES.

Sic A.— rr. *tentare.* [8] *vanis* m. Rs. [9] *curiæ* pp. Rs. ††. [10] *al mista* pp. Rs. ††. [11] *impure* A. Sp. R. *impure* P. *impuri* Rs. RJo.—A. c. *impura.* [12] doctrinæ m. Rs.

Ut caput infirmum per cætera membra dolorem A
Diffundat [13], Romana petit temerarius ausu
Mœnia sacrilego, totamque nefarius urbem
Inficit impuri corrupto semine verbi:
Et populi tantas in clerum concitat iras,
Ut penitus nullum summo deferret honorem
Pontifici, clerumque odio vexaret iniquo.
Et si quis, cui mens æqui et reverentior esset,
Et meliora pio flagrarent viscera voto,
Forte refragari, seu dissuadere furorem
Ausus erat, seseque novis opponere monstris;
Omnibus ereptis, eversa funditus æde,
Corporis afflictu, seu tandem sanguine fuso,
Clericus, aut etiam popularis, facta luebat.
Quin etiam titulos urbis renovare vetustos, B
Patricios recreare [14] viros, priscosque Quirites,
Nomine plebeio secernere nomen equestre,
Jura tribunorum, sanctum reparare senatum,
Et senio fessas, mutasque reponere leges,
Lapsa ruinosis, et adhuc pendentia muris
Reddere primævo Capitolia prisca nitori;
Consiliis, armisque suæ moderamina summæ
Arbitrio tractare suo, nil juris in hac re
Pontifici summo, modicum concedere regi,
Suadebat populo: sic læsa stultus utraque [15]
Majestate, reum geminæ se fecerat aulæ.
Unde etiam tandem (neque enim reor esse silendum,
Nec de funesto repetetur [16] postea sermo) C
Judicio cleri nostro sub principe victus,
Appensusque cruci, flammaque cremante solutus
In cineres, Tiberine, tuas est sparsus in undas:
Ne stolidæ plebis, quem fecerat improbus, error,
Martyris ossa novo, cineresve foveret honore,
Jamque Ravennatis defuncto præsule sedis,
Hanc rex Anselmo, Græca de gente reverso
Contulit: emeriti ceu præmia grata laboris
Curia sæpe suos cathedræ transmittit alumnos.
Sic gemini proceres, veluti duo maxima mundi
Lumina, conjunctis aliquanto tempore castris,
Hinc pater, inde patris devotus filius almi,
Ille sacerdotum celeberrimus, ille [17] regentum, D
Hic regni gladio metuendus, at ille superno,
Dulcia colloquii tandem consortia nacti
Insatiata pio carpebant gaudia voto.
Cumque petens Romam Sutrii jam mœnia rector
Parva reliquisset, magnæque accederet urbi,
Occurrere viri, patriæ mandata ferentes
Conspicuo sermone quidem phalerata, sed astu,
Et tacitis perplexa dolis: nec protinus ausi,
Ni prius indulta regalis fœdere pacis,
Ut liceat, quæcunque ferant, impune profari.
Tunc ita compositis ficto moderamine verbis,
Præmeditata diu molimina protulit unus.
Ducit in adventu felicia gaudia, princeps,
Roma potens, invicte, tuo, devotaque pandit
Mœnia, maternosque sinus aperire potenti [18],
Quem sibi rectorem delegit, gaudet amico.
Imperiumque tibi, atque Augusti nominis ultro
Quo nihil in terris majus, promittit honorem,
Si modo pace venis; si pristina jura fideli,
Ac bene promeritæ conservas integra matri.
Apice quæ fuerit priscis sub regibus urbis
Gloria, quæ populi libertas, quanta senatus
Majestas, prætoris honos, et consul uterque
Annuus, et gemini plebis tutela tribuni,
Gratia quæ morum, castarum sanctio legum,
Pace tenor juris, justis audacia bellis:
Quantus amor laudis, patientia quanta laboris,
Hæc sunt quæ nostram longis proventibus [19] urbem
Ex illa tenui nascentis origine fati,
Ex laribus parvis, et primi regis asylo,
Stramineisque casis, et sparso sanguine sulco,
Ad celebres titulos, et tanti culmen honoris
Extulerant [20], ubi nihil, nisi sidera sola super se
Cerneret: his gaudens populosque regesque per orbem
Consiliis, validisque sibi subjiceret armis.
Tunc populus regi, belli mandata, domique
Non populo rex illa dabat, passuraque nullum
Urbs erat hæc regem, nisi quem regnare juberet:
Ut patriæ mitis [21] non ægre visa ferendo
Jussa daret populis, et magni regibus orbis [22]:
Tunc hujus populi mandata, minasque timebat
Ortus, et occiduo tellus subcincta profundo,
Et notus, et gelidi Boreas sub cardine mundi
Ast ubi fortunæ vitio, populique paventis
Desidia prisci perierunt signa decoris,
Justitioque silent longo jam tempore leges
Suppressæ: tanto retrocessit Roma relapsu,
Ut vix ad decimum lapidem, finesque propinquos
Audeat ipsa sui protendere nominis umbram.
Vilis apud gentes, in se male firma, nec ullo
Robore fulta sui; quam seditione frequenti,
Atque intestinis lacerat discordia bellis.
Nullus amor juris, nulla est reverentia morum,
Nec jam libertas, nec libertatis imago.
Nusquam Patricii, nusquam sacer ordo senatus,

VARIÆ LECTIONES

[13] Sic A. — rr. *diffundit* †. [14] (*) [15] Rs. et A. c. — rr. *uterque* †. [16] Ita A. Sp. — rr. *repetatur.* [17] *iste* m. Rs. [18] *petenti* B. [19] *provectibus* m. Rs. †. [20] *Extulerunt uti nil* pp. Rs. ††. [21] *miti* B. †. [22] B. — *magni regibus urbis* A. o. *magnæ regibus urbis.* rr. †

Nusquam cum gemino consul, prætorve, tribuno : A
Cumque ruinosis procumbant [23] mœnia muris,
Majorem morum patimur, querimurque ruinam.
Hoc ideo nobis usu venit, optime princeps :
Hic disponendi populus moderamina regni,
Et totum priscis frenandi legibus orbem
Non habet arbitrium : majestas regia dudum
Abstulit, et priscum populi mutilavit honorem
Ex quo Teutonicos admisit Roma tyrannos.
Tu procul a nobis absens, et in orbe remoto
Rarus in Italia, sed in hac rarissimus urbe
Esse soles, et [24] rege meo mihi notior hospes.
Sic neque nos nobis ' nec tu satis, inclyte rector, B
Consulis, et cura miseri fraudamur utraque,
Expositi cunctis nullo sub vindice fatis.
Respice nos animo tandem, vultuque benigno,
Atque ipsam deflere puta tibi talia Romam :
Si te cura mei tangit [25], si gratia matris
Ulla movet, si Teutonica de gente vocatum
Imperii summa gaudens te sede locavi,
Redde vicem meritis, et dignos gratus honores ;
Longos pelle situs, antiqua refloreat ætas,
Prisca vetustorum redeant insignia morum :
Patricios, cives, priscos arcesse Quirites,
Nomine plebeio secedat nobilis ordo.
Da libertatem, sanctum repone senatum : C
Jam redeat senior [26], redeat cum consule prætor,
Et redeant gemini cum dictatore tribuni.
Curia respiret, Capitolia lapsa resurgant
Pulchra vetustorum redeant insignia morum.
Gaude quod tanti dudum sit gloria facti
Temporibus servata tuis : felicior illo
Advenias, cujus pariter nomenque locumque
Suscipis, Augusto, Trajano mitior adsis.
Quæque alii reges jurando fœdera mecum
Tempus adusque tuum pepigerunt, tu quoque jura :
Ne concessa mihi priscorum munere regum,
Vel resecare velis, vel tollere : neve salutis D
Pro me, proque mea fugias discrimina plebe,
Largaque Romanæ persolvas munera plebi,
Ut tibi festivum celebret devota triumphum.
Dixit : at ille dolos, infectaque verba veneno
Comperit, et contra regali concitus ira,
Dissimulare gravem contemnens voce dolorem :
Quantum Roma meo, non Roma sed incola Romæ
Gaudeat adventu, secretæ consona menti
Verba satis dedere [27] palam : commercia certe
Non satis æqua mihi faciunt, dum vendere nobis
Nostra volunt, veluti plenis cum follibus emptum
Adveniam, pretioque novos sumpturus honores,
Quos sibi jam proprios effecit Gallica [28] virtus.
Non emimus fasces : non si credamus emendos,
Præter virtutem, pretium quod detur habemus.
Hoc mihi, vel nullo venient commercia pacto;
Non turget loculis inferta pecunia nostris :
Nec multis opibus, sed laude venimus onusti :
Non est Teutonico cumulata pecunia cordi,
Nec sibi quærit opes, sed pulchræ laudis honores.
Non habet ille suum, sed habentibus imperat aurum.
Quanto Romanus studio cupidissimus æra
Congerit, et magno vigilans incumbit acervo,
Tanto Teutonicus, vel adhuc majore paratas
Fundit opes, nitidasque manus ærugine turpi
Fœdari scelus esse putat, dignumque pudore.
Invigilent opibus cupidi ; mihi sola potestas
Sufficit, et cunctis dare jura potentia terris.
Quo mihi divitias? cui servit gloria mundi,
Quem possessor opum cum paupere dives adorat.
Quidquid habet locuples, quidquid custodit avarus,
Quidquid in occultis abscondit terra cavernis,
Jure quidem nostrum, populo concedimus usum.
Rege figuratam regis patet esse monetam :
Cæsaris et domino sub Cæsare fulget imago.
Quo mihi divitias? cui quæque potissima reges,
Ac populi crebris non cessant mittere donis.
Semper habet veteres, semper videt aula recentes
Undique legatos, et ab omni principe missos :
Semper ab ignotis veniunt nova munera terris.
Ergo pudet, populo quasi debita cogar avaro
Solvere, cui magni solvunt indebita reges.
Miror ab antiquo famosam moribus urbem
Tam fœdum sperasse [29] nefas, ut rege coacto
Erueret pretium, veluti jam carcere vasto
Inclusum, duris astrinxerit illa catenis.
Ergone Roma tuo legem vis ponere regi?
Cum potius regem deceat te subdere legi.
Millia quinque tibi librarum debita poscis :
Poscenti debere nego : largitio reges
Non extorta decet : captivos ista, reosque
Sors premit, extortis redimant sua tempora nummis;
Munera magnorum læta atque ultronea regum

VARIÆ LECTIONES.

[23] *Ita* A.—rr. *procumbunt* †. [24] *est* vel *es* B. †. [25] Rs. R. J. arrog. *sibi* W.—rr. *tangat*. o. [26] *Censor?* Rs. †. [27] A. *sedere*. o.—rr. *fecere*. [28] Ita A.—rr. *Francona*.—A. c. *bellica* ' [29] *spirasse* m. Rs. †.

Esse volunt : ut dans plus gaudeat accipiente. A
Hoc est, gratuitum quod possim [30] dicere, solum,
Quo plus ille dato, quam gaudeat iste recepto.
Hunc mihi munifici morem liquere parentes,
Hunc retinere libet : nec plebem munere largo
Lætificare tuam renuo, sed pacta recuso.
Nil nisi gratuito manus hæc dare novit, et ultro.
Juramenta petis? Regem jurare minori
Turpe reor : nudo jus et reverentia verbo
Regis inesse solet, quovis juramine major.
Non decet in labiis versari lubrica regis,
Non decet ore sacro mendacia cudere regem.
Sancta et plena suo sunt regia pondere verba B
Dicta semel nullum patiuntur jure recursum.
Ergo quod instigas jurando jure pacisci
Pone metum [31], curæ vel non juratus habebo.
Adde quod hoc ipsum nostris est utile rebus
Quod petis, et nobis nullo suadente gerendum.
Jura vetusta feram [32]? potius supplere paratus
Quam minuisse bonis aliquid de moribus Urbis.
Te mihi vel summo non conservabo periclo?
Dum mea non esses, summo discrimine jussi
Esse meam : nunc cum mea sis jam facta, relinquam?
Namque quod imperium [33], te Roma vocante, receptum
Asseris, et meriti peragis præconia tanti,
Non magni reputare libet : venisse vocatum C
Confiteor, sed quæ fuerit tibi causa vocandi,
Ne multum te forte putes meruisse, videndum est.
Hostibus infestis, et belli pressa tumultu
Undique, nec propriis ultra tutanda, nec illis,
Quas tibi tentaras precibus consciscere vires,
Desperata diu, cunctisque relicta jacebas.
Nunc ubi Roma tui vires? ubi perfidus ille
Græculus? et Siculæ, vindex tuus, arbiter aulæ,
Quem tibi tutorem, timeas licet ore fateri,
Mente tamen tractas. Fortassis sentiet ille,
Roma, tuus vindex (veniant modo congrua rerum D
Tempora) Teutonici vires et pondera regni.
Tandem consilio, sicut patet, usa salubri,
Francorum vires, invictaque signa rogasti.
Adfuit immensi domitor fortissimus orbis
Carolus, et magna miseram virtute redemit :
Ereptumque manu mediis ex hostibus, in se
Transtulit imperium, bellique tenore recepta
Hæc tua Francorum sociavit mœnia regno.
Nunc age, collatos nobis, tua munera, fasces,
Et quasi gratuita primum bonitate vocatos
Magnifico sermone refer; sed verius illud
Implorare fuit; sic pauper ad ostia clausa
Sæpius implorans, querulo vocat ore potentem.
Namque Beringerum Desideriumque, tyrannos
Roma tuos, quibus attonitum cervice subacta
Subdideras miseranda caput, quis nesciat armis
Francorum victos, captosque, æternaque passos
Exsilia, in nostro per tempora plurima regno
Victori servisse suo, tardaque senecta
Tandem servili pressisse cadavere terram?
Illa dies uno tua pristina jura triumpho,
Si qua tibi Grajæ fortuna reliquerat urbis,
Transtulit in Francos, non sunt exstincta, sed exstant,
Imperium comitata suum, quod debita secum
Ornamenta trahens, nudum, vacuumque decoris
Non poterat transire sui. Mea respice castra,
Omnia quæ dudum quereris sublata, videbis
Nomine mutato sub eadem vivere forma
Hic eques, hic prætor, hic consulis atque tribuni
Imperiosus honos, et publica cura senatus.
Aspice Teutonicos proceres, equitumque catervas,
Hos tu Patricios, hos tu cognosce Quirites,
Hunc tibi perpetuo dominantem jure senatum;
Hi te Roma suis (nolis licet ipsa) gubernant
Legibus, hi pacis bellique negotia tractant.
Sed libertatis titulos, antiquaque legum
Tempora commemoras. Quas leges, improba, præter
Teutonicas, aut quæ præter mea jura requiris?
Quæ tibi libertas potuit contingere major,
Quam regi servire tuo? sic fatur et acres
Ingenuo vultu regaliter [34] excitat iras
Audierant, stupidoque metu præcordia pressi
Obticuere viri, multisque rogantibus, anne
Plura loqui vellent, nihil ultra vocibus ausos
Addere præmissis, tantum dixisse pigebat.
Tantus eis tristes irato principe vultus
Cernere terror erat : mallent siluisse, nec unquam
Suscepisse suæ peragenda negotia Romæ,
Securosque petunt in mœnia tuta regressus,
Orsa relaturi metuendi principis Urbi.
At rex colloquium solo cum præsule miscens
Principibusque viris, quod [35] nunc sibi restet agendum
Quamve dolo plebis versutæ providus artem
Opposuisse [36] queat, solerti consulit astu,
Et simul interna fervens exæstuat ira.

VARIÆ LECTIONES.

[30] Ita A. rr. *possum*. †. [31] Vitiosam antea distinct. rest. W. [32] *teram* W. †. [33] *Imverio* s. Nam quod in imp. Rs. †. [34] (*) [35] *quid?* [36] Rs. — rr. *apposuisse*. o.

Cui pater eximius, læsæ [37] solatia menti. A
Addere blanda volens : non est, ait, optime fili,
Hac in gente novum, nec res miranda videtur,
Fraudibus occultis blande palpare potentes,
Principibusque suis argutam ostendere vulpem :
Hoc vitium gentile tenet : sic vivitur istic.
Jam partim sensisse doles ; sed verius illud
Amodo concipies, et adhuc majora videbis.
Me quoque, non longo residentem tempore, multis
Est aggressa dolis, indignaque multa relatu
Tam mihi, quam sacro plebs intulit improba clero.
Verum contemptus minor est injuria nostri,
Quos manus imbellis, nulloque armata potestas B
Sanguine, sed tantum divino fulta timore,
Spernendos impune viris exponit iniquis.
Te quem terreni metuenda potentia regni,
Quem scelerum vindex gladius facit esse verendum
Romanis [38], qua fronte dolis ambire laboret,
Mirandum satis est : sed justo parce dolori,
Et nobis (auctore Deo) gens improba justas,
Et tibi maturo persolvat tempore pœnas.

Tu modo belligero delectos agmine fortes,
Instructos telis, instructos omnibus armis,
Occulto præmitte gradu : qui sacra beati
Corripiant posita formidine limina Petri,
Atque Leoninæ munimina fortiter urbis.
Sunt ibi præsidii causa sub nomine nostro
Præstantes animi juvenes, qui mœnia tradent,
Admittentque tuos : aderit, qui mœnia tradi
Imperet, egregius Romanæ stirpis alumnus,
Sedis apostolicæ comes, eximiusque sacerdos,
Et tibi præ cunctis Octavius iste fidelis.
Desierat præsul : placuit laudabile cunctis
Consilium, sincera fides, et plana voluntas.
Mittuntur propere [39] quasi millia quinque virorum
Nocte fere media, quo tempore lumina Titan
Opposito præbens, si fas est credere, mundo,
Ex æquo medium noctis discriminat arcum.
Haud mora, festinant jussi, portasque patentes
Ingressi, tacite sancti munimina Petri,
(His prius edoctis [40], qui limina prima tenebant,)
Atque Leoninam rapiunt hostiliter urbem.
Nuntius ad proceres rediens, compendia facti
Edocet, et totis hilarescunt agmina castris.

LIBER QUARTUS

Jamque soporiferæ decurso limite noctis, C
Aureus occulto sublatam lampada cœlo
Cœperat in nostrum traducere Phœbus Olympum.
Tempore non alio nitidos magis extulit ortus,
Purgavitque polos, et nubila tota removit :
Exoritur felix, et cunctis pene diebus
Candidior, primos tibi collaturus honores
Imperii, Friderice, dies, radiisque serenis
Publica per totum diffundens gaudia mundum.
Jamque per oppositi princeps declivia montis
Adveniens, claram, quam nondum viderat urbem,
Aspicit : huic populi festivum gaudia nomen
Imposuere loco : siquidem qui mœnia clara
Illa parte petunt, ex illo vertice primum D
Urbem conspiciunt, et te sacra Roma, salutant.
Prima Leoninam gaudens admisit in urbem
Aurea porta ducem ; mox limina sacra petentem
Sedis apostolicæ, divinis rite peractis
Obsequiis, sacra redimitus veste sacerdos
Summus, ad alta sacri ducens altaria Petri
Innexum digitis, mundi totius honorem
Imposuit, pressitque sacro diademate crines,
Sacraque missarum peragens solemnia rite,
Nobile cœlesti munivit fœdere factum.
Omnibus egregie lætis, totaque caterva
Acclamante viro faustum, FELICITER, omen.
Hic favor armatus, turbæque hic plausus equestris
Dulcius Augusti mulcebat principis aures,
Quam venalis honor, conductaque gaudia vulgi.
Hic siquidem sincerus amor, gaudensque fideli
Obsequio, devota fides ; ibi gloria tantum
Mendaci fucata dolo, pretiosaque pompa.
Nos quoque carminibus, ni mens angusta negaret,
Acclamare tuo, fortissime Cæsar, honori
Et fasces celebrare tuos, rerumque nitorem
Eloquio, numerisque suis implere decebat.
Sed vereor, ne plura loquens, multumque laborans
Inveniar dixisse minus, magnique reatus

VARIÆ LECTIONES.

[37] Ex A. Henischiani Exempl. c. Rs.—rr. *læso*. o. [38] *verendum, Romanus qua*, etc. Rs. [39] A. *nituntur proprie*, o. [40] Sic A.—rr. *eductis* †.

Arguar, eximiis inducens nubila rebus. A
Atque ideo carptim non singula quæque, sed ipsam
Gestarum propero rerum percurrere summam:
Imo etiam facti compendia vera secutus,
Hoc ipsum satis esse reor: namque illa serenæ
Tempora lætitiæ, tantique insignia plausus
Non longas habuere moras, populique furentis
Insidias, strepitumque timens armatus ubique
Astat eques, templique fores et limina servat
Crescentisque domum, pontisque angusta propinqui
Obsidet, et totas densa statione plateas.
Hos regis titulos, hoc clari nomen honoris,
Quartus ab ingressu regnorum contulit annus, B
Plusque fere medio juvenum se mensis agebat,
Ut quarto decimo prodiret Julius ortu.
Postea gemmiferam læta cervice coronam
Ipse ferens, insedit equo: quem purpura totum
Ambit, et intextis velamina picta figuris.
Aurea mirifico radiantibus ordine gemmis
Sella nitens picto regem complectitur arcu.
Aurea nexilibus fastidit frena catenis,
Geminatosque lupos, et fulvum masticat aurum;
Lucidus e media dependet fronte pyropus
Lucida multisonis phalerantur pectora bullis.
Ipse ferox, incerta vago vestigia gressu
Multiplicat, tenuesque interdum calcibus auras C
Verberat, et tanto sonipes vectore superbit.
Hoc invectus equo, turba comitante pedestri
Gaudet habere viros utrinque ad frena potentes,
Sanguine conspicuos, et mundi jura regentes.
Tunc ita productus, plausu resonante suorum
Proxima turrigeris repetit tentoria muris
Ipse; sed eximius dimisso principe præsul
Urbe Leonina, propriaque in sede remansit.
Cumque siti fervens, et multo temporis æstu
Languidus, optata castrorum fusus in umbra
Corpora fessa cibo miles recreare pararet,
Ecce repentinus vicina clamor ab Urbe
Insonat, et subiti feralia signa tumultus. D
Jamque furens populus, prisco sibi jure negato,
Injussuque suo sumptos a principe fasces
Indignans, rapido transmisso ponte tumultu
Irruerat, paucosque viros ex agmine nostro
Securos nimium, nulloque pavore relictos,
Fuderat: ast alii celeres, urgente periclo,
Castra petunt, socios, atque ipsum nomine regem,
Cujus erat virtus cunctis bene nota, vocantes.
Horruit irarum stimulis, justoque furore
Cæsar, et ingratum socios iterare laborem
Compellit, totis educens agmina castris.
Hoc magis accelerans, quod eum metus acer agebat,
Ne quid in eximium crudeliter impia Patrem
Auderet, solito plebes grassata furore
Distulit ira cibos; hostili sanguine malunt
Dilatam satiare famem, fremituque leonum
Terribiles urbem repetunt, et in arma feruntur.
Nec cedunt hostes, sed pectore prælia firmo
Excipiunt: missis bellum committitur hastis,
Et levibus jaculis, et quas pluit aura [41], sagittis.
At simul incaluit stimulis gravioribus ira,
Conseruere manus, admotaque cominus arma.
Non jam missilibus telis, ferroque volanti,
Sed gladiis pugnare libet: tinnire sonoris
Ictibus [42] audires galeas, incussaque telis
Arma, gravi clypeosque leves mugire fragore:
Cernere palantes passim, rursumque resumptis
Viribus instantes, alterna sorte licebat.
Maxima conflictus moles in limine pontis
Ante domum Crescentis erat; facilique rotatu
Obruta saxorum, seu missis desuper hastis
Regia pars certæ poterat succumbere cladi,
Ni quæ spectandi causa pinnacula turris
Servabant matres, validæ, pulchræque cohorti
Parcere, non stolidæ plebi sociare furorem,
Orarent juvenes jam mittere tela parantes.
Sic parti nostræ castarum gratia matrum
Profuit, innocuas prohibens a sanguine dextras.
Hic furor a decima spatiosus et integer hora
Perstitit ad primas merso jam sole tenebras.
Nec quisquam, quamvis jejunia longa tulissent,
(Totam quippe diem miles jejunus agebat)
Jam poterat sentire famem, pondusque laboris,
Immemor ipse sui: tantoque nocentior hosti
Tantus in ultores fundendi sanguinis ardor
Incidit, et justa satiandi cæde furorem.
Atque aliquis gaudens in tanta strage reorum
Insultare malis: hæc sint tibi Roma vetusti
Præmia juris, ait: merces a principe justo
Redditur ista tibi; sic nobis regna parantur,
Sic emimus fasces; sic acclamare triumphis
Te jubet ille suis; hæc tecum fœdera Cæsar
Percutit, atque tuo juramina sanguine firmat.
Vix tandem miseros sero jam vespere cives
Afflictosque diu bello, fuga, noxque removit,
Claraque justitiæ patuerunt signa supernæ,
Ex rerum merito varios prodentia casus.
Namque uno tantum nostra de parte perempto,

VARIÆ LECTIONES.

[41] *et quas tulit ira*. V. †. [42] Rs. et A. c.—A. *ictus*. o. ss. Sp. P. R. *mutantes* v. *præced*. *sonoris in sonoros* †.

Mille, vel immersos Tiberi periisse, vel armis A
Hostili de plebe quidem; captiva ducentos
Supposuisse ferunt injectis colla catenis.
Mox cum laude Dei repetunt tentoria læti
Victores, gratoque cibo, dulcique sopore [43]
Membra fovent, tutis carpentes otia castris.
Vix erat orta dies, suspecta Cæsar ab Urbe
Regia signa movet (neque enim commercia rerum
Indigus afflicto sperabat miles ab hoste)
Pulchraque fecundis fixit tentoria campis
Inde secus montem, quo quondam sæva tyranni
Jussa timens, nondum te Constantine renato,
Sylvester latuit, Soracten nomine dicunt,
Te placido transmisse vado vetus Albula transit,
Albula, cujus aquis Tiberinus nomina fecit; B
Primaque castra locat vicinæ ad mœnia Romæ,
Inter et Argoas famosi Tiburis arces.
Hos, ut fama, lares Graia de gente profecti
Tres posuere viri, Coras [44], cum fratre Catillo
Argolicæ stirpis juvenes, et major utroque
Tiburtus, cujus sumptum de nomine nomen
Nobile Tibur habet, perhibent si vera poetæ.
Jamque aderat veneranda dies, quæ clara triumpho
Fulget apostolico, totum festiva per orbem
Illa quidem, sed Romuleæ specialiter urbi;
Cujus sacra suo lustrarunt mœnia patres
Martyrio, sævi dum spernunt sceptra Neronis.
Illam, quo poterat [45] populus castrensis honore, C
Suscepere diem, devotas præsule summo
Missarum celebrante preces, et Cæsare sanctam
Imperii cervice pia gestante coronam.
Illa quippe die sacris altaribus astans,
Omnem, qui justo sub principe bella gerendo
Cinxerat ultorem Romanis cædibus ensem
Clavibus æthereis, et Petri fretus honore,
Solvit, et indultum purgavit papa reatum.
Et ratione quidem: nam quisquis jura tuetur
Ecclesiæ, regnive decus, si forte cruorem
Fuderit humanum, non est homicida, sed ultor.
Hoc siquidem bellum, quod juris amore coacto D
Milite suscipitur, meritum, non culpa vocatur.
Inde petens celsam, quæ Tuscula dicitur, urbem,
Mœnibus excelsis, tutaque in sede resedit.
Jamque vaporifera succedens lampade mundum
Cœperat ex alto metuendo fervidus ortu
Erigones radiare Canis: quem tristis Orion
Allatrare sibi, et rabido vestigia morsu,
Adventare videns, æterna exæstuat ira.
Utraque flamma nocens, sed longe tristior illa,
Cujus in exortu vitiatus nubibus æther
Æstuat, et tristes ardescunt ignibus auræ.
Squalida torpet humus, corruptis stagna, lacusque
Inficiuntur aquis, pigrisque paludibus atræ
Exhalant nebulæ: calidi spiramine cœli
Languida pestifero tabescunt corpora morbo.
Inde fit ut proprios plebes Romana quotannis
Cogatur transferre lares, montesque relicta,
Dum furit ille Canis, vicinos incolat Urbe.
Adde quod antiquis horrens inculta ruinis,
Parte sui majore vacat, generisque nocentis
Plurima monstriferis animantia Roma cavernis
Occulit: hic virides colubri, nigrique bufones,
Hic sua pennati posuerunt lustra dracones,
Quorum morticinis contabescentibus aer
Læditur, atque æstu resoluta cadavera putent.
Ergo metu belli vetitum mutare penates
Vulgus, in urbe sua subito tabescere morbo
Incipit, et valida correptum peste laborat.
Nec minus in castris Francorum læta [46] juventus
Aeris impatiens, et tanto victa calore,
Languet, et insolito tabescit squalida morbo.
Occupat ora sitis, deformes inficit artus
Squalor, et icterico tabescunt membra calore [47]
Protinus accensis miseri vitalibus ardent,
Aera pestiferum velut e fornace trahentes.
Quod si ferre gravem potuissent aera nostri,
Atque immota brevi servassent tempore castra,
Haud dubium, quin se plebes Romana, suamque
Pontifici, regique suo supponeret urbem,
Sed jam [48] fœda lues tanto regalia castra,
Atque insueta mali confecerat agmina morbo,
Ut passim fragiles, longisque laboribus ægras
Efflarent animas, aliique superstite fato
Invalidi, miseram dilato funere vitam,
Sæpius optata fraudati morte, trahebant.
Ergo suis rector castris, socioque labori
Compatiens, multis etiam suadentibus, illo
Demigrare loco, nolens, ac pene coactus,
Corpora pontifici sacro captiva relinquens,
Tristia signa movens, Tuscique crepundia montis
Ascensu superans, meliori subdita cœlo
Castra locat, gelidas vicini Naris ad undas.
Hic omni cura, medicæque piissimus artis
Subsidio, sacrum satagebat pellere morbum,
Expurgare mali contagia noxia cœli
Cumque per Etruscas turbæ castrensis in usum
Cœpissent urbes fiscalia jura requiri,

VARIÆ LECTIONES.

[43] Sp. et R. *sapore* †. [44] A. *Corax.* [45] Rs. m. *poterant* †. [46] *lecta* Rs. †. [47] *colore* Rs. †. [48] *tam* Rs. †.

Octingenta quidem Spoletum, nomine fisci A
Principis edicto jussum præstare talenta [49],
Non timuit falso fraudare numismate regem.
Præterea comitem Tusca de gente Guidonem,
Quo prior Etruscis habitabat nullus in oris :
Guerra viro cognomen erat, mandataque regis
Urbibus Apuliæ portaverat : inde reversum
Hospitiique loco malefida sede fruentem
Ceperat, et duro servabat carcere clausum.
Cumque relaxari princeps, solvique juberet,
Emittique virum : contempto rege, superbus
Instabat sceleri populus, regalia ridens
Jussa ; sed ipse suas modico post tempore clades
Fleturus, scelerisque piacula justa daturus.
Namque ubi tot factis crudelibus atque superbis
Et meruit justas, et movit principis iras : B
Incorrecta [50] parans ulcisci crimina Cæsar,
Quæ correcta [51] reis ignoscere mallet, ad Urbem
Tendit iter : cui sacrilego temerarius ausu,
Ante fores ipsas, clausa vix tutus in urbe,
Occurrens [52] populus, funda, levibusve sagittis
Prælia prima movens [53], et missis eminus hastis,
Risit : et hic pueros, dux inclytus inquit, inermes [54],
Non fortes certare decet : sic ludere natos
Ignavi docuere patres : incurrite totis
Viribus, o socii ; conversum ad mœnia civem
Præveniat, patulasque fores prior occupet hostis
Dixit, et accepto gaudens a principe signo C
Teutonus, hostilem cum civibus irruit urbem.
Protinus admotis incensa suburbia tædis,
In cineres collapsa fluunt [55], animosque furentes
Nec prædæ locupletis amor, non [56] regia, nondum
Exaudita viris, poterant edicta morari.
Inspoliata quidem, multis nitentia gazis
Non exspectato flammis sunt tradita signo.
Attoniti tanto miserarum turbine rerum
Infausti cives, non jam miserabile vulgus;
Sed magis invidia dignum, co[n]cendia montis
Ardua corripiunt trepidi, pro fraude superba
Digna reportantes : ubi [57] qui fiscalia regi
Jura suo tumida mendaces fraude negarant D
Omnibus amissis inopes miserique dolerent.
Stabat in excelsa sedes munitior arce,
Optima pars urbis, tuto satis edita colle ;
Hic excelsa viri primates tecta locarant,
Securosque lares ; hic sedes pontificalis,
Altaque conspicui surgebat fabrica templi.
Hic [58] bona pars populi sedis munimine freta,
Rebus in extremis tutari seque locumque
Certabat, ferrumque manu, lapidesque rotando,
Vel retinere locum, vel fata subire parabat.
At rex invictus, nil se memorabile credens
Dum superest aliquid, nil se fecisse decorum,
Voce, manuque suos ardens hortatur, et addi
Sæpe minas, reficitque animos et suggerit iras.
Ipse manu propria, sociis prohibentibus, omneis
Explorat casus, et quæque pericula primus
Excipit, oblitus pariter regnique, suique,
Cœptaque vel summo cupiens implere periclo.
Principis exemplo miles virtute coacta
Audet, et audaci pudor est sub rege timere.
Nec modus, aut requies, donec clamore supremo
Effractæ patuere suis victoribus arces.
Sed quia præcluso fugiendi tempore, vulgi
Magna repentino pars conflagraverat igne,
Aere corrupto, fœdumque trahentibus auris
Nidorem, sævamque loco spirante mephitim,
Quanquam multa viris minime temnenda supellex
Posset ab igne rapi, nostrosque urgeret egestas;
Aeris impatiens cessit, prædaque relicta,
Haud procul eversa victor consedit ab urbe,
Sub meliore polo et levius spirantibus auris
Mox ubi sævus odor flamma cessante resedit,
Et vacuum cessit tenuatus in aera putor,
Protinus ad prædam vulgus castrense recurrens,
Si quid adhuc flammis illæsum forte manebat,
Diripit, et calidam pedibus calcare favillam
Non timet, et prunis ardentibus urere plantas,
Semustam properans flammis subducere prædam.
Inveniunt plenis studiose condita cellis
Vina, nec [59] exiguos servatæ frugis acervos :
Inveniunt plenas pretiosis vestibus arcas,
Quasque sibi populus parco conflaverat usu,
Et cupide servabat opes ; rapit omnia victor,
Plenaque semicremis ditescunt castra tropæis.
Nec mora, Dalmatici qua fluctibus æquoris Ancon
Tunditur, et magno finem facit Appennino,
Signa rapit princeps, pulchræque a mœnibus urbis
Haud procul in medio ponit tentoria campo.
Hic duo magnates, Graia de gente profecti,
Occurrere viri [60], regis mandata ferentes,
Donaque magna sui : quorum hic Mardochus, at ille

VARIÆ LECTIONES.

[49] *talenti* A. Sp. et P. o. [50] *Indirecta.* Pfl. †. [51] Rs. — A. et rr. *directa.* o. [52] *occurrit* Rs. [53] Barth. leg. *movent.* [54] In A. Sp. P. R. deficit το *inermes*, mutil. metro, quod P. notavit, nil substituens.—Rs. et cum illo Jo : *Risit ad hæc, et sic pueros*, etc. A. c. addit : *inermes*, quod aliis omnibus præfere non hæsitavi. [55] *ruunt* m. Rs. [56] P. Rs. Jo. *nec.* [57] *uti* Rs. †. [58] Pfl. et Rs.—A. et rr. *Sic.* o. [59] Rs. et A. c.—rr. *non* o. [60] Rs. RJo. *viro*

Palologus [61] vocitatus erat: quos iste venusto A
Excipiens vultu, digno cumulavit honore.
Auditaque viæ causa, responsa daturum,
Insignem meritis, et clara stirpe creatum
(Hic abbas Stabulensis [62] erat) jubet ire Guibaldum [63].
Interea patriis Andreas finibus exsul,
Atque alii proceres, Siculus quos ille tyrannus
Appuliæ totis dudum proscripserat oris,
Ceu postliminio Romani jure reversi
Principis, injecta fines ereptaque dudum
Jura manu, firmasque urbes, et castra tenebant:
Omnibus attonitis, regemque putantibus ipsum
Pone sequi, jam jamque suos invadere fines.
Et certe facturus erat, cupidusque parabat B
Ultrices illuc Cæsar transferre cohortes.
Sed vapor æthereus, rapidique molestia cœli,
Et comitum languor, longoque labore solutum
Vulgus, et innumero fulgentia [64] funere castra,
Ne faceret, tenuere virum, monituque fideli
Teutonici proceres renuentem et magna parantem
Cœpta, coegerunt ad Transalpina reverti.
Ergo ubi deposito tandem mansuescere ferro,
Et reditu optato patrios invisere fines,
Regia belligeris indulsit gratia turmis:
Protinus abscessu tristes, gemituque profundo
Pectora pulsantes, et largis ora rigatos [65]
Fletibus aspiceres: adeo sub principe miti C
Dulce viris fuerat quosvis tolerare labores.
Ipse quoque emeritos [66] grato solemniter ore
Extulit, et digno laudavit honore cohortes,
Dimisitque viros; quorum pars gurgite vasto
Et Veneto devecta mari, natalia rura
Contigit, et patrios aspexit læta penates:
Ast alii fines extremaque claustra jacentis
Italiæ, duris horrendas rupibus Alpes
Agmine non uno repetunt: non prorsus eodem
Limite, sed variis anfractibus arcta locorum,
Difficilesque vias, et tristia claustra sequentes,
Vix tandem patriis longus labor intulit arvis.
At qui de Tuscis aderant, Italisve frequentes
Urbibus, hi facili cura, spatioque minori,
Ad sua diffuso redierunt mœnia cœtu D
Sic ubi multifidos uno de fonte meatus
Unda secans, varios sejunctis cursibus amnes
Efficit; hos leni per plana jacentia lapsu
Serpentes, alios inter cava saxa sonantes,
Luctatosque diu diversa sede receptat,
Serius aut citius, pro tractu gurgitis, æquor.
Non tamen emissa tantorum plebe virorum
Vel princeps vacuus, vel curia sola remansit.
Non est magnorum cum paucis vivere regum
Quotlibet emittat, plures tamen aula reservat.
Nec princeps latebras, nec sol desiderat umbras.
Abscondat solem, qui vult abscondere regem.
Sive novi veniant, seu qui venere recedant,
Semper inexhausta celebratur curia turba:
Ut mare, cum largas mundo disseminet undas,
Semper inexhaustis fecundum pullulat undis.
Ergo bona quamvis dimissa parte suorum,
Magna tamen princeps, et solo Cæsare digna
Castra movens, per eam quæ nunc Senogallia fertur,
Quod Senones illam Galli tenuisse putantur,
Cum premerent trepidam peregrino milite Romam
Apennine tuos properat contingere colles.
His quoque transcensis, planis in finibus illum
Excipit exiguo perfusa Bononia Rheno,
Quæ quasi plena bono [67] læto trahit omine nomen.
Hic [68] quoque discedens, Italarum rector aquarum
Te, Pade, transgressus, Veronæ plana potentis
Contigit, et notis posuit tentoria campis,
Qua rapidas Athesæ torrens agit impetus undas,
Mos erat a veterum traductus tempore regum,
Et stabili multos servatus jure per annos:
Sive petat Latiam regnator Teutonus Urbem,
Sive sacer [69] rediens sua signa reportet ab Urbe,
Ut latum junctis pontem Verona carinis
Per medias Athesæ porrectum construat undas:
Quo validus princeps intactis mœnibus urbis
Transeat, atque [70] suas transmittat rite catervas,
Tunc quoque connexis fragili compage carinis,
Desuper injectis leviter gens perfida lignis,
Exstruxit facili cessurum pondere pontem.
Ut cum noster eques tabulata sonantia tutus
Atque vacillantes incerto pondere naves
Jam premeret, nexu series infida soluto
Cederet, et rapidas ferretur miles in undas.
Præterea cæsis riparum in fronte salictis
Struxerat [71] in multos fruticum ramalia fasces,
Quos quasi fortuitu [72] venienti gurgite raptos
Prona catenatis infligens unda carinis,
Solveret infidum decepto milite pontem:
Ut jam Teutonicæ transmissa parte cohortis,
Gurgite præcluso, reliquos invaderet hostis
Impius, et dirum satiaret sanguine ferrum.
Causa fuit miseris infandæ machina fraudis,
Et magno ventura malo, nutuque superno
Incidit in foveam quam foderat improbus hostis.
Nam simul innocuo per certa pericula gressu
Immemores fraudis se trajecere catervæ:

VARIÆ LECTIONES.

[61] *Palalogus* A. o. *Palæolog.* Sp. R. ††. [62] *Stapulensis* Sp. R. RJo. †. [63] A. *Gribaldum* o. [64] *fugentia* m. Rs. [65] *rigantes* m. Rs. [66] *emeritas* m. Rs. [67] *bonis* Rs. †. [68] *hinc* Rs. [69] *sacra* m. Rs. †. [70] *adque* A. Sp. P. o. [71] *strinxerat* PII. [72] *fortuito* m. Rs. †.

Cumque hos a tergo quidam de plebe feroci
Attentare dolis, subitoque lacessere bello
Cœpissent, refugoque gradu transire pararent,
Inveniunt rupta pontem compage solutum,
Seque interceptos, subitaque voragine clausos,
Et tabulata novo mirantur hiantia lapsu :
Quos ibi comprensos, et nil rationis habentes,
Attonitosque malo, jugulat mox Teutonus ultor.
Ventum erat ad fauces, angustaque claustra viarum,
Qua se nubiferis horrendæ rupibus Alpes
Exiguo tantum penetrandas limite præbent,
Uniusque capax scopuloso semita calle
Arcta laboranti pandit vestigia turbæ.
Hic [73] fractis prærupta jugis tenebrosa vorago
Pandit inane chaos, baratrique simillimus horror
Exanimes fecisse potest, Athesamque [74] fragosis
Sub pedibus rauco certantem murmure saxis
Accipit attonita, quam non videt, aure viator.
Hinc se nubifero super æthera vertice rupes
Tollit, et ingenti late loca protegit umbra :
Eque supercilio scopulosi verticis unus
Conatu facili, lapsuraque saxa movendo
Mille potest arcere viros, aditusque viarum
Claudere, vel missis incautos [75] perdere saxis.
Huc se contulerat ferus, infandusque satelles
Albricus, cupidus scelerum, cupidusque rapinæ,
Horridus, acer, atrox, ex ordine natus equestri :
Civis erat, Verona tuus : jurataque turpi
Obsequio, monstrisque novis ascita juventus
Cum domino peritura suo, miserasque parentum
Orbatura domos : longoque labore petitam
Rupis inaccessæ sedem statione latenti
Servabant, dirumque [76] nefas ac turpe parabant.
His erat in voto, pretiis spoliare coactis
Agmina, vel missis aditum præcludere saxis.
Non placuit [77] tentare dolos, facinusque fateri,
Donec in augustas fauces, infidaque totæ
Ignaræ fraudis, cecidissent claustra cohortes.
Atque ideo paucos tuto præcedere passi
Continuere manus ad grandia monstra paratas.
Sic venator apros, fulvosque leones
Instituens, timidos lepores, damasque fugaces
Dissimulat : prædamque pudet captare minorem.
Ipse sub ingenti latet altæ [78] fornice rupis,
Clamososque canes inhibet [79], cupidosque molossos
Comprimit, ut nullis quatiant latratibus ora [80]
Donec cornigeri veniant in retia cervi,
Trux leo, sævus aper, maculoso vellere pulcher
Pardus, et hirsuti rapidis cum tigribus ursi.
Non tamen occulti potuerunt fallere regem
Instrumenta doli : cœlestia pectora sane
Nil transire potest : Sapiens quod prædicat, hoc est :
Principibus fili tacitus maledicere noli,
Portat avis cœli maledicta latentia regi.
Comperit ergo dudum Cæsar, sensitque furorem,
Nec placuit certo sua tradere castra periclo,
Fataque sacrilegis Romani subdere regis.
Protinus e nostro præmissis agmine paucis
Imperat infando tutos desistere cœpto,
Possessam sedem, tumidamque relinquere mentem.
Infremuit vesana manus, lapidumque rotatu
Imperiosa viros abigit mandata ferentes.
Intererant nostris sub eodem tempore castris
Ex Veronensi juvenes duo plebe creati,
(Hunc Isaac, hunc Carzabanum Verona vocabat)
Tempore qui longo regalia signa secuti
Obsequio regi se commendare fideli
Certabant, studioque pii placuisse favoris :
Hos quasi concives, et ob hoc securius illis
Jure sodalitii pro Cæsare verba daturos,
Ire jubent proceres, monitisque [81] ferocia corda
Consilioque feras sævorum frangere mentes.
Quos velut ignotos nihilominus impia turba
Exaudire negans, ut certos repulit hostes.
Ac nisi se certo redimat plebs nostra tributo
Lorica, vel equo, pro quolibet ante relicto,
Et caput ipse suum multo rex liberet aere :
Nunquam se tutos aditus [82] concedere, nunquam
Transmittenda locis urgentibus agmina, jurant.
Visa fuit regi miserabilis atque pudenda
Conditio, tactusque gravi sic incipit ira :
O socii, proceresque, mei solatia casus,
Quos mundi dominos, et certo jure potente
Imperiosa facit Romani gloria regni :
Cernitis in quantum majestas regia tandem
Venerit opprobrium, post tanta negotia regni,
Post expugnatas armis victricibus urbes,
Imperiique sacro susceptam more coronam,

VARIÆ LECTIONES.

[73] Rs. *Hinc* A. rr. o. [74] *Athesimque* R. †. [75] Rs.—*ibi cautos* A. et rr. --*ibi clausos* A. c. Henisch. quoque exempl. *ascripta.* [76] Rs. — rr. *durumque* o. [77] Rs. et A. c. — rr. *complacuit* s. *conplacuit* o. [78] *alte* P. [79] P. Rs.—A. et rr. *ibi habet.* [80] *auras* B. [81] B. *arrog.* W.—Edd. *mentisque* o. — Rs. pp. *meritisque.* [82] *abitus* m. Rs. †.

Post multas scelerum pœnas, cladesque nocentum :
Cum jam vestibulum patriæ, primosque penates,
Optatasque domos reduces intrare paremus [83],
Proh pudor, a paucis prohibemur inertibus, ultra
Regali trànsire via, nec vertere cursum
Fama, pudorque sinit : nec longius ire, nocentum
Sævitia prohibente, licet : paucique latrones
Improba Romano poscunt a rege tributa,
Cujus ad arbitrium disponitur omne tributum ;
Et Capitolitiam cogunt [84] appendere summam,
Quo caput in toto non est mage nobile mundo.
Non decet a timido redimi latrone metallo.
A quo sæpe rei, nullo licet ære redempti,
Accipiunt propriam donato crimine vitam.
Nec me damna movent, sed tristia fœdera terrent,
Fœdaque mansuræ fugio commercia famæ.
Sed dabimus justum, dabimus quandoque tributum,
Quale decet regem persolvere, ferre latronem.
State viri fortes, libet expugnare nocentes :
Aut hic, aut nusquam gelidam transibimus Alpem.
Sic ait, et positis agmen consistere castris
Imperat, ignavos cupidus punire latrones.
Omnia versanti quiddam rationis apertæ [85]
Incidit in mentem ; veluti conscenderat ante
Turba nocens, ita posse suos super ardua rupis
Ferre gradum quocunque modo : juvenesque ducentos
Pectora signifero fortissima tradit Othoni :
Hos jubet ex omni secretas parte petito
Ascensu tentare vias. Paretur, et armis
Instructi levibus. sed firmo pectore tuti
Magnanimi juvenes, silvas et confraga rupis
Undique multivago scrutantes limite lustrant.
Vix inter scopulos et acutos denique cautes
Conspexere locum, quo se promittere tandem
Magna videbatur peragendi cœpta facultas :
Protinus angusto nituntur ad ardua calle,
Cautibus infringunt ungues, et si qua vetusto
Prominet e scopulo putri jam stipite radix,
Hanc nitente manu prendunt, humeroque priorem
Subvehit. attollitque sequens, primusque sequentes
Attrahit, et studiis alterna juvamina præstant.
At si forte viris præcisa semita rupe
Nulla patet, solitis [86] jungentes [87] nexibus hastas
Scalarum simulare gradus, suspensaque longe
Non dubitant nisu vestigia ferre sub auras.
Sic ubi consumpto [88] vix eluctata labore
Constitit in summa bellatrix rupe juventus :
Regia, quæ tacitus secum sub veste gerebat,
Signa potens erexit Otho, strepituque feroci
Terribiles sonuere tubæ : clamore virorum
Hactenus ignoto mirantia saxa resultant,
Saxa feris tantum, fessisque volantibus ante
Cognita, ventosis vix unquam tacta procellis.
Obstupuit peritura cohors, ubi regia signa
Vidit, et astantes summis in rupibus hostes.
Quid faciant miseri ? præruptis ardua pinnis
Saxa fugam prohibent, pugnam mala causa, metusque
Impedit, et trepidæ tenuis fiducia dextræ.
Attonitos, penitusque animi [89] ratione carentes
Regius aggreditur miles, reliquisque peremptis
Cum duce capta suo, turpi bissena reservans
Corpora supplicio, grato pro munere regi
Exhibet hos omnes : excepto scilicet uno,
Qui socios propria jussus suspendere dextra,
Obtinuit miseram regali munere vitam.
Gallus erat, nuperque dolis ascitus iniquis
Inscius : huic parcens, aliorum guttura diro [90]
Elidi laqueo justissimus imperat ultor.
Sic cruce vel gladio quingentos ultima mortis
Fata subisse ferunt : omnes ex ordine equestri
Ingenuos juvenes, quos regia [91] vulnera passos,
Suppliciоque suo cunctis exempla daturos,
Teutonus in magnos miles congessit acervos ;
Corporibusque suis exstincti, et strage cruenta
Obstruxere viam, quam vivi fraude superba
Tentavere pio frustra præcludere regi
At rex Italiæ fauces, angustaque claustra
Præteriens, placidum prima statione Tridentum
Contigit : hic multos natalia rura petentes
Dimittens, vicina petit placidissimus hospes
Mœnia Brixnoræ : mox illum Norica læto
Terra sinu verso reducem jam suscipit anno.
Hæc [92] de tam multis generosi principis actis
Credidimus nobis tenui tentanda camœna :
Ac veluti plena raros ex arbore flores
Carpimus, et paucas numeramus in æthere flammas.
Nam si continuo libeat perscribere tractu,
Quidquid in Italiam tendens, aut inde revertens,
Aut quocunque loco positus, tam fortiter ille

VARIÆ LECTIONES.

[83] Ita A.- rr. *paramus*. [84] *Et caput illicitam* Pfl. †. [85] *opertæ* m. Rs. †. [86] *solidis* B. †. [87] B. *arrog. sibi* W.—A. et rr. *ingentes* o. [88] *cum summo* Rs. et RJo. †. [89] *omni* B. [90] W.—Edd. *duro*. o. [91] *turpia* W. vereor ut apposite. [92] Rs.—rr. *Nec* o.

Quam sapienter agit; quis jam, precor, omnia codex
Hæc capiet? scriptorve manu properante notabit?
Non est exigui de tanto principe vatis
Scribere : magnificum desiderat ille poetam.
Nos animo tenues, et nullo robore fulti,
Sudamus facilem magno sub fasce laborem.
Adde quod abscuti de multis pauca referre,
Remque verecundo leviter perstringere tactu
Sufficit : hi solide possunt describere gesta,
Quos oculata fides, simul et præsentia facti
Instruit, et notus falli non sustinet ordo.
Nos procul absentes regalia cernere facta
Cæsaris indigni, vulgata superstite fama
Paucula de multis tenui suscepimus aure.

LIBER QUINTUS.

Ergo sui reditu gaudens Alemannia regis,
Majoremque videns, quam miserat ipsa, redisse,
Fascibus, et summæ cognomine laudis onustum :
Ejus in occursum proceres, populosque fideles
Excitat, et totas devotis mœnibus urbes
Læta patere [93] jubet, gratumque impendit honorem.
Sic quondam duri post multa pericula belli,
Thermodoontiaco referentem signa triumpho,
Adjecisse suis gaudentem plurima regnis
Thesea Cecropiæ reducem vidistis Athenæ.
Principis in patruo, rapto conflata ducatu
Baugariæ, spirabat adhuc vetus illa simultas.
Hanc sedare nepos cupiens mitissimus iram,
Urbe Ratispona, flagrantem dulcibus illum
Convenit alloquiis, multumque diuque laborans :
Non tamen evaluit veterem sopire querelam
Inter utrumque virum, solidamque reducere pacem.
Ergo viris aliud super iisdem rebus agendum
Colloquium statuit, qua rura Boemica primos
Baugariæ fines communi limite tangunt.
Dumque locum princeps, fieret mora ne qua per ipsum,
Colloquii peteret, finesque accederet illos :
Ecce Labezlaus, ductore Boemia sub quo
Tunc erat. Herrmannusque sacræ comes inclytus aulæ,
Cujus erat tumido tellus circumflua Rheno,
Saxonicæque potens Albertus marchio terræ,
Occurrunt, reducemque (metu vel amore) salutant.
Tantus quippe metus proceres invaserat omnes
Qui sua signa sequi, patriosque relinquere fines
Abnuerant, tantus trepidantes horror habebat :
Ut sibi quisque nocens, et se quoque Cæsaris ira
Judice jam dignus, læsum contenderet omni
Obsequio placare ducem, quem laude venustum,
Insignem meritis, omni virtute decorum,
Terribilemque reis, præcurrens fama canebat.
Nam quanto terrore sui post terga timentem
Liquerit [94] Ausoniam rector, quantumque recedens
Urbibus Italicis incusserit ille timorem,
Legati fecere palam, quos conscia culpæ
Ac metuens Verona suæ, post pauca secutos
Tempora, Teutonicam supplex direxit ad urbem [95] :
Quorum blanditias humiles, lacrymosaque cautus
Tempore verba suo posthac memoranda relinquo.
Scilicet hanc in se majestas regia justi
Vim terroris habet, procul an prope, præsto vel absens,
Semper terribilis, semper metuenda, suoque
Plena vigore manet, nullique impune premenda
Creditur, et semper cunctis, et ubique timetur.
Hoc quoque colloquio, proceres hinc inde sagaci,
Cæsaris imperio, rimantes pectore causam,
Conatique diu tantos sedare tumultus,
Suscepto frustra tandem cessere labori.
Nam quamcunque viri tentarent cudere formam
Pacis, ut huic [96] finem faceret transactio liti;
Sprevit, et in solita permansit Noricus ira,
Inque salutato fremebundus rege recessit.
Inde Ratisponæ rursum revocata potentum
Principis accitu convenit turba virorum.
Hic ubi judicio procerum, jurisque tenore
Saxona majorum princeps in sede locavit,
Omnis [97] Baugariæ studio jurata fideli
Cum duce prima novo sanxerunt fœdera patres.
At populus claræ possessor, et incola sedis,

VARIÆ LECTIONES.

[93] P. ex argum. ss. Rs. et RJo.—A. et rr. *parere* o. [94] Rs. — A. ss. *liquerat*. o. [95] *Teutonicum* ... *orbem?* cf. infra v. 76, et lib. x, v. 2, 3. [96] Rs.—rr. *hinc*. o. [97] *omnes* P. Rs.

Non tantum jurare duci, sed et obside multo A
Securam præstare fidem, compulsus ab illo
Paruit: hic siquidem majori fœdera cura
Sunt exacta duci, quod plebs ea fida priori,
Atque novo poterat domino suspecta videri.
Hic quoque multimodas dubia sub lite querelas
Emersisse ferunt; quas inter maxima pene
Hæc erat: Arnoldus, tuus, o Moguntia, præsul,
Hermannusque comes, magnæ sub principe summo
Acriter inter se [98] conflictum litis agebant.
Nam dum Teutonicis rector submotus ab oris
Ausonias premeret bello seu legibus urbes,
Tantus in arctoo belli furor arserat orbe,
Ut penitus concussa suas Alemannia clades
Fleret, et absentem revocaret sedula regem.
Hæc quoque cum multis, sed fortior omnibus una
Finibus ex Italis Fridericum causa reduxit.
Sed tamen in tanto totius turbine regni,
Tanto majori pugnax Germania clade
Senserat istorum vires, iramque virorum,
Quanto major eis erat, editiorque potestas.
Hos igitur procerum strepitus, clamosaque regni
Pectore sedato dirimente negotia rege,
Ecce tui cives, Isaac bene notus in aula
Carzabanusque simul, quorum (ni fallimur) ante
Mentio præcessit, timido cum præsule sedis,
Tentamenta precum placidas ad Cæsaris aures,
Et populi mandata tui, Verona, ferebant.
Utque viris aditus datus est, coramque loquendi
Copia, facundo præsul sic incipit ore:
Veronæ mandata tuæ, populique fidelis
Verba precesque tibi, Romani maxime rector
Nominis, ejusdem vix dignus episcopus urbis
Perfero: nec dubium mihi persuadere laborem
Evaluere prius, quam totus mente sub una
Ecclesiæ populus majoris in æde receptus,
Omnia quæ nobis ad te referenda dedissent,
Teste Deo, sanctisque suis promisit, et actu
Et plena servare fide: quis crederet ullum
Fraudibus esse locum? poterant, si fallere vellent,
Alterius famam certo objectare pudori,
Atque alii mandare dolos, et parcere patri.
Sed quia pura fides, nullo fucata colore
Mandatis inerat, placuit committere nobis.
Atque ideo comites morum gravitate probatos
Adjecere viros, longo quos ipse fideles
Agnovisse potes castrorum et temporis usu.
Audiit et doluit, tumida feritate latrones,
Non cives, Verona, suos; transire paranti
Insidias posuisse tibi; quis dicere cives
Audeat, in proprium molitos impia regem?
Qui violat civem, concivis desinit esse;
Qui violat regem, quis posset [99] dicere civem?
Sed bene quod meritam subiit manus impia pœnam,
Et projecta feras, volucresque cadavera pascunt.
Ossa peremptorum tumulis Verona negatis,
Atque feros manes, et nomina sæva [100] nocentum
Damnat, et irati natos odere parentes.
Ac ne forte tibi nostra videatur ab urbe
B Consilium prodisse doli, quocunque jubebit
Regia nobilitas, sese promittit et offert
Purgandam Verona modo, fideique probandæ
Spondet, et innocuæ certissima pignora mentis.
Nonne [1] astricta tibi sacro Verona tenetur
Fœdere? nonne tuas excepit prima cohortes,
Cum peteres magnam felici milite Romam?
Nonne tuos iterum reditus, conversaque læti
Vidimus, et patriis dimisimus agmina terris?
Quæ toties gavisa tuis occurrere castris
Cernitur, infidam frustra ne dixeris urbem.
Desine paucorum contagia morbida, quæso,
In totum transferre gregem, culpaque carentes
Exæquare reis: insontes culpa nocentum
Non trahat, ex propriis justo sub judice factis
C Præmia, seu pœnas meritorum quisque reportet.
Nos sumus innocui, justam quam debuit iram
Excepit scelerata manus: jam parce fideli,
Devotoque tibi populo, potiusque rebellem
Infidamque suis [2] longo jam tempore Romam,
Aut tumidam Ligurum totis pete viribus urbem.
Nec dubita justis Veronam asciscere bellis,
Et facias adhibere manus: quæcunque furorem
Cæsaris urbs meruit, nostram quoque sentiet iram.
Dixerat, et comites plenis assensibus ambo
Adjecere suas placando [3] Cæsare partes.
At rex consilio procerum, sub nomine certo
D Exigit, ut fisco jurent appendere summam,
Et totis contra Ligurinam viribus urbem
Regia castra sequi: sic demum pace reperta,
Ad patrios fines vestigia læta retorquent.
Instabat veneranda dies, qua Christus in una
Æqualis deitate Patri, sine temporis ortu,
Natus ab æterno, sub tempore, temporis auctor,
Cœlitus infusa voluit de virgine nasci,
Illic matre carens, istic nihil ex patre sumens.

VARIÆ LECTIONES.

[98] Rs.—rr. *se inter* o. [99] *possit?* [100] *scæva* m. Rs. †. [1] P. et Rs.—rr. *Nec ne* o. [2] Rs. m. *tuis* [3] *placando in Cæsare*, Rs.—*placato Cæsare* A. c. †.

Sic puer in cunis, Deus ut regnaret in astris. A
Hunc celebrare diem digno meditatus honore
Cæsar, ubi [4] illustrem legeret sibi curia sedem,
Quæ posset pleno tot millia pascere cornu;
Wormatiam petiit, medio quæ gurgite Rheni
Gallica Germanis opponit rura colonis:
Utraque frugiferis tellus uberrima campis,
Utraque vinetis exuberat, utraque pomis,
Piscibus, atque feris, et cunctis rebus edendis.
Hic ubi devoto solemnia pectore princeps
Tempora transegit, tandem sub judice summo
Ardua tractari cœpere negotia regni.
Fundere multiplices ex omni parte querelas
Aspiceres, dubiasque viros collidere causas.
Quidquid ab alterutris absentis tempore regis
Pertulerant, queruli misto clamore queruntur. B
Sic domino peregre post tempora longa reverso
Commemorare solent lacrymosa negotia servi,
Pressurasque suas, et iniquæ verbera rixæ,
Alternosque dolos, occultaque crimina furti,
Et scelerum noxas, et quidquid nequiter actum
Enarrare valent, odio flagrante loquuntur.
Omnibus his placidas constantia principis aures
Commodat, et validos tranquilla mente tumultus
Temperat, indignans aliqua ratione moveri:
Oppressos relevat, pœna graviore superbos
Percutit, afflictis bonus, ac metuendus iniquis. C
Tunc duo præfati proceres, Arnoldus et alter
Aulicus ille comes, multis vehementer in illos
Accensis, regemque gravi stimulantibus ira
Ob sua multiplici crudeliter acta reatu
Judicio victi, capitalis vulnera noxæ
Excipiunt: ac ni gravis ætas et sacer ordo
Pontificem tutata forent, aut sanguine pœnas
Solveret, aut summi pateretur probra pudoris.
Quippe vetus mos est, uti [5] si quis rege remoto,
Sanguine, vel flamma, vel seditionis apertæ
Turbine, seu crebris regnum vexare rapinis
Audeat: ante gravem quam fuso sanguine pœnam
Excipiat, si liber erit, de more vetusto
Impositum scapulis ad contigui comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre;
Sin alius, sellam: cujus dispendia pœnæ
Ille Palatinæ custos celeberrimus aulæ
Non potuit vitare comes, cunctisque videndus
Portavit scapulis passus plus mille latrantem.
Hanc quoque tunc alii simili pro crimine pœnam
Sustinuere decem comites, totidemque coacti
Fœda tulere canes generoso pondera collo.
Cujus inauditæ pœnæ timor altus in omnes
Irruit; ut nullus procerum præsumeret ultra
Armata certare manu, sed pace sequestra
Judicis arbitrio sua quisque reposceret æqui.
Adde quod invictus discurrens undique Cæsar,
Prædonum castella jugis horrentia [6] summis,
Et vix spectandas celsis in rupibus arces
Expugnare manu, sparsisque evertere muris,
Urere vel flammis avide properabat, et ipsos
Artifices scelerum, regni turbare quietem,
Et miseros crebris solitos spoliare rapinis,
Vel cruce, vel gladio, vel longo carceris usu
Perdere gaudebat, non exorabilis ultor.
Sic jam post tenebras et sævi tristia belli
Nubila, Teutonici sedato turbine regni,
Principis adventus, veluti nova solis imago,
Cœperat optatæ radios effundere [7] pacis.
Sola Ducum studiis exercita Norica tellus,
Hujus adhuc expers erat, impatiensque salutis.
Jamque dies aderat celeri revoluta relapsu,
Quam [8] sacer ipse suo venerandam Spiritus orbi
Præstitit adventu, cum mystica munera signans,
Desuper effuso linguas distinxit in igne:
Inque Palatini castro privatus Othonis
Otia sepositis curis Fridericus agebat.
Hac triduo tantum secreta in sede peracto,
Ad solitas iterum curas et publica regni
Retulit [9], excluso torpore, negotia mentem.
Ergo Ratisponæ patruum de fœdere pacis
Alloquitur, flectitque virum: fortassis ab illis,
Quos propter rixas, injustaque prælia, regis
Audierat sensisse minas, exempla trahentem.
Cumque reformata tantorum pace virorum,
Publica per totum florerent gaudia regnum:
Ut bene compositis rebus perfecta decoris [10]
Gloria, nullius defectu partis, adesset,
Restabat viduum, generosæ prolis amore,
Casta Beatrici sociare cubilia regem;
Quæ sibi per quasdam [11] nuper traducta fideles,
Teutonicas urbes, et conjugis arva [12] futuri,
Principis accitu [13] jam spe [14] regina, tenebat.
Nam quæ prima viro, nec permansura potenti
D Nupserat, illicito cognata recedere lecto
Jussa, locum thalamis dederat, causamque secundis.
Hoc quoque discidium [15] secreto cuncta regentis
Consilio prodisse potest, ut [16] forte beata
Principis in thalamos succederet illa Beatrix,
Principe digna viro, prolem paritura beatam.
Quam comes Allobrogum, regum de gente vetusta

VARIÆ LECTIONES.

[4] *uti* Rs. †. [5] Rs. RJo.—rr. *ubi* o. [6] *hærentia* m. Rs. †. [7] Rs. m. *diffundere* *. [8] Rs.—rr. *quem* o. [9] Rs.—rr. *rettulit.* [10] B. *decori* (?) [11] *quosdam* Pfl. et Rs. †. [12] Pfl.—rr. *arma.* [13] Pfl.—rr. *a coitu.* [14] Pfl.—rr. *spem.* [15] *dissidium* P. R. Rs. [16] *vi* Sp. †·*ni* R. †.

Ortus, et ipse suis Rainaldus clarior actis
Progenuit, moriensque tuos Burgundia fines
Orbatæ in teneris et pupillaribus annis,
Et validas urbes, munitaque castra reliquit.
Hæc adeo tellus a sedibus incipit illis,
Qua Basilea suos vicino flumine muros
Alluit [17] et Rhenum venientem læta salutat :
Innumerosque tenens populos hinc Gallica [rura
Mordet : at hinc rigidis scopulosæ rupibus [Alpis
Arctatur, tractuque pari protenditur, usque
Qua rapidus primas Rhodanus maris influit [undas,
Quaque caput regni sedesque fuisse vetusti
Fertur Arelatum, priscorum curia regum ;
Teque sibi jungens æquo Provincia jure,
Nomen apud veteres regni titulumque gere- [bat ;
Cujus Arelatum sedes et finis ab illa
Parte ferebatur, donec suprema voluntas
Regis Rudolphi regnis accedere nostris
Jussit, et antiqui detraxit nomen honoris :
Ut jam non regnum, sed sit bona portio regni.
Has ibi metropoles et primas novimus [18] [urbes :
Chrysopolim placidam, Lugdunum, sive Vien- [nam,
Quæque tuos spumante mari Provincia fines
Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis.
Chrysopolim Dubius, reliquas prælabitur am- [nis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator [aquarum.
Hanc comes antiqua veniens ab origine [regum
Guilelmus quidam, puerum quem fama vocabat,
Possedit, quem conspicuo produxerat ortu
Chunradi germana Ducis; quo fraude suorum
(Ut perhibent veteres) humanis rebus adempto,
Proximus agnatus comitis Rainaldus, et [hæres
Legitimus, tantæ nactus moderamina summæ,
Jure suo nimirum [19] et claro sanguine fretus,
Teutonicos reges, edictaque sæpe vocatus
Sprevit, et Allobroges aliis sub regibus esse
Indignum reputans, nimium memor ille ve- [tustæ
Libertatis erat, regemque superbus agebat.
Donec ob innumeros fastus sententia tandem
Ultrices in eum deprompsit regia vires,
Ereptamque viro, regni sub judice, terram
Nomine Chunrado fisci concessit habendam:
Et [20] quasi proscripto regni spretore rebelli,

A Proximus exstincto succederet ille nepoti.
Qui mox concessos armato milite fines
Irrumpens, regale sibi defendere donum,
Et valida sancire manu tentabat : at ille
A patribus suscepta suis tutare laborans,
Plurima conseruit diverso prælia casu.
Has inimicitias tandem sub tempore nostr
Regia sopivit tali solertia pacto :
Scilicet ut geminas illis in finibus urbes,
Lausennam, gelidaque sitas in rupe Gebennas,
Bertholdus regeret, reliquas Rainaldus ha- [beret.
Hanc reor ob causam, regni pro parte vetusti
Maluit Allobrogum rector Bartholdus haberi,
B Quam comes [21] : in solito Rainaldus nomine [mansit.
Hoc quoque defuncto, tanti patris unica proles,
Jure sibi patriæ delatum sortis honorem,
Magnaque sub teneris moderamina sumpserat [annis,
Eximio nuptura viro, generosa Beatrix.
Ergo dato passim varias rumore per urbes,
Advenisse diem, quo festa lampade princeps
Dignetur sacri sociam sibi jungere lecti
Et meliora novis sponsalia ducere fatis :
Undique magnifici proceres ad magna vocati
Conveniunt, urbemque petunt, cui nomen ab [herbis
Esse putant, linguæ vulgaris nomine tractum :
C Ut tanquam medii circa præcordia regni
Eximium celebretur opus, famosaque sedes
Illa locum tanto dignum concedat honori.
Quanti pontifices, quanti coiere potentes,
Quæ facies procerum, quis honor, quæ gloria [rerum,
Quisve favor populi, seu quæ devotio cleri,
Qui velit expressis metiri singula verbis,
Hunc ego littoreas numerare fatebor arenas
Posse, vel in magno radiantia sidera cœlo.
Hoc rerum splendore sacros regina mariti
Venit in amplexus, comitesque, regesque, du- [cesque
Felici paritura trono, te maxime, qui nunc
Fortiter Ausonias urbes, Henrice, regendo
D Grande tibi nomen primo nancisceris ævo :
Et te Suevorum ductor Friderice paterni,
Quod tua facta probant, dignissime nominis [hæres :
Te quoque cum magno præclaræ laudis O- [thone
Insignis Chunrade puer : cunctisque minorem
Sed non dissimilem morum probitate Philip- [pum.
Hos equidem partu felici femina princeps

VARIÆ LECTIONES.

[17] *abluit* m. Rs. * [18] A. c. et W.—Edd. *et primas nominis*, o.—*primi nominis* Rs. †. [19] Rs.—A. al. rr. *nimium* renitente metro. [20] Ut P. ss. Rs. et RJo. * [21] Sola A. recte distinguit post : *comes*

Edidit, et plures generoso forsitan alvo
Terrarum dominos longe lateque potentes
Progenitura fuit, si non florente juventa
Invida fallaces rupissent stamina Parcæ.
Heu mihi, quam celeri dominatrix inclyta fato
Occubuit, viduumque virum, prolemque reliquit.
Jam tamen Augusto dominantes cum patre natos
Viderat, impressamque tuis, Henrice, coronam
Temporibus : cum de toto simul orbe vocatos [22],
Quanta nec ante fuit, nec creditur esse futura,
Moguntina suos aspexit curia patres.
B Nondum collectos ad gaudia tanta potentes
Ad proprias sedes, natalia que arva reverti
Passus erat princeps; sed adhuc Hymenæa sacroque
Carmina digna toro, solemni curia plausu,
Et felix omen, votivaque festa canebat :
Cum rediit Graia Stabulensis ab urbe Guibaldus,
Legatique simul, regis mandata ferentes.
Qui tamen ob fraudes aliorum, quos prius idem
Egregio Manueli orator [23] miserat urbis,
Auribus, et facie tam læto tempore, tanti
Principis indigni, longe consistere jussi,
Expavere graves offensi Cæsaris iras.
C Nam qui prædicti mandata priora tyranni
Ausonias urbes, Etruscaque arva tenenti
Attulerant, Friderice, tibi, gentilibus usi
Fraudibus, impressas falso sub nomine regis
Mendaces [24] chartas sibi confecere sigillo.
Quos bene rex habitas, postquam cumulavit honore,
Muneribusque datis, referendaque fausta tyranno
Verba suo, placidæque dedit consortia pacis,
Dimisitque viros : cum regia signa remensis
Alpibus audirent ad Transalpina redisse :
Protinus Apuliæ populos et mœnia falsis
Subreptisque dolo Campana relatibus implent;
Littoreas urbes sese, vicinaque Ponto
D Oppida, munifico falsis a principe signis
Accepisse probant : ignavaque [25] pectora vulgi
Fraudibus, et Graio corrumpunt nequiter auro,
His comes Andreas Capuæ, proscriptaque turba
Nuper ab exsilio nostro sub rege reversa,
Atque Cavillensis Robertus nomine quidam
Eximia virtute comes; seu gratia nostri

A Principis, aut odium Siculi, seu maxima merces
Impulerat, cœptis tota virtute favebant.
Præterea dominis infidum ac mobile vulgus
Pondera servitii, Siculæque tyrannidis optans
Abjecisse jugum, sceleri præstare favorem
Gaudebat, rerumque sequi momenta novarum.
His opibus freti Barum petiere, locumque
Præsidii validam quam [26] præmuniverat arcem
Milite non pauco Siculus, certantibus armis
Oppugnant, capiuntque manu, possessaque bello
In sua jura novis traducunt mœnia, fatis :
Non sine clade tamen : nam maximus unus in illis
Gaudia Palologus letho turbavit acerba;
Cujus aromatico conditum corpus odore
Turba comes patrio transmittit mœsta sepulcro.
Jamque per Ausonias urbes vulgatus adusque
Principis ingenuas rumor pervenerat aures,
Vel summum clausisse diem, vel pondere morbi
Guilelmum proprii privatum munere sensus,
Nec ratione frui, cunctasque in finibus illis
Fœde [27] Graiorum deceptas fraudibus urbes.
Quod satis indignum Cæsar, penitusque pudendum
Duxit, et ingenti turbatus inhorruit ira.
Nam licet a Siculo Romani nominis urbes
Hactenus invasas, mutilataque regna doleret :
Turpe tamen magis hoc, et fœdius esse putabat,
Mœnia capta dolo, seductaque turpiter astu,
Seque sui falsa delusum nominis umbra.
Nam quod tam longa Siculum gaudere rapina
Tam patiens tulerat, justamque represserat iram,
Hactenus occultis, penitusque latentibus actum
Quis dubitet causis? ubi [28] tandem tempore nostro
Æternum veteri finem positura querelæ.
Nobilis e Sicula tibi rex Henrice veniret
Nupta domo, gemini pax et concordia regni.
Forsitan hic facinus, commentaque fraudis iniquæ,
Graiugenumque dolos Graiorum morte piasset;
Aut inhonoratos, et probra gravissima passos
Turpiter Argolicam repedare dedisset ad urbem,
Ni bona pars procerum, legatis parcere regem
Censeret, famamque bonam præferre dolori.

VARIÆ LECTIONES.

[22] Rs. et RJo.—A. et rr. *vocatus* o. [23] *Egregio Manuel monocrator*, etc. B. †.—*Rex Graiæ Manuel oratum*, etc. A. c.—Forsan : *E Graia Manuel orator miserat urbe*, vel : *Et Graiæ Manuel orator miserat urbis*, vel prorsus : *Egregiæ Manuel*, etc.—Nil mutandum censet Rs. (?) [24] *mendaci*. B. [25] *ignaraque* m. Rs. †. [26] *qua* B. †. [27] W.—Edd. *Fœdere* o. [28] *uti* Rs. †.

Sic demum Graiis adeundi copia regis, A
Temporis atque loci præscribitur ordine certo.
Non tamen invicti fera principis ira resedit
Donec in Apuliam proceres ultricia regni
Juravere sequi condicto tempore signa.
 Jamque graves ultrix Alemannia moverat [iras,
Magnaque terrifico properabat cœpta tumultu:
Cum novus ex Latio rumor, meliorque priori,
Hostibus exstinctis, Siculo victore receptas,
Quas sibi subdiderant fallaciter, attulit urbes.
Ergo alio princeps tantarum pondera rerum
Flectit, et in Ligures properat convertere [bellum;
Innumerasque suo signatas nomine chartas
Destinat ad proceres, ita regia jussa ferentes: B
 Si non perspicuis patuisset cognita signis
Vestra fides, multoque prius sudore labores
Pignora sinceræ mentis manifesta dedissent,
Non ita secure vestrum peteremus, ad omnes
Auxilium, diversa ferunt quos tempora, casus:
Sed quia devotos, velut officiosa supremo
Membra decet capiti, nobis cognovimus esse,
Nunc hoc, nunc aliud mutato tempore vestris
Mandamus studiis: sic rerum postulat ordo:
Sic variat fortuna vices, nullosque timemus
Ob decus imperii vobis sociare labores.
Apuliæ bellum, quod paucis ante diebus
Sanximus Herbipoli, vobis impune remitto.
Prævenit siquidem nostros fortuna labores, C
Magnaque sublatis periere negotia causis.
Altera jam nostros exspectant bella lacertos,
Egregium virtutis opus, pulchrique laboris:
Imperii satiare minas, cunctisque per orbem
Gentibus et populis, Ligurina funditus urbe,
Ut decet, eversa, nostrum sancire timorem:
Quæ semper Latiis fallax, infida, rebellis
Regibus, et nulli docilis servire potenti,
Præcipue nostris tumefacta repugnat habenis,
Et quasi degenerem, timidumque [29] et mente [carentem
Contemnit, nec posse putat punire nocentes,
Quem nimis expositum veniæ, segnemque ma- [lorum
Aspicit in pœnas; patientia nostra timori D
Illa teste [30] datur: nescis, heu [31] perdita, nescis,
Quem stimulas peritura virum! sentire dece- [bat [32]
Te quoque, quod sensit consors et conscia [culpæ
Infelix Terdona tuæ: ceu corruit illa,
Tu quoque victa cades; tanto graviore ruina,
Quanto nunc [33] aliis tibi firmior ipsa videris.
Parva cadunt levius, non multa mole premun- [tur:
Magna sub ingenti franguntur pondera lapsu [34].
Nunc age, magnifici proceres, ingentibus actis [35]
Intrepidas adhibete manus, et justa ferentes
Arma, laboranti mecum succurrite regno.
Tutius est ferro jam putrida membra recidi,
Quam partis vitio totum tabescere corpus.
Hæc est illa nocens, quæ cunctas fortior urbes
Persequitur, nostramque premit sine fine Pa- [piam;
Quæ Cumam Laudamque, nimis vicina, perenni
Insectans odio, crudelibus urget utramque
Terrificatque minis, aliasque ferociter armis
Evertit, pressasque tenens in pulvere, victum
Non patitur relevare caput: regnique superba
Contemnit, ridetque minas: quas odimus urbes
Diligit, et contra quas nos dileximus, odit.
Terdonæ veteres, nobis prohibentibus, arces
Erigit, et vetitas audet sarcire ruinas.
Nec timet iratum, quem scit procul abfore re- [gem,
Nec putat ulterius nostros sentire recursus.
Fallitur, et vano ducit solatia voto:
Sperato citius castris Ligurina prememus
Mœnia; completo bellum condiximus anno.
Tunc nobis meritas cogetur pendere pœnas:
Et quæ nunc alias tutatur, et erigit urbes,
Non nisi post longum tempus renovanda jacebit.
Ergo viri fortes, vobis asciscite, quantas
Quisque potestis opes, uti cum se torserit [annus,
Totus apud nostram coiens exercitus Ulmam
Me duce per rigidam securus et integer Alpem
Transeat, et fortem [36] satis impiger occupet [urbem.
Neve sub hac specie vos ad majora vocari,
Aut Appenninum traduci forte putetis,
Sit procul iste metus: Ligurum non longius [urbe
Cogendum quemquam per regia nomina juro
 Interea solito belli fremebunda tumultu
Urbs Ligurum, postquam natalia rura tenere
Comperit evicta regales Alpe catervas:
Ticinum geminis incingere pontibus amnem
Aggreditur, pavidam solita feritate Papiam,
Ac circumpositos flammis simul atque rapina
Depopulatur agros; mortalia [37] corpora ferro
Confodit, aut duris astringit capta catenis:
Lunellum renovat, Terdonæ mœnia raptim
Erigit, atque novas properat sarcire ruinas
Haud procul a tutis Ticini mœnibus alto
Fulgebant castella loco, de nomine certum

VARIÆ LECTIONES.

[29] Rs.—A. et rr. *tumidumque* o. [30] *stante* W. †. [31] W.—Edd. *ha*. [32] *decebit*? [33] A. c. P. ss. Rs. et RJc.—rr. *Nec*. o. [34] *pondere lapsa* W. R. † [35] *ausis* Rs. [36] *sontem* Pfl. [37] *mortali* Pfl.

(Vigevanum [38] scriptura vocat) nil tradidit usus. A
Hæc tunc Guilelmus Ferrati marchio montis
Mœnia servabat, simul et Ticina juventus,
Præsidio submissa loci; sed fortior hostis
Expugnata diu tandem munimina victor
Occupat, et captis multo vix obside vitam
Indulgens, proprio componit fœdera nutu.
Quæ tunc [39] ob leges, et formam pacis iniquam
Sprevit, et abjecto Ticinum pondere rupit.
Ergo ubi festa suum cœperunt gaudia finem,
Protinus Herbipoli procerum cum parte relicta
Norica castra petens, ibi rex ad tempus agebat.
Hic, ut erant jussi, legati regis Achivum
Occurrere viro: mandataque regia regi
Notificant, quorum series (ni fallimur) hæc est [40]: B
Uxorem clara regum de gente suorum
Spondebant, thalamosque novos et fœdera pacis
Perpetuæ, nexu solido firmare parabant.
Huic quoque prædictæ restabat et altera causæ:
Nam duce Boricio tumidorum rector Achivum,
Nuper ad Hungariam magnum direxerat agmen:
Cujus ut interiit bello pars magna cruento,
Cum duce fusa suo Scythica perimente sagitta [41],
Viribus ipse suis vindictam sumere cladis
Invalidus, nostrum, quem noverat omnia posse.
Orabat regem, sævis indicere bellum
Gentibus, ultoremque suis asciscere factis C
Tentabat; sed causa virum spes utraque lusit.
Nam meliora sibi thalami jam fœdera rector
Junxerat; at [42] bellum breve tempus, et altera belli
Fortius incumbens privati cura vetabat.
Inde Ratisponam princeps, et publica regni
Cura vocat proceres, et rerum fama novarum.
Hic inter regis patruum, regisque nepotem,
Hactenus occultam de pacis fœdere formam
Nunc tandem vulgare parant, et ferre sub auras:
Quæ qualis fuerit, rerum satis ordo docebit.
Nam patruus regis per septem signa ducatum
Rite resignavit; quæ tradidit ille nepoti.
E quibus ille duo patruo tradenda resignans,
Austriaca jura viro pariter cessura reliquit.
Marchia tunc tellus erat hæc; nunc vero ducatus.
Namque volens prisci defendere nomen honoris
Rex patruo, cum tres comitatus ille teneret:
His quasi compactis, et in uno corpore junctis,
Consilio procerum celebrem dedit esse ducatum.
Neve secuturi factum subvertere reges
Aut revocare queant, regali tuta sigillo
Argumenta duci, monimentaque certa reliquit.
Utque bono pacis cunctas florente per urbes
Hæc quoque regali frueretur munere tellus.
Ultima juratam suscepit Norica pacem.
Sic velut antiqui revocato tempore secli
Aurea pacifico sub rege revixerat ætas.
Sed quantum placidæ, firmata pace, quietis
Præstiterat nostro regis præsentia regno,
Italicis tantum populis injecerat absens
Cladis: et astrictos laxaverat ante furores.
Sic dum dimidium tenebris absentia solis
Infuscat mundum, reliquo præsentia lucem
Fundit, et alterno partitur lumine cœlum.

LIBER SEXTUS

Ergo reformatæ post tempora plurima paci D
Nobilis arridens læto Germania vultu,
Dulcia sepositis tractabat gaudia curis.
Mutatos sese, mutataque sæcula læti
Credebant homines: cœli quoque blandior aura
Spirabat, meliorque dabat sua munera tellus
Non tamen in tanta princeps ignava quiete
Otia carpebat, credens hoc perdere tempus,
Quo nihil adjectum regni proventibus esset:
Quamque aliis dederat pacem, sibi sponte negabat
Ergo novam nactus tentandi fortia causam,
Constituit sævis indicere bella Polonis.
Hos, ut fama tenet, populos a cardine primo
Solis, et æstivo Phœbææ lampadis ortu,
Vistula præcingens torrentibus alligat undis:
At quæ fumantem mergi videt æquore Phœbum,
Hanc rapido cursu prælabitur Odera partem:
Quod latus imbriferos telluris respicit Austros,
Rura Boemorum, silvis horrenda vetustis
Tangit; ab arctoa Scythici maris æstuat ora
Fluctus, et indomiti sedem posuere Ruteni.
Hæc regio Sclavos complectitur, atque Polonos,
Et gentes alias, quarum nec barbara nobis

VARIÆ LECTIONES.

[38] Ita ex Othone Fris.—A. *Vigenum*, A. c. *Vigevum*. Edd. *Vingevum*. [39] R. ss. Rs. et Jo.—rr. *tum q*. [40] Edd. v. 536 post 537. W.—*adverterant sed non viderant vitium* Rs. et B. [41] B.—Edd. *pereunte* o. [42] Rs.—rr. *ad* o.

Nomina, nec rigidi possunt notescere mores. A
Terra suô munita situ, vix hostibus ullis
Armata tentanda manu: gens aspera cultu,
Terribilis facie, morum feritate timenda;
Horrendo violenta sono, truculenta, minaxque,
Prompta manu, rationis inops, assueta rapinæ,
Vix hominum se more gerens, horrore ferino
Sævior, impatiens legum, cupidissima cædis,
Mobilis, inconstans, acerrima, lubrica, fallax,
Nec dominis servare fidem, nec amare propinquos
Sueta, nec affectu pietatis docta moveri.
Hæc partim natura dedit: partimque nocentes
Tabida pestiferæ faciunt contagia plebis.
Nam quæcunque jacet Scythico brevis insula Ponto, B
Qui tenet hanc populus, nec terram vomere sulcat
Frigore perpetuo sterilem, nec squallida duro
Rura ligone movet, nec vitem copulat ulmo,
Nec legit arboreos, autumni munera, fetus:
Venatu tantum, crebrisque alimenta rapinis
Quærit, et assiduis pirata senescit in undis.
At si quando famem penuria longa ciborum
Asperat, (horrendum dictu vix credere possum
Ipse quidem, sed rumor habet) sua membra vicissim
Pestifero miseri morsu lacerare feruntur:
Nec genitor nato, nec fratri parcere frater C
Novit, et elixa recreatur filia matre.
Non tamen invictam terræ populique ferocis
Asperitas potuit regis compescere mentem,
Quo minus ad certos secura mente labores
Tenderet, et justam vindicta pasceret iram.
Hæc siquidem tellus communi jure tenenda
Funiculi sub sorte tribus devenerat olim
Fratribus, egregii generis; sed nomina nostris
Barbara legitime nequeunt accedere libris.
Horum, qui reliquos ortu præcesserat, unus
Dux erat, et nuptam [43] cognatam regis habebat,
Nomine Gertrudem, Leopoldo patre creatam.
Cujus ob invidiam [44] fratres cervice rebelli
Abjecere jugum, pulsumque e sede paterna D
Compulerant [45] tota profugum discedere terra
Ille sua pariter fugiens cum conjuge, regem
Chunradum petiit: scelerataque facta suorum,
Ærumnasque suas, ereptaque jura ducatus
Affini, regique suo deflebat: at ille
Imperiosa satis regni mandata, minasque
Misit, et ereptos reddi præcepit honores.
Intumuere truces, nec regia jussa, nec acres
Exaudire minas, nec jam parere jubenti
Curabant: missisque aliis, iterumque remissis,
Spernebant tumidi, fraternaque jura [46] tenebant.
Sic dux prædicto longum sub principe frustra
Flevit, et assidua mansit vetus exsul in aula.
Ast ubi felici Fridericus regia gessit
Sceptra manu, patruique loco suscepit agendum
Quidquid inexpletum, dubiumve reliquerat ille:
Sæpius admoniti, nec tunc quoque rapta jubentem
Reddere germano, timuerunt spernere regem;
Nec jurare fidem, nec prisco more tributa
Annua, quingentas curabant pendere marcas,
Omine non fausto; nam postquam sæpe repulsa
Infremuit justa patientia nobilis ira,
Agmina confestim rapiens per iniqua viarum,
Difficilesque locos, et quos præstruxerat hostis
Objicibus [47] vastis aditus, pervenit adusque
Odera Germanos qua separat, atque Polonos.
Hanc neque Chunradus, neque regum tempore prisco
Distantem ripis, tumidamque rapacibus undis,
Armata transire manu tentaverat ullus.
At rex invictum, quod suscepisset agendum,
Nil patiens, ipsam quæ cunctis imperat, acri
Ingenio fervens, naturam vincere tentat.
Protinus innumeras sociis contexere puppes
Imperat, ut rapidum toto simul agmine flumen
Exsuperet, pariterque viros transmittat, equosque.
Obstupuere rei, postquam sua rura tenere
Et ripam cunctis intactam regibus ante
Conspexere virum, vexillaque regia campis
Irradiare suis: pavidique fugacia turpi
Terga dedere fugæ [48]: quamvis ea castra Polonos,
Pomericos, Bruscos [49], Parthos simul atque Rutenos,
Atque truces populos Scythiæ totius haberent:
Neve secuturis optata cibaria tellus
Præsidiumve ferat, villas, atque oppida tuta,
Castraque per longos vix expugnanda labores
Exurunt flammis, spoliataque rura relinquunt.
Nec minus a tergo, quæcunque illæsa manebant,
Vastabat princeps: his qui sibi mente feroci
Parcere noluerant, indignum parcere ducens.
Tum demum tumidis e fratribus alter, iniqua
Qui profugi sedem fratris ditione tenebat,
Ut videt interitum tandem certumque gravemque
Advenisse suis irato principe rebus,
Clamque palamque suos mittens, iterumque remittens,

VARIÆ LECTIONES.

[43] *nuptum* B. [44] *infidiam* Sp. R. †. [45] *compulerunt* m. Rs. †. [46] *rura* m. Rs. †. [47] *obicimus* Rs. [48] *fuga?* [49] *Prussos* B. †. — Radevici codex: *Pruschos*.

Sæpius accitos affatu supplice cœpit
Compellare patres, et deditionis apertæ
Principis arbitrio legem, veniamque pacisci,
Quam miser hoc pacto tandem tulit, ut duo regi
Millia marcarum, bis centum vero ministris
Penderet, argenti marcas bis mille probati [50],
Mille alias proceres studiorum præmia ferrent,
Bis centum sacræ daret officialibus aulæ:
At tibi, quæ [51] rutilo fulgebas digna metallo,
Corporis ad cultum, generosi germinis aurum,
Viginti magnas daret, uxor regia, marcas:
Juraretque fidem regi, dignumque favorem,
Nec se de solio fratrem pepulisse paterno
Dedecus ob regni jurando jure probaret:
Denique virgineam se præsentaret in urbem,
Staturus fratri summo sub judice regni,
Signaque trans Alpes devotus regia miles
Prævaricatricem Ligurum sequeretur ad urbem.
Hæc ubi jurando firmavit, et obside multo,
Rursus ad obscœnos mores, vitiumque recurrens,
Rupit, et Æoliis dedit irrita ferre procellis.
Nam neque castra sequi voluit, neque venit ad illam,
Quam rex fraternæ liti condixerat, urbem.
Victor ad Herbipolis famosæ mœnia princeps
Signa refert; ibi tunc alios rectoris Achivi
Legatos, Graiæ portantes munera pompæ,
Verbaque mandatis satis ampullosa superbis,
Occurrisse ferunt; quos, ut ventosa loquentes,
Jactantesque sui nimium magnalia regis,
Urbano sermone diu gestire, benignus
Rector inoffensa patienter pertulit aure:
Sprevit, et irrisos probris fortasse lacessi
Dissimulans sineret, ni se peccasse fatentes
Elati stultique viri, generosa potentis
Fletibus et gemitu movissent pectora regis:
Jurassentque simul, nunquam se talia regnis
Ferre suis, Graiasque domi suspendere nugas,
Verbaque cum patriis phalerata relinquere tectis,
Si quando nostram casus revocasset ad urbem [52].
Sic tandem tuti, vox tota mente recepta,
A summo petiere viro, (nec tarda voluntas
Adfuit) ut princeps puerum præsentibus illis
Accingi gladio Fridericum rite juberet.
Hæc amitam pueri, consortem regis Irenen [53]
Argolici, mandasse, ac sæpe rogasse ferebant,

A Astipulante viro, propter consortia magni.
Quo pueri patrem fuerat complexus, amoris:
Donaque larga quidem tam nunc, quam sæpius ante.
Miserat egregii puero regina decoris,
Mandatumque viris dederat, non ante reverti,
Quam dominæ possent ea gaudia visa referre.
Nec minus Henrici, sub quo tunc dives agebat
Anglia, contigerat legatos regis adesse.
Hi quoque compositis mandata loquacia verbis,
Et pretiosa suæ portabant munera terræ.
Quorum præcipuum miro spectanda decore
Scena fuit, cui nec similem videre priores,
B Nec, reor, ulterius series ventura videbit.
Materiam quæris? peregrino stamine texta
Creditur: artis opus? miras habuisse figuras:
Pondus? humo tolli manibus, nisuve nequibat;
Arte levabatur, spatiosaque jugera campi,
Multorumque capax hominum, plus quinque tenebat.
Hæc igitur tanto radiantia dona decore
Regia mellifluis ornavit epistola verbis.
Anglicus Augusto rex grandia [54], vera monarchæ
Optat, et æternæ felicia gaudia vitæ:
Sit tibi vera salus, rex optime, semper ab illo,
Qui bonitate sua dat regibus esse salutem,
Inspiretque tuo bona cœlitus omnia cordi,
C Cujus clausa manu regum pia corda feruntur.
Gratulor, et nostris merito congaudeo regnis,
Cum tu cunctorum, quos cernunt sidera, regum
Maximus, et toto nulli cessurus in orbe,
Fœdera nostra tamen, regnique minoris, amico
Affectu non spernis opes: missisque frequenter
Muneribus, scriptisque [55] potens nos rector honoras,
Munera grata quidem, sed longe gratior illa,
Quæ facit ut nobis sint munera grata voluntas;
Quæ sese nobis de tanto culmine rerum
Inclinat, nostræque petit consortia pacis.
D Atque ideo quidquid nostris promittere regnis
Aut fecisse licet, devota mente volentes
Spondemus, cupideque tuo sacramus honori.
Sit precor in populis pax et concordia nostris,
Unus amor, sincera fides, commercia tuta:
Obsequiis nostris, studiisque fidelibus opto
Uti sæpe juvet, raro contingat egere:
Auxilii quoties aut res, aut tempus egebit,

VARIÆ LECTIONES

[50] Vel error poetæ vel locus corruptus: Radevicus /ita liv. 1, c. 5: Duo milia marcarum imperatori et principibus mille; imperatrici viginti marcas auri, Curiæ CC. *marcas argenti.* [51] P. s. Rs.— rr. *qui* o. [52] *nostrum ad orbem.* B. [53] *Herenam* A. [54] Sic A. *adnitente* Rs.—rr. *gaudia.*— W. *gaudens* †. [55] W.—Edd. *sceptrisque* o.

Viribus alternis suffragia grata feramus. A
Sic tamen, hic ut tu, qui me cunctosque per orbem
Præcellis reges, jus arbitriumque jubendi,
Ut decet, obtineas; mihi sit parere necesse.
Tamque tibi placeat nobis facienda jubere,
Quam nobis fecisse placet: nec fenora blandi
Quærimus obsequii, nec parvis magna latenter
Præmia captamus: summo sit gratia regi,
Incolumes servamus opes, nullius egemus:
Regna vigent, fortuna favet, multisque timemur
Gentibus et populis, Aquitanica me duce tellus
Utitur, Andegavis comitem vocat Anglia regem.
Non contra reges alios, inopinaque bella B
Imploramus opem, tranquilla pace fruentes:
Pace tamen media fidos optamus amicos.
De quibus, ut nobis liceat sperare, quis autem
Utilior, majorve mihi contingat amicus,
Quam tu, quem toti Romana potentia mundo
Imposuit dominum, quem totus suspicit orbis?
Munera parva tibi, sed quæ placitura putavi,
Mittere cura fuit: tu suscipe mente benigna,
Quæ ferimus, missamque tuis hanc, usibus, opto
Semper habe scenam, quæ te, dux optime, velis
Protegat expansis, qui totum protegis orbem.
Nondum festinus mandata recentia lector C
Prompserat, atque alii regalia tecta subibant,
Quos rex Hispanus, quos Gallia miserat, aut quos
Dacus, et *Hungaricis*[56] Pannon qui præsidet arvis[57],
Quos alii proceres, magnum qui sparsa per orbem
Regna tenent, aliisque procul dominatur in oris.
Istam quippe domum numquam sine plebe frequenti
Omnibus e terris, et ab omni gente profecta
Invenies: ut[58] qui linguas, moresque locorum,
Et quidquid toto rarum[59] contingit in orbe,
Agnovisse velit, nusquam perfectius illa D
Edidicisse queat; sic plurima tunc quoque turba
Hic aderat, diversa sonis, et moribus impar.
Munera certatim, mandataque læta ferebant,
Et sua regna pio gaudebant subdere regi.
Quos placidus princeps blandis affatibus implens,
Responsis lætos, donis dimisit onustos.
Inde viro placuit dotalia conjugis arva,
Allobrogumque domos motis invisere castris.
Cujus ut adventum præcurrens fama per urbes
Distulit, et rerum præconia magna peregit:
Protinus Allobrogum proceres, multique potentes
Italici, Veneti, Tusci simul atque Latini,
Guascones[60], Hispani, seu quos provincia dives
Misit, et Allobrogum contingens Gallia fines,
Chrysopolim celeres[61] adeunt: ibi regia castra,
Teutonicasque ducum placet exspectare catervas.
Huc quoque Romano celebres a præsule missi
Legati venere duo, Bernardus, et ille,
Qui post in cathedra Rollandus, nomine verso
Dictus Alexander, multos, magnosque, tumultus
Pertulit Ecclesiæ[62], cujus sub tempore longum
Schisma quater senos exarsit pene per annos.
His præter solitum census ingentis amorem
Quo Romana suos inflammat curia cives,
Hæc quoque causa viæ fuerat; quia nuper ab illa
Sede gradum referens, famoso nomine quidam
Anglus, apostolica multum dilectus in aula
Præsul, Teutonicis fœde tractatus in oris,
Et spoliatus erat: nec adhuc crudele, recensque
Flagitium, digna princeps mulctaverat ira.
Reddita magnifico super hac re pagina regi,
Plurima vana quidem, sed et hoc[63] monuisse putatur:
Ut memor impensi tanti sibi Cæsar honoris
Esset, et acceptæ papa donante coronæ;
Nunquam pontificem collati muneris alto
Pœnituisse viro, nec si majora dedisset
Præmia, tristitiæ posthac onerive futurum.
Hæc ideo princeps non contemnenda nec absque
Pondere suspectis credebat tradita chartis,
Quod prius Ausoniis dum versaretur in oris,
Audierat Latiæ diffusum plebis in ora,
Et vulgo dici solitum: contingere nulli
Regna Latina viro, nisi cui Romanus amica
Traderet illa manu, Petri sub nomine, præsul.
Hoc quoque Romanæ prostans[64] in sedibus aulæ
Vana loquebatur, qua voce licebat, imago.
Hic a Romano mendax antistite pictor
Fecerat imperii sumentem jura Lutherum

VARIÆ LECTIONES.

[56] *Hungaricus* Sp. R. †. [57] *armis* A. o. [58] το *ut* deest in Sp. — *qui* r. R. †. [59] *rerum* Pfl. [60] Sic A. *Vascones* Sp. *Wascones* rr. [61] *celebres* i. e. *frequentes* Pfl. †. [62] *Pertulit, Ecclesiæ* ss. Sp. P. R. †. [63] P. ss. Rs. et RJo.—rr. *hic* o.—*hæc?* [64] Rs.—rr. *præstans* o.

Stare genu flexo, nec non epigrammata vanus A
Desuper addiderat, simulatis consona rebus.
Hanc Adrianus ei, ne veræ semina cladis
Res simulata daret, penitus delere figuram
Pactus erat; sed adhuc minimi promissa labo- [ris
Distulerat, fomesque mali vivebat imago.
Ergo ubi magnificis accessit epistola verbis,
Admonuitque virum: satis indignatus, ab illo
Imperium princeps se suscepisse negavit.
Cumque refragari legati, et dicere contra
Tentarent, et falsa sua pro parte monerent [65]:
Infremuere duces, quos omnes aulicus ira
Ille comes præcessit Otho, gladioque cruentas
Acriter educto properabat sumere pœnas.
Sed rex in media, famæ non immemor, ira B
Corripuit, tenuitque viros, iramque repressit:
Et satis implacide dimissos, jussit eadem
Qua venere via, vestigia tuta referre:
Nec tamen ad dextram sit copia, neque sini- [stram
Detorquere gradum, nec nocte diutius una
Uno stare loco, donec referantur in urbem.
Utque hæc causa suæ cunctis notesceret iræ,
Protinus innumeris absentibus acta libellis
Innuit, et tales properat dictare querelas:
Cum mihi consensu divina potentia vestro
Imperium frenare manu, cunctisque per orbem
Gentibus Ausonium dederit sancire timorem,
Si quid opinato gravius, dignumve querela C
Inciderit, vestras justis conquestibus aures
Pellere [66] non timeo; quorum me munere [regna
Et primo cepisse, et nunc accepta tenere
Glorior, et nunquam memorem gratumve pi- [gebit,
Inde fit ut summi (modo dicere fas sit) iniquos
Pontificis vobis cogar depromere fastus:
Nam cum Chrysopoli, magno cum plebe poten- [tum
Concilium nuper summis de rebus haberem:
Advenere duo falsi de sede prophetæ
Romana, qui se mandata salubria nobis
Ferre paciscentes, et toti commoda regno,
Dulcia miscuerant [67] secreto mella veneno. D
Nam cum cœpta legi nobis a præsule missa
Prima parte sui sapuisset epistola pacem,
Protinus expressis ausa est subjungere verbis,
Illius nobis collatum munere regnum,
Imperii fasces, et sceptri jura dedisse,
Et gaudere datis, et si majora dedisset,
Nunquam pontificem facti, donive pigere.
Quem cum legati viva quoque voce furorem
Astruerent, tantis exarsit curia flammis,
Ut nisi sedato tumidis præsentia motu
Nostra tulisset opem, miseranda clade peris- [sent.
Ecce paterna fides, et magni præsulis alma
Integritas, humilisque Petri vestigia sectans.
Jam non ferre crucem Domini, sed tradere [regna
Gaudet, et Augustus mavult, quam præsul [haberi:
Ecclesiæ pacem, gladiis quæ rite duobus
Utitur [68], alterutro nunquam bene firma re- [moto,
Scindit, et in sese geminos exasperat enses:
Dumque sacerdoti conatur jungere regem,
Non uno tantum contentus lædit utrumque.
Quid voluere duo gladii, quos Petrus in illo
Indicat esse globo? totidem nisi nomina summi
Juris in Ecclesia; quæ cum sibi mutua quon- [dam
Fœderis alterni nexu suffragia præstent,
Sunt divisa tamen: nec in unum posse vi- [dentur
Juncta coire caput: nec eodem sæpe recur- [runt
Instituenda modo, licet unus utrique sit auctor,
A quo nomen habet sub cœlo quæque potestas.
Alter honos cleri consensum postulat: alter
Arbitrio procerum, regnique favore paratur.
Ergo quid ad summum de regni jure, quid, [oro,
Pontificem spectat? nullum caput ista super se
Aspicit, excepto cœlorum rege, potestas.
Ecclesiam regat ille suam, divinaque jura
Temperet; imperium nobis, fascesque relin- [quat.
Adde, quod infandum tractantes pectore votum
Latores apicum, mandatorumque sequestri,
Divinas spoliare domos, sacra tollere vasa,
Excoriare cruces, abrumpere textibus aurum:
Omnia quæ possent, avide corradere sævis
Unguibus, et secum collecta referre parabant.
Utque minus cautos mendacibus angere pos- [sent,
Ac terrere notis, impresso plurima signo
Deprensa est vacuis apud illos pagina chartis
Susceptura novas quas vellent cumque figuras.
At nos Teutonico cupientes parcere regno,
Et simul injustas cleri prohibere rapinas,
Vertere pestiferos a primo limine gressus
Jussimus, et vacua lusos repedare [69] crumena.
Vos (age) nunc proceres, quibus hanc auctori- [bus aulam,
Imperiumque rego, præsens injuria quæso
Asperet, et justos mecum stimulate dolores.

VARIÆ LECTIONES.

[65] Ita A.—Edd. *moverent*. [66] *vellere* V. †. [67] *miscuerunt* m. Rs. †. [68] *nititur* m. Rs. *. [69] *trepidare* Pfl. ††.

Interea magnos proceres, Burgundia dives
Pontificesque suis excitos sedibus ultro
Regis in occursum commoverat, omnia late
Oppida, seu validis munitæ turribus urbes,
Excipiunt illum valvis reverenter apertis;
Quæque relicta sibi jam libertate vetusta
Gaudebat tellus, venientem milite pauco
Agnoscit dominum supplex, regemque fatetur.
Ipseque Parisiæ moderator et arbiter aulæ
Milite cum multo (dubium, pacatus, an hostis)
Colloquii causa regem Ludovicus [70] adibat
Ast ubi dispositis illum dotalibus arvis
Teutonicas revocasse gradum cognovit in urbes,
Regia magnifico pacis sub imagine fas tu
Misit, et æqua suis ab eo mandata recepit.
Jamque tuos Cæsar peragrans, Germania campos,
Saxoniæ fines, claramque intraverat urbem,
Quam prius infidis condixerat ille Polonis.
Quos ubi velle dolum, jurataque pendere parvi,
Indefensa fidem cunctis absentia fecit:
Signa Ratisponam sua fert, ubi magna coibat
Concelebranda patrum solemni curia cœtu.
Huc quoque Pannoniis legatio venit ab oris,
Verba, precesque ferens Gaisæ [71] sub nomine regis.
Huic satis in teneris adolescens strenuus annis
Frater erat Stephanus, quem rex ad culmina regni
Aspirare dolo Bela suasore, ferebat.
Hic placido cultu puerum nutriverat, ut qui
Vir bonus et prudens, et avunculus esset utrique.
Hunc quasi suspectum regnis, et facta parantem
Impia, rex odiis vexabat frater iniquis:
Impositoque sibi funestæ crimine fraudis,
Testibus, et falsis juvenem damnare parabat
Indiciis [72], odiumque furens ferale coquebat.
At puer in magno spem tantum Cæsare ponens
Rebus opemque suis, solum ratus esse sub astris,
Qui velit aut possit tumidos arcere tyrannos:
Hunc adiit, tumidique graves, quas senserat, iras
Fratris, et indigno fœdatam crimine famam,
Exsiliumque suum deflens; insignia magni
Corda viri, crebris tandem permota querelis
Impulit, ut sævo fratri mandata, minasque
Scriberet, et juvenem famæ, domuique paternæ
Restitui, falso læsum rumore, juberet.
Ille furens odiis, et gaudens fratre remoto,
Cujus erat probitas animi suspecta nocenti,
Excusare suam fraternæ [73] crimine culpam,
Invidiamque sui cupiens lenire furoris,
Hæc regi mandata viros perferre fideles
Jussit, et augustas his fallere vocibus aures:
Germanum, quoad usque nihil crudeliter egit,
Vel latuere doli, consorti fœdere juris
Participem, nulloque modo, nisi nomine tantum,
Partiri quod nemo potest, habuisse minorem:
At postquam dirum [74] patuit scelus, illud amice
Non potuisse pati: nec tunc quoque sævius actum
Aut gravius quidquam, quam quod jam fraude reperta,
Cautus ab infido se subtraxisset amico.
Illum (cum posset tutus mansisse) coactam
Sponte sua simulasse fugam, causamque doloris
Esse, quod inceptos nequeat patrare furores.
At rex huic finem nequiens imponere liti,
Cum majora premant privatæ pondera curæ,
Distulit, et juvenem Veneti per stagna profundi
Providus Argolicam servandum misit ad urbem.
Hoc quoque conventu procerum, dux ille Boemus,
Fama Labezlaum quem nominat, ob sua gesta
Fortiter et bello nuper spectata Polono.
Ex duce rex fieri meruit, gessitque potenti
Sceptra manu, cinxitque novo diademate crines.
Protinus ad patrias vestigia rex novus urbes
Retulit, Italico pactus sua robora bello.
Nec minus egregium dictu pulchrumque putamus,
Quod patrui regis, dux Austricus, atque Frisingæ
Præsul sedis Otho, studio, curaque nepotis
In pacem rediere bonam, quos ante feroces
Irarum stimuli, fraternaque rixa cruentis
Vexabant odiis: cum dux abrumpere quædam
Fratris ab Ecclesia per vim tentabat: at ille
Prisca suæ sedis certabat jura tueri.
His bene compositis Ripuaria Cæsar in arva
Tendit, et extremos Rheni percurrere fines
Accelerat, pacemque locis, et jura reforma
Gentibus: hanc cunctis gaudens præponere curis,
Ne qua parte sui nutantia regna relinquat
Rector, ad Italicos moturus signa labores.
Rursus Vangionum campos, Luthramque revisit,
Regalesque sibi quos struxerat ipse penates,
Incoluit paucis sedata mente diebus.

VARIÆ LECTIONES.

[70] P. ss. rr.—A. *Luduicus* o. [71] *Garsæ* A. o. *Geisæ* Edd. [72] Pfl.—Edd. *Judiciis* o. [73] *Fraterne* P. Rs. RJo. †. [74] Rs. pp.—Edd. *durum*.

Dum sibi consilio sanctorum rite virorum
Cuncta gerenda putans, vicinis munera larga
Erogat Ecclesiis : turbæque benignus egenti
Elargitur opes : auctorem nactus in hac re
Hermannum, meritisque gravem, formaque venustum,
Sanguine conspicuum : qui tempore præsul eodem
Brixinensis erat, cunctis quos Teutona tellus
Tunc habuit, claræ prælatus nomine famæ :
Unde viri monitis ad magna negotia tendens,
Divinam studiis princeps a seque, suisque
Tentabat castris avertere militibus iram.
Jamque procellosis aquilonibus aera molles
Abstulerant zephyri, senii cum frigore pulso
Grata repubescit jucundi temporis ætas,
Dum viret omnis ager, tellusque decore resumpto,
Floribus, et viridi juvenescere gramine gaudet :
Cum jam desuetos post otia longa juvencos [75]
Cura laboriferi cogit juga ferre coloni :
Quæque diu tutæ tenuit navalia sedis,
Nauta ratem dubias pelagi deducit in undas :
Magnaque pro regno gesturi prælia reges,
Fortia belligeras revocant in castra catervas.
Cæsar ad Italicum jam se procingere bellum
Apparat, et validas castris accire cohortes.
Ne qua tamen puram culpæ contagio causam
Infuscare queat, sanctos asciscere patres,
Et justæ causas exponere maluit iræ.
Qui postquam stimulos jam dudum bella volenti
Adjecere novos, justumque, piumque fatentes,
Nomine quod regni geritur sub principe bellum :
Protinus accensa stimulis gravioribus ira,
Fervet, et ultorem veniæ spe tutus adepta,
In Ligurum pœnas princeps accingitur ensem [76].
Jamque gradu refugo Romam sine laude reversi
Terribiles nostri legati principis iras,
Quæque suæ trepidi tulerint discrimina vitæ,
Quantaque probrorum convicia, cuncta gementes
Ediderant [77], Adriane, tibi, mœstoque relatu
In regem nimias acuebant præsulis iras.
Jam tunc Romani partes dissensio cleri
Fecit, et in geminum secessit schisma furorem :
Hi legatorum partem, papamque sequuntur,
Ast alii regis pulchrum et laudabile factum
Excusant, fortemque vocant, dignumque corona :
Ac velut elatos culpant, nimiumque tumentes
A Dissidii causam, fomentaque prima dedisse.
Illa dies causam, momentaque prima malorum
Præstitit, et longo [77*] victuræ tempore pestis.
Principis, an papæ fuerit pars justior, alter,
Qui melius potuit cognoscere, judicet : at nos
Ignari rerum, partem veneremur utramque.
At præsul subita [78] nimium quoque fervidus ira,
Præsulibus nostri tam sæva piacula regni,
Contemptusque suos mœstis deflere querelis
Accelerans, tales ferri jubet undique chartas.
Si satis unanimes in Christi nomine fratres
Estis, et ejusdem proles certissima matris,
Contemptus nostros, et sacræ scandala vobis
Credimus Ecclesiæ magno ventura dolori.
B Quam male legatos majestas regia nostros
Audierit, quantaque furens exarserit ira,
Unius falso decepta interprete verbi,
Vel qui præsentes aderant, videre ; vel absens
Si quis erat, potuit certis audire relatis.
At nos, teste Deo, quod sceptrum juraque regni
Diximus a nobis illi collata fuisse,
Non donata quidem, potius sed tradita nostro
Illa ministerio, vel ei commissa, per illud
Credidimus verbum sat recte posse notari.
Nunquid ob ambigui suspecta vocabula dicti
Debuit in tantam succendi filius iram,
Verbaque mandatis opponere dura paternis?
Adde, quod eximio famosos nomine nostri
C Custodes lateris tanta feritate lacessi
Pertulit, ut gladios, et sæva piacula mortis
Vix fugerent : vetitosque ultra procedere tristes
Turpiter, ac trepidos ad limina sacra remisit.
Neve quis ad nostram de toto corpore regni
Audeat ulla sui deferre negotia sedem,
Observare aditus, angustaque claustra viarum
Dicitur, et mediam positis custodibus Alpem.
At vos, Ecclesiæ fortes validæque columnæ
Pontifices, (neque enim vestris hoc credere fas est
Actum consiliis) vos hæc injuria tangat :
Proque Dei fortem stabiles opponere murum
Ne trepidate domo, solida quæ, præside Christo,
D Ædificata petra, quamvis concussa procellas
Sentiat, everti tamen, et succumbere nescit.
Ac primo juvenem [79] monitis inflectere regem
Cura sit, ut tantum properet purgare reatum
Auctoresque mali, rabidæ feritatis Othonem,
Rainaldumque simul : quorum comes aulicus alter,
Alter in Ecclesia falso jam nomine culmen
Pontificale tenet : famosi criminis ultor
Corrigat, et digna manifeste puniat ira :

VARIÆ LECTIONES.

[75] Rs. s. RJo.—Edd. *desuetus... juvencus* o. [76] *ense* Sp. P. R. †. [77] *Ediderant* m. Rs. † [77*] Rs. s. RJo.—rr. *longæ* o. [78] *subito* Pfl. ††. [79] *tumidum* Pfl. ††.

Obsequiumque Deo, nobis impendat honorem, A
Illis [80] spem veniæ, cunctis exempla relinquat.
Talibus acceptis a summo præsule chartis,
Pontifices uno sic rescripsere tenore :
Scimus, et a Domine stabili promissa tenemus
Indubitata fide, nunquam de sede movendam,
Quam Petrus in solida fidei consistere jussam
Protegit Ecclesiam justo sub præside, petram.
Cum tamen insolitis sedes Romana procellis
Concutitur, capiti totius corporis angor
Condolet, uniusque dolor transfertur ad omnes.
Hinc fuit, alme Pater, cum regia pectora nuper
Illa recens dubiis movisset epistola verbis :
Cum fremerent regni proceres, strepituque feroci
Obstruerent stupidas insuetis vocibus aures, B
Ut neque fulmineam, te contra, principis iram,
Et sævas stimulare minas, nec rursus in illum
Munimenta tuæ parti præstare liceret.
Ut si forte novo lunam concurrere soli
Ætheris impulsu mirantia sidera cernant,
In neutram belli secedere territa partem
Forsitan audebunt, et compatientur utrique.
Hunc velut innato, proprioque calore timendum
Horrebunt : isti placidæ magis, atque labore
Assuetæ socio densas purgare tenebras,
Præstabunt tacitum, nil amplius ausa, favorem : C
Sic nos Cæsareas et formidavimus iras,
Et tibi, qua licuit, favit secreta voluntas.
Illa tamen dubii sensus defendere verba,
In tanto procerum fremitu, medioque furore,
Omnibus infestis, nullo præsumpsimus ausu.
Quæ super hæc nobis mandata legenda dedisti,
Legimus, et monitis cupidi parere paternis,
Protinus ammonitu [81] regalia pectora blando,
Jamque soporatas precibus demulsimus iras :
Cujus ut expressas possis agnoscere voces,
Dulcibus alloquiis ita respondisse putato.
Imperium geminis disponitur, inquit, habenis,
Legibus, et veterum servato tramite morum :
His ego contentus, fines transire paternos D
Nec volo, nec possum; neque enim prudentior illis
Laude supervacua cupio, vel major haberi.
Debita pontifici faveat reverentia; regnum
Legibus antiquis et prisco more regatur :
Cujus ab æterno tantum collatio rege
Provenit; ad proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem præsul de more vetusto
Moguntinus habet : pastori prima recentis
Agrippina tuo conceditur unctio regis :
Imperii nitidam summo sacrare coronam
Pontifici jus est; ut vero nomine possit
Non dator imperii, sed confirmator haberi.
Hæc ego magnorum suscepi jura parentum,
Hæc retinere libet; si quid superaddere quisquam [82]
Nititur, invalidum prorsus vacuumque relego.
Sint [83] sua jura patri : divinis legibus orbem
Temperet : Ecclesias, quo debet, jure gubernet.
Cogitet antiquos primævi temporis annos,
Præteritosque dies, et sæcula prisca revolvat :
Num Petrus? aut Clemens? num cætera turba priorum [84]
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore prisco
Pauper erat præsul; regali munere crevit :
Nec tamen ut fasces, et regni jura Latini,
Vel dare præsumat, vel cuiquam tollere possit.
Excessere modum magnorum munera regum,
Si tantum cuiquam jus in sua regna dederunt.
Sed neque tanta fuit largitio, nec dare quisquam,
Quo caret ipse, potest : hujus collatio regni
Auctorem sortita Deum, contingere nulli
Jure potest hominum : collator muneris hujus
Est Deus, hoc summis regnum confertur ab astris.
Hoc tamen arbitrium Romanus tempore nostro
Vindicat antistes, documentaque vana figuris
Exprimit, et chartis dat grandia verba superbis.
Jamjam picturæ, moneo, tollantur inanes,
Cauta verecundis mitescat epistola verbis.
Jam veris tractare libet; jam muta loquaxve
Cedat, et e medio mendax tollatur imago.
Quid sua verba ferant studeat pensare prius, quam
Regales incauta manus reprobandave tangant,
Si cupit Ecclesiæ pacem cum regibus esse.
Nec sumus ignari, patri quid filius, aut quem
Debeat ille mihi versa vice juris honorem.
Legatos siquidem minime procedere passi,
Non [85] in contemptum divini Patris [86] ad Urbem
Jussimus, aut odio, vestigia versa referre :
Sed quia multa novæ secum molimina fraudis,
Vel jam scripta notis, vel adhuc scribenda ferentes
Optabant miserum premere atque exsugere [87] clerum,
Divinas spoliare domos, secumque referre,
Quo nunquam Romana sitis satiabitur, aurum.
An pulchrum satis est, et summo præsule dignum
Impressas signo vacuas emittere chartas,

VARIÆ LECTIONES.

[80] *Nulli* m. Rs. *. [81] Sic. A. ss. Rs. et RJo.—rr. admonitu. [82] Rs. s. RJo.—rr. *si quis .. quidquam* †. —A. *si quis quisquam* o. [83] Rs.—Edd. *Sunt* o. [84] *piorum* Pfl. ††. [85] Rs. s. RJo.—Edd. *nec* o. [86] Iidem cum P.—rr. *patria* o. [87] Ita A. ss. Rs. et RJo.—rr. *exugere* †.

Quas possit lator vafris inscribere nugis,
Cum volet, et miseris falsas affligere [88] culpas
Laturus veram ficto pro crimine prædam?
Nam quod me queritur, positis custodibus omnes
Præclusisse vias: nec me fecisse negabo,
Nec nisi propensa [89] factum ratione fatebor.
Si quis habens causam, sacra limina, jure probatam
Vel peregrinus adit, via libera rite patebit:
At si quis nugas, pacis turbator, inanes
Illuc ferre cupit, nusquam transire licebit.
Hæc de responsis divi, Pater optime, regis,
Salva pace tua, tibi rescribenda putamus.
Nam quæ præterea superaddidit, utpote quosdam
Pactorum tacitas, ignaro principe, leges,
Contractusque novos, et conspirata latenter

A Fœdera cum Siculis, melius reticenda videntur.
Ille Palatinus jam tunc a principe nostro
Regius Italicas veluti præcursor ad urbes,
Non aderat præmissus Otho: Rainaldus, eodem
Accelerare parans, multis præsentibus ante
Immunem culpæ, populique furentis ab ira
Protexisse viros, multo se teste probavit.
Nunc, age, tranquillæ sanctissime pacis amator,
Justitiæ speculum, placidorum sanctio morum,
Nunc, age, deposita, si quam dolor intulit, ira,
In melius mentem revoca, nobisque, tibique
Consule: neu placidam mundi turbare quietem
B Ecclesiæ regnique gravis dissensio possit:
Mitior Augustus mittenda videtur ad aures,
Quæ tantos animi compescat epistola motus

LIBER SEPTIMUS.

Jamque profecturis ad magna negotia signis
Rhætica rura tenens multo cum milite princeps,
Qua celer Augustam placido Licus irrigat amne,
Proxima Vindelicæ tentoria fixerat urbi.
Hic ex diversis venientia partibus orbis
Agmina, septenis placet exspectare diebus.
Cujus ut adventum tanta Romanus in ira
Comperit antistes, vera tunc denique fama
Territus, Henricum præmittens, atque Jacinctum
Ire jubet, placidisque virum mulcere loquelis,
Scriptaque pacificis minus aspera reddere chartis.
Nam jam cum valido prudens Rainaldus Othone
Italiam, finesque tuos Verona tenebant.
His sine Marte viris ingressu Rivola primo,
Invictum, nullaque manu superabile castrum
Traditur; aeriæ primis in faucibus Alpis
Exstructum ditione sua Verona tenebat.
Contulit his [90] multum, gratosque sequentibus usus
Præstitit, ut tuto transirent agmina gressu.
Tum quascunque viros urbes, aut magna subire
Oppida contigerat, populis gaudentibus ultro
Exceptos læti decorabat cultus honoris.
Tunc proceres, clarique viri, turbæque minoris
Ambitiosa manus, studio devota fideli

C Sacramenta dabant, cunctas servanda per urbes:
Principis Ausonii jus, famam, corpus, honorem,
Nec se læsuros, vel si quis lædere tentet,
Usque vel ad mortem tota virtute reniti.
Inde tuos raptim transcurrunt, Mantua, fines,
Mantua famosi musa vulgata poetæ,
Vicinamque petunt, acturi magna, Cremonam,
Quam Padus effusis delambit molliter undis.
Huc ex Italicis confluxerat urbibus ingens
Pontificum, procerumque manus: reverenter ab illis
Susceptura sui mandata recentia regis.
D Quæ postquam quanto decuit splendore diserti
Exposuere viri, placidaque hic [91] aure verendi
Suscepere patres, magno complenda favore·
Inde per Æmiliam vestigia versa ferentes,
Te, Ravenna, petunt, legatos regis Achivum,
Quos apud Anconam positos hostilia quædam
Moliri audierant (horum Palologus ille,
Hic Logotheta fuit) cœptis arcere parantes
Hi contra Siculum specietenus arma moventes
Prætextu belli furialia vota tegebant.
Nam quæ littoreis stabant in finibus urbes,
Conciliare suo, nostroque abrumpere regno,
Arte, dolo, bellive metu, pretiove parabant:
Venalesque manus et municipalia castra
Conflabant multo, quod Græcia miserat, auro.
His bellatricem juvenum Ravenna cohortem
Improba conductis merituram miserat armis:

VARIÆ LECTIONES

[88] *affingere* m. Rs. [89] *perpensa* m. Rs. [90] *hoc* B. ††. [91] *hæc* s. *hinc* m. Rs.

Ut plebs illa nihil eum spe mercedis iniquum?
Judicat, oblato nihil est quod abhorreat auro.
Inde revertentes [92] cum jam sua mœnia tuti,
Vicinasque urbis portas intrare pararent,
Occurrere viri, dignaque ferociter ira
Correptos sævo circumstrepuere tumultu.
Ductor erat juvenis Guilelmus nomine quidam
Transversorque malus, vero cognomine forsan
Quod quasi fraude mala transverteret omnia, [dictus.
Hunc licet ante fores urbis, medioque suorum
Agmine, regalis noxæ non impiger ultor,
Nec numero comitum, sed regni fervidus ira
Irruit, et medium forsan mucrone cruento
Confodisset Otho: nisi multo denique fletu
Ignavæ plebis pariter, precibusque suorum
Evictus, trepido, ac sese peccasse fatenti
Donasset miseram [93] magno pro munere vitam.
His quoque dimissis Anconæ proxima fortes
Castra viri ponunt, Græcosque potenter ab [urbe
Accitos, regnique minas, et jurgia passos,
Tanta quod injussu Romani principis ausi
Ambiguis suspecta dolis incepta moverent [94]:
Argolicæ secum fraudis commenta referre
Ocius, et toto jussere secedere regno.
Qui postquam Graiæ pepulerunt scandala pe- [stis,
Converso repetunt Mutinensia mœnia cursu.
Huc, Adriane, tuos regalia castra petentes
Legatos, perfusa [95] Pado Ferraria misit:
Quos ubi tranquillos, mandataque pacis ha- [bentes,
Atque reformandæ paci venisse sequestros
Agnovere duces, ad cœpta negotia tutos
Dimittunt, placidumque sinunt explere labo- [rem.
Ergo Tridentinæ tuti cum præsule sedis
Prætereunt rigidas angustis faucibus Alpes
Qui tamen illæsas ad regia Cæsaris usque
Castra viris præstare vias, tutasque nequivit.
Nam duo belligeri comites, crebrisque rapinis
Assueti (quorum hic pugnax Henricus, at illum
Nomine vulgato Fridericum fama vocabat)
Nudatos spoliis, captosque in dura feroces
Vincula conjiciunt, tam qui ducebat euntes,
Quam qui se tutos illo ductore putabant.
Nec prius emissi, proprio quam fratre Jacin- [ctus
Obside deposito, sese, sociumque laboris,
Præsule detento, miseranda sorte redemit.
Mox tamen et nutu divino præsul, et obses,
Saxonis auxilio, Romanæ ob sedis honorem,
Saxonis Henrici, sub quo duce Norica tellus
Tunc erat, horrisonis subduxit colla catenis;
Afflictis graviter raptoribus, atque coactis
Reddere, quæ tulerant, et justas pendere pœ- [nas.
Ergo ubi Vindelicæ non longe a mœnibus [urbis
Augusto faciente moras, regalia castra
Ausonii subiere viri, præmittere vivo
Pauca sono cautela fuit, quibus ira verendi,
Si qua superstes erat, posset mitescere regis.
Hæc tibi cunctorum rex angustissime regum
Summus in Ecclesia Petri successor, et idem
Devotus tibi mente pater, cultorque fidelis
Mittit apostolica præmissa verba salute:
Totaque Romani nunc maxima curia cleri,
Te velut eximium regem, Dominumque salu- [tant.
Cætera, quæ ferimus, nudis quam tradimus, [ecce,
(Tradiderantque [96] simul) narrabit pagina ver- [bis.
Protinus explicita papalis epistola fronte,
Talia continuo subnectit verba relatu.
Quantus in officio studiosi cultus amoris,
Quanta paterna fides in te, mitissime fili,
Exstitit, ut primum divino munere sedem,
Et pastoralis suscepi munia curæ,
Indubitata tibi devotæ pignora mentis
Esse reor: quod prima tui gratanter honoris
Accepi mandata libens, quodque omnia lætis
Sæpe ministeriis a te dictata peregi:
Quod tibi collatos divino munere fasces
Imperii, sacram manu gaudente coronam
Imposui, vidique tuos gavisus honores;
Quodque tui causa Romanæ jurgia plebis
Sustinui, multosque tuli, scis ipse, labores.
Inter tot veri certissima signa favoris,
Si quid forte tuas, ita re cogente, sub aures
Vel minus exactum, vel acerbum pagina no- [stra
Detulit, in subitam stimulari protinus iram
Non decet: in cunctis causas et tempora rebus
Aspiciat, qui vera cupit decernere [97] judex.
Filius ille quidem sapiens et gloria patris
Creditur, ejusdem qui blandimenta, minasque
Æqua mente libens [98] et amica suscipit aure.
Imo, tua quod pace loquar, qui parcere virgæ
Sustinet, huic odio perhibetur filius esse.
Non decuit regem, nec tanto principe dignum,
Urbanumque [99] fuit, mea dum tibi pagina nu- [per
Adderet ultrices violati præsulis iras,
Obsequiique mei, non exprobrare profecto,

VARIÆ LECTIONES.

[92] *revertente* R. †. *revertenti* Rs. †. [93] Rs.—rr. *miserum* o. [94] *movere* V. †. [95] *præfusa* B. ††. [96] *Tradideruntque* m. Rs. †. [97] *secernere?* [98] *librans* B. †. [99] *Urbanumve* m. Rs.

Sed monuisse volens, quædam tibi signa referret; A
In tantam paucis accendi vocibus iram,
Quas minus exacta scriptor ratione notarat,
Ut nostri socios lateris, semperque fideles
Te quoque teste, tibi, tanta feritate lacessi,
Tanta pati sineres irati fulmina regni,
Explendique viros cœpti præclusa facultas
Cogeret irrisos ad limina sacra reverti.
Si quid in illorum factis enorme notasses,
Indignumque tuis, aut intolerabile regnis,
Significare tribus potuit tua pagina verbis,
Atque emendandum nobis servare reatum.
Nunc semel admonitus placide, ne tale quid ultra
Attentare velis; transacta sequentibus, oro, B
Corrige, Romanæ servato sedis honore.
Nos quoque, si qua fuit turbato in corde querela,
Ponimus, et dulcem tecum partimur amorem.
Latores apicum, mandatorumque ministros.
Quæ legis, eximio, fili, pietatis honore
Suscipe: quodque tuas per eos dictamus ad aures
Illud ab interno sinceri crede profectum
Pectoris affectu: tutosque, habitosque benigne
Hos saltem lætos ad limina sacra remitte.
Hæc tunc exposuit mandata recentia pastor
Ille Frisingus Otho, quem tanto major habebat
Hac de lite dolor, quanto propioribus illum C
(Regis erat patruus) tangebat curia vinclis.
Utque pie scriptis a summo præsule verbis
Addidit ipse suas in pacis fœdera partes:
Protinus ingenui consedit pectoris horror,
Et nitidus rediit, sedato principe, vultus.
Ut si forte rosas et candida lilia nimbus
Contudit et nitidum virgis decussit honorem:
Horrent informes spinæ, frustraque petiti
Quærentem fallunt nudato stipite flores.
Mox ubi tranquilli clementior aura Favoni [100]
Cœperit excluso spirare benignius Austro,
Protinus ad placidos flatus sua germina rami
Producunt, solitoque nitent virgulta decore.
Præter prædictam turbati principis iram,
Restabant aliæ litis fomenta querelæ: D
Quas ubi legatis distinctas ordine Cæsar
Exposuit: contraque suo pro præsule missi
Optima sollicite cauti responsa dedere:
Protinus optatæ præsentibus oscula pacis
Dulciter impendens, papæ, cleroque salutem
Innuit, et lætos a se dimittit in Urbem.
Jamque precatores aderant a rege Dacorum
Electo nuper, populique favore creato,
Principis arbitrio sceptrorum jura petentes:
Annuit hoc pacto rex, ut post bella reversum
Ante quater denos properaret Regulus illum
Cautus adire dies, regnum sumpturus ab illo,
Obsequiique fidem jurando jure daturus.
Jamque suas valido vires Alemannia motu
Excierat, populique truces fervente tumultu
Partibus e cunctis ad regia castra fluebant.
Saxones, et rigidi qui Norica rura coloni
Guestualiamque tenent, quos aut Ripuaria tellus,
Aut cum Germanis Rhenum partita colonis
Francia, seu magno nomen sortita Lothero
Terra tenet: tunc Allobroges dotalia læti
Arma movent, Celtæque leves, Cimbrique feroces,
Vindelici, Suevi, Sclavi, simul atque Boemi,
Pannones, et lætis [1] quos educat Austria campis,
Quique Carenthinis populus versatur in oris.
Non ego vel populos, vel nomina clara potentum
Enumerare queam, quoscunque a cardine mundi
Horridus, et gelida Boreas emissus ab Arcto
Verberat aerias donec veniatur ad Alpes.
Arma ferunt populi: non [2] sunt, qui mœnia servant [3],
Non [4] qui rura colant; [5] præmissis undique fervent
Castra viris, magno scrutatum a principe, per quas
Hos jubeat transire vias; nam tantus in armis
Plebis erat numerus, ne junctis agmina castris
Nubiferæ rupes Alpis transcendere possent.
Utque dedit ducibus cunctis loca congrua rector,
Distribuitque vias, scisso mox agmine quidam
Cannales, Juliique [6] forum, multique Clavennam,
Cumanumque lacum, multi petiere Tridentum.
Ipse Boemorum regem, multosque potentes
Allobrogum, Suevumque ducem, fidumque nepotem
Te, Friderice, suum, Chunrado rege creatum,
Secum rector habens, illas transcendere rupes,
Nomine quas veteri montem Jovis incola dixit,
Approperat: jam jamque domos et rura jacentis
Italiæ cernens, fidas quas noverat urbes,
Ticinum, Laudamque suam, Cumamque salutat
Lætus, et in Ligures violentam concipit iram.
Prima feros belli motus, regnique furores
Tuta loco, fidensque nimis Ligurumque suisque
Viribus, adversis excepit Brixia fatis:
Quæ posquam regi tentatis restitit armis,
Plus quoque quam potuit: tandem contrita, solutis

VARIÆ LECTIONES.

[100] Rs.—rr. *Favoni.* †. o. [1] *latis* B. †. [2] *vix* B. †. [3] *servent* Rs. †. [4] *vix* B. †. [5] *colunt?* [6] *Julique* B.

Mœnibus accepit dominum, quem fecerat hostem,
Vixque redempta suos multo luit ære tumores.
Utque ducis totæ subierunt castra cohortes,
Ne quid inhumanum, linguis ac moribus illa
Dissona barbaries castris impune moveret,
Consensu procerum tales a Cæsare leges
Compositæ, stabili castrorum jure feruntur:
Ne quis rixari ferro [7], pugnamque movere
Audeat in castris: neu mota lite vocatus
Cum telo veniat, lorica tutus [8], habensque
Quo tantum rixæ dirimat certamina, fustem.
Neu belli signum, nisi forte domestica quærens
Agmina, vociferet: miles si fecerit ista,
Ejecto castris, et turpia plurima passo,
Eripietur ei castrorum tota supellex:
Armiger exusta candenti fronte metallo,
Detonsaque coma, post verbera pulsus abibit,
Vel domini spoliis redimetur et omnibus armis.
Vulneris, aut cædis convictus, voce duorum,
Qui modo non fuerint violato sanguine juncti,
Hic caput, ille manum perdet: si teste carebit
Altera pars, facinusque velit formidine pœnæ
Abjurare reus, poterit jurare [9] volentem
Quilibet oblato licite reprobare duello,
Passurus similem non victo crimine pœnam.
Miles … cursore carens, clypeoque, vel hasta,
Sit licet oppositæ partis, regalia castra
Tutus adire potest; si quis violaverit illum,
Sicut et in socio pacem violasse feretur.
Si fuerit bellator equus [10], clypeusque, vel hasta,
Non erit ille nocens, pœnamve merebitur ullam.
Institor a nostro spoliatus milite, cuncta
Conduplicata feret; maxilla servus adusta,
Vertice detonso, supponet terga flagellis:
Aut erit a Domino prædicto more luendus.
Qui spoliare sacras aliquem conspexerit ædes,
Si prohibere potest facinus, prohibere laboret
Si prohibere nequit, maneat securus: at ille
Judicis arbitrio pœnam pro crimine pendet.
Urbem, vel castrum nostro sub nomine tutum
Impugnans, poterit pacis violator haberi.
Non erit in nostris nobiscum femina castris;
Qui reus exstiterit, spoliis nudatus abibit,
Turpiter et naso mutilabitur illa reciso.
Servus deprensi convictus crimine furti,
Si fur ante fuit, probrosa morte peribit:
Sin minus, abraso signatus vertice frontem
Verbera dura feret, castrisque fugatus abibit,
Ni fuerit domini spoliis, armisque redemptus.
Si continget equum cuiquam reperire vacantem,
Nec dominum norit, non detondebit, ut illum
Ignotum faciat, nec clausum fraude tenebit:
Sed stabulatori nostro denuntiet, ac sic
Invento ut proprio, nullo prohibente, fruatur.
Quem si fasce novo dominus deprendet onustum,
Non erit hoc licitum, dejecto pondere raptum
Tollere: portantem patiens in castra sequatur,
Jamque ministerio liceat revocare peracto.
Si quis pacificæ plebis villasve, domusve
Usserit: abrasis signabitur ora capillis,
Et pulsus castris post verbera multa recedet.
Lex eadem pœnæ præscripta minoris ementi
Teutonico, castris ut pluris vendere possit.
Hoc tamen adjecto, quidquid venale ferebat,
Eripiet cameræ turpi pro fœnore custos.
Miles Teutonicus socium de gente Latina
Non habeat, nisi notitiam sermonis habentem
Teutonici: quod si præsumpserit, omnia perdat.
Inventor foveæ, nullo prohibente repertis
Gaudeat; at si quis vim fecerit improbus illi,
Id noster digna stabulator corrigat ira.
Nemo parum caute, nimiumve potenter agendo
Conterat educto vinaria vasa liquore,
Quæ præstare suum possunt castrensibus usum.
Has, aliasque sacro dictatas principis ore,
Consensere patres, servare per omnia, leges.
Aut rex belligeras cupiens armare cohortes,
Ultricesque viris incudere fortibus iras
Editiore loco, blando spectabilis ore,
Et tamen ingenuæ reverendus pondere vocis
Constitit, attentas implens his vocibus aures.
Maxima sidereo laudum præconia regi,
Rex ego terrenus, modo si foret illa [11] facultas
Vocis et officii, merito persolvere possum,
Cum mihi devoto tantos assistere cœtu
Aspicio proceres, quorum me munere regna
Accepisse juvat, studiis retinere laboro.
Nam neque me tanti mea gloria muneris unquam
Immemorem faciet: vestrique [12] favoris egentem,
Vivere dum potero, bello seu pace fatebor.
Sunt impressa meis suffragia vestra medullis.
Quoque magis recolo, magis hæc recolenda videntur.
Immemor officii non sat memor exstitit ante,
Nec bene gratus erat, qui gratus desiit esse.
Spem mihi de reliquo, quæ præcessere dederunt;
Gratia præteritis, spes est adhibenda futuris.
Sed jam tempus adest, quo certo pignore possit

VARIÆ LECTIONES.

[7] Rs. *cum* Pfl disting. post: *rixari*. [8] *nudus* V. †. [9] Edd. *poterit jurare* : †. [10] Rs.—rr. *eques* o. [11] *ulla* B. [12] Rs.—rr. *nostrique* o.

Vestra nitere fides : ac magna negotia rerum A
Venimus, ingentes belli concepimus iras.
Nec mihi res agitur, nec certos sponte labores
Aggredior, belli causas, iramque coactus
Accipio, justosque movet vindicta dolores.
Cernitis in quantos sese efferat improba fastus
Urbs Ligurum, regnique minas mandataque nostra
Ridet, et antiquis a regibus edita jura,
Quæ cum legifero statuit reverendus Othone
Carolus, ah! pudeat, nunc demum tempore nostro
Respuit, abjecitque ferox cervice superba
Imperiale jugum, manifestaque bella fatetur.
Hoc ego si patiar, sine causa censear ensem
Invalida portare manu, regumque priorum B
Degenerem, dignumque minus perhibere [13] nepotem.
Ergone sævitiæ mea sunt electa nefandæ
Tempora, quæ tantos nequeant punire furores?
Fallitur ignavæ (nisi fallor) opinio plebis.
Quidquid in imperium nostro committitur ævo,
Invenit ultorem: dabit, ah! dabit impia pœnas,
Interituque gravi commissa nefanda piabit;
Si bene vos novi, si non mea pectora fallit
Spectatæ toties vestræ virtutis imago.
Nam neque vos nostri socios non esse doloris
Communis jactura sinit : quæ sponte dedistis,
Eripit invito, nisi vos succurritis, hostis
Munera vestra mihi parat extorquere, simulque C
Vos, et me [14], socii facto contemnit in uno.
Dumque putat bello nec nostra requirere posse,
Arbitrium vobis, fructum mihi muneris aufert.
Nunc age, Teutonici fortissima robora regni
Imperii vires, totius gloria mundi,
Magnifici proceres, magnis intendite cœptis
Pectora, sitque palam, nullam sub limite magni
Esse poli, nostris quæ tuto viribus obstet,
Legibus aut Latiis impune recalcitret, urbem.
Si vos a patriis laribus, thalamisque pudicis
Noster amor, regnique labor, justique doloris
Adduxit [15] ratio, si dulcia pignora, natos,
Plorantesque domi liquistis sponte puellas : D
Nunc iisdem causis ultrices acriter iras
In tumidos Latii depromite nominis hostes
Atque illud nostro detergite dedecus ævo,
Ne nostras impune minas sprevisse feratur
Urbs Ligurum, quas Roma timet : nec jura nec ullæ
Hoc prohibent leges : quoties injuria regnum
Vexat, et imperii subito pax hoste laborat,
Principis edicto justissima bella gerantur [16].
Hic nocens populus; nos regni jura tuentes,
Ultrices aquilas, qui publica signa secuti
Eximios certe [17] referemus laude triumphos.
Vocibus Augusti virtus accensa suorum
Incaluit : fremuere minæ, capuloque reductas
Admovit gravis ira manus : vox omnibus una :
Dicta probant, laudantque virum, stimulisque morantem
Impellunt, fidasque fovent in prælia dextras.
Sed ne præcipiti quidquam prudentia motu
Regia neglecto præsumeret ordine juris :
Primum propositis legalibus esse citandos
Hostes edictis, juris suasere periti.
Utque sibi certam Ligures incumbere cladem,
Dilatamque vident offensi principis iram ;
Jam spe majores scelerum deposcere pœnas :
Electos de gente sua, legumque peritos
Miserunt in castra viros, blandisque potentes
Persuadere modis; quorum sermone diserto
Posse putabatur mitescere principis ira.
Qui cum se causis graviter pœnalibus angi
Legibus Italicis, et stricto jure viderent,
Inque coloratis suffragia nulla loquelis
Esse, vel in multa, quam promisere, moneta ;
Rebus inexpletis, multum frustraque rogatis
Principibus, mœsto repetentes mœnia vultu
Implevere suam magnis terroribus urbem.
At rex instructis properans ad mœnia castris,
Jam loca contigerat, qua certior Addua limes
Finibus a Ligurum magnæ secat arva Cremonæ.
Qui quamvis medias populis injecerit undas,
Non tamen hostiles poterat [17*] cohibere furores,
Quo minus alterno spumaret sæpe cruore.
Gurgite tunc pleno solito torrentior ibat,
Auxerat et tumidas resolutis Alpibus undas,
Nec se belligeris transmitti posse catervis
Ponte, vado, remoque carens sperare sinebat.
Nec minus opposito Ligurinus in aggere miles,
Magnanimi juvenes, vel si vada tuta paterent,
Excipere hos armis, ac propulsare parati
Constiterant, densaque vadum statione tenebant
Sic duplici causa fluvio, belloque repulsus,
Iratus mediis exercitus hæserat undis,
Cornipedesque virosque simul gravis horror habebat.
Tantum distantes alterno margine ripæ
Certatim validis torquebant tela lacertis,
Donec ab extrema riparum fronte Boemus
Cum duce Dalmatico sese rapientibus ultro
Injecere vadis : hos agmina tota sequuntur.
Urget eques peditem ; multis violentior amnis
Lubrica fallaci vestigia subruit [18] unda,
Vorticibusque cavis involvens arma, virosque,

VARIÆ LECTIONES

[13] *præhibere* s. *prœhibere* Rs. [14] *mei* Sp. R. ††. [15] *abduxit* pp. Rs. † [16] *geruntur?* [17] *certa* m. Rs. * [17*] P. et Rs.—rr. *poterant* o. [18] *surpuit* Pfl. †.

Et rapidæ feritatis equos, correpta deorsum
Cuncta trahit : sic pene viri periere ducenti.
Ast alii non tam vectu quam remige freti
Cornipedum, solida tandem vestigia ripa
Fixerunt, turpique fuga perterritus hostis,
Mœnia nota petens, infaustum civibus omen
Retulit, et cladis prænuntia signa futuræ.
Stabat in ejusdem devexo margine ripæ
Turribus et valido castrum spectabile muro,
Nomen erat Tretium, Ligurum sub nomine tutum
Hactenus, et nullo tactum per sæcula bello.
Hoc latus excelsæ circumstant undique turres ;
Illud fluminea tutum defenditur unda,
Ingentique rapax incingitur Addua ponte,
Quem servat positis custodibus ardua turris.
Visa fuit regi nostris accommoda castris
Illa satis sedes, propter compendia pontis,
Et magno ventura bono : jussitque cohortes
Expugnare locum : paret festina juventus,
Totaque belligero cingit castella tumultu.
At qui præsidium servabat et oppida, miles,
Frustra tentato conatus mœnia bello
Defensare manu, postquam cognovit ab urbe
Nil opis esse sibi, miseræ modo munera vitæ
Depactus, totis patefecit mœnia portis :
Armaque victori, castellaque plena relinquens,
Nudus ad hostilem misere compellitur urbem.
Hos tamen eventus lætos, et gaudia rerum
Invida turbavit casu fortuna sinistro :
Namque novæ quidam quærentes semina laudis,
Præclarumque sibi cupientes didere [19] nomen,
Mœnia terrifico strepitu Ligurina petentes
Excivere suis tutis [20] de sedibus hostes,
Sævaque conflictu moverunt prælia duro.
Primus in his Ekbertus erat, comes ipse, sed alto
Sanguine, regifico minime cessurus honori,
Et magnos reges animi virtutibus æquans.
Hic dum prolapsum quemdam, rapidoque volutum
Turbine cornipedis cuperet relevare suorum,
Hasta Ligus juvenis vibrata per ilia magni
Transiit, et latebris animam deprendit in altis.
Sunt tamen, incolumi juvenem qui corpore captum,
Hostilemque manu tractum fateantur in urbem,
Sævaque discerptis perpessum funera membris.
Hunc et Teutonici proceres, Italique potentes
Et Ligurum bona pars ægre [21] gemisse feruntur.
Cujus et interitum lacrymoso tristia nectens

A Carmine Teutonicas deflevit fama per urbes.
Hic quoque Cæsareæ multi periere cohortis :
Quemque domi famosa ducem Ravenna potentem
Miserat, occubuit miseranda clade Joannes.
Nonnulli rigidas collo subiere catenas,
Ast alii frenis redeunt ad castra retortis :
Quos graviter princeps verbis invectus acerbis
Corripuit, pœnasque rei fortasse luissent,
Ni precibus blandis proceres, multoque rogatu,
Fortunæque vices, incertaque fata loquendo,
Vix tandem justam sedassent principis iram.
Qui mox permista tantis cum luctibus ira
Ulcisci socios avide festinat, et arcta
B Obsidione ream jam claudere cogitat urbem.
Totaque septenis distinguens agmina turmis,
Ductorem cuneo præfecit providus uni
Cuique suum : nunc cornicines sonitusque tubarum
Prælia terrifico committere prima tumultu,
Signiferosque loco vel læta vel aspera primo
Laturos, acies æque dispergit [22] in omnes ;
At qua Cæsareæ, signum latiale, cohortis
Regia fulget avis, magnorum densa virorum
Agmina, ceu magni glomeravit viscera regni.
Hinc famulum succincta manus, vulgusque pedestre,
Pondera jumentis ingentia portat onustis,
Quæque expugnandis creduntur idonea muris.
C Ultima ceu modico subitura negotia voto
Ære dato conducta cohors, et bellica miles
Dona sequens, pretioque suum mutare favorem
Suetus, et accepto pariter cum munere bello,
Hunc habuisse, dator pretii quem jusserit, hostem.
Sic pulchro felix acies instructa tenore,
Carmine belligero, longeque sonantibus hymnis,
Divinam sibi poscit opem, Ligurinaque sensim
Mœnia securo petit imperterrita gressu.
At qui sollicita civis spectator ab urbe
Prodierat, primasque fores, vallumque tenebat,
Nullo lascivus strepitu (seu regis honori
D Hoc dabat, ingentis seu jam præsagia cladis
Pectore [23] certa [24] trahens), nullo clamore superbus
Stabat, et insignem spectabat sedulus hostem.
At rex dispositis pulchro satis ordine castris,
Obsidet ingentem plus centum millibus urbem.
Hanc per circuitum spatio spectanda capaci
Planities, centum stadiis diffusior ambit;
Exstructus quadris vallabat mœnia saxis
Murus : adhuc [25] vasto præcinxerat agger hiatu,

VARIÆ LECTIONES.

[19] Rs.—Edd. *dedere* o.—*addere* W. [20] *tutos* m. Rs. †. [21] *æque* B. †. [22] *dispertit* m. Colerus et Rs. *
[23] Rs —rr. *Pectora* o. [24] *cæca* m. Pfl. ††. [25] *at hunc* Rs. †.—*et hunc* B. †.

Ad subitos belli strepitus, captosque [26] fragores, A
Grandibus impensis anno præparatus eodem,
Turribus, et pinnis, tormentorumque flagellis
Hoc minus institerant, quod nulla posse putabant
Obsidione premi plenam tot civibus urbem.
Unde nec imperio sese præstare fideles
Curabant, ac sæpe jugum cervice rebelli
Respuerant, regnique [27] diu, plebs illa superbis
Luxurians animis, tuto contempserat iras.
Ergo ubi divisis ingentia mœnia portis
Teutonici tota proceres indagine belli
Undique cinxerunt, et regia signa superbi,
Ausoniasque suis volucres colludere campis B
Viderunt Ligures, et opertos milite fines :
Prima viris alta tentoria cingere fossa
Cura fuit, densare sudes, et ducere vallum,
Castrorum munire sinus : ne clausa latenti
Turba dolo, vel Marte palam tremebunda diurno
Erumpat, subitoque viros, et castra furore
Turbet, et incautos inopina clade lacessat.
Nam neque tormentis, neque rapto mœnia bello
Posse capi populosa putant ; meliusque videtur
Exspectare famem (vi namque hæc cuncta potenti
Expugnare solet), vel si confisus ad arma C
Prosiliens, pugnam ferus ultro conserat hostis,
Fortunam tentare manu, facilesque triumphos.
Unam portarum socia virtute premebant
Cognati juvenes, quorum comes aulicus alter
Nomine Chunradus, regis quoque frater : at illum
Ductorem Suevis Chunrado [28] patre relictum
Æquivocum, junctumque sibi Fridericus amabat :
Promptus uterque manu, forma verendus uterque,
Nobilitate pares, et eisdem in finibus ævi.
Hos vel quod teneris vigiles minus esse sub annis
Credebant Ligures, vel quod vicinius urbem D
Terrentes, sociis procul obsedisse videbant;
Hos primum tentare parant, tacitasque cohortes
Nocte pruinosas mundo referente tenebras,
Mœnibus educunt, quo tempore membra diurnis
Extenuata malis primo sopor irrigat imbre :
Tunc etiam primo somni torpore gravatos
Invadunt, turbantque viros, et castra lacessunt.
Prosiliunt stratis stupidi : vix sumere tela
Noxve timorve sinit : ferit horridus aera clamor,
Multiplicatque metus, veris graviora timentur.
Non tamen in tanto discrimine mente carentes
Immemoresve sui validis hortatibus iram
Exstimulant juvenes : sumptisque viriliter armis,
Quæ tempus, casusque dabant, certamina dura
Instituunt, ferroque simul, lapidumque rotatu,
Et quocunque licet telo, depellere castris
Nituntur tumidis sublatos viribus hostes.
Jamque Boemorum tentoria proxima clamor
Armorumque sonus per opaca silentia noctis
Impulerat : qui mox tremulo clangore tubarum,
Raucaque terribili quatientes tympana pulsu,
Vicinam testantur opem : jam castra tenebant,
Jam sua Teutonicis sociarant arma catervis :
Attoniti subita miseri formidine cives
Degenerem petiere fugam, turpique relapsu
Mœnia nota petunt : sed nox, et porta timorque
Impediunt aditus, compressaque turba laborat.
Sic bona pars ferro cecidit prostrata cruento,
Aut injecta tulit captivo vincula collo :
Semineces alii, numerosaque vulnera [29] passi
Illæso penitus redierunt corpore pauci :
Exemplumque suis, documentaque certa dederunt,
Ne spem nocturnis auderent ponere furtis.
Sed quia festino bellum procedere motu
Obsessi fortuna loci prohibebat, et ingens
Tempora multa labor, momentaque tarda petebat :
Multorum virtus torpescere nescia, tardas
Non poterat tolerare moras, longamque quietem
Oderat, et steriles ignavi temporis horas.
Ergo Palatinus geminis cum fratribus ille
Eximiæ virtutis Otho, firmissima nostræ
Robora militiæ, flagrantes laudis amore,
Grande aliquid patrare manu, dignumque referri
Inter magnorum celeberrima facta virorum,
Vespere jam pene [30] referente crepuscula noctis
Eduxere suas castris ad mœnia vires,
Atque crematuras portam cum ponte latentes
Admovere faces : rapido tabulata vapori
Materiam [31], fomenta dabat violentior aura.
Protinus e tota raptim concurritur urbe :
Omnibus hostiles amor est exstinguere flammas.
Nam præter pontis discrimina, tota patebat
Urbs Ligurum flammis, si non consideret ignis.

VARIÆ LECTIONES.

[26] *cœptosque* s. *creperosque* pp. Rs. — *factusque* V. †. [27] *Regisque* R. †. [28] interponit partic. *a* m. Rs. [29] Pfl. — Edd. *vincula* o. [30] *plenæ* B. †. [31] Rs. — rr. non distinguunt inter *materiam* et *fomenta*.

Nec mora, conflictu magno certatur utrinque; A
Hi prohibere parant incendia pontis; at illi
Oppositi [33] prohibere volunt prohibere volentes.
Tela volant, strident lapides, densusque sagittis
Aer, nocturnas et vincit et adjuvat umbras.
Tandem restincta multo discrimine flamma,
Pene pari casu sera vix nocte diremptí,
Alternas cædes et mutua vulnera passi,
Hi muros subeunt, illi sua castra revisunt.
Nec Ligures nostris tardi magis, aut minus esse
Audaces, tumidique volunt, factoque recenti
Sponte referre vicem, pulchrum et laudabile credunt. B
Sæpius obsessis gaudent excurrere muris,
Et jaculo, fundaque levi, celerive [34] sagitta
Incautos turbare viros, crebrisque lacessunt
Castra latrociniis : portaque frequentius illa,
Quam ductor validis obsederat Austricus armis,
Erumpunt : tandem stimulis gravioribus ardens
Impulit ira virum, totis educere castris
Agmina : collato muros accedere bello.
At Ligures jam non muros defendere, verum
Obvia ferre viris ultro venientibus arma
Accelerant, miscentque gravis certamina pugnæ.
Prima volatilibus mandantur bella sagittis : C
Protinus excussis avide concurritur hastis.
At simul ad gladios, et strictas cominus iras
Incaluit virtus; tunc vero horrendus ubique
Clamor, et ingenti penitus collisa fragore
Arma sonant : tinnire cavas mucronis ab ictu
Audires galeas, incussa trementibus hastis
Scuta gravi mugire sono, gemituque cadentes
Oppetere, et rigido terram prosternere trunco.
Instant castrenses, adversaque pectora sævis
Vulneribus lacerant, indignanturque resisti.
Nec cedunt Ligures, nec de statione moventur
Obnixi, pariterque necant, pariterque necantur.
Donec vix tandem magna virtute repulsi,
Et nostris multa respersos cæde triumphos D
Linquentes, refugo tenuerunt mœnia cursu.

Hic inter multos stolidissimus occidit ille
Statius, infausti sibi quem præponere regem
Optabant Ligures, et sceptra dicare parabant.
Cujus et a nostris multo simul ære redemptum,
Et captivorum numerosa plebe cadaver
Mutatum solito regum sepelivit honore.
Stulta superstitio, quodque huic sors justa negarat [35]
Viventi, stolidus morienti contulit error.

Non mihi cujusdam Liguris reticenda videtur
Improbitas, stultæque ferox vesania mentis.
Qui rapido fremebundus equo, fulgentibus armis
Conspicuus longe, nostris illudere castris,
Militiæque rudes, equitandi lege carentes
Dicere Teutonicos, probrosaque multa pudendis
Gaudebat jactare sonis, vanamque superbus
Ostentans artem, rapido modo turbine vectus
Quadrupedantis equi, nunc certa lege reductis
In gyrum frenis sinuosa volumina torquens,
Unum de multis, potiusve ex omnibus unum
Electum, dignumque sibi concurrere, crebro
Poscebat, captosque metu ridebat inani.
Ut quondam pueri periturus glande [35] superbus
Ille Philistæus, trepidanti probra minasque
Jactabat populo, donec pastoris Hebræi
Procubuit tumidam signatus vulnere frontem.
Non tulit elatæ comes ostentamina mentis,
(Albertus Tyrolensis erat) vanamque superbi
Stultitiam Liguris digna compescere pœna,
Teutonicæque parat gentis removere pudorem :
Non tamen aut galea muniri tempora curat,
Aut gladio lumbos, aut ferro pectora texit [36],
Aut cursoris equi, quo prælia semper agebat,
Officio fungi; clypeo contentus et hasta,
Terga minora premens, vibrata cuspide, segnem
Impulit, armatumque solo dejecit inermis.
Sed neque degeneri dignatus tingere ferrum
Sanguine, non spoliis nullo discrimine partis
Victrices ornare [37] manus, tellure jacentem
Liquit : et hoc [38] aliis magni reputantibus, ipse
Negligit, et modico factum metitur honore.

LIBER OCTAVUS.

—

Has inter laudes et fortia facta virorum,
Illam præcipue curam [39] Fridericus agebat,
Ut sine jactura grandi, sine clade suorum
Conficeret cœptos optato fine labores.

VARIÆ LECTIONES.

[33] Rs.—rr. *oppositis* o. [34] *celerique* m. Rs. [35] Rs.—rr. *negaret* o. [35] B.—Edd. *laude* o. [36] *texi?* Rs. [37] *onerare* B. †. [38] P. et Rs.—rr. *hic* o. [39] *puram* P. o.

Et modo cum paucis, denso modo milite cinctus, A
Ardua sollicito lustrabat mœnia gressu :
Spectabat muros, spectabat robora valli,
Quæque locum vasto cingebant aggere fossas :
Quaque viam cœptis facilem fortuna parare
Tuta videbatur, cura studioque sagaci
Acriter intendens, oculis et mente notabat.
Hæc ita concussit trepidos vigilantia cives,
Ut quotiens illum muros ambire videbant,
Non secus, ac si jam validas effringere portas,
Turribus aut celsis infligere saxa pararet,
Mœnia tota gravi tremerent concussa tumultu.
Tunc varius totam clamor strepitusque per urbem, B
Signaque divinas trepide pulsata per ædes,
Feminei planctus, lamentaque mœsta sonabant.
At tuba pinnigeri juvenes ad culmina muri
Terribili clangore vocat, densaque corona
Undique consistunt, et propugnacula servant.
Stabat ab obsessa non multo longius urbe,
Quam semel exsiliens arcu jaciente sagitta
Ire potest, quadris moles incognita saxis
Romano constructa modo : quam fama superstes
Dicere Romanum vulgo consueverat arcum
Quattuor hæc [40] validis surgebat fulta columnis,
Tam sibi conveniens, ut visu nemo sagaci
Posset ab alterutris unum secernere saxis : C
Formam turris habens, cameras, tabulataque multis
Interius [41] sortita locis, altasque fenestras,
E quibus et totos [42] ibat prospectus in agros,
Et facili poterant conamine tela rotari.
Hanc Romanorum quendam [43] pro fornice regum
Erexisse sui certissima signa triumphi,
Vel magis iratos alio quoque tempore reges
Mœnia victa per hanc sibi subjecisse ferebant.
Præsidium plebs illa loco, sumptusque ciborum
Ad spatium belli, longosque locaverat usus.
Id caute fecisse putant : nam quidquid ab hoste
Exterius fieret, spectantibus inde videri,
Et facili sociis poterat notescere signo. D
Hæc [44] transferre suis Fridericus commoda castris
Cogitat, et juvenes jaculo, celerive sagitta
Corpora vel longe distantia figere doctos
Stare jubet contra, certosque intendere jactus.
Ut si quis patulis, aut mittere tela fenestris,
Aut spectaturos etiam producere vultus
Audeat, adversis configant ora sagittis.
Ipse flagellatam tormento rumpere molem
Apparat, et duro penitus confringere ferro.
Attoniti stupuere viri, dextrasque potentes
Jam depacti tradunt munimina Regi :
Qui postquam sociam tutos dimisit in urbem,
Collocat ipse suos in tuta sede fideles.
Hoc tamen in bello veteris non immemor iræ,
Acrius in Ligures Ticini sæva juventus,
Atque Cremonenses odio grassante fremebant.
Nam si quis Ligurum fatis agitatus iniquis,
Illorum quandoque manus, infestaque tela
Inciderat, tunc dira sui monumenta furoris
Aspicienda dabant, juguloque videntibus illis
Condebant gladios, aut duro stipite vinctum
Certatim missis figebant undique telis.
Nec minus ex illis, si quisquam sorte maligna
Venerat ad Ligures, discerpti corporis artus
Truncaque de summo spargebant funera muro.
Tantus ab antiquis furor et discordia causis
Inter vicinas semper spiraverat urbes.
Jamque fames Ligurum, nostris optata, superbas
Cœperat insolito mentes contundere morbo,
Ac, reor, a summi proficiscens Judicis ira
Squallida tabificum corruperat aera pestis.
Castra tamen Procerum vindex secrevit ab urbe,
Persequiturque reos, parcens insontibus, aer :
Castra vigent : non peste famis, cœlive laborant :
Urbs eget, et dubio tabescit languida cœlo :
Jamque fugam propria multi meditantur ab urbe
Exagitatque suos sedes natalis alumnos.
Sunt quibus extrema pro libertate tuenda
Dulce sit intrepido mortem promittere voto;
Esuriem, cœlumque pati, bellique labores,
Dum modo pro patriæ sint [45] hæc toleranda salute.
At quibus in miseris turbato pectore rebus
Plus aliquid rationis adest, mentisque profundæ,
Fœdera projecto pacis deposcere ferro,
Quasque velit princeps, suadent admittere leges.
Maximus inter eos suadendi fœderis auctor [46]
Utile consilium Guido Blandratensis agebat :
Hic comes eximius, Ligurum concivis, et idem
Charus erat Regi, nec ob hoc suspectus in urbe.
Tales [47] fama viri vulgaverat inclyta mores.
Hunc igitur medio trepidantis in agmine vulgi,
Cum jam de summis ageretur quæstio rebus,
Inter Cæsareum pariter, patriæque favorem,
Talia prudente cognovimus ore locutum.
Si mea pro vestris nunquam sollertia rebus

VARIÆ LECTIONES.

[40] Rs.—rr. *hic* o. [41] *internis* Rs. [42] P. s. Rs.—rr. *totus* o. [43] P. s. Rs. — rr. *quondam* o. [44] Rs. lui pp. *et : huc* l.—rr. *hic* o. [45] Rs.—rr. *sunt* o. [46] *actor* A. o. [47] Rs.— rr. *talis* o.

Pigra fuit, si vestra libens mandata peregi A
Semper, et hoc ipso vobiscum tempore dura
Malo pati, et tristes partiri gaudeo casus:
Non modo quid moneam, sed quo pietatis amore,
Quave fide, cives, animo tractate [48] sagaci.
Quæ facies rerum, quæ temporis hujus imago,
Qui status, aut quæ sit nostrorum forma malorum,
Plus quoque, quam satis est, ipsi cognoscitis, ipsi,
Certaque fortunæ clarent exempla sinistræ.
Sensimus, ut multi, mortalia quæque regentem
Nos quoque fortunam: non [49] culpa forte caremus.
Novimus hunc olim populum, regesque creasse, B
Et virtute sua quosdam pepulisse creatos.
Novimus Italicas leges, et jura per urbes
Ex isto fluxisse loco: sed durior æquo
(Pace bona dixisse velim) dominatio nostra
Exstitit: immodicis vicinas legibus urbes
Terruimus: scit Cuma quid est [50], scit Regia Lauda.
Quasque [51] per Italicos, urbes et oppida, fines
Stravimus, aut validis servire coegimus armis.
Mutavit fortuna fidem, dextramque retraxit,
Atque nova longam compensat clade favorem.
Non ultra stabilire suos, aut pellere reges,
Sed Latio servire Duci Ligurina necesse
Urbs habet: et recto (liceat modo vera fateri)
Ordine res agitur: reges Alemannia nobis, C
Urbibus Italicis leges et jura daturos
Mittere rite solet: postquam de partibus illis
Carolus, et Magni regnum surrexit Othonis,
Ausoniaque frui reges cœpere corona
Teutonici: quorum tuto contempsimus ante
Respuimusque jugum; nunc justis ultor in armis
Bellator Fridericus adest: quem nescia vinci
Mensque manusque suis facit hostibus esse tremendum.
Exemplo testata suas Terdona ruinas
Esse potest, quam ne vetito de pulvere frustra
Jusserit erectis urbs nostra resurgere muris,
Haud modicus timor est: exemplo debuit esse D
Spoletum, justa deletum vindicis ira:
Quæque per Italiam conata resistere frustra
Oppida, Teutonicis victor pessumdedit armis.
Nec timeo, socii, fateor, ne regis amore
Falsa movere [52] puter: dudum bene cognita vobis
Nostra fides certis potuit notescere signis.
Nam quod nil propriæ prætextu suadeo causæ,
Nec favor, aut odium, quæ publica commoda sæpe
Impediunt, sed certa fides, et pura voluntas
Hæc suadere jubent: scrutator pectoris alti
Scit Deus, et proprii mihi mens bene conscia voti:
Omnia discutiens animo, nihil esse salutis
Censeo placata nisi primum Cæsaris ira.
Arma movere libet, nudamque [53] lacessere pugnam?
Sed vix obstructis prohibemus mœnibus hostem.
Tuta loco clausis servabimus otia muris?
Sed prohibet violenta fames, miserosque fatigat
Pestis, et adversus pro Cæsare dimicat aer.
Omnia securi pro libertate feremus?
Sed libertatem contempta nemo salute
Sanus amat: neque enim certæ susceptio cladis,
Quam vitare queas nisi cum ratione salutis,
Libertatis amor, sed gloria vana putatur.
Nunquid et in brutis, immansuetisque videmus
Hoc jus esse feris, uti vasta minoribus ultro
Imperitare velint, majoribus infima cedant?
His ego de causis (adsit modo vestra voluntas)
Cæsareos ambire pedes, et fœdera pacis
Poscere, præcipuam fateor certamque salutem.
Nec placido Regi victos parere pigebit;
Nullus honor siquidem populi, vel gloria major,
Quam domino servire pio. Postrema loquentis
Verba viri misto suscepit turba tumultu.
Consilium plerique probant, pacisque petendæ
Fœdera: nec desunt alii, qui dicere contra
Conventus, fœdumque putant, dignumque pudore:
Cum patria potius pro libertate cadendum.
Tandem compresso fremebundæ murmure plebis,
Prævaluit ratio: missisque potentibus urbis,
Austricus ille potens ductor cum rege Boemo
Accitur: per eos Ligures mandata, precesque
Insinuanda viro cupiunt offerre potenti:
Qui neque difficilem sese, durumque rogatus
Exhibuit, gaudensque ream cum civibus urbem
Pœnituisse sui, leges et fœdera pacis
Providus in scriptum tali ratione redegit.
Prima quidem Ligures fidei pacisque tenendæ
Juramenta dabunt: omnes quoscunque nec ætas
Pupillaris habet, nec septuagesimus annus
Contigit, in medio jurabit quilibet ævo.
Appendentque novem pœnæ sub nomine fisco
Millia marcarum puro conflata metallo.
Præterea veterum neglecta palatia regum,
Lapsaque correctis relevabunt tecta ruinis,
Ut quoties magnam, vel rex, vel regius urbem

VARIÆ LECTIONES.

[48] Rs.—rr. *tractare* o. [49] *nec* Rs. * [50] *quidem* Rs. †. [51] *Quosque* A. Sp. P. o. [52] *monere* P. Rs. * [53] *timidamque* Pfl. ††.—*crudamque* V. *præoccup.* B. †.

Forte procurator, causa ducente subibit,
Digno magna loco tractare negotia possit.
Oppressasque diu, Cumam, Laudamque solutis
Legibus, et longa penitus ditione remota,
Respirare sinent: non prisca tributa requirent,
Præterquam veterem divini juris honorem,
Quo super has urbes Ligurum viget inclyta sedes.
Sincera quæ cuncta fide complenda trecentis
Firmabunt vadibus de quolibet ordine sumptis:
Hosque per Italicas servandos cautius urbes
Principis arbitrio custodia mitis habebit.
Et quibus illa locis fuerit commissa juventus,
Protinus expleto servatos reddere pacto,
Chara suis patribus jurabunt pignora natos.
Consulibus positis, et facta pace repertis
Stare licet, plenus dum se converterit annus.
Postea nullus erit, nisi quem Rex ipse probarit
Electum populo: quibus hæc ad jura vocatis,
Si tunc Italicis princeps habitabit in oris,
Hunc electorum bona pars reverenter adibunt:
At duo sufficiunt, si transalpina tenebit:
Jurabuntque fidem regi, dignumque favorem,
Tam sibi, quam sociis ea [54] regni dona petentes [55].
Nec minus absentes [56] accepto munere regis,
Coram plebe sua, coram primatibus urbis
Præstabunt eadem jurandi fœdera juris.
Si tamen Italicis fuerit legatus in oris
Regius, hoc ipsum regis vice juris habebit,
Et de consulibus disponere cuncta valebit.
Ante tamen clausa quam victor ab urbe recedat,
Captivos omnes, vetereseque, novosque Boemo
Committent Ligures: quos protinus ille paternis
Restituet laribus, si jussu principis illas
Cum populo Ligurum concordia junxerit urbes:
Accipientque suos Ligures versa vice captos,
Quæque juvant illos sociis conatibus urbes:
Sin minus, in solito retinebunt carcere vinctos,
Nec tamen hinc aliquam patientur Cæsaris iram.
Obsidibus positis, captivis rite solutis,
Proxima lux regis discedere castra videbit.
Argenti summam Ligures pro pace ferendam
A [57] sibi subjectis poterunt [58] conflare colonis,
Dum tamen immunes Laudam, Cumamque relinquant,
Navigium, portus, vectigal, sive monetam,
Vel quæcunque sibi defendit commoda fiscus,
Nec rapient Ligures: nec si quis forte nefando
Invasu rapuisse velet, patientur inultum.
Has postquam leges, et spe leviora rebellis
A Jam dudum populus, gratanter pacta recepit,
Continuo totis effusi mœnibus omnes
Procedunt: primusque suo cum præsule clerus
Veste sacra nitidus, nudo pede, supplice vultu,
Vertice demisso, nostræ monimenta salutis,
Signa crucis præfert: post hinc in vellere pullo
Infausti cives, vestigia nuda prementes,
Judiciumque [59] sui pariter, pœnamque reatus,
Admotos nudis portantes faucibus [60] enses,
Tacta [61] pudore gravi perfundunt fletibus ora.
Protinus e totis fluit ad spectacula castris
Miles, et astantes densas hinc inde catervas
Angustus dirimit medio discrimine limes:
Quo vix turba gemens ad regia Cæsaris ora
Pervenisse queat, placida qui fronte serenus,
B Pectore contritos, et se pecasse fatentes
Suscipit, et tali summo pro munere Regi
Grates lætus agit, sæva qui mente rebelles
Contudit, et tumidos [62] tandem resipiscere jussit.
At Ligurum primi prostrati corpore toto
Cæsaris ante pedes trepidis confusa querelis
Pauca gemunt, veniamque suis excessibus orant.
Hoc tantum, veniamque sonant, veniamque loquuntur.
Non odio regni bellum movisse, sed illas,
Quas sibi vicinæ fecissent sæpius urbes,
Non potuisse pati tranquillo pectore noxas.
C Nunc veniam nactos, operam, curamque daturos,
Ut redimant antiqua novis, præmissa futuris.
Mox ubi præscripti recitata est pagina pacti,
Atque probata viris, optatæ pignora pacis
Accipiunt, junctas consorti fœdere dextras.
Nec minus emissi Ligurum de carcere longo,
Duraque temporibus multis ergastula passi
Captivi dudum variis ex urbibus hostes [63],
Ordine diffuso circa vestigia magni
Consedere ducis, squallentia tegmine fœdo
Corpora velati: miserandos possidet artus
Fœda situ macies, deformia turpis et æger
Inficit ora color, pressis cutis arida membris
Insidet, humanæ tantum vestigia formæ
D Servat, et antiquam retinet natura figuram;
Et [64], si vera velis imponere nomina rebus,
Non homo, sed vivens [65] hominis videatur imago.
Et tamen exsultant longos fugisse labores
Carceris, et duras semel abjecisse catenas:
Ignotumque diu post tristia nubila læti
Aspiciunt solem, regemque libentius ipsum,
Cujus ab exsilio sese virtute reductos,
Ac velut e stygiis tractos meminere tenebris.

VARIÆ LECTIONES.

[54] *et* V. ††. [55] *putantes* B. ††. [56] *absentis?* [57] *At* P. ††. o? [58] P. a. Rs.—rr. *poterunt* o. [59] *Individiumque* m. Rs. †. [60] *portant cervicibus* Pfl. ex Radevico. [61] *Tecta* Pfl. [62] Rs.—rr. *timidos* o. [63] *hostis* Rs. †. [64] *Ut?* [65] *livens* B. †.

Quis referat fletus, lacrymosaque gaudia tantæ A
Plebis, et interna tactos [65] pietate dolores?
Cum captiva diu post durum corpora tetri
Carceris exsilium, lætis sic reddita tandem
Civibus, et natos vix agnovere parentes
Jam niveos canis, primo quos flore nitentes
Ultima non faustis ad bellum miserat hora
Auspiciis, longas damnatos ferre catenas.
Nec solum miseros spatiosi temporis ætas
Fecerat ignotos, sed squallor, et hispida ve-[stis,
Et situs, et macies, et nullo pectine tacta
Utraque cæsaries, agnosci pene vetabant.
Tunc demum victa Fridericus ab urbe reces-[sit,
Modionumqne petens, prisco dignatus honore B
Illustrare locum, sacro diademate crines
Induit, et dextra gestavit sceptra potenti.
Hanc fortuna diu, Ligurumque potentia dives
Eximiam regni proavorum tempore sedem
Presserat, et longa victam ditione tenebat.
Sed placidus princeps primævo cuncta decori
Restituenda putans, injustis legibus illam
Exemit, priscumque loco reparavit honorem:
Sumptibus et propriis veteres sarcire ruinas
Jussit, et annosi senium deponere fati.
Tunc bene re gesta, cunctis in pace locatis,
Cæsaris a facie cum tellus tota sileret,
Militiæ partem placuit dimittere castris.
Austricus Allobrogum dux cum duce, rexque [Boemus, C
Pannoniæque simul sub eodem rege cohortes,
Et Moguntino proceres cum præsule multi,
Rege salutato, meritis et laude venusti,
Discedunt castris, conversaque signa ferentes,
Teutonicas repetunt transcensis Alpibus urbes,
Ipse satis multos secum, ceu nullus abisset,
In castris retinens, ad certa negotia regni
Ducitur, et pulchros invicta mente labores.
Non tamen in tanto clari victoris honore,
Italiæque metu, stolidæ vesania gentis,
Exemplo Ligurum penitus compressa quievit.
Namque satellitio quidam stipatus iniquo,
Civis erat, Verona tuus; Tusuidus, ut aiunt,
Nomen [66*], ab infida causas tacitosque furoris D
Urbe trahens stimulos, castrum regale, (quod [filli
Appellare solent vulgato [67] nomine Gardam)
Invasit, cepitque dolo: jussusque [68] relicto
Sæpius insanis illo desistere cœptis,
Spernebat regem demens audire jubentem.
Intremuit tandem princeps, Athesamque rapa-[cem,
Nec ratis officio, solitis nec pontibus usus
(Fervida quippe vadum fluvio jam fecerat æstas),
Contemptis transivit aquis, urbisque superbæ
Depopulatus agros, quædam castella nocentum
Diruit, et spretas impune retransiit [69] undas.
Nec minus egregium quiddam comes aulicus [ille
Tunc quoque gessit Otho; qui te, Ferraria, [jussu
Regis adire parans, intactas omnibus ante
Eridani fregisse vado nil territus undas
Dicitur et tumidum primus transisse per am-[nem.
Hæc quoque res multum curæ, justique [70] ti-[moris
Urbibus Italicis, et magnæ nomina famæ
Adjecit nostris, claro sub principe, castris:
Quem nihil aggressum frustra natura vereri
Ipsa putabatur: cui sic famulantibus ultro
Subdita more novo studiis elementa favebant.
Ergo Palatinus stupidæ formidine magna
Plebis, et ingenti pariter susceptus honore,
Regia solerti studio mandata peregit.
Utque quater denos fidei pacisque tenendæ
Accepit monimenta vades, ad regia castra
Vertit iter, cunctis digna cum laude peractis.
Hoc quoque conveniens, et tanto principe [dignum,
Atque inter castos memorabile Cæsaris actus,
Scribendumque puto, quod tempore rector eo-[dem
Illecebrosa suis purgavit scandala castris,
Eque suo cœtu lixas, et scorta, nocivum
Ac petulans vulgus, satis indignanter abegit.
Nec docilis tolerare moras, pigrosque quieti
Indulgere dies, exclusis pectore sacro
Bellorum curis, pacis bene ponere tempus
Cogitat, et mundo prodesse laborat inermis.
Neve retractato Ligurum inconstantia pacto
Absiliat, solitaque fremens Laudensibus ira
Immineat, totos urbis transferre penates
Et veterem mutare situm festinat, et urget:
Describitque locum, quem torrens Addua [71] to-[tum
Gurgitibus flexis aditu breviore relicto
Circuit: ut modico munimina tuta labore
Artificis præstare queat solertia curæ.
Hunc transferre lares, antiquaque mœnia re-[ctor
Imperat: atque novam regni sub nomine Lau-[dam
Grandibus impensis sese Pater [72] auspice fundat.
Inde per Italicos famosa potentibus urbes
Curia Roncaliis certo mandatur habenda
Tempore, quo pacis leges, et publica jura

VARIÆ LECTIONES.

[65] *tractos* pp. Rs.—*tacitos* V. ††. [66*] *Nomine* Pfl. [67] *vul-gari* Pfl. †. [68] Rs. — rr. *rursusque* o. [69] P.—rr. *transiit*, refrag. metro. [70] *mæstique* Pfl. ††. [71] *Abdua* P. †. [72] *patre* Sp. P. R. B. Jo. †.

Aut ea, quæ fisci rationibus applicat usus, A
Omnibus in medium, stricte servanda, ferantur.
Commemorare juvat, populo quod forte sequenti
Proderit exemplo: ne quis fore credat inultum,
Quidquid in augustos ausus committere reges,
Vel meditatus erat [73]: nam tempore servus eodem
Argolici regis (Græci cognominis usu
Hic Caniclinus erat [74], nobis Camerarius idem
Esse potest) domino secreta fraude parabat
Sanguinis insidias, et tres sibi criminis hujus
Addiderat socios, quos ad mala grandia [75] promptos
Perdita sacrilegis audacia fecerat armis.
His male præmonitis peragendæ fraudis iniquæ
Infandum mandarat opus: mox cæde peracta B
Usurpare sibi manibus diadema cruentis,
Et desolatum cupiens invadere regnum,
Nescius ipse sui tractabat inania fati.
Nam re comperta, prius illi lumina lictor
Fodit, et exerta terebrato gutture lingua,
Cum [76] sociis longa cruciatum perdidit ira [77].
Jam loca jussa petens ex omnibus undique terris
Principis edicto clarus convenerat ordo,
Tantaque Roncalias magnorum turba virorum
Fluxerat, ut nec se similem vidisse priores
Crediderint, nec jam visuros esse sequentes
De reliquo sperare queant: tentoria ponunt
Undanti vicina Pado, quæ more Latino C
Ductus ab antiquo talis determinat ordo.
Semper in æquali Romanus tendere miles,
Si patitur natura loci, planoque laborat.
At si difficili fuerint loca pendula clivo,
Asperiusve solum, primo correcta laboro
Complanare solet, jacto mox aggere fossam
Ducit, et ingenti cingit munimina vallo.
Protinus in quadram vergentia, sive rotundam,
Pro ratione loci ponit tentoria formam.
Principis in medio digno spectanda decore
Castra nitent, celsi speciem referentia templi.
Quem circa proceres, condigno juris honore
Cuilibet exhibito, propius, seu longius absunt.
Inque modum magnæ spatiosis frontibus [78] urbis
Dirigit immensas ad portam porta plateas. D
Ante fores ipsas regalia castra secuti
Artifices operum, seu qui venalia portant,
Castra minora locant, faciuntque suburbia quædam.
Sic tanquam subitis properata colonia tectis,
Atque repentinæ nova cernitur urbis imago.
Tunc quoque præscripti servato fœdere moris
Regia dispositis sederunt agmina castris.
Nec minus oppositæ Ligures in margine ripæ
Atque alii cives tentoria juncta tenebant.
Brixia quos genuit, quos misit Pergamus, et quos
Italiæ plures in iisdem partibus urbes.
Hæc quoque castra suo porrecto ponte per amnem
Continuare parat princeps, biduoque labori
Impenso, medias cinxit pons pervius undas.
Nomina magnorum, quos præsens curia vidit,
Commemorare patrum, numerum, gentemque referre,
Non satis est promptum, non [79] multum pertinet ad rem.
Id potius certa nobis ratione videndum,
Quid bene dispositum, quid ab his feliciter actum,
Quæ nova prodierint tanto sub principe jura,
Quasve recensuerit celeberrima curia leges.
Ergo sacros tantum patres, jurisque peritos,
Et de principibus paucos, quibus ipse timorem
Norat inesse Dei, tacitis Fridericus adaptans [80]
Colloquiis, triduo secreta negotia toto
Rimatur, jurisque vices, legumque tenorem
Consulit: hanc illis gaudens injungere curam,
Ut super Ecclesiæ, seu regni jure, salubri
Consilio monituque virum formare [81] laborent.
Tandem prolato post longa silentia vultu,
In medio procerum, spectabilis undique, cœtu,
Talibus ora modis princeps facunda resolvit.
Si modo non frustra, quoties in nomine Christi
Tresve, duosve pari consensu juris amore
Congregat, in medio perhibet se Christus adesse;
Quis dubitet tantis ad commoda tanta vocatis
More suo medium primatibus adfore Christum?
Absit, ut nos unquam Christi præsentia patres
Destituisse velit! quibus ecclesiasticus ordo,
Imperii leges, et publica jura reguntur.
Nunc igitur proceres, communi fœdere juris,
Quidquid in Ecclesiæ, vel regni commoda rite
Pertinet, in medium Christo præsente feramus.
Ipse quidem, quamvis divino munere princeps
Summus in orbe ferar, legumque immunis, et expers,
Non servire quidem cogar, sed condere jura
Fas habeam, vestris cupio disponere cuncta
Consiliis: nostro [82] non ægre spondeo jussu,
Vel sancire novas, vel priscis legibus uti.
Nam nihil, ut verum fatear, magis esse decorum,
Aut regale puto, quam legis jure solutum
Sponte tamen legi sese supponere regem.
Gratia sit magno, qui temperat omnia Regi,
Undique bellorum tumidos suppressimus æstus,
Bellatrix positis Alemannia conticet armis,
Et vetus Italici deferbuit ira furoris.

VARIÆ LECTIONES.

[73] *erit* P. s. Rs. [74] *Camiclinus* Sp. R. Rs. †. *Calinicus* B. ††. [75] Rs.—rr. *gaudia* o. [76] *Quam* Pfl. ††. [77] *longæ... iræ* B †. [78] P. s. Rs.—rr. *fontibus*.—Pfl. *pontibus* ††. [79] *Nec* m. Rs. [80] *adoptans?* [81] *informare* m. Rs. [82] *vestro?*

Sed veterum leges, edictaque regia longo
Justitio suppressa silent, quæ Carolus olim,
Quæ noster vulgavit Otho; vestigia juris
Pauca sui Italicis agnoscit fiscus in oris.
Consulite in medium, quas me vel ferre recentes,
Vel senium passas leges renovare velitis.
Ac primum moneo, quidquid statuisse libebit,
Utile sit, justum, naturæ, moribus aptum,
Temporis atque loci patiens, et prorsus honestum.
Ast ego, quidquid erit, tota virtute tueri,
Et sancire paro : nec me regnante licebit
Has cuiquam nostras impune lacessere leges.
Ac si quis tumidus præsumpserit obvius ire,
Supplicium præsens, manifestaque pœna docebit
Non magis invictum bello, quam legibus esse.
  Talia facundo regaliter ore sonantem,
Spectabat stupido miratrix curia vultu.
Quod neque doctrinæ studiis imbutus, et ævo
Pene puer, canos, Scripturarumque peritos,
Sensibus, et blanda præcederet arte loquendi.
  Protinus ingenuo quidam sermone diserti
Ora fatigantes, pro consuetudine gentis,
Sive suum regi studium jactare volentes,
Sive facultatem potius monstrare loquendi,
Officio linguæ, studiisque loquacibus illum
Insumpsere diem; quos inter clarior unus
(Præsul erat Ligurum) vix exæquanda relatu
Gaudia cunctorum, facundo protulit ore.
  Omnibus, a primo quos, inquit, vidimus, ævo
Lætior iste dies, et clarior esse meretur,
Cum te pacificum populi, mitissime princeps,
In medio residere sui [83], legesque citantem
Hactenus exstinctas, gaudens videt Itala tellus.
Hæc est illa salus, quam tot jactata procellis
Exspectare solet miseræ sors naufraga terræ.
Scimus ab antiquo, quantos qualesve tyrannos
Senserit Italicæ fortuna miserrima plebis,
Cum toties proscripta bonis, addictaque ferro,
Aut spoliis nudas [84], aut sanguine pasceret iras.
Nec legem ratio, seu regum sola libido
Poneret, et ferro gaudens, non jure potestas.
Nec minus infestis gens hæc malefida tyrannis,
Atque his sæpe suo conata resistere damno,
Pressa metu potius, quam læta favebat amore.
Hinc odium populis, et seditiosa simultas,
Et furor Italiæ multos grassatus in annos
Prodiit, et geminas fecit dissensio partes :
Et partim patriæ, partim regnantibus urbes
Assistunt : sævoque diu collisa fragore
Bellorum, alternam senserunt mœnia cladem.
Quis Ligurum cædem, quis vulnera sæva Papiæ,
Quis referat Cremæ, quis tristia damna Cremonæ?
Hæc inter varias oppressis legibus urbes
Exarsit rabies, et longa licentia ferri.
Tu velut eximium post tristia nubila tandem
Sidus ades, tu bella fugas, pacemque reducis :
Tu leges et jura novas : te præside rerum
Grata redit facies, certusque renascitur ordo.
Nunc age, divinæ, quidquid [85] sententia mentis
Dictabit jus esse, jube : pro lege voluntas
Principis esset solet; quidquid decreverit ille
Esse ratum, mos [86] est et juris habere vigorem.
Utere jure tuo, quidquid rectumve piumve
Esse putas, servare jube : nos vero [87] volentes
Omnia suscipimus : libertas maxima nobis
Tam placido parere viro. Sic ore diserto
Præsul in assensum regis propensius omnes
Impulit, et magno percussit corda favore.
Tunc quoque compositis quidam resonantia verbis
Regia Cæsareæ cecinerunt carmina laudis.
  Postera lux aderat, solio reverendus in alto
Consedit judex : ex omnibus undique multi
Urbibus ac vicis aderant, querulique ferebant
Innumeras clamore cruces (hoc quippe querelas
More solent aperire suas). Rex omnibus aures
Commodat, et querulis judex clamoribus idem
Æquus adest, certo dirimens examine lites.
Sed quia tam multis finem dare curia præsens
Non poterat causis, placuit satis utile quiddam
Ingenuo pulchrumque duci, cunctasque per urbes
Edoctos in jure viros, verique sequaces
Imposuit, medio qui cuncta negotia juris
Limite discuterent, nec eos ex urbibus iisdem
(Ne favor aut odium sensus corrumpat eorum),
Sed magis ex aliis ad munera pulchra vocatos
Elegit, sacra vel delegavit ab aula.
  Postea sollicite regni de jure vetusto
Quæstio mota fuit, quod desuetudine longa
Priscus inumbrabat neglecti temporis error.
Ac primum Liguros super hoc a rege rogati,
Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ
Cumque molendinis, telonea, flumina, pontes,
Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Et capitolitium certo sub tempore censum,
Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.
Hæc, et si qua pari fuerant obnoxia juri,
Prælati, proceres, missisque potentibus urbes

VARIÆ LECTIONES.

[83] *tui?* [84] *tumidas* pp. Rs. †. [85] P. s. Rs.—rr. *quidquam* o. [86] *fas* V. †. [87] P. s. Rs.- rr. *vera.* o.

Libera Romano liquerunt omnia regno. A
Tanta tamen clari fuit indulgentia regis,
Ut quicunque bona priscorum munera [88] regum
Hactenus ista fide possederat [89], idque probare
Legitimis poterat, vel demonstrare tabellis,
Principis assensu, titulo gavisus eodem,
Nunc quoque possideat : reliquis in jura relatis
Regia, librarum triginta millia puri
Annuus argenti fisco solet addere census.
Tunc proceres stabilem jurando nectere pacem
Rector, et adjecta certo sub nomine pœna,
Italicas late jussit vulgare per urbes.
Mox de communi feudorum jure, quod illa
Perspicuis nondum scriptis expresserat ætas,
Has dedit, et scriptis jussit notescere leges. B
Si quis habens feudum, pretio seu vendere totum,
Seu pro parte velit, dominique licentia desit,
Seu dare, seu vadio supponere cogitet [90], illud
Qui dedit, amittet, non qui suscepit habebit :
Nullaque vel longi præscriptio temporis obstet,
Quo minus ad dominum redeant translata priorem.
Emptorique [91] bonæ fidei præstetur in illum
Actio, quæ pretium cogat redhibere solutum.
Hæc magnus fieri vetuit Lutherius ; at nos
Facta retractari volumus, facienda caveri.
Successor feudi, totum si forte per annum
Atque diem, tacto primæ jam tempore pubis C
Sive dolo, seu desidia, seu mente superba,
Spreverit a domino feudalia poscere jura,
Perdat, et hæc dominus proprios assumat in usus.
Publica militiæ vasallus munera justæ
Non renuat, dominique libens in castra vocatus
Aut eat, aut alium pro se submittat iturum
Arbitrio domini : vel quam [92] laudaverit ille,
Compenset, redimatque suum mercede laborem.
Si patris dominum vasalli filius acri
Læserit offensa, festinet providus illum
Conciliare pater: quod si contemnit agendum,
Munere privetur ; si vero audire monentem D
Filius indomita neglexerit aure parentem,
Non erit in feudo successor idoneus illo [93],
Ni prius accensam domini placaverit iram.
Si tuus ex feudo cuiquam vasallus idipsum
Contulit, atque tuo vasallum munere fecit
Ipse sibi, si forte tuam jam tertius ille
Successor meruit factis atrocibus iram,
Nec tibi pro culpa domino mediante secundo
Fecerit ipse satis, reprobato protinus illo
Ad dominum redeant feudalia jura secundum.
Si tuus ille suum tibi conciliare fidelem
Spernit, et aut torpens, aut perfidus esse probatur,
Ambobus spretis ad te tua jura recurrent.
Inter vasallos unius forte patroni
Quæstio de feudo quoties agitatur, eodem
Quo feudi domino gaudent, hoc judice certent.
Si tibi pro feudo, quod te tribuente fatetur
Acceptum, tu vero negas, vasallus agendam
Forte movet litem, non tu, sed curia judex
Audiat, et certo determinet ordine causam.
Marchia, seu comitis possessio, sive ducatus,
Integra permaneant : feudalia cætera multis
Participanda patent, domino dum quisque fidele
Spondeat obsequium, jurandaque fœdera præstet.
Sic tamen, ut dominos ejusdem nomine plures
Vasallus feudi non compellatur habere.
Præterea quoties feudali jure recepto
Vasallus domino fidei juramina præstat,
Excipiendus erit Romanus nomine princeps.
Omnibus his leges voluit subnectere pacis
Cæsar, ut extremo positis in fine loquendi
Vocibus, admonitas penetrarent altius aures.
Omnibus in nostro, quod toti præminet orbi,
Gentibus et populis edicta potentia [94] regno
Tradimus ; ut cuncti bellorum clade remota
Tempore jam nostro pacis servare quietem
Incipiant homines : pœnasque nocentibus ultro
Addimus, et justam legum proponimus iram
Hanc proceres cuncti, comes, an [95] dux, marchio, consul,
Et cum judicibus, capitanea turba, verendis,
Miles, paganus, civis simul atque colonus,
Et cum plebeio pariter grege nobilis ordo,
Omnes hanc inquam penitus, quoscunque non ætas
Pupillaris habet, non [96] septuagesimus annus
Contigit, in medium concordi fœdere jurent
Ac ne forte sacræ veniant oblivia pacis,
Singula juratam renovent quinquennia formam.
Judicis officio sua cuncti jura sequantur,
Contineantque manum : vaginæ redditus ensis
Torpeat, et scabie rubeat, non sanguine ferrum.
At si quid temere contemptis legibus actum,
Et violata sacræ fuerit reverentia pacis :
Urbs centum libris puri multabitur auri,
Oppida vicenis : at marchio, seu comes, aut dux
Quinquagena dabit læsa pro pace talenta ;
Magnates bis dena viri, bis terna [97] minores.
Vulnera, vis, cædes, livor, mutilatio membri,

VARIÆ LECTIONES.

[88] *munere* Sp. P. R. RJo. †. [89] P. s. Rs.—rr. *possideat* o. [90] Rs.—rr. *cogitur* o. [91] P. Rs. et RJo. —rr. *Prætorique* o. [92] *qua* pp. Rs. [93] *ille* B. '. [94] *patentia* B. ' [95] *ac* Pfl. ' [96] *nec.. nec.* m. Rs. ' [97] Hotmanus ex Radevico. — Edd. *bissena*.

Insidiæ, fraudes, injuria, furta, rapinæ,
Damnaque legitimis multentur subdita pœnis.
Major, qui pacis noxas punire recusat
Convictus judex, fulvi bis quinque metalli
Appendet libras, damnumque resarciet omne
Legis ad arbitrium : minor atque pedaneus in tres
Condemnandus erit : cujus fortuna laborans
Non potis est auro pœnales solvere noxas,
Arctatum vinclis, gravioraque verbera passum,
Sedibus a patriis hunc quinquagesimus annos
Amoveat per quinque lapis, tandemque reverti
Fas sit, et optatos patriæ contingere fines.
Ne conventiculum, vel conspiratio fiat,
Sive sodalitii, seu juncti sanguinis astu
Urbibus in nostris, tali sub lege vetamus :
Qui convictus erit libra muctabitur auri.

A Pontifices, sanctique patres anathemate sacro
Spretores pacis, damnataque legibus ausos
Intrepide feriant, humanaque jura supernis
Legibus, et justum studeant sancire timorem.
Hactenus Italicas fieri consueta per urbes,
Angariisque sacras etiam vexare frequenter
Ausa domos, clerumque [58] suis, exactio cesset:
Aut exacta duplo redhiberi plura jubemus.
Qui pacis jurare modum formamque tenere
Improbus abnuerit, quæ possidet omnia vulgo
Diripienda patent, evertendique penates.
Qui violatorem pacis fovet, atque receptat,
Consensu culpæ meruit consortia pœnæ.
Juramenta metu, mortisve dolore coacta,
B Præcipue ne quis multis nocitura loquendo
Publicet, aut in se crudeliter acta queratur,
Nullius meriti vel ponderis esse jubemus.

LIBER NONUS.

Inter causantis creberrima jurgia turbæ,
Et querulas variis ex urbibus undique lites,
Magna Placentinos et pulchræ rixa Cremonæ
Vexabat cives, et adhuc vetus illa simultas
Spirabat, stimulisque viros agitabat acerbis.
Nam licet has junctis connexas finibus urbes
Gurgite vix medio dirimat Padus, illa Papiæ,
Hæc urbi Ligurum, concordi fœdere juncta,
Hactenus alternas studiis hostilibus iras,
Atque graves odii stimulos agitare solebant.
Sed tunc antiquis accesserat hæc quoque causis :
Nam dum Roncalias peteret Fridericus, eumque
Signa Cremonensis sequerentur bellica turmæ,
Emisit tumidos inimica licentia cives,
Irritansque viros, quasi per colludia quædam
Instituit verum collato milite bellum.
Nec sine cæde quidem, nec prorsus sanguinis expers
Pugna fuit, sed utraque viris ex parte peremptis
Præbuit alterno casus solatia damno.
Ergo Cremonenses causa meliore, simulque
Ingenuis freti facundi laudibus oris,
Acribus invidiam stimulis, et principis iram
Quippe nec illicitos satis excusantibus ausus
Hostibus),accumulant: donec vix denique multo
Ære dato, talique reis est reddita pacto
Gratia : dejectis ut tota turribus urbe
Mœsta ruinosis lacerarent mœnia muris.

C Quasque metu regis cœpissent ducere, rursus
Ingesto patulas implerent aggere fossas.
Hactenus Italicis pulchro satis ordine rebus
Dispositis, ad quæque volens extendere Cæsar
Anteriora [59] manum, Tyrrheno gurgite clausos
Sardiniæ fines, et Corsica rura potenter
Conciliare suis parat atque asciscere regnis :
Atque ideo geminos proceres præmittere, quorum
Hic comes, hic præsul; suspectaque pectora gentis
Pacem, an bella velint, cogendi, an sponte sequantur,
Attentare libet. Securos Janua missis
Altaque Pisa viris aditus præstare jubentur.
D Utraque Tyrrhenas longe metuenda per undas,
Utraque famosis late vulgata triumphis
Quid tamen inciderit, cur hæc legatio finem
Non fuerit sortita suum, perpendere nobis
Inde licet : quod ab his regionibus utraque sedes
Plurima ferre solet dominatu commoda longo.
Unde satis liquide mandata negotia regni
Præpediisse queunt occulta fraude videri.
Sed neque tuta dolo versutæ Janua plebis,
Nec sale Tyrrheno, nec quos natura locorum
Vix aditu stricto, multoque labore petendos
Opposuit montes, irati principis acres
Evaluit vitare minas : veniaque petita
Vix pretio fraudem marcarum mille redemit.

VARIÆ LECTIONES.

58 W.—Edd. *plerumque*, nullo sensu o. 59 Ita. A.—rr *ulteriora*.

Hoc tamen adjecto, ne claudere pergeret urbem, A
Jussus ab incœpto populus desistere muro.
Cœperat æstivis succedere torpida castris
Converso jam bruma gradu, placuitque potenti
Multimodoque duci, terræ melioris opima,
Intactosque prius diducto milite passim
Et late sparsis fines insidere castris.
Nec mora, frugiferis opulentam finibus Albam
Occupat, hibernis satis hospita mœnia castris,
Hic quanto poterat princeps terrenus honore
Proxima siderei coluit natalia regis.
Inde per Etruscas legatos destinat urbes,
Campanasque domos, et quas in littore curvo
Æquorei lavat unda salis; qui debita fisco
Jura vetusta petant, per quos statuantur in omni B
Urbe magistratus, et civica quæque potestas.
Præterea reditus cunctis de finibus illis,
Quos formosa prius possederat illa Mathildis,
Pluribus invasos rex in sua jura retraxit.
Inde recollectos, et tanquam corpus in unum
Partibus ex multis quadam gravitate reductos,
Nescio quid prisci juris habere volenti,
Ac velut hæredi, cumulato munere princeps
Concessit Catulo, qui regis avunculus, illo
Tempore dux validus felicia castra nepotis
Milite non pauco, mentisque vigore juvabat.
Hunc ex Romano Catulorum sanguine clarum,
Et genus, et nomen (nisi fallit fama) trahentem, C
Teutonicus verso Guelphonem nomine sermo
Dixerat, ambiguæ deceptus imagine vocis.
Inter successus lætos, et prospera rerum
Magna repentino regem jactura dolore
Perculit, et placidæ turbavit gaudia mentis.
Nam procerum multi, seu qui sub principe claro
Castra sequebantur, seu qui sub pace quieta
Teutonicas urbes, nataliaque arva tenebant,
Extremum clausere diem. Quo tempore præsul
Ille Frisingus Otho, majoris causa doloris
Exstitit ingenuo comperta morte nepoti.
Hic patruus regis, studiis in utrisque peritus,
Regia signa sequi semper consueverat; at nunc D
Credo equidem revocante Deo, languore gravatus
Manserat, ut medius fratrum, clerique gementis
Inter luctificos psalmis modulantibus hymnos,
Non in castrorum strepitu, ferrique fragore
Expirare sacram divini muneris [100] auram
Posset, et æthereo tandem sua reddere Regi.
Interea veterem pravis auctoribus iram
Summus, et exstinctas animo refricare querelas
Cœperat antistes, magnumque potentis honorem
Anxius invidiæ stimulos Adrianus habebat:
Præcipue postquam sua jura recognita fisco
Assensu procerum per cunctas comperit urbes,
Indoluit facto, quantumque videbat honoris
Accessisse viro, tantum pater ipse putabat
Decessisse sibi: tunc quidquid atrocius actum
Ante videbatur, legatorumque, suosque
Contemptus, regnique minas, mandataque duris
Asperiora notis, ceu quædam pabula flammæ,
Invidiæque faces, ardenti sponte camino
Adjicit et rapidos fornaci suggerit æstus.
Hæc quoque causa recens aderat, quod regia missi
Quærere jura, viri, dum per castella, locosque
Pontificis summi mandata fidelius æquo
Publica conficiunt, nimia feritate timendi
Insolito miseros urgebant pondere cives.
Ergo nova veterem causa stimulante dolorem,
Gaudebat crebris regem culpare querelis,
Injustum, sævumque vocans, regnoque superbum,
Ingratumque sibi, qui tanti culminis ultro
Nomen, et imperii summum tribuisset honorem.
Ac primum scriptis levioribus, atque paterno
Affatu suadere viro; mox acrius illum
Corripere, et nimium verbis instare molestis.
Nec minus ille vicem maledictis reddere gaudens
Verba remittebat chartis odiosa superbis.
Sic alterna ferens diversæ jurgia partis,
Acrius incensas stimulabat epistola mentes,
Conflictumque gravi totius maxima mundi
Nomina, magnarum quatiebant prælia rerum.
Nec fuit ambiguum, multis (si credere fas est)
Pontificis summi scriptis, crebroque rogatu
Pellectos Ligures, iterum cervice rebelli
Abrupisse sacras, contempto fœdere, leges.
Ergo ubi cum claro præsul Rainaldus Othone,
Signifer hic prudens, et [1] cancellarius ille,
Et comes eximiæ laudis Gozwinus, ad urbem
Magna peracturi venere negotia regni;
Infremuit, cœpitque furens concurrere vulgus.
Quaque receptus erat præsul famosus in æde,
(Nam comites ambo muros, suspectamque cauti
Mœnia vitantes, extra prudenter agebant)
Hanc lapidum sævo Ligures evertere jactu,
Atque ipsum magni legatum Cæsaris, alta
Pontificem fama, mentisque vigore timendum,

VARIÆ LECTIONES.

[100] *luminis* B. (?) [1] Signifer hic, *prudens at*, etc. Rs. †.

Certatim sævo properabant tradere letho.
Nec prohibere potest regi devotior ipsa
Nobilitas, nec qui socia concivis in urbe
Egregium nomen Guido Blandratensis habebat.
Vix tandem rabidas, ejusdem præsule sedis
Subveniente, minas effugit præsul, et urbis
Pestiferæ muros, infidaque tecta reliquit.
Protinus infectis legati regia rebus
Castra petunt, sociasque gradu properante catervas.
Interea regum legatio fida potentum,
Diversis studiis ad magni Cæsaris aures
Attulit ex variis mandata recentia regnis.
Principis Argolici quidam mandata ferentes,
Securos in castra gradus, pacemque petebant.
B Jam dudum siquidem Stabulensis [1] morte Guibaldi
Quem lux [2] Argolicis oppresserat ultima terris,
Suspectos regi sese vehementer haberi
Audierant, gentemque suam purgare parabant
Nec minus Hungariæ rector in fraude recenti
Comperta Ligurum, mandata fidelia pacis
Scripserat Augusto, pluresque prioribus illi
In pœnam sceleris spondebat mittere vires.
Anglus, et urbanis illo qui tempore Gallis
Rex erat, ambo viros ad regia castra fideles
Legarant, pacisque fidem, magnique favorem
Cæsaris, oblatis certabant poscere donis.
C Hos inter reges vetus et gravis inde simultas
Orta ferebatur, quod Galli principis uxor
Conjuge dimisso rectori nupserat Anglo.
Inde ferox odium, stimulisque ardentibus ira,
Sævaque limitibus dirimendis bella furentes
Vexabant : ideoque sibi properabat uterque
Alterius damno consciscere Cæsaris arma.
Hos omnes hilari vir prudentissimus ore
Laudavit, donisque suis dimisit onustos.
Interea reduces legati castra subibant,
Fœda reportantes Ligurini criminis ausa.
Cognita res cunctos, regemque ferocibus ipsum
Concussit stimulis, iterumque recanduit ira.
Ne tamen Augusto quidquam sub principe certo
Ordine non fieret, rursus tribus esse citandos
D Edictis Ligures, juris suasere periti.
Quæ postquam tumida spreverunt mente superbi,
Curia damnatos regni denuntiat hostes.
Utque viros justæ stimulis gravioribus iræ
Rursus ad armiferos incenderet ipse labores,
In medio procerum cœtu, vulgique corona,
Talia mellifluo Fridericus protulit ore :
Sæpe quidem vestras ad prælia cogere vires,
Et fidas adhibere manus, iterata malorum
Improbitas, Ligurumque frequens injuria cogit.
A Res onerosa quidem, nec si dubitabilis esset
Grata [4] fides, toties ad magna negotia pigras
Atque recusantes auderem poscere dextras :
Sed quia communis labor est, vobisque minori,
Quam mihi, quod geritur, curæ non suspicor esse,
Auxilii quoties vestri, certique favoris
Tempus eget, regnumque recens fortuna lacessit,
Tutus [5] ad invictum vestræ virtutis amorem
Confugio, certusque manus imploro fideles.
Scitis, et horrendum vobis, durumque [6] videri
Ceu mihi, non dubito, perjuræ sæpius urbis
Prodigiale nefas, quam vix modo munere nostro
Delicti veniam, fructumque salutis adeptam,
Excitat in solitos feritas recidiva furores.
Quæ jam de reliquo fidei pacisque tenendæ
Spes superesse potest, cum sacramenta, fidesque,
Totque vades Italas nostro sub jure per urbes
Infidæ rabiem nequeant compescere plebis.
Det pœnas perjura graves, crudelia tandem
Facta luat, meritoque cadat, quæ [7] stare recusat.
Audierant, aliusque alium certante favore
Præveniunt, stimulisque virum majoribus urgent.
At rex rem tantam, tantique laboris egentem,
Non nisi Teutonico peragendam robore credens,
Germanos proceres, cognataque signa nepotis
Baugariæ ducis, atque alios plerosque potentes,
Teque tori sociam sacri generosa Beatrix,
Ex transalpinis ad sese convocat oris.
Ipse per Italicas, paucis comitantibus, oras
Undique discurrens, bello quæcunque sequenti
Vel prodesse sibi, vel obesse putaverat hosti,
Accelerat, castella viris, armisque, cibisque
Instruit, atque novam valido munimine Laudam
Cingit, vicini [8] passuram pondera belli.
Cumque sibi fidæ tetigisset mœnia Cumæ,
Belligeras vires, atque auxiliaria poscens
Agmina, plura suis ultro collata petitis
Accepit, fidæ gavisus plebis amore.
Cumano præcincta lacu jacet insula quædam,
Belligeris fecunda viris, quæ fœdere prisco
Infidæ Ligurum sese sociaverat urbi :
Navigioque potens, piratica bella gerendo,
Gaudebat crebris stagnum infestare rapinis.
Hanc rex ob varios bellorum providus usus,
Conciliare suis sapienter cogitat armis.

VARIÆ LECTIONES.

[1] Edd. post. A. *Stapulensis* †. [2] P. ss. Rs. et RJo.—rr. *dux* o. — Pfl. *crux* ††. [4] *certa*, Pfl. †. [5] Ita A: s. Rs.—rr. *totus* †. [6] *dirumque?* [7] *quia* pp. Rs. †. [8] W.—Edd. *Ticini*, nullo sensu.

Nec fuit hoc frustra : structa nam classe, paranti
Assultum, bellumque viro, devecta carinis
In medium plebs illa lacum, victore recepto
Cessit, et ex illo generoso tempore regi
Fida fuit, puroque fidem servavit amore.
Tunc quoque conceptum, tacitumque Placentia virus
Quo minus evomeret, sese cohibere nequivit.
Nam dum Cæsarei per fines urbis iniquæ,
Nomine pœnali quæ janua solverat, æra
Legati ferrent, ipsa mox urbe latrones
Egressi, spoliare viros, et regia fœda
Non timuere manu contingere turpiter æra.
Ergo gravi princeps ex hoc quoque concitus ira,
Majestate sui securus nominis, ultro
Ingreditur trepidam, paucis comitantibus, urbem,
Regalesque minas, metuendaque verba superbis [a]
Civibus incutiens, vix exoratus ab illis,
Quam tulerant summam, concessa pace recepit.
Instabat veneranda dies, qua Christus ab imo
Ora solo turbæ referens optata fideli,
Victor ab inferna captivos sede reduxit :
Hanc [10], quanto potuit, Mutinensi Cæsar in urbe
Egit honore diem, finesque Bononia juris
Ingreditur studiosa tuos, ubi castra, suasque
Tempore jam longo non visas ille cohortes
Liquerat, eximio magnis in rebus Ebrardo.
Ergo ubi legitimis Ligures jam sæpe citatos
Edictis sprevisse videt, nimiumque tenaci
Proposito fixisse pedem, ne vel modo quidquam
Præcipitanter agat, famosa rector ab urbe
Præcipuos in jure viros, legumque peritos
Evocat, et quæ sit contemptus pœna requirit.
Quæ discussa diu, cunctorum denique talis
Judicio descripta fuit ; direptio rerum,
Servitium populi, subversio funditus urbis.
Intererant [11] castris a summo præsule missi
Prudentes, clarique viri, Guilelmus, et ille,
Qui post schismatica longum feritate rebellis
Perstitit ad tumulum, successorique reliquit.
Hi post sermonum primordia blanda suorum,
Et delinitas facundis vocibus aures,
Aspera, nec placida Friderico mente ferenda
Attulerant, certis ita definita figuris.
Non licet Augusto, nisi tantum præsule summo
Connivente, sacram legatos mittere ad urbem,
A In qua jura Petrus merito tenet omnia solus.
Non licet [12] et fisco castella, vel oppida papæ,
Collectis urgere suis, nisi tempore tantum,
Quo princeps primam Romæ gestare coronam,
Imperiique novos admittere gaudet honores.
Pontifices Italos homines [13] non expedit esse
Principis, ad fidei modo juramenta vocandos.
Non licet et [14] cuiquam Regis mandata ferenti
Pontificum vexare domos; hunc more vetusto
Solus rite sibi princeps defendit honorem.
Quidquid ad eximii recte patrimonia Petri
Pertinuit dudum, possessio, sive tributum,
Restituatur ei : comitissæ terra Mathildis,
Et Spoletanus sub eodem jure ducatus.
Quidquid ab excelsis Romanæ mœnibus urbis
B Pendentem sejungit Aquam, Ferraria, Massa,
Et cum Sardois uberrima Corsica campis,
Pontifici summo prisco de more tributum
Solvat, et antiquas justo sub canone leges.
Hæc satis argutis rationibus omnia princeps
Extenuans, doctis dissolvit singula verbis,
Opposuitque suam rupta de pace querelam,
Quam secum tali firmatam lege ferebat :
Ne cum Romanis, Siculo, Graiove tyranno
Ipsius injussu sociaret fœdera præsul.
Denique vel stricto juri, legumque rigori
Stare, vel arbitrio sapientum velle virorum,
Facturumque satis, suscepturumque libenter
Conditione pari sese promisit : at illi
C Accepisse quidem, sed non præstare paratos,
(Ridiculum quiddam) sese venisse, ferebant.
Nam se judicio papam, qui judice nullo
Fungitur in terris, supponere posse negabant.
Pluribus exhibitis frustra, subjecit et illud
Cæsar, ut electi bis tres a præsule summo,
Totque sua de parte viri, quibus omnia vero
Postponenda quidem certa ratione putentur,
Omnia sollicita dirimenda negotia cura
Suscipiant, certoque Dei peragenda timore [15].
Sed nec in hoc præsul consensit, et omnia nutu
Ire suo cupiens, justæ se subdere legi
Respuit, ut magnæ causas qui quæreret iræ.
At Ligures tacitæ molimina fraudis in actum
D Sævitiæ proferre parant, Treciumque, quod illis
Ereptum valido jam dudum milite rector
Munierat, terrore gravi, validaque minantur
Expugnare manu, tormentaque bellica raptim
Secreto fabricata dolo, subvectaque plaustris
Arte [16] gravi sejuncta ferunt, magnaque repente
Mole levant, castrumque novis assultibus urgent.
Missilibus telis alii, celerique sagitta

VARIÆ LECTIONES.

[a] *superbus?* [10] Rs.—rr. *hunc.* o. [11] *Intereant* Sp. P. o. [12] P. s. Rs.—rr. *liceat.* [13] W. Edd. *omnes*, nullo sensu. [14] P. s. Rs.—rr. itidem : *liceat.* [15] A. *tenore* o. [16] B.—Edd. *Marte:*

Mœnia summa petunt, lapides agitata minores A
Funda rotat : magnos [17] balearica machina muros
Incutit [18], et duro munimina verberat ictu.
Ast alii clypeis densa testudine junctis
Fossarum supplere lacus, murosque latenti
Suffodisse dolo, seu duri roboris ictu
Frangere, seu gradibus scalarum scandere turres
Acriter, et celsas properant comprendere pinnas :
Hoc magis urgentes, quod [19] regia signa propinquis
Finibus, et magnas metuebant Cæsaris iras.
Nec minus e summis animosi turribus hostes
Saxa rotant, franguntque suos in prælia muros. B
Undique tela pluunt, balistæ turbine ruptus
Sibilat, et longis resonat stridoribus aer.
Prima sequensque dies cœptæ momenta labori
Magna dedit, victos patefecit tertia muros.
Namque [20] fatigatis toto jam corpore nostris,
Nec revocare manum [21], nec respirare licebat,
Aut mutare locum, primo quem quisque tuendum
Ceperat : at Ligurum sibi mutua signa frequenter
Succurrunt, mutantque vices, semperque videtur
Augeri numerus, semper succrescere vires.
Succubuit numero virtus, sævoque tumultu
Effractæ patuere fores, pugnaxque juventus C
Aut misero gladios hostiles sanguine tinxit,
Aut tulit injectas collo, manibusque catenas.
Hic [22] tamen in duris habito discrimine rebus :
Nam quoscunque illic victor de gente Latina
Repperit, ense ferox, et inexorabilis omnes
Perculit, et ferrum gentili sanguine pavit.
At quos Teutonici manifeste sanguinis index
Lingua venustabat, tractandos mitius esse
Credidit, et captis sublata cæde pepercit;
Bisque [23] quater denis, regni quos fama clientes
Vera fatebatur, in vincula dura coactis,
Infandis alii perierunt cædibus omnes;
Ipsaque castelli fractis munimina muris
Eversa, et rapidæ ceciderunt [24] tradita flammæ. D
At Cæsar tantæ comperto vulnere cladis
Indoluit, luctuque gravi commotus, et ira,
Continuit gemitum, pressitque in corde dolorem,
Fortia principibus præbens exempla dolendi.
Non placuit meritas noxarum sumere p
Ulciscive suos, aut bella movere, priusquam
Curia Roncaliis jam dudum indicta coiret.
Hic Ligurum fraudes, et fœdera rupta, suasque
Omnibus offensas mirantibus, atque superbæ
Perfidiam plebis justo damnantibus ore,
Edidit, atque suæ conscivit robora causæ.
Protinus hostiles infesto milite fines
Irruit, et latos ferro, simul igne, rapina,
Depopulatur agros, ficus [25], vinetaque ferro
Cædit, et arboreos detracto cortice truncos
Excoriat, nullis ultra jam fe ibus aptos :
Utilius reputans damnis, quam sanguine fuso
Deterrere reos, tumidasque retundere mentes.
Aut si forte truces vel sic resipiscere nolint,
Vel famis exitio, sumptu breviore ciborum [26],
Consumpti pereant, vel deditione supremi [27]
Seque, suosque simul cogantur tradere muros.
Præterea partes [28] posito custode per omnes,
Abstulit utilium clausis commercia rerum.
Neve quis hostili venalia deferat urbi,
Audenti pœnam, prodenti præmia fixit.
Sæpe fores urbis stipatus milite forti
Accedit, tutos ut mœnibus evocet hostes.
Sæpius egressos impune, iterumque reversos,
Egregia tandem Fridericus fraude fefellit.
Eductosque sua Ligures paulisper ab urbe,
Conversosque fuga, sociis præcurrere jussis,
Faucibus angustis intercipit, atque negato
Portarum ingressu, captis, ferrove peremptis
Pluribus, incolumes vix paucos reddidit urbi.
Cumque procul Ligurum fines penetrasset, agrosque
Depopulans, magno momenta potentia bello
Adderet, hostili velox equitatus ab urbe
Quingenti juvenes, animis, armisque valentes
Regia translatæ petierunt mœnia Laudæ :
Inventosque greges latis armentaque campis
Ad sua converso cogebant mœnia cursu.
Hos dux Anconæ raptis Guarnerius armis,
Atque alius, sub quo tunc præsule dives agebat
Mantua, præcipuæ meritus præconia famæ,
A tergo, juvenum valida comitante caterva,
Horribili clamore premunt, prædaque recepta,
Sexque decemque viris Ligurum de gente peremptis,
Vix alios muris pavidos urbs mœsta recepit.
Jamque quater denis ferro flammaque diebus
Inclytus hostiles princeps vastaverat agros,
Oppidaque et validis munitas turribus arces
Ceperat, inter quas nulli superabilis ante
Cesserat invicto quædam munitio regi,
Quam montem sancti plebes vocat illa Joannis.

VARIÆ LECTIONES.

[17] *magnis* (scil. *lapidibus* Rs. †. — s. *magnis... muris* *. [18] *Percutit?* [19] *quo* mm. Rs. et B. [20] Rs. — rr. *jamque.* [21] *an mum* Pfl. †. [22] Hoc m. Rs. * [23] W.—Edd. *hisque* o. [24] *cesserunt* Pfl. †. [25] P. ss. Rs. et RJo.—rr. *fines* o. [26] W.—Edd. vers. 399 ante v. 398. [27] *suprema* Adolph. Boethius monente Rs. * [28] Sic A.—rr. *portas* †.

Jamque fere cunctis mutilaverat undique membris A
Infidum reprobumque caput, tantumque relictis
Cætera subdiderat victor sibi castra duobus.
His aliud quiddam pulchrum fortuna recensque
Addidit, et largi cumulavit dona favoris
Namque suos equites opulenta [29] in rura Cremonæ,
Et prædabundas emisit Brixia [30] turmas.
Cumque per invasos late discurrere fines
Cœpissent, nulloque metu ventura caverent :
Præmoniti dudum latebrosis sedibus hostes
Prosiliunt, terrentque viros, funduntque, fugantque,
Attonitosque necant, et ferrum sanguine pascunt. B
Sic sexagenos equites, peditesque trecentos
Vel gladius fudit, vel constrinxere catenæ.
At Cæsar reprobæ vastatis finibus urbis
Fida suæ repetit victor munimina Laudæ.
Hic jam dimissis Italis, uxoria signa,
Et transalpinas libet exspectare cohortes.
Creverat interea Ligurum cum tempore pestis,
Appositisque malum capiens augmenta diebus
Ingruerat, totamque fames possederat urbem.
Non tamen infaustos homines mala tanta docebant
Pœnituisse sui, quos desperatio tutos C
Fecerat, exclusa certæ formidine cladis.
Unde nec insidias infandi, occultaque mortis
Expavere sacro molimina reddere [31] regi.
Protinus immani metuendum corpore quemdam,
Cuique erat ex facili verum simulare furorem [32],
Allectum pretio stimulant, ut regia castra,
Vesanum simulans verbis ac gestibus, intret,
Exceptumque dolis, invento tempore, regem
Interimat, quocunque modo : nec tardior ille
Consiliis parere malis, hostilia magni
Proxima conspicuæ regis tentoria Laudæ
Subversa facie, cunctis incognitus, intrat.
Exceptusque semel totis ludibria castris, D
Et faciles præbere jocos, risumque movere
Gaudebat, stultæ simulator callidus artis :
Squallidus, illota facie, barbaque, comaque
Horridus impexa, scisso squammosus amictu,
Fulgur habens oculis, spumanti sordidus ore,
Nunc pavidus vultu, nunc efferus : et modo mitis
Et modo trux : modo blanda loquens, modo jurgia nectens :
Nunc humilis, nunc ore minax, ac fervidus ira :
Nunc celer incessu, nunc tardior : et modo pallens,
Et modo terribilis succensus lampade vultum.
Nunc risu lacrymas, gemitu modo gaudia rumpens,
Sæpe genas alapis, colaphis supponere colla
Gaudebat, prudens hominis simulator inepti.
Sic olim Priamum, perituraque Pergama mendax
Ille Sinon, Graia munitus fraude subivit.
Illususque diu miseris illudere Teucris
Optabat, sensuque dolos tractabat iniquo.
Utque per expressi certissima signa furoris,
Omnibus in castris suspectus desinet [33] esse,
Ipsum etiam regem cœpit funestus ineptis
Delinire jocis, dum tandem tempore rapto
Prodiit in verum vesania ficta furorem.
Nam cum more suo primo rex lucis in ortu,
Ad matutinos divinæ laudis honores
Strenua neglecto rapuisset membra cubili,
Omnibus in castris pingues [34] efflantibus auras,
Et matutinæ pressis torpore quietis :
Dæmonis impulsu sævissimus ille satelles
Opportuna ratus peragendæ tempora fraudis,
Pronus in alterutrum, vel sese subdere morti,
Vel patrare nefas, incautum fortibus ulnis
Implicat, et graviter robusto corpore pressum
Extrudit castris, altæque crepidine ripæ
Præcipitare parat, fluvioque immergere regem :
Fecissetque reor, ni Cæsar fraude reperta
Multa reluctatus, castrorum in fine supremo,
Implicitusque manu prensis hæsisset utraque
Funibus, et magno socios clamore vocasset.
Qui mox excusso somni torpore ruentes,
Injectis manibus circumstant undique monstrum :
Ac primum rigidos ulnarum solvere nexus,
Illæsumque ducem caute subducere tentant.
Inde flagellatum, condignaque fraudis adeptum
Præmia, fluminei torrens absorbuit undis.
Non tamen hoc sceleris comperto fine quievit,
Abstinuitve dolis reprobæ versutia plebis :
Eque suis octo magna mercede paratos,
Furtivis Laudam stimulant accendere flammis.
Horum qui primus scelus attentavit, in ipso,
Ignibus admotis, deprensus criminis actu,
Quas decuit pœnas ligno persolvit adactus,
Certaque complicibus scelerum, ne tale quid ultra

VARIÆ LECTIONES.

[29] *opulente* Rs. †. [30] A. *Brisia*. [31] *tendere* B. †. *tradere* B. ††. [32] Rs. — rr. *favorem* o. [33] *desiit* m. Rs. [34] *pigras* pp. Rs. †.

Ausuros impune putent, exempla reliquit.
Alter, ut explorans hostilia castra subire
Posset, et innocuæ speciem prætendere mentis,
Induerat monachum; sed et hic deprensus, eodem
Supplicio mortem, probrosaque fata subivit.
Nec reticere libet, quid [35] tempore Cæsar eodem
Ambiguo quodam scriptos auctore salubres
Accepit monitus, venturum in regia quemdam
Castra, veneficiis, magicoque furore potentem,
Deformem facie, longi dispendia passum
Temporis, alterius fraudatum luminis usu [36]:
Spretorem mortis, solitum quascunque potentum
Pro nihilo reputare minas, hujusque sequaces
Viginti, pluresque [37] viros erroris [38] habentem:
Qui gentilis Arabs, tanquam munuscula regi
Adveheret frenos, calcaria, cingula, bullas,
Quodque liget digitos, quod colla coerceat, aurum:
Omnia sulphureis ita delibata venenis,
Ut si forte manu princeps contingere nuda
Cœperit, infecto permistum sanguine virus
Æstuet, et toto dominetur corpore pestis.
At si sacra manus contactu forte nocenti
Cautius abstineat, sica sub veste latenti
Regia vel fixo fodiat præcordia cultro.
Ergo ubi signa ferens prædicta veneficus ille
Castra ducis magni facile agnoscendus adivit:
Captus, et injectis astrictus membra catenis,
Exhibitisque viro, promissa vera loquenti
Supplicii venia, multumque diuque rogatus,
Prodere quid peteret, quove hæc auctore moveret,
Sprevit, et invalidas sese fragilesque negavit
Formidare minas: si quid truculenter in ipsum
Arctum forte foret, damnatum carmine regem,
Præstigiisque suis, pœnas sibi morte daturum,
Protinus inque ipsa socium sibi clade futurum.
Forsitan hæc aliis poterant metuenda videri,
At Cæsar fucata dolo figmenta, minasque
Risit, et appensum ligno, justissimus ultor,
Faucibus elisis condigna morte peremit.

LIBER DECIMUS.

Interea magni conjux Augusta Beatrix,
Principis acciuctu validas ex orbe cohortes
Teutonico rapiens, superata fortiter Alpe
(Nam fortem faciebat amor, nexusque mariti
Fœderis), Italicos fines ingressa tenebat.
Huic præter proceres alios, famæque minoris
Germana de gente viros, fidissima Saxon
Ille puer, regumque nepos, regisque propinquus,
Saxonas [39], et Noricæ nuper sibi reddita terræ
Signa regens [40], geminæ sociaverat agmina gentis.
Horum igitur totis adventus gaudia castris
Magna dedit, Liguresque metu concussit acerbo.
Tempore post modico famosus avunculus [41] ille
Cæsaris, Etruscæ princeps et marchio terræ,
Teutonicæque potens, et dux metuendus in ora,
Advenit Catulus, cumulataque gaudia nostris
Attulit, et valido supplevit milite castra.
Vicinam magnæ Cremam locus ipse Cremonæ
Fecerat, et longo sub eadem [42] tempore dudum
Legibus antiquis obnoxia manserat: at nunc
Excusso laxata jugo, Ligurumque superbam
Ausa sequi rabiem, regis jam sæpe citata
Spreverat edictum, nec juri stare volebat.
His Cæsar stimulis et centum mille talentis,
(Quæ dedit ipsa sua prædives sponte Cremona)
Impulsus, tumidam bello subvertere Cremam
Cogitat, inque duas diviso milite partes,
Hanc secum Liguros vastandos ducit in agros,
Ast alii [43] magnæ confœderat arma Cremonæ,
Invisamque jubet bellis incessere sedem.
Paret, et assultu valido munimina tuta
Miles uterque petit, subitusque supervenit hosti.
Qui tamen intrepidus, duris assuetus in armis
Occurrit, confertque manum; ferroque perempti
Hinc illinc cecidere viri quos maximus inter

VARIÆ LECTIONES.

[35] *quod?* [36] Rs. s. RJo.—rr. *usum* o. [37] *pluresve?* [38] *terroris* B. [39] *Saxonis* vel *Saxonicæ* pp. Rs. †. [40] Ita A.— rr. *gerens.* †. [41] P. ss. Rs. et CJo.—rr. *famosus omnibus*, reprob. metro. [42] P. Rs. RJo.—*eodem* o. [43] *alius* A. Sp. R. o. *aliis... consederat arva Cremonæ* P. †.

Præcipuo dignus Garnerus [44] marchio luctu A
Occubuit, bellumque simul vitamque reliquit.
Castra locant alii, clausos in mœnibus hostes
Observant, et quæ rapiendis congrua muris
Esse putant, magna properant effingere cura.
Nec minus obsessis inclusi mœnibus hostes
Bellica sollicito raptim tormenta labore
Exfabricant, illud tantum, quod respicit hostes
Contenti munire latus; nam cincta palustri
Magna parte sui clauduntur mœnia cœno,
Nec latura pedum molli vestigia limo
Defendunt tutos lutulenta volutabra muros.
Tunc quoque Romulea legatio venit ab urbe,
Sanguine pollentes, et claro nomine cives;
Claudaque Cæsareas Romanæ plebis ad aures, B
Atque senatorum cauti mandata ferebant:
Scilicet ut posita tandem clementior ira,
Parceret ipse suæ rex augustissimus urbi:
Neve quod a stolido scelus et sine nomine vulgo
Prodierat, cives diffunderat ultor in omnes.
Auribus hoc [45] placidis et miti pectore Cæsar
Accepit, cladisque memor, qua tempore primo
Imperii propria miseros attrivit in urbe,
Afflixitque reos, animi pietate coacta
Retulit in melius, responsaque blanda vicissim
Reddidit, et magnis cupidorum pectora donis
Implevit, geminosque viros redeuntibus illis
Regia magnificæ laturos addidit urbi
Verba, Palatinum famosæ laudis Othonem,
Quique diu regno studio curaque fideli, C
Primus in Ecclesia prudens Haribertus Aquensi
Servierat, dignaque sui mercede laboris
Jam tunc præpositus, mox præsul in urbe futurus
Chrysopoli, grato præclari munere regis:
Usque adeo magnis ducibus servire lucrosum est.
Illis mandata dedit, consensu præsulis atque
Totius populi, veterem renovare senatum,
Reddere primævo præfecti jura vigori:
Et si pontifici placeant ea fœdera summo,
Omnia in antiquam correcta reducere pacem.
Ipse per hostiles numeroso milite campos
Undique discurrens, hostilia quæque gerendo, D
Cuncta metu [46], ferro, flammis, et sanguine miscens,
Mœnia jam Ligures in tuta coegerat omnes:
Ac ne clausa satis faciant munimina tutos,
Quos bello vinci murus, nullumque vetabat:
Molitur superare dolo, Ticinaque prudens
Agmina, præcipuos Ligurini nominis hostes,
Præcursare jubet, prædaque patenter abacta,
Deceptos clausis educere mœnibus hostes.
Ipse suos secum secreta in sede latenter
Collocat insidiis, et eos huc [47] vertere cursum
Hoste premente jubet: nec lusit opinio regem.
Nam postquam refugo simulatam pulvere cauti
Convertere fugam, tacitas improvidus hostis
Incidit insidias, circumfususque tumultu
Horruit, ac veluti celeres in retia cervi
Sæpe cadunt, resonantque gravi collisa fragore
Cornua, clamososque canes venator in illos
Concitat, et cædit gaudens impune rudentes:
Sic postquam telis hostilibus undique septi
In medium cecidere viri, nec tela movere,
Nec cessisse licet, gladiis impune necantur
Comminus, arctatique loco breviore laborant.
Hic quinquagenis ferro centumque peremptis
Sexcenti duras collo subiere catenas.
Quos autem rapidis involvit proximus amnis
Submersitque vadis [48], seu quos lethalia passos
Vulnera vix tandem trepidos urbs mœsta recepit,
Nec breve, nec promptum, numero comprendere certo.
Fida novæ repetit victor munimina Laudæ
Augustus, lætamque suis successibus urbem.
Temporis ejusdem tractu, nondumque reversis,
Quos ad Romuleam Fridericus miserat urbem,
Confinis magnæ, multumque domestica Romæ,
Funera Romani pastoris Anagnia vidit:
Quem tamen inde suam translatum clerus in urbem,
Sede sacra Petri sepelivit honore fideli.
Ante tamen tumulo, quam membra exsanguia præsul
Subderet, exorto geminas jam schismate partes,
Mansuramque diu litem de sede reliquit.
Nam cum de tanti rationem clerus haberet
Successore viri, studiis melioribus ultro
Rollandus petitur, qui cancellarius ante,
Sanguine conspicuus, veteri mox nomine verso
Factus Alexander, per tempora multa superstes
Ecclesiæ pacem sedato schismate tandem
Vidit, et optato tunc demum fine quievit.
Altera pars sacra, Octavi, te sede locatum
Auspiciis decepta suis, ignara superni
Judicii, falso victorem nomine dixit.
Rursus ad hostiles vastandos impiger agros
Signa movet Cæsar, lateque per omnia bellum
Rura trahens, quæcunque novis illæsa manebant
Cladibus evertit, graviora prioribus addens.

VARIÆ LECTIONES.

[44] Sic A. — rr. *Warnerus.* Radevicus : *Guarnerus.* [45] *hæc* v. *hos* pp. Rs. [46] *manu* Pfl. †.— *metit.* W. †. [47] *hunc* Rs. o. [48] *undis* Pfl.

Ast ubi continuis crebro spoliata rapinis, A
Nec domino [19] victum, nec equo dare pabula tellus
Jam poterat, convertit iter, rapidoque tumultu
Tendit ad obsessæ trepidantia mœnia Cremæ.
Hanc equidem jam tunc a prima ceperat ingens
Obsidione timor; sed nunc ubi regia signa
Cæsaris, et Latias vento quatiente volucres
In campis volitare suis, ipsumque verenda
Majestate suos hortantem ad bella maniplos
Aspiciunt, quatit ossa metus, cladisque futuræ
Prævia turbatam confundunt nubila mentem.
Non tamen infaustæ vel nunc resipiscere plebi,
Seque, suosque pio victori subdere muros, B
Ultrices vitare minas, veniamque mereri
Subvenit : insistunt sceleri, maluntque perire
Quam dono vixisse ducis ; mors libera pluris,
Quam donata salus, concessaque vita putatur.
Ergo pari studio cives, ac nostra juventus
Arma volunt, pacemque negant, tormenta gravesque
Attollunt fabricas : diversos machina in usus
Exstruitur, quæ saxa rotet, quæ torqueat hastas,
Quæque vel in muros, vel in altas æmula turres
Spargat in exstinctas vivaci sulphure flammas.
Tela, faces et saxa volant, niger aera nimbus
Inficit, et missis subtexitur aura sagittis.
Ardet utrinque furor, cœlumque clamore feroci C
Rumpitur, et stimulis gravioribus æstuat ira.
Illi clausos virtute pares se [20] velle videri,
Indignum, fœdumque putant, gaudentque feroces
Inculcare minas : illi non esse minores
Nituntur, referuntque vicem, ac majora rependunt.
Audaces mors certa facit, pellitque timorem
Desperata salus : tunc si quoque sorte maligna
Comprensos, captosque tenent, hostilis in illos
Grassatur rabies, sociisque videntibus ense
Colla secant, luduntque manu, cervice rotata
More pilæ, aut miseros lacerant crudeliter artus.
Haud procul a sævo belli semota tumultu, D
Vicinum conjux servabat regia castrum,
Ne miseras cædes, infandaque multa videret,
Castaque crudeli sceleraret lumina visu.
Hanc visente viro, per eam quam regia signa
Servabant portam, tutis e sedibus hostes
Prorumpunt, strepituque gravi tentoria regis
Assiliunt, multosque necant, maculantque cruore
Hostili proprioque solum, sternuntque caduntque
Cædibus alternis : tota non viribus ullis
Depelli potuere die, dum Phœbus opaco
Infudit tenebras, demerso lampade, mundo.
Nuntius absenti certissimus [21] omnia regi
Pertulit : ille gravi concussus pectora motu,
Castra petit properans, et adhuc a cæde recenti
Signa cruenta videt, captivaque corpora quædam
Urbis in aspectu laqueo supponere fauces
Cogit, et ex alto suspendit in aere ligno.
Tunc etiam quidam vinctos in castra trahebant
Sex Ligurum de gente viros, qui jussa ferentes
Verba Placentinis Ligurinæ nomine plebis,
Hostibus inciderant : horum qui maximus unus
Esse videbatur, se præsulis esse nepotem
Gaudebat, generisque notis, opibusque nitebat.
Hos quoque, contempto non parvi ponderis aere,
Quod pro morte sua redimenda pendere fisco
Spondebant, pœna princeps affecit eadem.
Nec minus obsessi captos quoscunque tenebant
Suspendunt, factique vicem mox reddere gaudent.
Tunc magna exarsit generosi Cæsaris ira,
Quod velut ex æquo secum contendere victi
Auderent, nec adhuc miseros agnoscere casus,
Fortunamque suam vellent in morte fateri.
Protinus obsessos præconis voce moneri
Imperat ut miseræ solatia nulla salutis
In bonitate sua ponant sibi, ne quis ad ipsum
Spe veniæ fugisse velit : pro sanguine certet
Quisque suo, propriamque manu se ferre salutem
Noverit, et validis tantum spem ponat in armis.
Inde quater denos, quos plebes perfida dudum
Illa viro dederat, fidei pacisque tenendæ
Pignora certa vades, fabricis et turribus altis
Imperat adnecti, qui tela, facesque [22] suorum,
Saxaque tormentis violenter ab urbe rotata
Excipiant, miseris tutantes robora membris.
Quantus erat luctus, miseri quæ forma doloris
Quæ super e totis populus suspiria muris,
Cum pendere suis expanso corpore natos
Oppositos telis miseri videre parentes.
Pectora singultu saliunt, gemitusque dolore
Rumpitur, atque omni lacrymæ sub casside manant.
Non tamen idcirco parcendum turribus illis
Esse putant, curantve suos avertere jactus.
Atque aliquis toto distentus corpore pendens,
Saxa videns in se miserum torquere parentem,
Luctifico clamore ciens, ita filius inquit :

VARIÆ LECTIONES.

[19] *nonhomini* Pfl. ††. [20] *sibi* m. Rs. [21] *mœstissimus* Pfl. †. [22] Rs.—rr. *quique hæc fascesque*, nullo sen

Quid facis, infelix? huc tandem respice, sæve
Ac miserande Pater, lapidum compesce rotatus,
Tela manu suppressa tene: non obruis hostem;
Filius est, quem morte petis: vel parcere nato
Si prohibet fortuna patrem, da tempora vitæ
Non spatiosa meæ, veniatque miserrima mater,
Pendentemque prius videat, mortique paratum,
Quem genuit, sic ille miser sua fata parenti
Deflevisse suo, sic et pater anxius illi
Respondisse potest: non me tua fallit imago,
Nate, nec ignara te nescius obruo dextra.
Agnosco miserum miser, accipioque vocantem:
Heu pietas, non parco tamen; sed desine sævum
Incusare patrem, non te, miserande, sed hostem,
Inque meam struetas cladem peto turbine turres,
Cogit amor patriæ; mallem distractus in illo
Stare loco, corpusque tuis opponere saxis.
Sors tua dura minus, saxi quem protinus ictu
Machina discutiet, nos turba miserrima fastus
Teutonicos, regisque minas, longique dolorem
Funeris, amissa jam libertate timemus.
Vix ea, cum rapido moles excussa flagello,
Fortiter inflicto pendentem discutit ictu.
Sic aliquot pueri mortem subiere, sed omnes
Expositi fato graviorem morte timorem,
Longaque pendentes miserandaque fata tulerunt.
Interea Ligures tantis ad mœnia regem
Implicitum cœptis, aliis non posse putantes
Ferre salutis opem, sociosque levare labores [53],
Agmine collecto, quanto non ante, Manerbum
Haud procul a Cumis, vix expugnabile castrum
Assultu, raptoque parant evertere bello.
Comperit hos motus, qui tunc in partibus illis
Virtutum merito generosum nomen adeptus,
Teutonica dudum miles de gente, vocatus
Cæsaris imperio, comitem Gozuinus agebat:
Propositum Ligurum regi, magnosque paratus
Significat, cautusque suis a principe castris
Supplementa petit: collectis omnibus ipse
Quos eadem tellus aptos his rebus habebat,
Arma rapit, jamque obsessos evertere muros,
Castrensique necem populo, seu vincla minantes
Aggreditur, turbatque viros, celerique relapsu
Convertit, flectitque fugam, fallitque sequentes.
Sic iterum, sic sæpe suo comes impiger astu
Ludificat Ligures, incœptaque magna retardat.
Id satis esse putans, sociæ dum signa cohortis,
Auxiliumque ferens a principe miles adesset.
Ergo ubi conspicuis velox equitatus in armis
Quingenti juvenes, fortissima robora belli,
Adfuit, et valido supplevit robore partes:
Plura rati Ligures, et te quoque, Cæsar, adesse,
Præcipitem petiere fugam, timidique soluta
Obsidione, suos properant attingere muros.
Imminet attonitis victor, spoliisque retentis,
Pluribus occisis aut vincula ferre coactis,
Non prius abstinuit ferro, quam cardine verso
Hostibus exclusis fugientes porta recepit.
Jam crebris infida dolis, astuque maligno
Ausa pium fuerat stimulare Placentia regem.
Quippe nec occultis Ligurum malesana volebat
Parcere colloquiis, alimentaque grata ciborum,
Armaque damnatæ mittebat perfida plebi.
Ergo Placentinos, toties offensus ab illis
Imperii Cæsar manifestos deputat hostes:
Hoc satius reputans, quam si sub melle venena
Impia celantes, hostilia quæque moverent.
Nulla quidem pestis magis est operosa nocendi,
Quam simulatus amor, nimiumque domesticus hostis.
Jamque rebellatrix suppresso Crema timore,
Præteritis afflicta malis, metuensque futura,
Cœperat in sese graviter multata reverti;
Jam se posse minus trepidi, tristesque fatentur,
Nec solitis turbare viros excursibus audent.
Ne tamen omnino nulla sint fraude nocentes,
Muscipulis similes laqueos, nexusque tenaces,
Furtaque mirandæ non apparentia fraudis
More novo, notaque minus, reor, hactenus arte,
Per quascunque vias et circa mœnia tendunt:
Ut [54] si cauta parum laqueo vestigia quisquam
Inserat, ante quidem, quam se dissolvere possit,
Adsit, et obtruncet, captumve coerceat hostis.
Præterea densis scrobibus tellure cavata
Præcipites fodere dolos, fossasque latentes
Injectu texere levi, quas incidat hostis
Inscius, et subito pateat discrimine morti [55].
His aliisque dolis, quos tendere callida plebes
Sueverat, ultrices tandem Fridericus in iras
Excitus, extremamque manum præstare labori
Accelerans (jam quippe viro post oppida clausa
Sextus agebatur brumali frigore mensis),
Omnibus affectis, finemque optantibus olim
Bellorum, quocunque modo munimina bello
Expugnare parat: tardum sibi quippe videtur
Exspectare famem, cum longos civis in usus
Plurima de totis cautus collegerit agris.

VARIÆ LECTIONES.

[53] *labore* Rs. †. [54] Rs.—rr. *at* o. [55] *subitæ pereat discr. mortis* Pfl. †.

Protinus ad muros munitas undique turres,
A
Invectasque rotis, et magno pondere firmas
Ducit, et hostili celsas super aggere sistit.
Harum summa tenent, quos vel balista, vel arcus
Morte procul missa facit hostibus esse timendos,
Qui jaculum valido longe torquere lacerto,
Longius excussa didicere potenter habena.
Inferiora viri fortes, ex agmine toto
Electi, promptique manu tabulata tuentur:
Qui dum transfossas porrecto ponte patentes
Mœnibus assiliunt, et muros rumpere tentant;
Qui loca summa tenent, jaculis levibusque sagittis
Infestant miseros per propugnacula cives,
B
Ne confringendis liceat succurrere muris.
Tunc et subjectas facilis despectus in arces,
Et levis ex alto trepidos conatus [56] in hostes
Qui si forte suos sursum [57] convertere vultus
Incauti tentant, vehementibus ora sagittis
Figuntur; nec scire licet, neque cernere fas est
Vulneris auctorem, latebris quem lignea tutum
Occultant tabulata: cavis [58] pluit aura sagittis
Desuper, et toto funduntur ab æthere mortes.
At quæ de muris nostras fluitantia turres
Tela petunt, infirma volant, spatioque teneris [59]
Languida, vix summo delibant robora ferro.
C
Si rapidas tormenta faces ad lignea forte
Robora torserunt, et turribus ignis adhæsit,
Desuper effusis incendia protinus illa
Restinguuntur aquis, aut vino [60] sparsa quiescunt:
Aut si restingui nequeant, et fervida vivo
Sulphure flamma viget, fumantia membra securis
Amputat, et toti succisa parte medetur.
Turbine fulmineo magnos tormenta molares
Mœnibus infligunt, murosque et tecta flagellant:
Fundaque contorto transverberat aera plumbo
Et mediis liquidæ glandes in nubibus ardent.
Ast alii fossas injectu cespitis implent,
D
Hostilesque petunt densa testudine muros.
Suffodiunt alii turres, ac fortia subter
Fundamenta cavant, aut duri roboris ictu
Impellunt muros, labefactaque mœnia quassant:
Aut emota loco, muri compage soluta
Saxa remoliri cuneis arctata laborant;
Aut velut in plano vestigia certa ferentes,
Scalarum gradibus celsas apprendere [61] pinnas
Contendunt, pugnantque simul: nec segnior hostis
Undique discurrens nunc hos, nunc obvius illos
Excipit: hærentes scalas detrudit ab alto
Margine murorum: vicinos cominus ense
Percutit, aut duro contundit tempora conto:
Longius amotos lapidum torrente ruina
Obruit, aut jaculis, et certo sauciat arcu.
Æstuat ira minis, sævus crudescit utrinque
Clamor, adhortantes incendunt pectora voces.
Utque procellosum ventis agitantibus æquor
Oppugnat misera perituram sorte carinam,
Rumpunt vela noti, commista grandine nimbus
Ingruit, et miseros affligit ab æthere nautas:
Assiliunt fluctus, validis agitata procellis
Verberat unda latus, nexu tabulata soluto
Rupta gemunt, haustoque mari rimosa fatiscunt;
Stant miseri nautæ, quaque impetus acrior urget
Hac studio majore rati succurrere tentant.
Hic latices trepidus salsos in stagna refundit,
Et properat rimæ sarcire patentis hiatum:
Ille vacillantem fluctu jactante carinam
Remigio, doctaque manu sustentat, et ipsi
Decertans pelago, perfringit remige fluctus:
Vela noto, clamore viri, stridore rudentes
Quassa fragore ratis, plangoribus insonat unda:
Dum tandem decimus violento gurgite fluctus
Insiliat, victamque premens obsorbeat [62] alnum.
Vix modicum tempus, disjectaque fragmina summis
Fluctibus, et tabulas videas per stagna natantes:
Naufragio pars hausta perit, pars reddita cœlo
Enatat, et nudi veniunt ad littora nautæ.
Sic plebs infelix, cladisque ignara propinquæ
Fortis in adversis, et adhuc invicta resistit.
Jam quantum poterant muris accedere, turres
Admotæ fuerant, longique ad mœnia pontes
Prodierant, belloque furens animosa juventus
Fixerat in summi vestigia margine muri.
Occurrunt hostes et spicula, saxa, facesque
Conjiciunt, hastisque viros, sudibusque repellunt,
Deturbantque solo, quosdam viriliter ausos
Insiluisse levi trepidantia mœnia saltu,
Obtruncant ferro: quos inter fata duorum
Sicut acerba nimis, sic et miseranda fuerunt.
Horum unus trepidos dum per sua mœnia cives
Territat insultans (Berctoldum [63] fama vocabat),

VARIÆ LECTIONES.

[56] *conjectus* B. †. [57] Ita A. — rr. *rursum* †. [58] *gravis* V. [59] *spatiique tenore?* [60] *aceto* ? ††. [61] Edd. omnes: *apprehendere*, recus. metro. [62] *absorbeat* m. Rs. [63] Sic A. rr. *Bertolfum* †. (*)

Primus in attonitos saltu se miserat hostes [64].
Dum fugiunt omnes unum, pavidisque fatiscunt
Mentibus, a tergo furtim librata securis
Tempora flaventi decussit tecta capillo [65],
Totaque detracta est capitis membrana resecti,
Atque peremptoris nitido superaddita conto:
Hostilemque comis galeam pendentibus umbrans,
Præbuit infandi signum crudele triumphi.
Alterius [66] manibus ferro, pedibusque resectis
(Nomine fama caret, cladis memorabilis exstat),
Truncus in hostili fœde tellure volutus
Palpitat, et miseri præbet ludibria fati.
Non impune quidem, nec gaudia longa malorum
Civis agens, magnæ cladis suscepit eodem
Damna die, belloque diu conflixit: at inde
Pulsus in internam trepidus se contulit arcem.
Jamque suis rebus certa diffidere tandem
Cœperat ille fide: placuit consulta salutis
Sæpe prius neglecta sequi, pacisque petendæ
Utile consilium certæ præponere cladi.
Nec mora, colloquium cum Saxone poscit habendum,
Cumque Peregrino, quem tunc Aquileia dives
Eximium claræ patriarcham laudis habebat.
Horum facundis lenitas vocibus aures
Permulcet, veniamque sibi sermone diserto
Præparat, et doctis excusat crimina verbis:
Non odio regni, nec seditione rebelli
Arma tulisse manu; sed ne sua fata superbis
Hostibus, et tumidæ gemeret subjecta Cremonæ.
Fœdera cum populo Ligurum jurata, fideli
Dum licuit, coluisse manu; nunc illa soluto,
Quando ita rex jubeat, tandem sejungere [67] nexu:
Nec plures adhibere moras; id poscere tantum,
Puniat ipse reos victor, quocunque libebit
Afficiatque modo, tantum ne victa Cremonæ
Ludibrio fiat corrupto principe plebes.
Hæc ubi sunt perlata [68] duci, lenita resedit
Ira ferox animi, multumque domestica magno
Ac bene nota viro tetigit clementia mentem.
Protinus assensu procerum moderamine tali
Utitur, ut nec se venia vitaque repulsos
Infausti doleant cives, nec lenior æquo
Incitet ad similem multos vindicta favorem [69].
Mœnibus incolumes tuto migrare relictis,
Quodque semel [70] valeant humeris deferre sinuntur:
Cætera victori rapienda relinquere jussi.
Quis rogo luctus erat? quis tota per oppida clamor?
Qui gemitus populi, dum paucis rebus onusti,
Multa relinquentes, miseri sua mœnia cives,
Arsurasque domos, et limina chara supremo
Ore salutarent, dulcesque relinquere cunas,
Orsa sui generis, cultasque parentibus ædes
Prodirent, querulæ viginti millia turbæ.
At quos vel Ligurum populus, vel Brixia clausis
Miserat auxilio, nudati rebus et armis
Omnibus, accepta vix tantum [71] a principe vita,
Indecores, mœstique suas referuntur ad urbes.
Protinus ad prædam, spoliandaque mœnia raptim
Curritur, et præda miles ditescit opima.
Omnibus ereptis [72] castrensibus oppida flammis
In cineres collapsa fluunt, eversaque fractis
Turribus, antiquos expendunt clade tumores.
Victor ad excelsæ munimina fida Papiæ
Vertit iter, solitamque suis gaudere triumphis
Ingreditur pulchram castris victricibus urbem.
Gaudia Ticinæ plebis, celebresque triumphos
Cæsaris, et magni speciem describere plausus
Dignum vate foret; sed et hoc et multa reliquo
Cautus, et invalidæ parcendum credo Camœnæ.
Jamque alibi similes in ædem diximus urbe
Exhibitos regi devotæ laudis honores,
Post clades Terdona tuas: ideoque premenda,
Ne bis agatur idem, præsentia facta videntur.
Stabat adhuc studiis hærens et fixa nefandis
Urbs Ligurum, necdum cœptis desistere, vel tot
Cladibus ipsa suis, vel Cremæ sorte recenti,
Vel fatis Terdona tuis edocta, volebat,
Sed quia jam bello tellus afflicta bienni,
Frugibus, et solita minus ubertate vigebat,
Hostilique solo crebris jam sæpe rapinis
Exhausto, sociis etiamnum [73] parcere regem
Sumptus, et immensæ cogebat copia plebis:
Milite dimisso spoliatæ parcere terræ
Constituit, verso dum rursus cespite solem
Aspiciat jejunus ager, dum semine jacto
Læta tumescat humus, dum plena turgeat urna
Bacchus, et arboreis redeant [74] sua munera ramis.
Ergo ubi belligeris ex omni parte catervis
Stantibus, arrecta capiendis vocibus aure,
In medio cœtu pulchro stetit ore sereno,
Indixitque manu, placidoque silentia vultu:
Incipit ex alto doctis facundia verbis,

VARIÆ LECTIONES.

[64] P. ss. Rs. et RJo.—rr. *hostis*. [65] P. ss. Rs. et RJo.—rr. *capillis* o. [66] Sp. et R. *alternis* †. [67] Rs.—rr: *se jungere* o. [68] *placita* Sp. et R. ††. [69] *furorem* pp. Rs. †. [70] *simul* m. Rs. †. [71] *tandem* m. Rs. †. [72] Rs.—rr. *omnibus ereptis castrensibus*, etc. †. [73] P. et RJo. — *etiam nunc* Rs.—rr. *etiam non* o. [74] P. ss. Rs. et RJo.—rr. *redeunt* o.

Atque lepos consuetus adest, magnique capacem A
Ponderis ingenuam comitatur gratia vocem.
Non ego digna satis, comites, præconia vobis
Ore referre paro, nec si prudentia magni
Nestoris, aut Ithacæ nobis facundia linguæ
Adforet, æquandas meritis ingentibus unquam
Sperarem nostro conceptos pectore laudes.
Ne tamen immemorem forte ingratumque putetis,
Quamlibet exsiles vobis pro tempore grates
Lætus ago, majora quidem, modo vivere detur,
Exspectare jubens : venient sua tempora rebus,
Et meritis referetur honor. Vos ardua regni
Pondera sollicitis humeris gestanda dedistis :
Vos gelidas mecum transcendere sæpius Alpes, B
Conjugibus, patriaque domo, natisque relictis
Exiguum quiddam, facto jam more, putatis.
Quid referam prompta susceptos mente labores,
Quos Terdona dedit, quos Astum, quos prior illa
Obsidio Ligurum, tumidæque rebellio plebis?
Imperii summum multo mihi sanguine nomen
Et diadema gravi perfusum cæde parastis.
Aera pestiferum, miserandaque funera passi,
Sensistis socios conjuncta sorte labores.
Et nunc obsessa brumali frigore Crema,
Quanta vel e cœlo pro me, vel ab hoste tulistis?
Hæc et plura quidem, quorum me nulla vetustas C
Immemorem faciet, pro me suscepta recordor
Gratus, et immensæ mercedis debitor esse
Gaudeo, quam pleno cumulatum fœnore reddam.
Novimus, et memori scriptos in corde tenemus,
Qui toties nostris ad certa pericula jussis
Prostiterint : quos bella pati, durosque labores
Juverit, atque hilarem pariter cum pectore vultum
In summis præstare malis : qui prælia primi
Tentare, aut murum conscendere fortiter ausi :
Multaque, præsentes oculis quæ vidimus istis,
Et vero pro teste sumus, sit gratia summo D
Magna precor regi, qui me fulcire meorum
Dignatus studiis. Alii venalia castra
Et mendicatas certa mercede cohortes
Alliciunt [78] : ego gratuitis, ultroque paratis
Fidens auxiliis, ad magna negotia rerum
Tutus eo, fidas ducens in bella catervas.
Nunc quia vastatis hostilibus undique campis
Victum terra negat, castrisque alimenta ministrans
Plus socius studio, quam bello læditur hostis :
Respirare juvat, laxataque solvere castra,
Ruraque dimissis ad transalpina catervis
Sumptibus assiduis oppressæ parcere plebi,
Dum melius promittat ager, repetitaque cultu
Producant lætos Ligurina novalia fruges.
Protinus expleto (nobis revocantibus) anno,
Si bene nota fides, in castra redibitis omnes.
Nec prius hostili bellum referemus ab urbe,
Quam justas experta minas, superataque bello
In vestras dabitur, proscriptis mœsta colonis,
Diripienda manus, penitusque excisa jacebit.
Hæc ubi verba viris regali plena vigore
Aut meliora dedit, cunctos simul ore venusto
Laudat, et egregiis titulos exaggerat actus.
Tunc si quos præclarum aliquid, laudisque superbæ
Commeminit gessisse manu, regaliter illos
Appellans, memorem factorum quemque suorum
Efficit, et sese memorem simul indicat esse :
Munificaque manu meritis bene, munera magna
Erogat, argenti multum largitur, et auri,
Crateras, pelves, discos, paterasque capaces;
Addit equos celeres, galeas, thoracas et enses,
Textaque multimodis operose picta figuris,
Atque figuratam late se rege monetam,
Distribuitque suis regale numisma maniplis.
Sic demum castris suspensa parte laboris,
Pollicitos alacres ad quæque sequentia vires,
Muneribus lætos, titulis dimisit onustos.
Me quoque, non armis, sed carmine castra secutum,
Hactenus egregii decursa parte laboris,
Si bene promerui castrorum præmia miles,
Non illaudatum, vel munera nulla ferentem,
Spero quidem, magni dimittet gratia regis.
Non spernenda mea (liceat modo vera fateri)
Munera militiæ, nec clarius arbitror esse
Pauca probe gessisse manu, quam multa referre;
Nec minor hic illo labor est : quæ singula multi
Fortiter egerunt, ego prosequor omnia solus.
Hoc quoque me famæ, si desint cætera, solum
Conciliare potest, quod jam per multa latentes
Sæcula, nec clausis prodire penatibus ausas
Pierides vulgare paro, priscumque nitorem
Reddere carminibus, tardosque citare poetas.
Imo etiam pulchro reverendi Cæsaris ausu,
Cæsareæque domus videor meruisse favorem.
Cum de tam lato magnarum gurgite rerum
Sunt electa mihi cupide, quæ scribere mallem,
Nominis acta sui : ne res notescere dignas
Fuscarent tenebræ, speciosaque facta laterent.
Atque ideo dum musa recens, nosterque legetur

VARIÆ LECTIONES.

[78] *Alliciant* m. Rs.

Iste labor (cupidum nisi fallit opinio vatem), A
Virtutes, Friderice, tuas mirabitur orbis.
Forsitan hunc olim, faveat modo fama, libel- [lum
Et pater, et magni proles generosa parentis
Attrectare manu, placidamque legentibus au- [rem
Tradere curabit, propriasque admittere laudes.
Et nunc pauca quidem, sacræ quæ sanximus [aulæ,
Carmina sufficiant, et respirare poetam
Ad tempus liceat, dum bellica signa quiescunt,
Grataque dimissus bello fovet otia miles.
Mox ubi sollicite revocatus in castra redibit,
Nos quoque belligeras acies, et castra petentes
Interrupta novo repetemus cœpta labore : B
Cunctaque summatim, superet modo vita, se- [quentes
Continuo quodam suscepta negotia filo,
Propositi memores; ad tempora nostra tra- [hemus.
Interea tacitus, de se quid judicet aula,
Audiat, et doctos, quorum tutandus amore
Atque fovendus erit, noster Ligurinus adoret.
Nec frontem duxisse velit, licet unus et alter
Arguat, et meritum naso subsannet adunco.
Quemque sui meminisse decet : nos nominis [alti
Non sumus : egregios vix suscipit aula poetas.
Hoc tamen in cœtu non deerit forsitam unus, C
Vel duo, vel plures, qui te, Ligurine, legendum
Esse putent, lectoque semel, rursumque re- [lecto
Plus faveant, tandemque seras ad principis [aures
Nomen et auctorem, quæ rerum insignia por- [tes,
Quidve petas [76], perferre velint, et amica lo- [quantur.
Hunc ego, quisquis erit, qui tam placabilis in [nos
Exstiterit, gaudere bonis majoribus opto
Semper, et æterno fulciri regis amore.
Sic ubi conspicua tandem novus hospes in aula
Constiteris, claroque piam cum principe prolem
Ceu totidem stellas nitido cum sole videbis,
Hæc tibi non stulte proferri posse videntur :
Gaudeat ista domus, qua gaudet præside [mundus,
Gaudeat Augusto felix cum patre propago,
Gaudeat, et nostrum jubeat gaudere parentem.
Neve suum vatem patiatur littus arasse,
Vanaque deceptis fregisse novalia sulcis,
Vel tot in officio vigilatis noctibus isto
Conseruisse leves, quas texit aranea, telas :
Sed quisquis rerum, quas scripserit ille, nito- [rem
Te perhibente leget, pulchri quoque præmia [facti
Noverit, et gratum feliciter isse laborem.
Nam mihi per totum magnalia Cæsaris orbem
Impetus est, prolisque sacræ diffundere laudes.
His ita præmissis, cunctis præbere legendum
Te poteris, totasque palam distendere pennas.
Mox ubi sit noster Solymarius ille requires,
Quem prius ingenuo dedimus leve munus. [alumno,
Qui sibi te quinto, post se vix mense creatum,
Ac veluti medio projectum ventris aborsu,
Accessisse novo mirabitur ordine fratrem.
Hæc monuisse sat est : age nunc, proficiscere [cautus,
Sit fortuna tuis et felix exitus ausis.

VARIÆ LECTIONES.

[76] Rs.—idem divinab. *putes*, scil. *exputes*.—A. et rr. *quidve putas* o.

HELINANDUS

FRIGIDI MONTIS MONACHUS

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

(Oudin, *De Script. eccles.*, III, 19)

Helinandus, Frigidi Montis monachus, Hermanno nobili Flandro, sed in Galliam profugo, genitus est, ut ipsemet in suo *Chronico* ad annum 1127 innuit, cujus causam declarat Caroli Flandriæ comitis (1) necem a rege Galliæ vindicatam : qua vindicta multi innocentes quæ non rapuerant tunc exsolverunt. *Inter quos*, inquit, *fuerunt pater meus Hermannus, et frater ejus Ellebandus, qui pueri nobiles et pulcherrimi, magnis hæreditatibus perditis, de Flandriis in Franciam aufugerunt.* Helinandus itaque, genere nobilis, ingenio acer et promptus, facie venustus, corpore elegans, et cunctis naturæ fortunæque bonis adeo instructus, ut nullus illo in Gallia prior, imo vix ei æqualis reperiretur. Sed admodum levis et inconstans fuit, monachum tandem professus est apud Frigidum Montem, qui seipsum ita depingit sub nomine *Guillelmi ad Gualterum* scribens, apud Vincentium Bellovacensem in *Speculo historiali*, lib. XXIX, cap. 107, in libro *De reparatione lapsi*, et tomo VII *Bibliothecæ veterum Patrum Ordinis Cisterciensis*, pag. 318, *ut de me taceam*, inquit, *quantos tibi possum ostendere, qui de vita delicatissima ad hunc ordinem, quem appellas durissimum, se transtulerunt, nec tamen adhuc ab eo resilierunt, quamvis et ætate juniores te sint, et natura teneriores et debiliores viribus, et ut de tot millibus unum excipiam, unum tibi excipio, qui certe solus ad omnium, sufficit exemplum. Ipse quidem spectaculum factus est angelis et hominibus levitate miraculi, qui prius eis spectaculum fuerat miraculo levitatis : dum non scena, non circus, non theatrum, non amphitheatrum, non forum, non platea, non gymnasium, non arena sine eo resonabat. Nosti Helinandum, si quis novit hominem, si tamen hominem. Neque enim tam natus erat homo ad laborem, quam avis ad volandum, circumiens terram et perambulans eam, quærens quem devoraret, aut adulando aut objurgando. Ecce in claustro clausus est, cui totus mundus solebat esse non solum quasi claustrum, sed etiam quasi carcer. Quomodo ergo non potes, quod ipse potest ? Neque etenim ipse tam levis erat, quam ipsa levitas : unde et tanta levitas tam leviter mutata, apud plures nihil aliud putatur quam levitas. Hinc est quod jam quinquennis ejus conversatio vix facit alicui fidem futuræ : quia nimirum quantum in se ipso dedit experimentum inconstantiæ, tantum perseveraturæ constantiæ nunc debilitat argumentum.* Idem Vincentius Bellovacensis ibidem, c. 108, ad annum 1208, cujus verba cum in eximiam Helinandi commendationem tendant, hic prætermittere non possum : *His temporibus in territorio Belvacensi fuit Helinandus monachus Frigidi Montis. vir religiosus ac facundia disertus, qui et illos versus* De morte *in vulgari nostro, qui publice leguntur, tam eleganter et utiliter, ut luce clarius patet, composuit : et etiam* Chronicam *diligenter ab initio mundi usque ad tempus suum in maximo quodam volumine digessit. Et hoc quidem opus dissipatum est et dispersum, ut nusquam totum reperiatur : fertur enim quod idem Helinandus cuidam familiari suo, scilicet bonæ memoriæ domino Guarino Sylvanectensi episcopo, quosdam ejusdem operis quaterniones accommodaverit : sicque sive per oblivionem, sive per negligentiam, sive alia de causa penitus amiserit. De hoc tamen opere, prout invenire potui, in hoc quoque nostro opere, multa per diversa loca inserui. Hic autem etiam quædam ejus operis notabilia, quæ nusquam sunt superius posita, inserere volui, et etiam de quibusdam aliis ejus scriptis, unde flores excerpsi. Scripsit enim, ut legitur, epistolam, cujus titulus est* De reparatione lapsi, *missam scilicet ad Gualterum clericum, qui fuerat novitius in ordine Cisterciensi, et canonicus in ordine Præmonstratensi : et tamen, quasi liberum se a voto existimans, eo quod minime fuisse professus, rediens ad sæcularem vitam, duxit uxorem nomine Rixendam. Super quibus rogatus Helinandus a Guillelmo, scilicet fratre ejusdem Galteri, socio et conclaustrali ipsius Helinandi, scripsit epistolam ad eumdem Galterium sub ejusdem Guillelmi persona, ita ut ipsius esse videatur. Scripsit*

(1) Cognomine *Boni*. Ejus Acta vide *Patrologiæ*, t. CLXVI, col. 943.

etiam idem Helinandus Sermones aliquos peroptimos. *Hæc sunt autem quæ de præfatis ejus opusculis excerpsi, et in unum hic apposui*, etc. Idem Joannes Tinnaouth, Anglus, in *Historia* sua, quam verbotenus ex Vincentio Bellovacensi desumpsit, ut habet Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ*, ad annum 1212, p. 707.

Porro in *Bibliotheca veterum Scriptorum ordinis Cisterciensis*, quam variis in folio tomis imprimendam curavit Bertrandus Tissier, prior Bonifontis in Thierascia, et quæ Parisiis apud Ludovicum Billaine venditur, exstant tomo VII, p. 73, sequentia Helinandi opuscula : *Chronicon ab anno* 635 *ad annum* 1202. Hoc autem Chronicon, cujus solum superesse ultimam partem conqueritur Bertrandus Tissier in *Præludiis* ad opera Helinandi a se edita, B eamque quartam decimam duntaxat *Chronici* quod olim exstitit, opinor non esse verum, sed integrum ad nos pervenisse dicti Helinandi *Chronicon*. Nam Historia hæc, quæ adhuc exstat in ms. originali, quod olim ad me ex Frigido Monte transmissum, fuitque per tres hebdomadas in cellula mea, dum Buciliaci manerem, aliud nihil est quam nonnullæ tabulæ diversarum successionum, ut *patriarcharum, regum Israel, Persarum, Medorum, Assyriorum, Romanorum*, et aliorum ejusmodi, ab initio mundi: quæ sola fere nomina continent, nihil autem historicum, vixque ab oculatissimis et attentissimis, ob characteris parvitatem et attritionem legi possunt. Unde si *Chronicon* hoc continuit libros XLVIII, necessum est ut quisque hujus *Chronici* liber fuerit C modicissimus, vixque æquaverit justam hodiernorum unius ejusdemque libri capitulorum magnitudinem. Adde quod ejusmodi nudæ nominum tabulæ, vel successionum transcriptæ nomenclaturæ, aut nullius vel modici usus hodierna die sint. Inspecta autem attentius et in otio, *Historia Helinandi monachi*, quæ ad annum 1205 excurrit, originali, illam puto XLVIII libris scriptam fuisse : cujus prima pars libris sexdecim summatim, ut supra diximus, per solas fere nomenclaturas : *De rebus ab orbe condito*, ad Darii Nothi tempora ageret; secunda libris totidem vel sequentium temporum paulo latius ad Christi nativitatem complecteretur; tertia *libris* XII, a Christo nato ad annum 636; quarta ultimo- D rum temporum, *libris quatuor*, etc., quæ sola utilis visa, prelo data est. Ita quidem ex allato ad me originali ipsius Helinandi e Frigidi Montis abbatia ad Buciliensem in Therascia ordinis Præmonstratensis. Verum lectis catalogis mss. codicum bibliothecarum Angliæ, qui annis 1696 et 1698 duobus in folio tomis Oxonii prodierunt, conjecturæ meæ in hoc pertimui, ne falsa vel incerta esset. Nam in catalogo mss. codd. Cottonianæ bibliothecæ, p. 40, col. 2, littera *Claudius B.*, codice IX, num. 1, legitur *Chronicorum Helinandi monachi, ordinis Cisterciensis, pars prima, a creatione mundi* A *ad tempora Darii Nothi et Archelai, libris sexdecim*. Atque codex optimæ notæ videtur, nec procul ab ætate Helinandi conscriptus.

Sermones ejusdem Helinandi, ibidem, pag. 206, *numero XXVIII*, *de variis festivitatibus et argumentis*. Horum sermonum, quos etiam habes mss. apud Frigidum Montem cum *Chronico* integro ejusdem, exstant nonnulli etiam mss. in bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, littera R. R. 3. Ex quo codice ms. Helinandum aliquandiu post conversionem suam Tolosæ mansisse constat, ibique ad scholares aliquos habuisse sermones.

Opusculum *De cognitione sui ipsius*, ibidem, pag. 306, ad illud Apollinis oraculum : *Nosce te ipsum*, quod totum transcripsit Vincentius Bellovacensis, ut ipse supra fatetur.

Epistola Helinandi ad Galterum clericum, scripta nomine Guillelmi, fratris ejusdem Galteri, quæ inscribitur *Liber de reparatione lapsi*, ibidem, p. 316; de qua loquitur idem Vincentius Bellovacensis, qui etiam in mss. codicibus appellatur *Liber de laude vitæ claustralis*. Illic enim per encomium commodorum vitæ claustralis et cælibis Gualterum ordinis Præmonstratensis canonicum ad professionem factam revocare conatur, despecta ac relicta uxore Rixenda, quam post canonicam professionem palam duxerat.

Insuper Antonius Loisel in sua *Historia Bellovacensi*, Gallice edita, scribit se anno 1594 curasse imprimi *versus Gallicos Helinandi, de morte*, quos mire extollit et laudat præfixa epistola ad dominum Fouchet, primum monetarum præsidem, continente ipsius Helinandi vitam, ex qua plura puncta suis jam dictis inseruit Historiis Bellovacensibus. Colligit dictus Antonius Loisel ex his versibus *De morte*, auctorem fuisse valde familiarem principibus et episcopis diversis ob ingenium lepidum ac vividum, nominatim Philippo de Dreux, episcopo Bellovacensi, Henrico de Dreux, ejus fratri, episcopo Aurelianensi, itemque episcopo Noviomensi Reginaldo, comiti Boloniensi, et Godefrido episc. Sylvanectensi.

Exstant pariter sub Helinandi nomine: *Agon, seu Martyrium sancti Gereonis et sociorum ejus*, quod evulgavit Surius, tomo V, ad diem 10 Octobris (2), dignum plane lectu ob stylum longe insigniorem, quam in Legendis aliorum sanctorum. Porro Helinandum hujus esse *Martyrii* auctorem, fatetur quoque Cæsar Baronius in Notis ad *Martyrologium Romanum*, 10 Octobris, his verbis : *Gereonis et sociorum, quorum Acta ex antiquis tabulis excerpta ab Helinando, habet Surius tom. V.* Hæc de impressis, nunc de manuscriptis.

Scripsit *Commentarium insignem in Apocalypsim Joannis*, desumptum ex scriptis vetustiorum doctorum, quem vidi bis manuscriptum cum proprio nomine auctoris, in bibliotheca Longipontis, ut

(2) In Actis sanctorum Bollandianis deinde recusum et notis illustratum Octobris t. V.

supra dixi, exstatque etiam in bibliotheca Morimundi, ejusdem ordinis Cisterciensis, in episcopatu Lingonensi, quem etiam anonymum vidi in Regia Galliarum Bibliotheca.

Suavissime cantabat Helinandus, unde eum rex Galliarum sæpius mensæ suæ accumbere jubebat, uti discimus ex quibusdam versibus Gallicis, quos refert Sæculum IV *Universitatis Parisiensis*, p. 746, in catalogo illustrium Academicorum. Charissimus itaque Philippo Augusto, scripsit etiam illo instante tractatum seu librum *De regimine regum*, ms. in nonnullis bibliothecis Belgicis, ut refert Carolus Vischius. Exstat autem anonymus in Bibliotheca Galliarum Regia, codice 6608, cujus initio pauca carmina ita incipiunt :

Omne ministerium tritido quod præminet orbe
Arte gubernandum ; sunt artis plurima dona, etc.

Opusculum autem : *Postquam regale sceptrum regnique gubernacula rector Christianus susceperit*, etc. (3), De hoc opusculo *Chronicon* Guillelmi de Nangis, ad an. 1210 : *Helinandus.... scripsit.... librum De regimine principum*.

A Obiit Helinandus uti vixit, sanctissime, anno 1227 (4). De eo loquuntur Bellarminus et Labbeus in libro uterque suo *De scriptoribus ecclesiasticis*; Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, tomo I, fol. 721 ; Carolus Vischius in *Bibliotheca scriptorum ordinis Cisterciensis*, pag. 140 et 142. Advertendum autem est Gerardum Joannem Vossium ex uno Helinando duos fecisse, atque incidisse in eumdem ferme errorem in quem Carolus Vischius in sua *Bibliotheca*. Itaque Vossius lib. II *De historicis Latinis*, cap. 54, pag. 441, unum appellat *Elimandum* Frigidi Montis in agro Bellovacensi monachum, cui attribuit *Chronicon* libris XLVIII contextum, post Vincentium Bellovacensem. Et cap. 55, p. 445, B alterum appellat *Helinardum* Frigidi Montis monachum, cui, immemor sui, attribuit *Historiarum opus lib.* XLVIII, *quos ab orbe condito orditur*. Nullus qui illic hallucinationem non agnoscat, quod homini plurimis attendenti, frequens esse potest. Cæsar Egassius Bullæus Sæculo IV *Historiæ Universitatis Parisiensis*, fol. 746, et alii, ejusdem mentionem faciunt.

(3) Opusculum *De instituendo rege* quod in codice regio 6608 continetur, aliud omnino esse ab eo quod nobis partim seu integre transmisit Vincentius Bellovacensis, testatur D. Brial (*Hist. litt. de la France*, t. XVIII, p. 99), qui ait ad frontem codicis hæc legi manu recenti dubitanter scripta : *Forte Helinandi Frigidi Montis monachi*.

(4) De Helinandi anno emortuali nihil certi definiri potest. Oudinum sequitur Fabricius, sed qua auctoritate, silet. Bulæus annum 1212 affert, Tissier 1204. Anno 1229 in vivis adhuc egisse conjicit D. Brial in *Hist. litt. de la France* (XVIII, 92).

HELINANDI
FRIGIDI MONTIS MONACHI
SERMONES.

(D. TISSIER, *Bibliotheca Patrum Cisterciensium*, tom. VII, p. 206 ; Bonofonte 1661, in-fol.)

SERMO PRIMUS
IN ADVENTU DOMINI.

Quasi diluculum præparatus est egressus ejus, et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ (*Ose.* VI). Quatuor adventus Salvatoris ad homines, qui per istas Dominicas hujus temporis designantur, fides catholica in his sanctis diebus annua devotione celebrare et recolere consuevit. In carne specialiter ad Judæos, in monte ad electos, in morte ad singulos, in fine ad universos. Primo ad redimendum, secundo ad justificandum, tertio ad retribuendum, quarto ad sæculum per ignem judicandum. De primo habes : *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent* (*Joan.* XV), subaudi, tantum, quantum habent. De secundo : *Veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). De tertio : *Vigilate quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit* (*Matth.* C XXVII). De quarto : *Veniet Dominus, et illuminabit abscondita tenebrarum* (*I Cor.* IV). De omnibus pariter est illud, quod apposuimus : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus*, etc. Horum namque quatuor adventuum duo extremi corporales sunt, atque visibiles, id est primus et ultimus ; duo medii spirituales et invisibiles, id est secundus et tertius. Ideoque duo extremi non inconvenienter egressus appellantur, duo medii imber. Quasi enim de secreto ad publicum egredi est, vel in carne passibili apparere passibilem, mansuetum, et humilem : vel in carne immortali visibiliter exhibere se judicem. Primus tamen duorum istorum dicitur occultus, propter humilitatis mansuetudinem, in qua divinitas incarnata latuit ; D alter vero manifestus, propter ejusdem carnis judiciariam potestatem, quam Filius hominis visibiliter exercebit. De occultatione primi adventus habes : *Et*

homo est, et quis cognoscet eum? id est quis cognoscet in homine Deum? De manifestatione postremi scriptum est: *Deus manifeste veniet; Deus noster, et non silebit* (*Psal.* XLIX); iterum: *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt* (*Apoc.* I). Ideo sicut dixi, uterque adventus egressus appellatur. De primo: *Egressus es in salutem populi tui; in salutem cum Christo tuo* (*Habac.* III); iterum: *Exiit qui seminat seminare semen suum* (*Luc.* VIII). De altero scriptum est: *Egredietur Dominus de loco sancto suo* (*Isai.* XXVI). Locus Dei misericordia est, locus pax est, juxta illud: *Factus est in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV). De hoc loco egredietur Dominus in judicio, quoniam *obliviscetur misereri Deus*, et nemini parcet, quando excitabitur *tanquam dormiens Dominus; tanquam potens crapulatus a vino*, percutere inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dare illis (*Psal.* LXXVI); veniet in furore et in ira; *ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX). De utroque egressu intelligi potest, quod hic dicitur. *Quasi diluculum præparatus* est. Diluculum, quare? quia diluculum tenebras noctis solet effugare. Quæ sunt tenebræ noctis? Nox in sacra Scriptura tripliciter accipitur: pro ignorantia, pro culpa, pro miseria. Prima nox habet tenebras erroris, secunda tenebras iniquitatis, tertia tenebras calamitatis. De prima: *Nox præcessit dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII). De secunda: *Qui dormiunt, nocte dormiunt* (*I Thess.* V). De tertia: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* (*Psal.* CXX). De omnibus pariter est illud: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum* (*Psal.* CXXXIII); quod est dicere in nocte ignorantiæ contra tenebras erroris, quærite lumen sapientiæ; in nocte culpæ contra tenebras iniquitatis, quærite lumen justitiæ; in nocte miseriæ contra tenebras calamitatis quærite lumen pacis, et lætitiæ spiritalis: quod totum est Christus, qui est virtus et sapientia Dei Patris. Quoniam namque sapientia est, potest illuminare vestram ignorantiam: quia vero virtus est, potest sanare infirmitatem vestram, id est relaxare culpam, et conferre gratiam; quoniam Christus est, id est unctus et suavis, potest vos ungere oleo lætitiæ cum participibus suis et auferre ab oculis vestris omnem omnino lacrymam. Primas tenebras harum trium noctium fugavit Christus, in primo Adventu verbo, prædicando veritatem; secundas, infundendo cordibus fidelium charitatem; tertias, afferendo omnibus pacem. De primo: *Tempus requirendi Dominum, cum venerit, qui docebit nos justa* (*Ose.* X). De secundo et tertio: *Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis* (*Psal.* CXXI). De omnibus pertinet: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris* (*Joan.* VIII). Et bene lux ista diluculo comparatur; quia sicut diluculum paulatim crescit, donec proficiet in splendorem, et perveniat ad fervorem; sic fides incarnationis Dominicæ primo paucis admodum innotuit; deinde per mundum latius se diffudit; postremo usque ad martyrii ardorem incaluit. Diluculum tres habet gradus: ortum surgentis auroræ, qui est ortus Luciferi; splendorem matutini; meridiei fervorem. De primo:

Jam lucis orto sidere.

De secundo et tertio:

Splendore mane instruis,
Et ignibus meridiem (5).

Sic fides Incarnationis Dominicæ cum suis omnibus sacramentis, primo annuntiata est, deinde probata, tertio defensa. Primo annuntiata est per simplicem prædicationem, deinde probata per rationem, tertio defensa etiam per sanguinem. Nuntiata est per piscatores, probata est per philosophos conversos et rhetores, defensa est per utriusque sexus et ætatis martyres. Nuntiata est contra errantes ex ignorantia, probata est contra resistentes de industria, defensa est contra persequentes ex invidia. In primo gradu fuit quasi ortus surgentis auroræ, in secundo quasi splendor matutinus, in tertio quasi fervor meridianus. Ultimus etiam Christi adventus tres istas noctes illustraturus est, et earum tenebras expulsurus. Veniens namque Christus ad judicium, noctem fugabit ignorantiæ, quando liber aperietur, id est secreta cordium: noctem culpæ, quando omnes operarii iniquitatis mittentur *in stagnum ignis ardentis et sulphuris* (*Apoc.* XX): noctem miseriæ, quando *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum* (*Apoc.* XXI). Crescet autem etiam istud diluculum per gradus suos. Erit enim quasi ortus surgentis auroræ, quando corpora de pulvere suscitabuntur; erit quasi splendor matutinus, quando boni et mali ad dexteram et ad sinistram segregabuntur; erit quasi fervens meridianus, quando isti assumentur, et illi relinquentur. Ait ergo: *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus*; ac si aperte dicat: Sicut impossibile est in hoc temporum cursu naturali et legitimo post noctem non lucescere; sic impossibile, in divinæ dispositionis ordine nostro incarnandum Dei Filium, ad redemptionem humani generis, et ad judicium non venire. Sequitur: *Et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ* (*ibid.*). Sicut illud, quod præmissum est de comparatione diluculi, duos corporales adventus significat: sic illud quod subjunctum est de comparatione imbris temporanei et serotini, duos spirituales designat. Christus namque quasi imber temporaneus est, quando justificat impium; quasi imber serotinus, quando remunerat justum. Nam, ut ait Hieronymus, quantum ad litteram, imber temporaneus est, qui jacta

(5) Hymn. Eccl.

semina coalescere facit: imber serotinus, qui fructus ad maturitatem perducit. Fides per dilectionem operans quasi jacta semina facit coalescere; justitia justum remunerans quasi fructum facit ad maturitatem venire; fructum justitiæ in vita æterna; fructum corruptionis in morte perpetua. Si autem præparatus est egressus Salvatoris ad salvandum nos venturi, quanto magis nos præparare debemus ad occurrendum ei! sicut scriptum est: *Paratus esto Israel in occursum Domini, quoniam venit* (*Amos* IV). Paremus ergo, sicut ait Joannes, *viam Domini; rectas* faciamus *semitas Dei nostri* (*Matth.* III). Idem namque et prorsus idem, paratum esse in occursum Domini, et jam parasse viam Domino venienti. Non est tamen scriptum: *Parate viam* Domino, sed *viam Domini*. Omnis enim via, per quam venit Deus ad hominem, Dei est, non hominis. Et quæ sunt viæ Domini? *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV). Duo primi adventus, qui sunt in carne, et mente, sunt in via misericordiæ: duo secundi, qui sunt in morte, et in fine facientes, sunt in via veritatis. Redimere namque animas sub diabolo captivas, justificare a peccato impias, opus est immensæ misericordiæ, et nonnisi divinæ. Retribuere autem unicuique secundum merita sua, et judicare sæculum per materialis ignis incendium, opus est veritatis et judicii, soliusque omnipotentis Dei. Parandæ sunt istæ duæ viæ. Ipse tibi vis parare viam misericordiæ? Esto tu ipse misericors. *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Vis parare viam judicio? Juste judica de teipso. Nam si nosmet dijudicaremus, non utique judicaremur. *In quo*, inquit, *judicio judicaveritis, judicabimini* (*Luc.* VI), apud summum judicem. Nunquam est misericordia sine veritate, sicque veritas sine misericordia. Ut ergo illius misericordia et veritas te salvum faciant, misericordia et veritas non te deserant; misericordia in proximum tuum, veritas in teipsum. Misericordia, ut proximo parcas; veritas, ut teipsum punias; si enim temetipsum punieris, tui ipsius misereberis: sicut scriptum est *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX). Quatuor impedimenta sunt, quæ reddunt vias difficiles; lutum, et lapides, colles, et foveæ; lutum polluit, lapis lædit, collis lassat, fovea præcipitat. Per lapides et lutum, facinus et flagitium; per colles et foveam, elatio et simulatio designatur. Contra prima duo scriptum est: *Viæ illius, viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ* (*Prov.* III). Pulchræ, sine contagio: pacificæ, sine scandalo. Pulchræ, ne polluantur; pacificæ, ne lædantur. Non dat sapientia sancta sua canibus, nec margaritas porcis. Odit eam, quæ maculata est, corporis tunicam: et in malevolam animam non intrat. Ideo vasa ministerii nostri jubet beatus Benedictus nos resignare cellerario munda et sana; munda a flagitio, sana a facinore. De duobus ultimis ait Veritas in Evangelio: *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos* (*Luc.* IX). Vulpes sunt dolosi, simulatores, et callidi; volucres, leves, elati. Nisi ab his quatuor corda et corpora nostra emundaverimus, Filius hominis non inveniet in nobis ubi vel pedem ponat, vel caput reclinet.

SERMO II.

I IN NATALI DOMINI.

Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Psal.* LXXXIV). Beata vere terra, de qua Veritas orta est; cœloque beatior ipso, de quo olim falsitas orta est; scilicet quando de cœlo descendit falsus ille Lucifer; qui mane oriebatur, et jam ruinam minabatur, quia superbiam meditabatur, dicens in corde suo. *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum: sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis: similis ero Altissimo* (*Isai.* XIV). Vere falsus Lucifer, quando sic mentita est iniquitas sibi, falsum sibi promittens et impossibile. *Quis* enim *in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?* (*Psal.* LXXXVIII) Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus, quin Luciferum istum dejicias, qui ante faciem majestatis tuæ tot et tales projicit ampullas, et sesquipedalia verba; qui non fortunam Priami sed gloriam ipsius principii sibi cantat, et nobile bellum tibi indicit. *Similis*, inquit, *ero Altissimo*. Similitudinem Divinitatis in honore et gloria, non in bonitate atque justitia male cupidus ambiebat. Infelicissime, cur non dicis, similis ero justissimo, sive sanctissimo, sicut et altissimo? Illam similitudinem non injuste usurpares, sed juste et feliciter affectares. Siquidem illam omni rationali spiritui imperat Altissimus dicens: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. In cœlum*, inquit, *ascendam* (*Lev.* II). Et in cœlo eras, quando hoc dicebas. Quare cœli illius fastidiebas fastigium, fastigatius appetebas? Quoniam vera est sententia dicentis: « Hoc habet proprium omnis ambitio, non respicit in finem. Nemo agit de tribunatu gratias: sed queritur, quod ad præfecturam usque non est perductus (*Seneca*). » Tu autem miserrime in præfectura creatus eras, et de illa gratias non agebas; sed ipsius creatoris tui monarchiam inferne insatiabilis appetebas. *In cœlum*, inquit, *conscendam super astra cœli exaltabo solium meum: sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis; similis ero Altissimo*. Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Parturient montes, nascetur ridiculus, non mus, sed draco, formandus ad illudendum ei. Vere falsus Lucifer, qui mendax est, et pater mendacii. Ab initio peccat, et in veritate non stetit: qui cum totus sit tenebrosus, tamen per antiphrasin dictus est Lucifer; sicut lucus a lucendo quia minime lucet. Aut certe, ut ex re nomen habeat, Lucifer dicitur, quasi luci vim inferens, lucem auferens, luci semper infestus. Luci quippe vim intulit, id est inferre conatus est, quando comparare se voluit Auctori. Lucem abstulit, seu potius furatus est, quando invidendo nocuit homini. Luci semper infestus est;

quia percussit fœdus cum morte, et pactum cum inferno : ut ad lucem non redeat ; sed quia semel cecidit, non amplius resurgat ; excæcatus quippe fumo ambitionis in altum consurgente, sed in ipsum recidente, tanquam locum non inveniente, quo ascenderet ultra, ipsam ruinam suam prævidere non valuit ; sed repente comprehenderunt eum iniquitates suæ, et non potuit, ut videret : in ipso ortu suo experiri coactus illud Davidicum *Dejecisti eos, dum allevarentur*. Justissima plane præsumptoris dejectio, qui dignitatis Angelicæ privilegium parvipendens, et divinæ subjectionis impatiens, noluit subesse omni creato spiritui, nisi et par esset ipsi Creatori. Novus in Deum Cæsar, in Angelum Pompeius ; juxta illud :

Nec quemquam jam ferre potest Cæsarve priorem, Pompeiusve parem.

Idcirco præsumptionis suæ nimio sub pondere lapsus, de cœlo corruit ad instar fulguris, dicente Veritate : *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* x). Quod ait, *videbam et cadentem* præsens tempus jungens cum præterito imperfecto, innuit diabolum nondum totum excidisse, sed semper adhuc cadere usque ad diem judicii : et tunc mole suorum criminum prægravante submergendum, quasi plumbum in aquis vehementibus gehennalis abyssi. Unde et dictus est cecidisse tanquam fulgur, id est inopinatè et celeriter, impetuose, graviter, cum ardore nimio, et fetore, et fumo : quæ tria manifesta sunt indicia fulguris, et notissima vestigia draconis. Draco enim flammivomus afflatu suo respirat ignem, vitiat aerem, obscurat lucem. Sicut ille serpens fumifer, de quo dicit poeta :

Oraque discindens avida, fumantia præstat.

Similiter diabolus priusquam de cœlo dejectus est, ut fulgur ; dejectus est ut draco. Triplice pestilentia totum afflavit mundum : inspirando scilicet ore vipereo primis parentibus concupiscentiam mali, tanquam ardorem et fetorem nimium ; et ignorantiam boni, tanquam spargens pulverem, et nebulam, et fumum : qui fumus, et quæ nebula tantum creverunt postea, ut in ortu Salvatoris totam terram tegerent, sicut ait propheta : *Aspiciens a longe ecce video potentiam Dei venientem, et nebulam totam terram tegentem* (6). Et vere nebula totam terram texerat in ortu veritatis, cum totus fere mundus adhuc verum et vivum Deum ignoraret, falsosque et mortuos deos adoraret, idola surda et muta coleret : vera et æterna nec bona quæreret, nec mala fugeret ; mundum providentia regi non crederet ; omnes actus humanos etiam voluntarios aut fato aut fortunæ falsis allegationibus imputaret. Hinc est error ille Platonis et Pythagoræ de revolutione animarum ; Trismegisti et Minæ, Socratis et Porphirii, de societate dæmonum ; Zenonis et Chrisippi, de morte voluntaria ; Aristotelis de curta providentia, id est usque ad lunarem regionem

(6) Verba Ecclesiæ.

A non infra ; Epicuri de nulla ; et de summo corporeæ voluptatis bono ; Ptolomæi de fato ; omnium fere simul, et maxime Ciceronis et Senecæ, de animarum supplicio post mortem non timendo. Isti sunt, qui dicunt apud Ezechielem, *Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt* (*Ezech.* VIII). Et apud Sophoniam : *Non faciet Dominus bene, et non faciet Dominus male* (*Soph.* I). Et apud Isaiam : *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur* (*Isai.* XXII). Hinc est illa querimonia Boetii lib. *De consolatione philosophiæ* :

Omnia certo fine gubernans,
Solos hominum respuis actus.
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices?

B Propter hoc exclamat Osee dicens : *Non est misericordia, non est veritas, non est scientia Dei in terra* (*Ose.* IV). Et Psalmista quasi vim patiens : *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus ; quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum* (*Psal.* II). Igitur ad tollendum de terra nebulas, errores, et fumos ignorantiæ, ardores irarum, et ignes avaritiæ ; fetores libidinum, et sordes idololatriæ, *hodie veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit*. In cujus rei signum, omnia simulacra Ægypti ad pueri Jesu fugientis adventum pariter corruerunt : sicut olim prophetaverat Isaias dicens : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur omnia simu-* C *lacra Ægypti* (*Isai.* XIX). Quæ ruina hodie incœpit Romæ a palatio Romuli, et a simulacro urbis Romæ, et a templo pacis ; quæ tria hodie Romæ corruerunt. Ruina palatii Romulei signum fuit mundanæ gloriæ per Christum ruituræ. Ruina simulacri urbis Romæ, quod erat in effigie maximæ cujusdam mulieris, et corpulentissimæ, signum fuit avaritiæ per Christum destruendæ. Hujus enim ærei simulacri corpulentia significabat jamdiu regnantem avaritiam Romanorum, quæ velut quoddam inexplebile barathrum et vorago insatiabilis totius mundi opes absorbuerat, nec impleri poterat universo orbe sub uno censu descripto. Nec mirum Romanos lacte lupino alitos tantæ rapacitatis vel D olim fuisse, vel adhuc existere. Nam sicut vulgo dicitur, vulpes pilos mutant, non mores. Et :

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Hæc autem avaritia per Christum cœpit destrui ; quando per illum cœperunt pauperes evangelizari. Hoc autem significaverat illud idem simulacrum, quando primo fuit erectum. Nam cum quidam causarentur, tibias illius tanquam nimis graciles et minus habiles ad tantum pondus molis æreæ sustinendum, respondisse fertur per artem magicam. « Non corruam donec virgo pariat ; » quod similiter fertur dixisse Romulus de suo palatio, quando primum factum est, qui et ipse magus fuit. Propter quæ duo responsa dæmonum, tanquam deorum,

vocabatur antiquitus æterna Roma. Porro ruina templi Pacis significavit voluptatem carnis, in qua sola pax mundi est, per illum ruituram qui dicit: *Non veni pacem mittere in terra, sed gladium* (*Matth.* x). In ejusdem rei signum hodie virgo juvencula in sole sedens apparuit, tenens infantem in gremio, significans solos cælibes in cœlo regnaturos: et ortum esse hodie ex utero Virginis magistrum cælibatus, qui doceat homines semetipsos castrare ferro timoris Domini, propter regnum cœlorum. Igitur ruina templi, et simulacri palatii, per quæ et propter quæ falsi dii colebantur, significavit quod *hodie veritas de terra orta est:* virgo autem sedens in sole significavit, quod *hodie justitia de cœlo prospexit*. Quid enim justius, quam ut unusquisque possideat suum vas in sanctificatione et honore, non in passione desiderii; sicut gentes quæ ignorant Deum? *Veritas*, inquit, *de terra orta est*. Quid est veritas? hæc fuit olim Pilati quæstio (*Joan.* xix), qui solutionem suæ quæstionis audire non meruit; quia responsionem non exspectavit; sed quæstione proposita, et responsione non exspectata, continuo foras ad Judæos exiit. Et nos ergo fratres, si volumus discere ab ipsa Veritate, quid sit veritas, non exeamus foras, id est, non quæramus bona forinseca et transitoria; sed remaneamus intus in prætorio cordis, audientes quid loquatur in nobis Dominus Deus. Prope est enim verbum in corde, et in ore nostro: *Ne te quæsieris extra* (7). Navibus atque quadrigis petimus bene vivere; quod petis hoc est.

Non egrediamur foras, sicut Satan, qui egressus est a facie Domini (*Job* i); et Cain primus agricola, et postea fratricida (*Gen.* iv); et Ismael fuit vir ferus et sagittarius, exsors et exsul ab hæreditate paterna, et Esau venator, fratris simplicis persecutor: sed remaneamus intus, id est cor nostrum omni custodia servemus: primum quærentes regnum Dei, et justitiam ejus, et omnia extrinsecus necessaria satis superque adjicientur nobis (*Matth.* vi). Væ fatuis virginibus, quæ foris relinquendæ sunt: nec ob aliud, nisi quia cordis custodiam reliquerunt (*Matth.* xxv). Quid est veritas? Veritas dicitur quasi verbum rei existentis ita subaudi, sicut dicitur. Nam veritas cujuslibet rei nihil aliud est quam æqualitas existentiæ ejus, quam comprehendens animus intelligit rem, sicut est; nec infra subsistens, nec ultra effluens. Quisquis enim verum dicit, id solum, et totum dicit, quod in re est; nec plus, nec minus. Nam si plus vel minus diceret, non diceret verum, sed falsum: hoc enim diceret, quod non esset de rei existentia, et ideo non de rei veritate. Igitur veritas est æqualitas existentiæ rerum, id est modus, infra vel ultra quem nihil omnino potest subsistere. Hæc autem æqualitas existentiæ rerum nil aliud est quam æqualitas unitatis. Est enim æqualitas, sicut et unitas, singulis rebus forma essendi, et causa, per quam unumquodque subsistit.

(7) Persius.

Sicut enim quidquid est, idcirco vere est, quia unum est (nam si non esset unum, aliquid non esset, et si aliquid non esset, nihil esset); ita quidquid est, ideo vere est, quia æquale uni est. Nam si æquale uni non esset, unum non esset. Ergo veritas, id est æqualitas, est singulis rebus forma essendi: et causa, per quam unumquodque subsistit. Si autem veritas est causa existentiæ rerum, et omnis causa est prior eo, cujus est causa, ergo veritas est prior omni creatura, ergo est ab æterno, ergo est principium rerum, ergo est Deus. Unitas ergo, et ejus æqualitas sunt una causa omnium, et unum principium rerum, et unus Deus creator omnium; ejusdem prorsus potentiæ, et sapientiæ: ergo ejusdem substantiæ. Sed unitas Patris est Filius, qui et Verbum, et veritas, et splendor, et figura substantiæ Dei. Non immerito nuncupatur Verbum, quia decernit esse, quidquid verum est esse: veritas, quia quidquid semel dicit, confirmat et stabilit, sicut scriptum est: *Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit* (*Job* xxxiii). Splendor, quia per ipsum manifestatur nomen Patris, id est notitia Patris habetur, sicut ait Psalmista: *In lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* xxxv). Unde et ipse dicit: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi* (*Joan.* xvii). Figura vero et imago Patris dicitur, quia Patris pulchritudinem perfecte repræsentat. Ipse enim est facies Patris, in quam semper desiderant angeli prospicere (*I Petr.* i), id est de procul inspicere: nam de prope non possent, præ claritatis immensitate. Ideo et lucem dicitur inhabitare. Filius autem dicitur, quia revera generatur. Sed si quæris, quomodo? utique eo modo, quo æqualitas ab unitate, splendor a luce, veritas Verbi a Patre, ab æqualitate existentiæ, verbum cordis a corde. Unitas quippe ex seipsa, et ex sua substantia nil aliud generat quam æqualitatem; in æqualitatem vero per alios numeros. Nam semel unum nihil aliud est quam unum. Hæc autem omnia coæva sunt, et coæqualia suis gignentibus; nec substantiis, sed proprietatibus differunt. Ergo Filius per omnia Patri æqualis est, et coæternus. Ubi est ergo infelicis Arii stulta disputatio, Filium Patre minorem asserens, et rationum consequentias non attendens? Porro hæc ipsa veritas cum sit æqualitas existentiæ rerum, et modus, infra vel ultra quem nihil potest subsistere, ergo justitia est. Nam justitia nil aliud est, nisi modi tenor, et æqualitas inter plus et minus constituta, nullum omnino defectum patiens, vel faciens excessum. Et hæc ipsa justitia quid aliud est quam summa beatitudo, vel summum bonum?

Summam quippe beatitudinem definit Boetius, esse statum quemdam omnium bonorum aggregatione perfectum. Hic autem status extra limites

justitiæ contineri non potest. Idem vero Boetius probat, duo summa bona diversa esse non posse. Nam si unum ab altero minus habebit, summum non erit. Igitur alterum duorum aut erit imperfectum, aut superfluum. Potest igitur summa beatitudo hoc modo aliter definiri : Bonorum universitas sub uno comprehensa, cujus sola visio semel acquisita omnem sufficientiam voluptatis, et gaudii plenitudinem generat in vidente, omne desiderium sine diminutione superans, sine fastidio satians, sine anxietate innovans et inflammans. Veritas igitur est summum bonum, similiter et justitia. Summum ergo bonum de terra ortum est, quando Veritas de terra orta est : et summum bonum de cœlo venit, quando Justitia de cœlo prospexit. Quod autem Christus se in Evangelio veritatem appellat (*Joan.* XIV), et non justitiam; hoc ideo fecit, ut arbitror, quia nomen justitiæ aliquid innuit rigoris et vindictæ : et quia Christus judicari venerat, non judicare; non ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX); non ferire, sed parcere; misereri, non vindicare; blandiri, non terrere; ideo nil sibi attribuere voluit, quod austeritatem sonaret, sed quod totum esset pacis et indulgentiæ, suavitatis, mansuetudinis et pietatis : ideo se non justitiam appellavit, sed viam et vitam. Apostolus tamen dicit eum factum nobis a Deo sapientiam, justitiam, sanctificationem, et redemptionem (*I Cor.* I): quod sic exponit : Sapientia in prædicatione, justitia in conversatione, sanctificatio in peccatorum remissione, redemptio in morte. Psalmista vero sciens proprium esse justitiæ et mereri et reddere, et a solo Christo nostrum esse meritum vel præmium, ipsum justitiam appellavit. Christus autem pro hoc solo nomine hæc duo posuit, viam et vitam, dicens : *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV). Via propter meritum, vita propter præmium, veritas propter utriusque complexum; via justitiæ, veritas doctrinæ, vita lætitiæ; via virtutis, veritas sermonis, vita beatitudinis; via sine offendiculo, veritas sine nubilo, vita sine tædio; via, quæ nec impeditur nec polluitur; veritas, quæ nec mentitur nec fallitur; vita, quæ nec læditur nec finitur. Via quæ dirigit, veritas quæ corrigit, vita quæ regit. Dirigit actus, corrigit excessus, regit affectus. Via justis per exemplum, veritas impiis per judicium, vita angelis per semetipsum. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso : et potestatem dedit ei judicium facere quia Filius hominis est* (*Joan.* V). Igitur Christus via in hoc sæculo, vita in futuro, veritas in utroque; hic promittens, illic dans; hic minans, illic feriens. Et hæc dicta sint pro veritate quæ de terra orta est: nunc de terra videamus de qua ipsa orta est. *Veritas*, inquit, *de terra orta est.* O quam verum est, quod vulgo dici solet, de terra venit bonum! Sed quænam est hæc terra? Duo namque terrarum genera in Scripturis legimus. Est enim terra maledicta, deserta et sterilis : et est terra benedicta, fructifera, et pinguis. De prima est illud : *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III); de secunda : *Benedixisti, Domine, terram tuam* (*Psal.* LXXXVIII).

Primum genus triplex est : nam maledictarum terrarum alia est terra quam formidamus, alia quam calcamus, alia quam portamus. Prima est infernus, qui a propheta dicitur *terra novissima* (*Ezech.* XXVI), id est ultra quam nulla est. Terra vere maledicta, plena peccatis et tormentis, reatibus et cruciatibus : cujus omnis culpa irremissibilis, omnis pœna interminabilis, omnis fletus inconsolabilis, omnis fetor intolerabilis, omnis stridor implacabilis, omnis ardor inexstinguibilis, omnis vermis immortalis. Hæc est terra mortuorum, in qua quidquid est, contrarium est vitæ. Secunda terra est illa communis, quam terimus; maledicta in opere Adæ; cujus omnis fructus naturaliter est maledictus, sicut testatur Veritas in parabola de seminante, ubi ait : *Quod autem cecidit inter spinas, hi sunt qui audiunt : et a divitiis et voluptatibus hujus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum* (*Luc.* VIII). Constat autem, omnes terrenas divitias de fructibus terræ esse, ut est frumentum, vinum et oleum, aurum et argentum, et lapides pretiosi; et cætera hujusmodi. Si ergo bona terrena spinæ sunt, ipsa mala qualia sunt? Quomodo autem spinæ non sunt : quæ adveniendo, vehementer; manendo, vehementius; abeundo, vehementissime pungunt? Nam cum multa sollicitudine et labore plurimo acquiruntur, cum timore custodiuntur, cum dolore amittuntur.

Et quoniam cunctis terrenis fructibus maledictio originaliter inest, propter peccatum Adæ, idcirco sancta et catholica instituit Ecclesia, quam institutionem ab ipso Domino habet, ut quoties ad mensam accedimus de terrenis fructibus reficiendi, prius Deo agamus gratias, et nomen ejus sanctum super eos invocantes, et signum vivificæ crucis, quasi ligni vitæ contra lignum vetitum facientes, maledictionem benedictione pellamus, et secure jam deinceps jam mundatos et sanctificatos sumamus eos cum timore Domini, post de perceptis divinis muneribus ipsi largitori gratias acturi. Nam qui sine benedictione et oratione præmissa, tanquam jumenta vel pecudes terrenis fructibus devorandis incumbunt, sæpe mortem corporis et animæ occasionaliter in eis accipiunt; sicut illa sanctimonialis, quæ mordendo lactucam diabolum momordit sedentem super eam, ex quo morsu mox in furorem versa est, ut testatur beatus Gregorius in libro *Dialog.*; sic et Tarquinius ille, qui beatum Silvestrum incarcerari jusserat, de osse piscis faucibus hærente strangulatus est; sic et ille dives qui sedebat ad mensam regis Angliæ, quem rex suspectum habebat de morte fratris sui, cum teneret offam in manu, et diceret ad regem : Domine mi rex, si ego reus sum vel conscius de nece fratris tui, nunquam offam istam possim transglutire, quin suffocer ab ea. Quo dicto misit offam in os suum:

quæ cum ad guttur veniret hæsit, mox oculos ille A invertens cecidit mortuus super mensam. Idcirco beatus Benedictus præcipit in *Regula* (8), ne quis ante horam statutam aliquid præsumat cibi vel potus. Quod non bene observavit infelix ille monachus, qui, cum frixuras quasdam deferret in refectorium, abstractus et illectus a propria gulæ concupiscentia, unam earum tanquam canis rabidus cursim devoravit; et mox tantam libidinis in carne sua sensit pruriginem, ut quoniam aliter desiderium sordidum implere non poterat, quod dictu quoque nefas est, manuali actu genitalium semen effunderet; quod antea nunquam illi contigerat. Vere huic misero convenienter aptatur illud Judæ infelicis elogium : *Et post buccellam introivit in eum Satanas* (*Joan.* XIII). Nec mirum si enim protoplasti B in fructu paradisi, qui utique non erat maledictus, sed tantummodo interdictus, propter inobedientiam mortem corporis et animæ occasionaliter acceperunt : quanto magis timendum est, ne fructus terræ maledictæ, qui omnes originaliter maledicti sunt, nobis male utentibus utriusque mortis occasio fiant? Porro tertia terra, videlicet quam portamus, caro nostra est, et ipsa utique originaliter maledicta, propter illud : *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III). Hæc enim maledictio non solum de terra quam calcamus, sed etiam de illa quam portamus; intelligenda est allegorice, sic : *Maledicta*, inquit, *terra in opere tuo*, id est maledicta terra, in qua et de qua operaturus es, quærendo in ea vel C alimentum vitæ, vel hæredem mortis tuæ. Terra in qua operaturus erat Adam quærendo hæredem, caro erat uxoris propriæ; terra de qua operaturus erat in ea, caro erat ipsius propria. Utraque ergo caro et masculi et feminæ uno maledictionis jaculo lethaliter vulnerata est, quando ad Adam dictum est: *Maledicta terra in opere tuo*. Opus istud quid intelligendum est, quam coitus? qui etiam in conjugali copula maledictionem non effugit, istam videlicet, quæ sequitur : *Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos* (*ibid.*), id est tales quales datura erat, si etiam obediens permansisses? Omnis enim caro quæ ex te nasceretur, sancta nasceretur, non repugnans spiritui, nec concupiscens adversus eum; sed potius prorsus eum sequens ad omnia D quæcunque sancta, quæcunque laudabilia, quæcunque bonæ famæ. Nunc autem spinas et tribulos germinabit tibi; quia cum stimulo carnis et ardore libidinis, et prologo pudoris, et jactura virginitatis irreparabili, germinabis tu et posteri tui; et in sudore vultus tui, id est in repugnantia fortis spiritus tui concupiscentis adversus carnem tuam, vesceris pane tuo, id est mandata mea custodies, justitiam perficiens, voluntatem meam implebis, pane lacrymarum cibaberis, panem angelorum in cœlo manducabis. Sic igitur terra quam portamus ex necessitate maledictio subjacet, juxta illud Apostoli : *Non enim habitat in me, hoc est in carne mea, bonum* (*Rom.* VII). Et iterum : *Prudentia carnis mors est* (*Rom.* VIII). Et : *Sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta, neque enim potest* (*ibid.*). De nulla igitur istarum trium terrarum potest intelligi, quod dictum est : *Veritas de terra orta est*; id est nec de terra mortuorum, quæ est infernus, nec de terra morientium, quæ dicitur terra, vel tellus, solum, vel humus, nec de terra mortalium, quæ est mortale corpus; sed de terra benedicta, de qua scriptum est : *Benedixisti, Domine, terram, tuam* (*Psal.* XCVIII.); quæ et ipsa tripliciter intelligenda est : id est aut de terra desiderabili, aut de terra exorabili, aut de terra adorabili. Terra desiderabilis cœlum illud est, quidquid illud est, ad quod Apostolus raptus est : ubi audiuntur vera ineffabilia, et gaudia inenarrabilia absconduntur. Ista vere terra terra benedicta est, carens omni maledicto, id est pœna et peccato, terra viventium, in quam quicunque semel introeunt semper vivunt. Terra fructifera de qua multiplex fructus usque ad nos descendit; id est angelorum visibiliter apparentium dulcia solatia, divinæ legis mandata saluberrima, Christi visitatio, Patris testificatio, Spiritus sancti unctio. Angeli apparuerunt ut lex ordinaretur, sicut scriptum est : *Lex ordinata est per angelos in manu mediatoris* (*Galat.* V). Lex scripta est, ut peccatum mortificaretur. Per legem enim notitia peccati : Christus visitavit nos ut peccatum tolleretur, sicut scriptum est : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Pater testificatus est, ut in Filium crederetur, sicut scriptum est : *Ego autem habeo testimonium majus Joanne* (*Joan.* V). Spiritus sanctus missus est, ut pro corporali absentia Domini alius Paracletus credentibus daretur, qui cum eis maneret in æternum, sicut scriptum est : *Rogabo Patrem meum et alium Paracletum dabit vobis* (*Joan.* XIV). Væ illis, qui pro nihilo habent terram istam desiderabilem. Qui sunt autem isti, nisi qui terram istam sterilem quam calcamus, vel quam portamus, pro magno habent? Si autem hujus terræ desiderabilis vilipendium et contemptus pro maximo peccato Judæis imputatur, quibus specialiter terrena ista bona caduca et transitoria promissa fuerant, quid de nobis fiet, quibus terrena contemni jussa sunt; cœlestia desiderari? Desideremus ergo, desideremus, obsecro, terram desiderabilem, quæ omne desiderium superat, omne votum transcendit, omne præcellit meritum, omne pretium ad comparationem sui nihil esse ostendit. Porro terra exorabilis, id est orari digna, et exorari facilis. Maria virgo est; terra benedicta, sanctificata ab utero, imprægnata a Spiritu sancto, omni maledictione carens, salvo pudore concipiens, sine dolore pariens, sine timore moriens, sine peccato vivens. Hæc est terra promissionis lacte et melle manans, id est promissum

(8) C. 43.

nobis Salvatorem generans, humanitate lacteum, et vita cœlestem, innocentia candidum, indulgentia dulcem, misericordia copiosum, justitia insignem, humilitate parvulum, potestate sublimem; parvum in præsepio infantulum, et amabilem nimis; magnum in cœlo, et laudabilem nimis. Hæc ergo terra venientem super se bibens imbrem sancti Spiritus, pluviam voluntariam, quam segregavit Deus hæreditati suæ (*Psal.* LXVII), omni benedictione spirituali repleta est in cælestibus in Christo, et irrigata tanquam paradisus Dei, de quo produxit nobis Deus omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave; et nostræ redemptionis pretium in statera crucis appensum, et fructum triplicem, id est formam omnis justitiæ et perfectionis exemplum, tanquam lignum vitæ, quod est in medio paradisi; et valde necessarium potentissimæ intercessionis auxilium, tanquam fontem qui dividitur in quatuor loca vel tempora: primo in lapsu culpæ, ut statim resurgamus per pœnitentiam; secundo in statu innocentiæ, ne denuo corruamus per culpam; tertio in egressu animæ, ut eruamur a rugientibus præparatis ad escam; quarto in prolatione sententiæ, ut minus longam vel asperam, quam meruimus, pœnam purgatorii sentiamus. O vere terram fertilem, quæ tantos et tales fructus affert! Hæc est terra viventium, id est pœnitentium. Sicut enim peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem, sic pœnitentia cum consummata fuerit, vitam restituit. Nam in quacunque die peccator ingemuerit, salvus erit. Et sicut anima quæ peccaverit, ipsa morietur; sic *Cum aversus fuerit impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justiam, vita vivet, et non morietur. Nolo*, inquit, *mortem peccatoris; sed ut convertatur, et vivat* (*Ezech.* VIII). Beati viventes, qui in hac terra plantati sunt, famem et inopiam deinceps non passuri; beatiores autem, qui de hac terra fecundati sunt, et in ejus possessionem jam missi, nullas deinceps calumnias vel hominum vel dæmonum audituri.

In hac terra plantantur Cistercienses, qui magnæ huic dominæ faciunt homagium, et ejus servitutem perpetuam profitentur. Hanc enim solam ordo noster in advocatam elegit, quæ omnes suas ecclesias in illius nomine intitulatas decrevit. Hanc autem terram in feodum accipiunt, et in ejus possessionem mittuntur, qui in nostro ordine cum bona conscientia defunguntur. Sicut autem huic reginæ securitatem facimus de suo servitio in professione nostra, sic et ipsa nobis securitatem facit de feodo nostro in charta sua, id est in brevibus quæ fiunt pro defunctis: ubi dulce nomen Mariæ, et ejusdem inviolabilis sigilli confirmatio hoc modo recitatur: Eo die obiit frater ille monachus vel conversus sanctæ Mariæ de Fremont. Hujus solius instrumenti recitatio omnem calumniantis improbitatem reprimit, omne os loquentium iniquitatem obstruit, omnem litem dirimit, omnem possessionem evincit.

Et sciendum, quod hæc terra de qua veritas orta est, etiam cœlum illud potest intelligi de quo justitia nos prospexit. Cœlum per sublimitatem vitæ, per munditiam et puritatem corporis et animæ, per serenitatem conscientiæ, per duo magna luminaria, id est magna exempla utriusque vitæ, activæ scilicet et contemplativæ. Solium excelsum per arduam novitatem virginitatis propositi, elevatum per singularitatem spiritualis doni, id est fecunditatem uteri; stellatum tot sideribus quot illustratum virtutibus, quot gratiarum dotibus picturatum. Sed jam de terra adorabili videamus. Hæc est humanitas Christi, quam adorabilem appello, propter illud Psalmistæ: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (*Psal.* XCVIII). Hæc est terra ab omni maledictione peccati libera, *quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*Isai.* LIII). Hæc est terra omni benedictione plena, *de cujus plenitudine omnes accipimus* (*Joan.* I). Cui datus est Spiritus, non ad mensuram, sicut adoptatis; sed ad cumulum, tanquam unigenito. Tota paternæ unctionis pyxide super eum effusa, juxta illud: *Unguentum effusum nomen tuum* (*Cant.* I). O nomen odoriferum tota plenitudine cœlestis balsami delibutum! o nares fetidissimas, et mortali polipo obturatas, quæ suavitatem hujus odoris tam large diffusi non sentiunt quam plane quisquis sensit, post eum, vel potius in ea currit, sicut illæ quæ dicunt: *Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum* (*ibid.*). Hoc est terra promissionis nobis ab initio mundi repromissa.

Hæc est terra viventium id est justorum, in qua triplex fructus permaximus et pernecessarius ab iis percipitur, quos nulla unquam terra, nisi ista sola potuit offerre. Id est abolitio culpæ, collatio justitiæ, pignus et arrha felicitatis æternæ. Primum nobis contulit effusio sanguinis Christi, secundum infusio Spiritus sancti, tertium confert nobis participatio corporis et sanguinis Domini. De primo habes: *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I). De secundo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V). Charitas enim ipsa est justitia, quæ reddit unicuique quod suum est; non quærens quod sibi utile est, sed quod alteri; non sua quærens, sed quæ Jesu Christi. Unde: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* XIII). Et: *Qui diligit proximum, legem implevit* (*ibid.*). Si autem legem, ergo justitiam. De tertio est illud: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* (*Joan.* VI). Omnia tamen inveniuntur in singulis, et singula in omnibus; quia nec sanguis sine corpore, nec corpus, sine sanguine, nec unctio Christi sine utroque, nec alterutrum sine unctione. Hæc ergo triplex veritas de vera humanitate Christi tanquam de terra orta est, veritas scilicet remissionis pec-

catorum, veritas justificationis impiorum, veritas A glorificationis miserorum : lex enim per Moysen data est, sed gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I). Lex hæc omnia præmonstrabat, præfigurabat, prædicabat; sed nihil horum præstabat. Nam impossibile erat peccata dimitti vel deleri per sanguinem hircorum aut vitulorum; impossibile quoque erat justitiam per opera legis impleri, qui *nihil ad perfectum adduxit lex* (*Hebr.* VII). Constat etiam claritatem legis Mosaicæ in comparatione claritatis evangelicæ prorsus evacuari. Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. At quod per sanguinem Christi mundatur, perfecte abluitur. Quas enim veternosissimas maculas non emundet, qui et petras B scidit, et monumenta aperuit, et terram concussit, et solem obscuravit? Et quod unctione Spiritus linitur perfecte sanctificatur. Nam *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI) : ex qua resurrectione *facies ejus resplendet ut sol*, cum lucet in virtute sua : *et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix* (*Matth.* XVII), qualia fullo non potest facere super terram. Nulla ergo major arrha claritatis æternæ, nullum pignus pretiosius nobis dare potuit beatæ immortalitatis in carne nostra complendæ, quam quotidie sumpta in immortalitatis alimentum, a nobis mortalibus caro immortalis. Quod omnino verum esse confessus est in Apulia ipse diabolus, coactus invisibiliter ab ipsa veritate, per os mulie- C ris obsessæ, meritis et precibus sancti Bernardi a dæmonio liberatæ. Quis est autem dives ille tam felix et beatus, qui de hac terra tres istos fructus veritatis colligit, nisi cujus terra veritatem parit, ut fiat quod scriptum est : *Veritas de terra orta est?*

Fratres, benedixit Dominus terram nostram. Jam ergo etiam de terra nostra potest oriri veritas, quæ ab ipsa veritate personaliter potuit assumi. Oriatur igitur de terra cordis nostri vera compunctio, de terra oris nostri vera confessio, de terra corporis nostri vera satisfactio : cui triplici veritati contrarium est triplex mendacium, id est voluntaria consensus perversitas, locutionis falsitas, simulationis calliditas. Quodlibet autem istorum D mendaciorum dupliciter perpetratur. Nam consensus perversitatis est, quoties aut bonum alienum non placet, aut malum alienum non displicet; istud autem placere debet usque ad adjutorium totis viribus conferendum; istud displicere usque ad resistendum similiter pro viribus. Similiter duplex est locutionis falsitas, videlicet cum aut falsum dicitur, aut verum quod dicendum est tacetur : error enim cui non resistitur approbatur; quod subtiliter intellexit etiam gentilis ille comicus, cum dixit : *Pejerat sæpe qui tacet;* tantum est enim tacere verum, quam et falsum dicere. Similiter duplex est simulatio, cum videlicet aut mentis sanitas, aut carnis infirmitas simulatur : pessima est utraque fictio, nullum enim majus mendacium, quam quod non solum ore, sed et toto corpore confirmatur. Primum genus hypocrisis abundat in claustralibus, secundum in sæcularibus; quamvis et apud illos spirituales nonnullos hypocritas, et apud istos carnales plurimos perfacile sit invenire. In utroque genere *mentitur iniquitas sibi* (*Psal.* XXVI) : sibi, inquam, non alii; quia si sapiens fueris, tibimetipsi eris; si autem illusor, solus portabis malum. Veritas perdet omnes qui loquuntur mendacium, magis autem eos qui etiam operantur iniquitatem : qui contra conscientiam aut simulant, quod non sunt, aut quod sunt, dissimulant. Simulatores et callidi provocant iram Dei. Porro istam triplicem veritatem de terra triplex justitia de cœlo prospiciet : veram enim satisfactionem respiciet et accipiet æterna corporis glorificatio; veram confessionem æternum canticum, id est æterna mentis in divinam laudem prorumpens exsultatio; veram exspectationem beata et æterna Trinitatis cognitio. De prima habes : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (*Philip.* III). De secunda : *Beati qui habitant in domo tua in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). De tertia : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Ad quam visionem nos perducere dignetur veritas hodie orta de terra, meritis et precibus genitricis suæ Mariæ. Amen.

SERMO III.

IN NATALI DOMINI II.

Ad clericos.

Et pluit illis manna ad manducandum (*Psal.* LXXVII). Opportune satis post tam longum jejunium pluit nobis Dominus manna ad manducandum. Pluit ad copiam, manna, id est cœlestem gratiam incarnati Verbi, dulcem et salutarem præsentiam ad manducandum, id est ad justitiam faciendam. Hæc est enim mannæ absconditi, id est incarnati Verbi vera comestio, justitiæ videlicet delectabilis et dulcis operatio, juxta illud Augustini (9) : *Crede et manducasti.* Quod est dicere : Habe fidem quæ per dilectionem operatur; et sic sacramenti virtus a te manducabitur. Beati igitur, qui Verbum carnem factum et tanquam verbum audiunt, et tanquam carnem comedunt. Ad hoc enim verbum est, ut salubriter audiatur, ad hoc caro factum, ut suaviter comedatur, sicut ipsum Verbum dicit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan.* VI). Nimirum caro cibus est delectabilis : et ideo per carnem delectatio significatur operis. Sicut enim caro manducata cum quadam voluptate trajicitur in corpus, et incorporatur carni et sanguini; sic opus justitiæ voluntarie et perseverantes

(9) S. Aug., *in cap.* VI *Joan.*

adimpletum, quodammodo incorporatur Spiritui, ita tantum ut ab eo nec post mortem possit separari : sicut scriptum est : *Opera enim illorum sequuntur illos* (*Apoc.* XIV). Hinc est quod incarnata Dei Sapientia cum in peregrino carnis hospitio novam pateretur esuriem, et tentaretur a diabolo de lapide convertendo in panem respondit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV). Dicens autem non simpliciter *in verbo*, sed addens *in omni*, significat plura ferculorum genera sub uno verbi pabulo contineri. Est enim verbum, ut panis confortans ; et est verbum, ut caro roborans ; et est verbum, ut vinum cor lætificans, et mentem inebrians audientis. In præceptis panis est, in consiliis caro, in promissis vinum. In primis est necessitas, in secundis voluntas, voluptas in tertiis. Sine pane omnis mensa inops est, sine præceptorum observatione non constat salus. Sine carne autem potest quidem cœna duci, quamvis ex illa multo sit splendidior. Similiter sine consiliorum susceptione potest quidem salus acquiri, sed est illa multo copiosior acquiritur.

Solis enim consiliorum susceptoribus promittitur centuplum, præter vitam æternam ; quod est quasi quædam carnis pinguedo. Porro vinum promissorum illud est, de quo dicitur in vulgari proverbio : « Omnis religio sentit cum bono vino ; » quia omnis vere religiosus illud vinum optimum concupiscit. De quo dicit architriclinus ad sponsum : *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc* (*Joan.* II). Et de quo dicit Psalmista : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ ; et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV). Cum igitur verbum Dei verus ille cibus sit, quo nutritur anima, vegetatur et vivit, profecto constat quod ex solo auditu verbi nemo vitam consequitur, sed omnino necesse est ut verbum manducetur, sicut ipsa Veritas incarnata dicit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Hoc est enim illud manna, quod nobis hodie datur ad manducandum. Ad manducandum, inquam, non ad perdendum, non ad spectandum, non ad portandum, non ad vendendum, non ad reservandum. Perdit auditor obliviosus, spectat lector curiosus, portat factor nimiosus, vendit relator ambitiosus, piger et fastidiosus operator reservat. Quidquid autem de manna reservatur in crastinum, vermes creat ex seipso ; quia quidquid de mandatis Domini in præsenti per negligentiam relinquitur imperfectum, conscientiam torquebit in futuro. Unde scriptum est, quod nec unum iota, nec unus apex præteribit ex lege, quin omnia impleantur (*Matth.* V) : subaudi, vel conferendo vitam factoribus, vel pœnam contemptoribus inferendo. Hinc est, quod Dominus mittens discipulos suos ad prædicandum, et dicens : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, adjunxit : *Docentes eos servare omnia, quæ mandavi* A *vobis* (*Matth.* XXVIII). Omnia, inquit, non autem partem, vel medietatem. Cum igitur quidquid de manna fiat nihil prosit facienti, nisi illud comedat ; væ omnibus qui colligunt magna nec comedunt ; væ qui considerant vultum nativitatis suæ in speculo, et abeuntes mox obliviscuntur quales se viderint. Væ qui hodie accedunt sicci ad unctum, et sicci recedunt : remanentes ad pluviam aridi, ad solem cæci, ad rorem asperi, ad mensam jejuni : et inter angelicas, quas hodie cœlum mellifluum, imo mannifluum roravit escas, miseri fame pereunt, et inedia consumuntur. Beati autem, qui sic cœleste manna colligunt, ut comedant ; beati qui panem angelorum manducant ; *beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (*Luc.* XI).

B Custodiunt videlicet tanquam panem, qui nunquam melius custoditur, quam cum comeditur; multis enim subjacet periculis antequam comedatur ; at postquam in ventrem comedentis receptus est, mox ab omni periculo securus est ; nec est jam quod ei timendum sit a fure vel a mure, a cane vel a vetustate ; a fure ne subripiatur, a mure ne corrodatur, a cane ne diripiatur, a vetustate ne murco corrumpatur. Fur est tentatoris calliditas, mus est concupiscentiæ carnalis improbitas, canis adversitas molestans et affligens, superbia et invidia vetustas est consumens. Nec immerito ista duo vitia sub nomine vetustatis expressi, quibus inter cætera mala nullum vel ad ortum antiquius, vel perniciosius ad corrumpendum. C Hæc sunt enim primogenita Ægypti, id est prima vitia diaboli tenebrarum principis: quorum primum ortum est in cœlo contra ipsum Creatorem, secundum in paradiso contra primum hominem. De quorum primo eleganter ait philosophus : « Superbia nihil a te accipere libet ; quidquid das corrumpis (SENECA). » Et poeta :

Inquinat egregios adjuncta superbia mores.
(CLAUD.)

De secundo Salomon : *Vita carnium suavitas cordis : putredo ossium invidia* (*Prov.* XIV). Ad hoc ergo, ut hodiernum manna totum comedatur, per singula gomor, id est verbum Domini bene custodiatur ab auditoribus, necessarium est quadripertitum remedium contra prædicta quatuor pericula, id est D contra furem prudentia vigilans, contra murem temperantia refrenans, contra canem fortis patientia, vel patiens fortitudo; contra duplicem vetustatem charitatis perfectio, quæ nec inflatur contra superbiam, nec æmulatur contra invidiam ; sed benigna et humilis occidit hanc et illam. Sed jam quod de hoc manna dante Deo collegimus, in panes laicos transformemus. Vulgo dicitur, jejunus stomachus non est fastidiosus ; quod poeta sic dicit :

Jejunus stomachus raro vulgaria temnit.
(HORAT., *Sat.*, II, 2, 38.)

Ut enim ait Cicero, « Omnes cibi et potus desideriis condiuntur. » Ptolomeo peragranti Ægyptum comitibus non consecutis, cum esurienti panis cibarius in capsa oblatus esset, nil visum est illo pane

jucundius. Darius in fuga cum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit se unquam bibisse jucundius. Lacedæmonii fame et labore cibos suos condire solebant. Hæc sunt condimenta ordinis nostri.

Idcirco sancta et universalis Ecclesia a Spiritu sancto edocta, salubriter et sapienter instituit, ut ante Natale Domini per totum Adventum jejunia celebrentur, volens nos afferre ventres vacuos ad mensam epularum cœlestium nobis hodie præparatam. Nam si ventres plenos ad eam afferremus, aut easdem respueremus delicias, aut illas sumentes cum fastidio, saporem quem afferunt perderemus; quia, ut solet dici, tertia mica pastam sapit. Fratres, Deus cum fecisset angelum et hominem, tantum dilexit hominem, ut eum exponeret dapibus B angelicis educare; sed quia sapientia sapienter agit, noluit ei a principio cibum dare tam solidum; quia humanæ novitatis infirmitas adhuc pene edentula exercitatos sensus nondum acceperat ad eum masticandum. Quod et ipse Deus probare per experientiam non distulit; nam cum dedisset homini mandatum ad portandum facillimum, ille novitate suæ felicitatis ebrius, portare illud non potuit; sed divinæ voluntati, cui obtemperare cibus angelorum est, voluntatem uxoris præposuit; nec mortis intentatæ minis terribilibus a tanta stultitia revocatus. Justo ergo judicio Dominus hominem privavit paradisi deliciis, quibus quamvis magnæ sint, altiores præposuerat, id est divinam facere voluntatem. Expulsum C autem a monte deliciarum in hanc vallem miseriæ, permisit, ut misericors, ad miseriarum solatium mundanis uti voluptatibus; quas tamen interdum multo calamitatum sale misericorditer aspergebat. Unde homo redimendus tandem fatigatus suis iniquitatibus cœpit desiderare justitiam, vicatim eam per ora prophetarum infatigabilibus desideriis inclamando. Quod pueri nostri significant, cum nocturnis vociferationibus natale Domini tripudiantes inclamant. Horum tandem clamoribus excitatus Pater misericordiarum opportuno tempore panem misit angelicum: tunc scilicet cum jam mundus cœperat fastidire terrenum. Nam et olim in deserto filii Israel non ante suscipere meruerunt rorulentam pluviam panis angelici, donec illis cibi Ægyptii quos D secum tulerant defecerunt (*Exod.* XVI). Sed et postquam pervenerunt ad terram promissionis, mox ut cœperunt vesci de fructibus terræ, panis cœli eis defecit.

Beatus, cui deficit panis terrenus, ne panis angelicus deficiat. Beati, qui terrenis evacuantur dapibus, ut repleri cœlestibus mereantur. Nihil enim sic meretur repletionem cœlestium, ut voluntarie suscepta propter hanc evacuatio terrenorum. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V); e contrario autem: *Væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram* (*Luc.* VI). Hoc ipsum et ecclesiastica demonstrat institutio, quæ neminem nisi jejunum ad A sacramentum altaris permittit accedere, nisi forte repentino alicujus infirmitatis periculo prægravetur. Nam et Eliseus noster nonnisi vasa vacua spiritualis olei largitate perfundit: et Psalmista saturitatem panis angelici nonnisi pauperibus repromittit, dicens: *Edent pauperes et saturabuntur* (*Psal.* XXI). Pauperes enim, id est sæculi contemptores, ait glossa interlinearis. Quisquis ergo per hoc Adventuale jejunium a carnalibus desideriis se evacuavit, securus ad delicias panis angelici nobis hodie apluentis accedat. Hoc est enim manna illud hactenus absconditum, sed hodie in carne manifestatum, sermo scilicet divinus, cujus comestione admodum delectabili, id est operatione prædulci, illi beati spiritus et vitam, et beatitudinem consequuntur. Ex tali nimirum edulio confirmati ne cadant, roborati ne langueant, animati ne tepescant, et ne ultra esuriant satiati.

Hujus tamen mannæ duplex est pluvia, una sub specie verbi puri corporaliter ab hominis prolati, altera sub regia carnis humanæ trabea. Qualiter ad nos hodie de virginalis aulæ pluvia mannæ secretiore thalamo processit. Pulchre autem sermo divinus manna nuncupatur, nomen interrogativum vel potius admirativum loco proprii vel appellativi sortitus, ex repentinæ scilicet admirationis eventu: quia cum primum filii Israel rorulentam pruinam, vel rorem pruinosum vidissent, dixerunt: *Manhu?* quod interpretatur *quid est hoc?* (*Exod.* XVI.) Quod nomen divino sermoni tam prolato ab homine, quam nato de Virgine, satis convenienter aptatur, quia nunquam sic locutus est homo, sicut uterque loquitur, Galilæus est enim, unde et utrumque loquela sua manifestum facit, et ideo bene appellatum est manna, propter admirationem singularis efficaciæ et novitatis inauditæ. Audi potentiam singularem: *Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit* (*Sap.* XVIII). Et illud: *Dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII). Et illud: *Nonne verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram?* (*Jer.* XXIII.) Audi novitatem inauditam: *Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui esuriunt, beati qui persecutionem patiuntur* (*Matth.* V). *Manhu? quid est hoc?* (*Exod.* XVI.) Quis unquam audivit talia? Speciebus miseriarum imponit nomina beatitudinum. Vere *nunquam locutus est homo, sicut hic loquitur* (*Joan.* VII). Mundus dicit pauperem ubique cadere; ille vero dicit pauperem regem esse, et regem cœli. Mundus dicit mites terram suam perdituros, iste vero possessuros. Mundus dicit luctum contrarium consolationi: iste vero meritum esse sempiterni solatii. Mundus dicit esuriem nunquam convenire cum saturitate: iste vero solos esurientes saturandos esse. Mundus dicit persecutionem pati etiam propter justitiam summam esse miseriam, ille vero per talem patientiam perveniendum esse ad beatitudinem sempiternam. *Manhu? quid est hoc? nunquam sic locutus est homo, sicut hic* loquitur.

Hominibus tres tantum loquelæ notæ sunt : loquela mundi, carnis, diaboli. Prima suggerit sublimia, secunda suavis, tertia maligna. At sermo Dei contra primam loquelam dicit : *Omnis qui se exaltat humiliabitur ; et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV). Contra secundam : *Agite pœnitentiam : appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Contra tertiam : *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* V). Contra omnes simul : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (*I Joan.* II). *Manhu ? quid est hoc?* vox mundi quasi vox Pythonis de humo sonantis. Vox autem istius est quasi vere vox Dei de cœlo tonantis. Qui enim de terra est, de terra loquitur : qui autem de cœlo venit, super omnes est : et quod vidit et audivit hoc testatur. Bene igitur appellatur manna divinus sermo, contraria loquens carni et mundo. Dicatur ergo : *Et pluit illis manna ad manducandum*. Fratres, non vos terreat nomen istud admiratione plenum. Est enim manna istud ad manducandum suavius, quam facilius ad intelligendum. Et revera antequam caro fieret Verbum Dei, audibile quidem erat, sed non manducabile, nisi forte quibusdam paucissimis, quia perfectissimis, qui exercitatos sensus habebant ad percipiendum solidum cibum, nec jam tanquam mammotreti succis lacteis indigebant : qualis erat Jeremias ætate puer, sed sensu presbyter, qui dicebat : *Inventi sunt mihi sermones tui, et comedi illos* (*Jer.* XV). Et Ezechiel ad quem sermo factus est dicens : *Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et aperui*, inquit, *os meum, et cibavit me volumine illo : et factum est in ore meo sicut mel dulce* (*Ezech.* III). Potest tamen ista Ezechielis comestio, salvis aliis intelligentiis mysticis Judæorum significare duritiem, qui solum corticem rodentes litteræ, ad medullam spiritus nunquam pertingere meruerunt; verbum semper in membrana scripta sed cruda, tanquam testam sine nucleo, paleam sine grano, pellem sine carne mandentes. Isti comedunt verbum corticeum, non carneum verbum inflans, non Verbum infans. Verbum verberans, non Verbum sanans, sicut scriptum est : *Misit Verbum suum, et sanavit eos* (*Psal.* CVI).

Quid ergo mirum, si semper exsangues et pallidi sunt, tam arido cibo refecti? Talis cibus erat lex sine gratia, culpam tantum describere sciens, delere nesciens; potens ad puniendum, impotens ad justificandum et indulgendum. At postquam parvulus Dei Filius natus est nobis, sciens indulgere, et placari facilis, nesciens percutere, et irasci difficilis, velox ad dandam gratiam, tardus ad sumendam vindictam. Gratia et veritas per Jesum facta est, et *Verbum caro factum est* (*Joan.* I). Vere manducabile factum est, quia per carnem dulce et suave, mite et placabile, nec solum manducabile jam adultis, sed etiam potabile; velut, ut ita dicam, sugibile infantibus recens natis liberando eos a culpa, quam non sponte contraxerunt : per gratiam, quam non sponte suscipiunt. Manducemus igitur, fratres charissimi, manna verbi Domini, quod nobis pluit Dominus ad manducandum, et manducemus cum aviditate, tanquam famelici, cum suavitate, tanquam panem cœli, nihil inde reservantes vermi et putredini, sed totum comedentes, vel absumentes igni, sicut et de agno paschali præcipitur, ut nihil ex eo usque mane relinquatur, sed vel totum vicinus assumptus comedat, vel residuum ignis absumat (*Exod.* XII). Beatus, qui panem angelorum sic totum manducaverit, ut nihil inde furetur inimicus per ejus imprudentiam, nihil inde rodat per intemperantiam, nihil inde mordeat per impatientiam, nihil inde putrefaciat venenum invidiæ, fermentumque superbiæ nihil corrumpat. Beatæ januæ cœli, quarum apertio tam pretiosam effundit pluviam! Quam gloriosæ nubes illæ, quibus divina mandat indignatio, ne pluant super indignos hunc imbrem

Ipsæ sunt januæ, quæ et nubes, doctores scilicet Ecclesiæ, et sancti quilibet prædicatores, qui januæ dicuntur, ab exemplo vitæ laudabili; nubes, ab humore suspenso verbi. Istæ januæ aperiuntur, quando eis docendi gratia copiosa confertur, sicut de ipso fonte gratiarum Scriptura protestatur, dicens : *Et aperiens os suum, docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu*, etc. (*Matth.* V). Clauduntur autem, quando non reseratis primo portis justitiæ, aut contemptibiliter aliunde profluit, aut omnino non effluit imber doctrinæ; nam cujus vita despicitur, restat, ut prædicatio contemnatur. Sed hæc dicta sunt de prima pluvia cœlestis mannæ, secundum quod significat rorem vivificum divini Verbi humano subministratum obsequio. Nunc de secunda videamus, per quam designatur incarnati Verbi desiderata præsentia de virginali utero hodie adveniens, tanquam roris pluvia de cœlo cadens, sicut scriptum est : *Mane jacuit ros per circuitum castrorum ; cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine album, in similitudine pruinæ minutum, sicut semen coriandri, et quasi pilo tusum* (*Exod.* XVI). Et vide, quam merito appellatum sit manna Verbum incarnatum; quippe positum in signum, cui fere ab omnibus erat contradicendum. Nam conceptus est Jesus Christus de Spiritu sancto. Cum ergo desponsata esset mater Jesus Maria Joseph, et inventa esset ab eodem habens in utero de Spiritu sancto, dixit idem Joseph : *Quid est hoc?* Ego conscius sum virginitatis hujus : unde ergo habet in utero? Natus est idem Jesus de Virgine Maria, et dixit omnis mundus : *Quid est hoc?* Quando ista virgo et mater est, generationem istam quis enarrabit? Unde et Ecclesia canit : *Quando natus es ineffabiliter ex Virgine* (*Offic. Eccl.*). Annuntiatus est natus idem Salvator pastoribus ab angelo, cum tali signo : *Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et omnes qui audierunt mirati sunt de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos* (*Luc.* II); et dixerunt : *Quid est hoc?* quomodo potest iste jacens in præsepio Salvator esse mundi? Indicatus est a

stella Rex esse Judæorum, et inquisitus a magis tanquam Rex eorum, et dixit Herodes : *Quid est hoc?* nonne ego sum rex Judæorum? Circumcisus est octavo die, tanquam e ventre matris aliquid attulisset superfluum, et dixit diabolus : *Quid est hoc?* quid pertinet circumcisionis remedium ad Filium virginis, ne dicam ad Dei Filium? Redemptus est quadragesima die oblatione avium, tanquam ipse in Adam cum cæteris esset venditus sub peccato, et dixit iterum diabolus : *Quid est hoc?* quomodo iste Redemptor est, sicut ait Simeon, qui ut alii infantes oblatione redemptus est?

In hac autem sententia diligenter notanda est multiplex mannæ commendatio, ab opportunitate temporis, a largitate muneris, a suavitate roris, ab utilitate comestionis : *Mane*, inquit, *jacuit ros* (*Exod.* XVI). Mane, id est in initio novæ lucis, post tenebras veteris ignorantiæ et iniquitatis, nondum tamen in plena luce, Judæorum adhuc populo claudicante. Hinc est illud : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus* (*Ose.* VI). In diluculo est quasi quædam commistio tenebrarum et lucis; ideo Salvatoris adventus pulchre diluculo comparatur; quia etsi novam lucem fidelibus attulit, nox tamen ab infidelibus non recessit, juxta illud Isaiæ : *Venit mane et nox* (*Isai.* XXI). Quasi enim mane et nox simul venerunt, quando et gentes accesserunt ad lumen fidei, et Judæi increduli in suis tenebris remanserunt. Nam lux in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt. In hoc ergo mane jacuit, id est pauper et despectus advenit; pauper enim ubique jacet. Vere jacuit, qui ad nascendum virginem paupercnlam in matrem elegit, non reginam, vel principissam; rigorem frigoris, et hiemis horrorem; non vernam temperiem, vel æstatis calorem; medium nocturnæ quietis silentium, non publicum diurnæ actionis tumultum; Bethleem parvulam in millibus Juda, non urbem regiam in tribu Juda. Vere jacuit, pannis involutus, non sericis; in præsepio reclinatus, non in palatio; terra contentus pro culcitra, feno pro pluma, stabulo pro aula, cœlo pro aulea. *Jacuit*, inquit, *ros*, id est contemptibiliter natus Jesus Dei Filius, mitis et suavis, benignus et dulcis, mansuetus et patiens, misericors et clemens. Ros, id est tota sancti Spiritus unctione delibutus, unctus præ participibus oleo lætitiæ.

Unde et se inter christos Christum antonomastice vocari demonstravit, dicens : *Spiritum Domini super me, eo quod unxerit me* (*Isai.* LXI), subaudi, præ cæteris excellenter, *ros*. In rore tria consideranda sunt, frigiditas, claritas, suavitas. Frigiditas in sensu, claritas in aspectu, suavitas in gustu et tactu : ad ardorem exstinguendum, repellendum tenebras, ad dolorem mitigandum, et tollendum fastidium, vel appetitum provocandum. Ros iste de primo habuit pruinæ similitudinem; de secundo albedinem, de tertio similæ cum melle, sive panis oleati saporem. De primo est illud : *Omnem*

A *ardorem refrigerabit ros* (*Eccli.* XVIII). De secundo est illud : *Ros lucis ros tuus* (*Isai.* XXVI). De tertio : *Ero quasi ros, Israel germinabit ut lilium* (*Ose.* XIV). Ros nocte descendit : Christus nocte natus est. Nox humani generis peccata significat, quæ magis merebantur iram Judicis, quam clementiam Salvatoris. Per hoc igitur quod Christus natus est, significatur, quod gratia vocationis divinæ non ex meritis, sed gratis datur, et indignis confertur, juxta illud : *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis* (*Psal.* CII). Item descendit ros quiete et sine strepitu. Similiter omnipotens sermo Dei a regalibus sedibus venit, cum medium silentium tenerent omnia : per quod significatur, quod gratia Dei nullam contradictionem patitur, nullum sustinet impedimentum, nullo repelli repagulo, nullo valet obice retardari. Item ros sparsim descendit. Similiter nativitas Christi quasi per mundum sparsa est, quando Christus in Judæa natus est per carnem; sed non in ea natus per fidem. In oriente vero magis annuntiatus per stellam, quasi ibidem fide natus, et ignotus carne. Unde scriptum est de roris hujus pluvia sparsim decidente : *Plui super unam civitatem, et super aliam non plui : pars una compluta est, et pars super quam non pluit, aruit* (*Amos.* IV). Cui simile est illud : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malac.* I). Et illud : *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX).

C Ita ros minutatim cadit; quia redemptionis nostræ salutare mysterium nec ipsis patriarchis et prophetis totum simul et semel, sed particulatim revelatum est. Unde et Joannes præcursor et Baptista, qui plusquam propheta ab ipsa Veritate appellatus est, postquam digito eum demonstraverat dicens : *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* I), tamen postea de ejusdem redemptionis fine quasi dubitans interrogat et dicit : *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* (*Matth.* XI.) Gratia quoque Redemptoris nunquam se totam simul et semel alicui contulit; sed per augmenta quædam quotidianorum profectuum in electos descendere consuevit, sicut scriptum est : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem* (*Prov.* IV).
D Nemo enim repente fit summus : per numeros veniunt ista gradusque suos, unde et Paulus : *Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit; et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ* (*II Cor.* IX). Pulchre autem ros iste ab Isaia ros lucis appellatur; ros ut refrigeret; lucis, ut illuminet; refrigeret concupiscentiam mali, illuminet ignorantiam boni. Ros lucis irrigans et irradians, impinguans et illustrans. Irrigans siccitatem, irradians cæcitatem; impinguans affectum, illuminans intellectum. Sequitur : *Per circuitum castrorum* (*Exod.* XVI), id est caste et sobrie et pie viventium. Nam castrum dicitur a castrando; quod autem dicitur, *Per circuitum*, illud innuit, quod alibi dicitur : *Suavis Dominus univer-*

sis (*Psal.* CXLIV). Et iterum : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum* (*ibid.*). Et illud : *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui* (*Psal.* CXXIV). *Non est* enim *personarum acceptio apud Deum* (*Rom.* II); sed in omni gente qui timet Deum acceptus est illi. Igitur in *mane* festinatio auxilii, in *jacuit* perutilis, sed contempta facilitas exempli. In rore suavitas remedii, in castrorum circuitu dantis liberalitas, et accepturi dignitas demonstratur.

De primo habes : *Medicina omnium in festinatione nebulæ* (*Eccli.* XLIII). De secundo : *Lampas contempta apud cogitationes divitum* (*Job* XII). De tertio : *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI). De quarto : *Si quis vestrum indiget sapientia postulet a Deo; qui dat omnibus affluenter, et non improperat* (*Jac.* I). Item : *Hoc erit pactum inter me et te, et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum*, etc. (*Gen.* XVII). Ad primum invitamur, cum dicitur : *Ne dicas amico tuo : Vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare* (*Prov.* III). Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Qui non est hodie, cras minus aptus erit. *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). At hodie fecunda virtutum paupertas fugitur, hoc est manna jacens super faciem terræ. Ad tertium cum dicitur : *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est* (*Luc.* VI). Item : *Beati mites ; quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V). Item : *Habete pacem inter vos* (*Marc.* IX). Ab hac unctionis suavitate omnes dicuntur Christiani. Porro ad quartum invitat nos qui dicit : *Qui parce seminat, parce et metet ; qui autem seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX). Item : *Non ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus* (*ibid.*). Fratres, Pater misericordiarum dando nobis Filium unigenitum, in hoc dono quasi valde prodigus exstitit, cum de illo pluviam fecit, effundens illam non in Bethleem, sed in circuitu castrorum, id est Ecclesiæ militantis. Christus enim secundum quod homo, cum in Bethleem natus est, secundum quod Deus ubique nasci incipit, ubi incipit adorari, sicut superius de magis diximus.

Denique per hujus mannæ pluviam fides catholica, quæ est de sacramento altaris, maxime commendatur. Idem enim Agnus, qui immolatur in hoc loco, sacrificatur in toto mundo. Idem panis, qui hic comestus est a populo, ipse qui hodie nihilominus ab eo comeditur, et qui cras similiter comedetur. Ipse enim dixit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI). Quia panis est, comedi potest, atque comedentem reficere; sed quia panis vivus est, nec reficiendo potest deficere; nec comestus consumi. Unde beatus Andreas de hoc Agno dicit, quod postquam a populo comestus est, integer tamen perseverat et vivus. Et beatus Ambrosius in oratione quæ inter cantandum missam a sacerdote sedente dicitur : « Panis pulcher, panis munde, panis vive, panis sancte, panis candidissime, habens omne delectamentum, et omnem suavitatis saporem : qui nos reficis semper, et in te nunquam deficis : comedat te cor meum. (*Orat. Ambros. ante miss.*). » Hæc enim oratio falso intitulatur in quibusdam missalibus sub nomine beati Augustini. Nam in exemplari domini papæ intitulata est sub nomine beati Ambrosii, cujus et florentem stylum optime redolet. De hoc pane in altari oblatio intelligenda est illa oblatio, de qua dicitur in propheta : *A solis ortu usque ad occasum magnum nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* (*Malac.* I).

Quæ oblatio et agnus dicitur, a summa innocentia, ab immolatione Deo acceptissima, ab expiatione peccatorum perfecta; et panis appellatur a refectione peregrini in via, civis in patria. Caro autem non solum a veritate carnis humanæ, sed etiam ab ineffabili humani generis charitate. In hoc igitur pane Verbum, tanquam mica interior, continetur, et latet; caro autem animata, tanquam crusta exterior, circumdat, et continet. Panis vero species vera sine substantia, tanquam flos quidam similæ, sed sparsus apparet, non qui exstinguendus sit, tanquam gustum impediens; sed magis appetendus, tanquam appetitum refovens, et desiderium reaccendens, figuris discedentibus; non a vilitate, sed a nimia claritate secretum. Beatus omnis qui ab isto rore lucis et illuminatur, ut ita credat; et impinguatur, ut quod credit, diligat, revereatur, et timeat; et per dilectionem operando comedat, et comedendo vivat. Nam dæmones credunt, nec diligunt : nemo autem diligit qui non credit. Quisquis autem tantæ unionis Verbi divini ad humanam carnem luce clariorem potentiam non credit, quisquis tantæ charitatis Dei ad hominem benevolentiam non diligit, et cæcus et siccus est; sine luce et sine rore; nec cæcitatis perpetuas exiturus tenebras, nec cæcitatis et famis æternas miserias evasurus.

Quis enim vel tenuiter rationis capax non videat, quod Verbum omnipotens humanæ carni inseparabiliter unitum, sicut in seipso et illocale est, et impassibile : ubique non solum potentialiter, sed etiam substantialiter existens : sic etiam carni suæ, quam induit, hoc conferre potuit, ut illa et sacramentaliter in pluribus locis simul possit existere, et comedentes reficere, tamen comesta non deficiat, sed viva perseveret et incorrupta permaneat? sicut dicitur in canone missæ : *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur.* Ecce carnem Verbi omnipotentia et in cœlum deferri petimus, et tamen nos ea-

dem reficiendos esse nequaquam dubitamus. Non enim, ut quidam male intelligunt, hoc de sola supplicantium devotione intelligendum est; sed etiam de carne illius, qui dicit: *Hoc vos scandalizat*, scilicet quod dixi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* (*Joan.* VI). Subaudi, tum poteritis non scandalizari ex hoc sermone meo, sed potius ædificari, et rogare Patrem meum, ut caro mea per viaticum, et Verbi omnipotentiam et deferatur ab angelo in cœlum, et vobis nihilominus in sacramento convertatur in cibum. Cibum dico non corporis, sed animæ; non mortalis, sed immortalis vitæ. Hæc autem pluvia, fratres mei charissimi, de Unigenito facta, quid aliud nobis innuit, quam ut nemo avarus sit in dando, parcus in seminando; quando potest facere imbrem copiosum etiam de obolo, vel de quadrante uno? « Nulli enim parvus est census, cujus magnus est animus, ait Leo papa: nec de rei familiaris modo pendet mensura pietatis (10). » Non enim respicit Deus quantum, sed ex quanto detur. Ideo vidua pauper duo minuta mittens in gazophylacium (*Marc.* XII), prælata est divitibus, qui ex eo quod abundabat mittebant, mittentes sed plura retinentes; illa vero dum totum misit, nihil sibi retinuit. Væ, qui in via Cain abierunt, id est post avaritiam; recte quidem offerentes, sed non recte dividentes, dum pauca sua et pejora Deo dant; sibi vero meliora et plura, imo se totos mammonæ reservant. Idcirco non respicit Deus ad eos, nec ad eorum munera; sed eosdem cum suis muneribus maledicit, *Maledictus*, inquiens, *qui opus Domini facit fraudulenter* (*Jerem.* XLVIII). Item, *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculinum; et votum faciens, immolat Domino debile* (*Malach.* I). Fratres omnis largitas prævaluit, omnis avaritia siccitatem et famem facit. Dico vobis, quod si non esset avaritia, non esset fames in terra. *Deferte*, inquit, *omnem decimam in horreum meum, et sit cibus in domo meo, et probate me* (*Malach.* III): sed hoc, si non aperuero vobis cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam. Quid hic dicent filii Cain, pseudochristiani nostri, qui decimas quas debent, non solum rogati reddere nolunt, sed etiam excommunicati retinere præsumunt? quando putant miseri, quod Deus acceptet munera eorum gratuita, qui violenter rapiunt illi sua dum non reddunt debita? Prima namque pars justitiæ est reddere quod debes, secunda vero tribuere largiter ex eo quod habes. Quod si rapina quæ fit in res humanas exsecrabilis est, quanto magis illa quæ fit in divinas! Illa simplex rapina est, hæc autem sacrilegium. Beatus ergo qui cum vidua Sareptana de pugillo farinæ facit panes pluere per largam actionem et de lecbyto olei

(10) Leo. serm. in Quadrag.

A unctionem fluere per largam voluntatem (*III Reg.* XVII. Hæc autem dicta sint, pro eo quod manna pluisse dicitur per castrorum circuitum.

Castrorum dico, non scortorum. Casti spiritualiter, sicut castrati naturaliter, frigidi sunt. Ideo ros iste pruinæ assimilatur; quia per factum ejus malus ardor exstinguitur, qui duplex est, carnale desiderium et odium. Primum incendium restringit ros iste, cum dicit: *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis; ego autem dico vobis, omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). Unde Hieron.: *Væ nobis, qui quoties concupiscimus toties fornicamur*. Secundum, cum dicit: *Audistis quia dictum est: Non occides; qui autem occiderit, reus*
B *erit judicio. Ego autem dico vobis: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*ibid.*). Poterat et hic dicere Hieronymus: Væ nobis, qui quoties irascimur, ira, dico, inveterata, toties homicidium perpetramus: *Omnis qui odit fratrem suum homicida est* (*I Joan.* III). Sane omnis ardor mundanus exstingui potest, infernalis non potest. Quisquis ergo per hujusmodi comminationes incarnati Verbi ab amore vel odio carnali non restringitur, jam gehennæ incendiis inflammatur. Sed jam reliqua de hoc rore lucido percurramus. Sequitur: *Minutum quasi semen coriandri, et quasi pilo tunsum apparuit in solitudine* (*Exod.* XVI). Minutum dicitur, quasi diminutum, hoc est de magno minus factum,
C juxta illud: *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII). Et iterum: *Parvulus natus est nobis* (*Isai.* IX). Et iterum: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II). Coriandrum est genus oleris, olus autem cibus infirmi, juxta illud: *Qui infirmus est, olus manducet* (*Rom.* XIV). Idcirco per semen coriandri humanæ carnis infirmitas accipitur, et flos cito marcescens, sicut scriptum est: *Noli æmulari in malignantibus, quoniam ut olera herbarum cito decident* (*Psal.* XXXVI). Igitur in diminutione majestatis exinanitio, in coriandri semine infirmitatis nostræ susceptio, in pili tunsione, crucis passio designatur. Hoc autem tam excellentissimum cun-
D ctis proponitur exemplum, ut qui magnus est dignitate, vel genere, vita, vel scientia; per humanitatem se muniat. Qui fortis viribus, vel potens opibus, per compassionem infirmis condescendat: qui justus vel innocens, persecutionem propter justitiam, licet ab inferioribus, pati non renuat. Talis ros et taliter apparuit in solitudine. Apparuit, qui primo latebat; benignus, qui terrebat: humanus et homo, qui Deus erat. Apparuit, non in civitate, sed in solitudine; non in oppido, sed in deserto. Hoc est in deserto, Judæa videlicet, quæ ore tantum appropinquans ad Dominum et labiis solis eum honorans, ab ipsius cultura longe

debat, corde et opere. Vel in solitudine, hoc est A Ecclesia gentium moribus inculta, ut multi essent filii desertæ, magis quam ejus quæ habebat virum, id est quæ legis portabat jugum. Mulier enim vivente viro alligata est legi (*I Cor.* VII). Apparuit itaque cultor animarum in solitudine, ut doceret pigrum agrum suum colere, et stultum vineam suam desertam non relinquere, sed quæque noxia inde exstirpare, ne terra sæpe supervenientem bibens imbrem et generans spinas et tribulos, maledictioni fiat proxima et ejus consummatio combustio sit.

SERMO IV.

IN EPIPHANIA DOMINI I.

Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei (*Tit.* III). Ut testatur Isidorus, duæ sunt Epi- B phaniæ, id est apparitiones sive manifestationes Domini. Prima facta est pastoribus Judæis per angelum, secunda gentibus magis per stellam. Unde antiquitus dicebantur dies Epiphaniarum omnes dies qui sunt a Natali Domini usque ad octavas Epiphaniæ. Sed jam antiquatum est nomen prioris Epiphaniæ, tum propter honorabile magis vocabulum Nativitatis Dominicæ, tum propter excellentiam apparitionis hodiernæ. Expressius enim significatur et humanæ carnis assumptio per nomen Nativitatis et divinæ majestatis demonstrata hodie personalis unio per nomen apparitionis, sive Epiphaniæ. In die quippe Nativitatis Christi de Maria virgine apparuit assumpta carnis infirmitas, sed non tamen apparuit tam manifeste ut hodie assumentis Verbi C majestas. Nuntiat siquidem Salvatoris nativitatem multo evidentius angelus pastoribus, quam stella magis: ille dulci eloquio, ista in silentio. Verumtamen multo devotius et perfectius crediderunt magi minori nuntio, quam pastores majori. Venerunt quippe pastores de proximo prius ad regem natum, quam magi de longinquo. Sed contra legis præceptum apparuerunt vacui in conspectu Domini sui, nihil omnino ei offerentes; non munus a manu, non munus a lingua, non munus ad obsequia. Quid ergo profuit eis, quod venerunt festinantes et quod prius invenerunt infantem pannis involutum et positum in præsepio; qui recesserunt infecto negotio, Salvatore non adorato? Quam urbanus est D sermo proverbialis quo dicitur: Quid quærit rusticus ad curiam? quid quæsierunt rustici isti ad curiam novi regis? *Transeamus*, inquiunt, *usque Bethlehem* (*Luc.* II), id est cursim et in transitu eamus et redeamus, non ibi moram faciamus; sed curramus videre novum infantem, et recurramus ad nostrum gregem. Transeamus et videamus, id est nihil aliud faciamus, nisi tantummodo videre et statim revertamur. O infelices, hodie totum est transire et videre infantem! sed nonne visuri et Salvatorem? si autem visuri, cur non et adoraturi? cur non munera oblaturi? Sed pauperes inquiunt, sumus. Nihil habemus in marsupio quod offeramus ei. At Salvator argentum non quærit, nec auro indiget, vos, non vestra desiderat. Nemo adeo pauper est et tenuis, ut non possit offerre fidem ex corde, laudem ex ore, obsequium ex prostrato in terram corpore.

Hæc munera mendicat a nostra miseria Salvator dives in misericordia. Si igitur Salvatorem quæsistis, cur inventum non adoratis? si non quæsistis, cur ad hunc puerum, quasi ad eum, qui ab aliis nihil distet, tam alacriter cucurristis? Quid enim magnum est, videre puerum pannis involutum, et positum in præsepio? et insignia hæc vobis data sunt in signum Salvatoris, non in solum fructum rationis. Sic enim vobis dictum est: *Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio* (*ibid.*). Certe vel ex hoc solo cognoscere debueratis, infantem illum aliquid habere supra hominem, quod nuntii nativitatis ejus supra homines erant. Ex iis manifeste colligitur, pastores illos Salvatoris ortum eis ab angelo nuntiatum, aut non credidisse, aut plene non intellexisse. Nam si plene intellexissent, procul dubio adorassent, sicut magi fecerunt; et quidquid illum tanquam verum Salvatorem in Evangelio suscepisse legitur, quod evangelista breviter intimavit, cum dixit: *Et videntes cognoverunt de Verbo, quod dictum erat ad illos de puero hoc* (*ibid.*). Cognoverunt, inquit, de Verbo: non ait Verbum, sed de Verbo, id est partem Verbi, non Verbum totum; hanc scilicet partem: *Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio*: non autem illam partem verbi, quam angelus præmiserat, dicens: *Natus est vobis hodie Salvator; qui est Christus Dominus* (*Isai.* IX). Aut certe, si illum Creatorem esse crediderunt, non crediderunt illum esse auctorem salutis æternæ, sed tantummodo temporalis et terrenæ. Sicut Pharisæi responderunt ad Dominum interrogantem illos, et dicentem: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis?* (*Matth.* XXII.) Ex quibus colligitur, quod Judæi moderni. Messiam illum, quem adhuc exspectant, non credunt futurum Deum, sed hominem purum, et ideo sic nec Salvatorem: aut si Salvatorem, corporum tantum, non animarum; et ad tempus, non in æternum. Quia tamen de iisdem potest excusari rationabiliter, hieme namque ista apparitio Salvatoris facta est ad pastores et frigidissima illorum devotio, qui apparente solummodo pastoribus, dictum est, quod reversi sunt: *Glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos* (*Luc.* II). Potest excusari hæc illorum tepiditas, quod non procedentes adoraverunt eum, ad quem videndum cucurrerant, ex ætatis simplicitate et vitæ rusticitate; quia adhuc pueri erant et ruro semper nutriti fuerant et ideo necdum verbum adorandi, vel reverentiam deferendi habebant.

Mystice tamen credendum est, ad significandam de Christo cognitionem extrinsecam, quæ nihil

supra hominem in eo potuit æstimare, nec etiam A adoraverunt, significabat futuram incredulitatem et duritiam Judæorum, quæ non dico infantem pannis involutum et positum in præsepio, sed juvenem dæmoniis imperantem et mortuos suscitantem de sepulcro visuri erant, nec tamen credituri. Adhuc enim Judæi inveniunt puerum Jesum pannis involutum, et positum in præsepio, id est legunt eum in Testamento Veteri verbis simplicibus et rusticanis prophetatum et pannosis figurarum mysteriis involutum : sub quibus nihil aliud credunt latere, quam infirmæ carnis infantiam, ignorantes incarnati Verbi virtutem et sapientiam, sub ejusmodi mysteriorum panniculis obvolvi. Idcirco illum primi inveniunt in præsepio, tanquam jumenta irrationalia fenum vel hordeum; nos autem cum centurione et latrone illum cognoscimus in cruce, tanquam mundi pretium; cum duobus discipulis in mensa tanquam panem vivum et cibum rationalium ; cum apostolis in urbe bajula tanquam Deum verum. Melius ergo eruditi sunt magi per stellam tacentem, quam pastores per angelum loquentem. Sicut scriptum est : *Magi viderunt stellam et dixerunt ad invicem : Hoc signum magni regis est* (*Matth.* II) : quod utique sola unctione magistra, non arte astrologica cognoverunt, quod breviter sic probamus. Omnes stellæ, quarum cursus sub regula redactus est, simul ab initio quarta die factæ sunt : hæc autem stella tunc noviter creata est. Non ergo ejus significatio sub regulis aliarum colligi potuit. Item si per artem astrologicam potuit agnosci nova et inusitata Salvatoris nativitas, ergo ad hanc demonstrandam non oportebat novam stellam creari. Sed propter hoc nova stella creata est; ergo aut ejus creatio superflua fuit; aut omnino imposibile erat nativitatem ejus per jam factos canones comprehendi. Sicut ergo illa solis eclipsis anomala, quæ facta est in passione Domini, rationem turbavit omnium canonum, nec inveniri potuit in omnibus regulis Ptolomæi vel Alcandri, vel cæterorum astrologorum, quomodo hoc posset contingere, quod tamen contingebat : sic nec illud inveniri, quomodo nova stella Deum natum ex Virgine demonstraret, quem tamen demonstrabat. Et sicut Apollophanes Dionysii Areopagitæ condiscipulus et conscholaris apud Ægyptum, cum inter se confabularentur et secum quærerent de eclipsi quæ acciderat, non astrologice, sed quasi prophetice protulit, illud verbum : « Aut Deus naturæ patitur, aut elementa mentiuntur; » sic magi non quasi mathematici, sed quasi prophetæ, id est non humana ratione, sed divina inspiratione dixerunt : « Hoc signum magni Regis est. » Verumtamen et conjecturis artis astrologiæ hoc scire potuerunt, id est vehementer opinari; quia sicut stella illa nova creata erat, sic et puer cujus erat, novo modo natus erat. Et sicut illa stella omnibus aliis naturaliter erat excellentior, sic ille puer omnes alios mortales excellebat.

Erant autem in illa stella quinque notabilia, tempus, locus, motus, claritas, et magnitudo. Tempus, quia de die lucebat, non de nocte; prout utile erat itinerantibus. Locus, quia non in firmamento fixa erat cum cæteris stellis, nec prope firmamentum errabat cum planetis, sed in sublunari regione prope terram iter sibi injunctum peragebat. Motus, quia non movebatur cum firmamento ab oriente in occidentem, nec cum planetis motu contrario ab occidente in orientem ; sed motu singulari et proprio ab oriente in meridiem, secundum situm Persidis ad Hierosolymam. Claritas, quia non impediebatur lux ejus diurna a lumine solis, sed sola cum sole lucebat. Magnitudo, quia altior erat , et B altior apparebat omnibus aliis, præter solem et lunam. Igitur in claritate ejus significabatur, quod ille puer clarior, id est famosior futurus erat omnibus mortalibus. In tempore, quod aliunde, id est ex aliis causis et meritis famam sibi facturus erat, quam cæteri mortales. In magnitudine, quod altior non corpore sed virtute; non statura, sed potentia, futurus erat cunctis hominibus. In loco, quod humillimus hominum futurus erat. In motu, quod contrario modo cunctis peccatoribus victurus erat, et contrariam vitam docturus. Quod autem ille puer et de Virgine natus esset, et sine virili semine, quod Filius Dei et filius hominis esset, quod impassibilis, secundum Verbi naturam assumentem, et passibilis et mortalis esset, secundum naturam C hominis assumptam, nisi docente, ut dixi, Spiritu sancto, omnino per illam stellam sciri non potuit, si stella illa locuta non est, sicut affirmare videtur sanctus Gregorius. Si autem locuta est, et formam pueri habuit, crucem in capite gestantis, ut videtur velle Chrysostomus, qui et ipse tamen non affirmat fuisse, manifestum est hoc singulare miraculum, non ad artem astrologicam, sed ad virtutem referendum divinam.

Sic ergo divinitus instructi magi veniunt ad inquirendum puerum, jam pro illo parati mori, quem necdum poterant intueri. Quid enim clamant per vicos Jerusalem? *Ubi est*, inquiunt, *qui natus est Rex Judæorum ?* (*Matth.* II.) Pastores edocti ab angelo cum vidissent puerum, nihil dixerunt, nec eum D adoraverunt; sed tantum in silentio aspexerunt : significantes Judæos in confessione laudis Christi mutos elingues futuros. Isti autem adhuc Dominum inquirentes, jam fide invenerant, quem tam plena fide quærebant, et confessione publica honorabant; maxime in loco et tempore tam periculoso. Certe non latebat eos vel Herodis regis parricidæ crudelitas, vel Romanæ legis severitas; quæ capitali damnat sententia reum quemlibet majestatis. Et quis tam reus majestatis læsæ, quam qui in præsentia regis regem alium confitetur ? O quam bene conservabant hi beati magi illud saluberrimum prophetæ consilium : *Si quæritis, quærite; convertemini et venite* (*Isai.* XXI). Quærebant plane Salvatorem et quærentes quærebant, qui inter tot pericula

constituti, a quærendi studio non cessabant. Idcirco post stellæ documentum, etiam Scripturarum sanctarum testimonio doceri meruerunt. Veniunt ergo, stella præeunte, usque ad locum ubi erat puer, et intrant domum. Non dicitur, quod pulsaverint ad ostium, quod ostiarium vocaverint, sed quod statim intraverint; unde conjicitur, aut nullum ibi fuisse ostium, tanquam in communi diversorio quod prius occupanti cedebat; aut certe si ibi erat ostium, semper de die, procurante Maria, apertum erat, ut quicunque vellent ad videndum Salvatorem intrarent. Aut forte tunc divinitus ita procurandum est, ut apertum esset, ne tam devoti nuntii clausum ostium offenderent; ad quod jam dominus domus intraverat. Et est valde credibile, quod etiam puer ipse vagitu suo eos adhuc foris stantes ad se invitaverit; ut eorum desiderium velocius impleret. Intrantes ergo invenerunt puerum, et matrem ejus Mariam. De pastoribus scriptum est, quod invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio: in quibus verbis occulte innuitur, quod pastores illi vitio curiositatis humanæ prius circumspexerunt videre quis esset in domo cum puero, quam quis esset puer ipse, propter quem solum venerant. Sed quid necesse fuit, ut Joseph invenirent? Utique, ne illi tanquam Judæi et rustici, id est increduli et garruli, suspicarentur puerum de adulterio natum, et pudorem matris ejus blasphemando læderent, si sine marito solam cum puero reperissent; quippe quibus persuasum non fuerat, illum puerum Deum esse. A magis autem, quos plena fides adduxerat, sola Virgo cum puero invenienda erat: quippe qui de divinitate pueri nihil dubitabant.

Et vide, quam plena fides illos adduxit. Statim namque sequitur: *Et procidentes adoraverunt eum* (*Matth.* II). Vere non tanquam rustici venerunt isti ad curiam Regis magni: sed tanquam nobiles viri, urbaneque liberaliter instructi, qui omne genus muneris afferebant; munus ab obsequio, in adoratione prostrati corporis; munus a lingua, in oratione devoti cordis; munus a manu in oblatione auri, myrrhæ, et thuris. Quibus mysticis muneribus adorantes honorant, et honorantes adorant in carne deitatem, in infirmitate virtutem, in pannis majestatem, in simplicitate sapientiam, in humilitate potentiam, in infante Dei Verbum, in homine Deum verum. *Et apertis*, inquit, *thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham* (*Matth.* II): confitentes in auro summum imperatorem, cui ab omni mortali tributum solvendum sit; in thure verum Deum, cui ab omni homine supplicandum sit; in myrrha verum Redemptorem, pro cujus amore usque ad mortem ab omni carne decertandum sit; quippe qui pro amicis suis mortem prior gustaverit. In auro significabatur, cum verum et justum mundi judicem futurum; in thure peccata pœnitentibus dimissurum; in myrrha mortem pro peccatoribus esse passurum, et peccatorum pœnitentia simul et morte martyrum glorificandum. Ex his manifeste colligitur, quod benignitas et humanitas Salvatoris nostri excellentius apparuit magis, quam pastoribus: illos docens unctione intrinseca, istos tantum sermone angelico, et infantis extrinseca visione.

Sed jam verborum apostoli, quæ proposuimus, lacteam dulcedinem labellis concurrentibus in facie sugamus: solidiorem in eis cibum exercitatioribus et perfectioribus relinquentes. *Apparuit*, inquit, *benignitas et humanitas Salvatoris.* Apparere est subito et inopinate videri: et proprie convenit formis invisibilibus in forma visibili se demonstrantibus. Unde Ambrosius: « Angeli idcirco apparere dicuntur, quia repente videntur, et prævideri non possunt. » Idcirco Salvatoris nativitas, et ejus hodierna manifestatio apparitio nuncupatur, quia in voluntate apparentis, non in cernentium potestate fuit, ubi, quando, vel quomodo, vel quibus appareret. Verbum ergo apparendi aperte significat, Christum ante fuisse, quam visibilis appareret. Neque enim angeli tunc esse incipiunt, cum incipiunt apparere: (11) et hoc significatur vulgari consuetudine, qua vulgus, ac etiam divites singulis annis in vigilia Natalis Domini magnum quemdam stipitem ab humo radicitus evulsum in foco ponunt ad consumendum; cujus reliquias toto anno conservant, quas in æstate ad terrorem tonitrui reaccendunt. Hunc truncum transfocalem appellant: quia ex utraque parte foculare transcendit: et significat illum, qui de se dicit: *Ego sum lux mundi; ego α et ω* (*Joan.* VIII; *Apoc.* I). Focale id est foci locus mundum designat, qui totus in maligno positus est: quia quidquid in eo est, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ (*I Joan.* II): quod totum nil est aliud, quam ille ignis triplex, quem Satanas tanquam fulgur cadens de cœlo misit in terram.

Et hoc forte significat triplex radius fulguris; quod fetet, urit, et findit. Similiter luxuria fetet, urit avaritia, superbia findit, id est scindit unitatem, et dirumpit vinculum charitatis. Reliquiæ hujus trunci accensæ contra fulgur valent; quia devota sanctorum fides, invicta spes credentium, et perfecta Christi charitas mundi triumphat principem, juxta illud Apostoli: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere* (*Ephes.* VI). Hoc contra Paulianos, et Photinianos, sive Ebionitas, qui pauperiores sensu quam nomine, dicunt Christum a nativitate carnis habuisse initium. Quod si est, ergo non ab Apostolo apparuisse, nec a propheta veraciter et proprie dictus est appariturus fuisse, qui ait: *Apparebit in finem, et non mentietur* (*Habac.* II). *Apparuit*, inquit, *benignitas.* Apparuit, ut videretur oculis; non tamen sonuit, ut audiretur auribus; ut amplius placeret, et vehementius afficeret visa, quam audita benignitas, quia

(11) Videntur quædam deesse.

Segnius irritant animum demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.
(HORAT., *De arte poet.* 180.)

Apparuit, inquam, ut videretur faciens; non sonuit tantum, ut audiretur jubens: ne jam posset illud ei objici verbum mordacissimum, sed tamen verissimum: « Delicata doctrina est pugnanti ictus dictare de muro: et cum ipse unguentis delibutus sis, cruentum militem accusare formidinis. » Sane antequam Dei Filius in carne appareret; dum adhuc sola mundo præcepta, non exempla tribueret, quasi delicatus magister erat, quasi felicitatis otio contentus. Postquam vero factus homo manum suam misit ad fortia, inter esurientes esuriens, et sitientes sitiens, et laborantes collaborans; tunc plane cœpit esse illis jussio tam persuasibilis, quam commendabilis conversatio; implens illud Davidicum: *Exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti: et Synagoga populorum circumdabit te* (*Psal.* VII). Quod est dicere: O Domine, imple tu prior humilitatis et patientiæ præceptum, quod mandasti: statim multos invenies, qui te sequantur. Sane hujus versiculi sententia nusquam melius exponitur, quam per illos versus poetæ dicentes:

In commune jubes si quid, censesque tenendum,
Primus jussa subi, tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi; componitur orbis
Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.
(CLAUD., IV *cons. Honor.* 295.)

Apparuit benignitas. Hoc est, quod ait Lucanus de Catone,

.... *Monstrat tolerare labores,*
Non jubet.

Sane antequam Dei Filius nasceretur de Virgine, nil aliud faciebat quam jubere. Natus autem infans, et jacens, et vagiens mutus in præsepio, nil aliud fecit, quam monstrare. *Apparuit benignitas.* Apparere solent angeli hominibus, tam boni quam mali: illi ut doceant, isti ut fallant; illi ut prosint, isti ut noceant. Illorum apparitio consolationi est, istorum formidini.

Formator omnium, et reformator hominum; ut se non solum benignum, sed et ipsam benignitatem esse ostenderet, in forma omnium formatum benignissima apparuit; id est in forma pueri recens nati, ad nocendum invalidi, ad feriendum ignari. Et notandum, quod in tali forma nunquam ante vel postea angelus apparuisse legitur, nec bonus nec malus. Nec immerito. Nam in utroque talis apparitio otiosa esset; quia taliter apparens, nec bonus confortaret, nec malus deciperet: nec ille malitiæ votum perficeret, nec iste charitatis officium expleret. Angelus autem magni consilii, qui est Dei virtus, et Dei sapientia, etiam in tali forma virtutem confortandi potuit non perdere, et docendi scientiam retinere. Neque enim Verbum Dei propter carnis infantiam Verbum esse desiit, nec minus virtus fuit. Ideo apparuit olim benignitas seductoris diaboli in forma colubri stantis, ut everteret; loquentis, ut hominem supplantaret. Nam serpens ante maledictionem erectus incedebat: quod adhuc advertitur in parea, de qua poeta:

Et contentus iter cauda sulcare parens.
(LUC., *Phars.* IX, 721.)

Nunc autem *apparuit benignitas* in forma pueri jacentis, ut erigat, tacentis, ut doceat; patientis, ut vincat: jam clamans in silentio, quod postea clamabit et verbo: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Et in Isaia: *Nam cultus justitiæ silentium* (*Isai.* III). Et item: *In silentio et ipse fortitudo vestra* (*Isai.* XXX). Eva quippe mater omnium viventium quandiu silentium tenuit, tandiu innocentiam conservavit. Quod adhuc tota ejus posteritas ætatis beneficio naturaliter cogitur observare. Omnis enim infantia tandiu est innocens, quandiu fandi impotens. Postquam vero fari incipit, mox ejus innocentia obmutescit. Siquidem lingua membrum modicum in humano corpore constituta, sicut prima silentium solvit in facie, sic et prima meritum tollit innocentiæ, ut omnes experimento discimus. Divina pietas valde misericorditer egit cum homine, quando ejus reatum punivit per silentium, et temeritatis audaciam per imbecillitatis impotentiam, quasi medicinali antidoto curavit: cujus misericordiæ plenitudinem posteriore gratia cumulat, addens et ipse bibere antidotum: qui venenum non biberat; ut eidem antidoto plus auctoritatis et efficaciæ conferret in cæteros. Unde dicit: *Tollite jugum meum super vos: et invenietis requiem animabus vestris*; et addit: *Jugum meum suave est* (*Matth.* XI), etc. Quasi diceret: Nolite timere exemplo mei mites esse, vel humiles, quia antiquam amaritudinem hujus antidoti bibendo dulcem feci.

Et revera quis jam audiens Deum infantem fieri, non magis exhorrescat extolli fastu hominis, quam humiliari exemplo Dei? O intoleranda superbia, et contumacia non ferenda! ibi regnare velle discipulum, ubi magister servit; ibi servum quiescere, ubi laborat dominus; ibi honorari reum, ubi judex injuriatur. Sic ergo *apparuit benignitas.* Olim apparuit Judæis severitas et divinitas judicis, quando audiebantur voces et tonitrua, et sonitus buccinæ, et videbant lampades et fulgura, montemque fumantem, ut spiritum servitutis acciperent in timore. Sed nobis *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris*, quando quicunque voluit, videre potuit Verbum infans, et Deum parvulum, ut spiritum adoptionis acciperemus in amore. Oh quam suavior fructus istius apparitionis, quam illius! Terrebat Deus, et minabatur, dicens: *Ego Dominus, leges meas custodite. Ego Dominus* (*Lev.* XIX). Et tamen inter ipsos terrores, et vindictas crebras et horribiles, leges ejus contemnebantur. At nunc silet, non terret; parcit, non punit, obsecrat, non increpat; patitur, non ulciscitur; et pro ejus

amore ad martyrium curritur. Audiant hæc, quicunque in prælatione sunt constituti, qui cum austeritate et potentia imperant in populo, cum fastu dominantur in clero; fastuosi in imperio, vultuosi in silentio, in negotio otiosi. Audiant, et cognoscant, quia quidquid superbe imperatur, perfacile contemnitur, difficillime custoditur. Si præcepta ipsius Dei servari non potuerint, quandiu cum terrore data sunt, quantominus hominum! Hujus rei pulcherrimum nobis præbet exemplum moralis illa fabula de Borea et Sole, qui pignore inter se posito contendere cœperunt, uter eorum auferret pallium viatoris. In illo certamine violentia Borealis flatus solari cessit benevolentiæ, significans, imperium mansuetudinis multo esse potentius imperio terroris. Noverat hoc imperator ille mansuetissimus Julius Cæsar, de quo legitur, quod nunquam milites suos nisi commilitones appellaverit: nec unquam illis dixerit: Ite illuc, sed semper, huc venite, monstrans tolerare labores, non jubens. Sciebat enim nil esse potentius ad persuadendum auditoribus obedientiam, quam humilitatem illius imperii, quæ magnitudine suffulcitur exempli. Unde Bernardus noster (12): « Vivus sermo et efficax est exemplum boni operis, facile suadens quod dicitur, dum monstrat factibile quod docetur. » Igitur quandiu sine humilitatis exemplo imperavit Dominus mortalibus, quasi flavit, ut Boreas: postquam vero primus humilitatis et patientiæ exemplum præbuit viatori, pallium, ut Laxias, tulit; et hoc est apparuisse benignitatem et humanitatem Dei. O benignitas! apparitio tam potens, quam mirabilis! in qua jacet potentia, tacet sapientia, silet justitia, eget abundantia, dolet felicitas, infirmitas viget, infantia persuadet, injustitia quasi obtinet, dum reus non patitur, sed reatus dimittitur; paupertas regnat, calamitas exultat. *Apparuit benignitas.* O benignitas potens! Quid enim hac infirmitate potentius, quid sapientius hoc infante: qui vagiens in cunis, vigens in cœlis, tacens in carne, loquens in sidere, mutus ad aures, clamosus ad mentes, sapientiam Chaldæorum infatuat, superbiam regum humiliat, gentes humiles de longinquo attrahit, Judæos indignantes de proximo repellit, Herodis et Satanæ eludit dolum, elidit impetum, perstringit oculum, constringit animum, irritat arma, irridet odia, evadit iram, invadit patriam, convertit populum, regnum subvertit? Poterat in alia forma Salvator apparere, si vellet; sed in benigniore non poterat. Poterat ex quacunque materia novum subito creare hominem perfectæ magnitudinis, vocis et virtutis; in qua etiam sine cibo vitam transigeret. Sed ad hoc ut posteritatem Adæ redimeret, oportebat, ut de ejus posteritate veniret. Denique si talis homo fieret, magis confirmaret errorem, quam fidem instrueret. Nam quis illum crederet veram habere carnem, in quo nullam videret carnis infirmitatem: cum etiam A Joannes Baptista, pro incredibili abstinentia, dæmonium habuisse creditus sit? « Sic ergo, ut ait Augustinus, dum omnia miraculose faceret, auferret quod misericorditer fecit. » Nullam ergo convenientiorem formam assumere potuit, quam humanæ infantiæ, in qua Deitatis absconderet potentiam, et solita sublimare insolitis, et insolita solitis temperare. Secunda vero causa est hujus apparitionis illa, de qua jam diximus, videlicet divinæ benignitatis aperta demonstratio: quatenus nemo, quantumlibet reus, ad infantem mansuetissimum timeret accedere; nemo, quantumlibet ære alieno oppressus, vereretur expetere omnia possidentem, et nihil denegantem.

B Idcirco in infante apparere voluit benignitas Salvatoris, imo et infans esse. Siquidem benignitas est dandi liberalitas, et facilitas condonandi. Hæc virtus in infante tam naturalis est, ut nec poscentem possit confundere, nec nocenti velle nocere. Ideo jam adultus Salvator infans salvandis adultis sic prædicabat, dicens: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII). Quod quasi exponebat, cum dicebat: *Dimittite, et dimittemini; date, et dabitur vobis* (*Luc.* VI). Dimittere est vindictam non desiderare; dare est, omni petenti se tribuere. Hæc duo naturaliter sunt propria infantium, voluntarie sanctorum. Ideo solis parvulorum similibus promittitur cœlum. Tertia ratio hujus appa- C ritionis fuit, ut, sicut jam diximus, doceret Deus hominem, assumendo infantem, per silentium et inanfantiam, de hoste quolibet triumphare. Nam, ut ait orator egregius, duæ sunt partes injustitiæ, quibus nocent nobis quicunque nocent, fraus et truculentia. Sed fraus, inquit, nobis odio digna majore. De prima dicitur diabolus draco, de secundo leo. Sub fraude continentur omnes illecebrosi blanditiarum doli: sub truculentia omnes molesti adversitatum stimuli. Hæc est illa duplex acies, quam producit adversum nos mundus, blandiendo, ut decipiat; terrendo, ut frangat. Fraus autem silentium non decipit, truculentia patientiam non vincit. Silentium ego intelligo non tantum linguarum, sed etiam affectuum. Nam, ut D ait philosophus: « Quid prodest totius regionis silentium, si affectus strepunt? » Silent autem affectus, cum nil extra necessitatem appetunt, nil extra rationem. In hoc silentio est pax hominibus bonæ voluntatis. In tali silentio conservatur innocentia, cum refrenatur lingua a maliloquio, cor a pravo desiderio. In patientia vero consummatur justitia, quando per illam, et pax cordis acquiritur, et anima possidetur. Et fortasse hæc sunt illa duo secreta; de quibus est in propheta: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isai.* XXIV). Unde quidam sanctus cum laboraret in extremis, et ab abbate suo interrogaretur: Quid tu vides, fili? Respondit: Nihil melius quam tacere, Pater.

(12) S. Bern., serm. 2 in Pascha.

Potest quarta causa reddi divinæ apparitionis in forma infantuli; quia justissimum prorsus erat, ut ætas illa, quæ per Dei justitiam prius portaverat peccatum alienum, per ejus misericordiam prius reportaret redemptionis gaudium, et eodem ordine restauraret secundus Adam salutem alienam, quo primus violarat. Porro quinta causa est illa, quam superius in primo loco posuimus, videlicet privilegium Novi Testamenti, cui Dominus ampliorem gratiam conferre volens quam Veteri, apparere voluit in forma parvuli, non ignis, aut tonitrui, aut nebulæ, vel fumi. Hæc ergo dicta sint pro his duobus verbis. *Apparuit benignitas*: et quoniam in longum jam sermonem duximus, reliqua in tempus aliud relinquamus

SERMO V.

IN EPIPHANIA DOMINI II.

Hodie cœlesti Sponso juncta est Ecclesia (13). Inter solemnes ferias Romanorum legibus institutas, solemnius cæteris agi solebat natalis imperatoris, et natalis imperii ejus, et natalis urbis ejus. Porro divina quadam providentia sub Augusto Cæsare tres istæ solemnitates in hunc diem, quasi in unum solemnitatis alveum confluxere, non secundum prima solemnitatum initia, sed secundum augmenta. Nam Cæsar Augustus hodie primum imperator appellatus est; et ita ipse quodammodo hodie natus est imperator. Nam cum reverteretur ab urbe Apollonia post cædem interfectorum avunculi sui Julii, eo intrante Romam, circulus aureus ad splendorem cœlestis arcus orbem solis ambivit. De quo consulti augures et aruspices, responderunt, hodie nasci quoddam imperium, quod finem non esset habiturum; et imperatorem hujus imperii cœlo et sideribus divinari. Quod responsum senatus populusque Romanus super Augustum interpretatus, ipsum imperatorem appellavit. Postea cum Antonium, Orienti cum Cleopatra dominantem, qui propter eamdem Cleopatram sororem Augusti repudiaverat, navali et terrestri prælio vicisset, eosque ad mortem voluntariam coegisset: tantum terrorem universo intulit Orienti, ut nulla gens contra eum auderet arma movere. Hodie ergo, id est sexta die Januarii, ab Actiaca rediens victoria, victor in curru triumphali Romam intravit: viginti autem et quinque reges more captivorum manibus post terga revinctis currum ejus præibant; quindecim vero de amicis ejus regibus post et circa eum equitabant. Porro inter captivos pertrahebantur liberi Antonii et Cleopatræ, Sol et Luna: ipse autem in cathedra aurea sedebat, quod ante eum facere nemo triumphantium præsumpserat; sed in ipso curru triumphali ad repagulum ejus aureum omnes stabant. Claudi item jussit templum Jani, in quo reposita erant arma reipublicæ: significans, quod profundam pacem, et otium ab omnibus bellis populo Romano parasset: et constituit hunc diem

A celebrari in universo orbe Romano religione perpetua: quod festum usque ad Constantinum duravit. Hodie ergo natum est imperium Romanorum, non secundum initium, sed secundum augmentum: ex quo augmento ipse Augustus appellatus est. Quod cognomen primus imperatorum Romanorum habuit. Et hujus solemnitatis gaudio exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis (*Luc.* II). Ex qua descriptione factum est, tantam esse Urbem, quantum et orbem. Nam quicunque censum Romanis solvebat, civis Romanus erat. Unde orbis universus in legibus appellatur orbis Romanus. Unde Virgilius in epitaphio Julii Cæsaris.

Cæsar tantus eras quantus et orbis,
At nunc exigua clauderis urna.
B *Post hunc quisque sciat se ruiturum,*
Et jam nulla mori gloria tollat (14).

Sic igitur hodie nata est civitas Romana, non quantum ad ædificationem murorum; sed quantum ad universalem descriptionem civium per orbem universum: et ita factum est, ut istæ tres maximæ festivitates in unam et eamdem diem convenirent, non secundum earum, ut diximus, initia; sed secundum augmenta. Apud nos quoque solemnitates istæ hodie quodammodo in eamdem diem concurrunt. Natalis quippe imperatoris est natalis Christi; natalis imperii ejus est natalis fidei; natalis Urbis est natalis Ecclesiæ. Est autem triplex nativitas: prima æternalis est, secundum quam Deus de Deo natus est; secunda temporalis, secundum C quam in fine temporis de Virgine natus est; tertia mysterialis, secundum quam in mysterio caput et corpus unus est Christus. In prima nascitur Lumen de lumine: et qualis Pater, talis Filius. In secunda homo de homine, et caro de carne; et qualis mater, talis filius. In terra nascitur homo, cum sit senex; et quod nascitur, de Spiritu sancto est. Tres sunt differentiæ naturaliter ad vitam temporalem nascentium. Aut enim præeuntibus pedibus, junctis ad latera brachiis similiter dispositis nascuntur: aut præeunte capite, brachiis similiter dispositis, aut certe brachiis super ipsum præcedens caput cancellatis. Sanctus autem Jacob, ut ejus singulari nativitate supra naturam auctor naturæ aliquid significaret, natus est extenso ante D caput brachio, prioris fratris plantam manu complectens. Hinc Jacob significat Christum, secundum quod caput et corpus unus Christus est, non secundum singularem Christi personam. Brachium ante caput elatum priorem significat electorum populum ante temporalem Salvatoris nativitatem ipsa gratia præventum, quinque mundi ætatibus, tanquam quinque manus digitis Christum complectentem; vel tanquam quinque libris Moysi eumdem populum constringentem: reliquum autem corpus plenitudini gentium cum paucis ex Israele credentibus per utrumque latus compaginatur.

(13) Ex Antiphona Ecclesiæ.

(14) Hos versus apud Virgilium frustra quæras, sunt enim Marbodi Redonensis episcopi († 1123). EDIT. PATR.

Caput vero medium nascitur, cui tamen jam nato brachium, quod ante egressum fuerat, suo cum reliquis membris subordinatur loco, ut ipse agnoscatur totius Ecclesiæ caput : cui data est omnis potestas in cœlo, et in terra. Hæc mysterialis Christi nativitas ab initio mundi usque ad finem celebratur : et sicut teste Paulo qui ea quæ de passionibus Christi deerant supplebat in corpore suo, Christus nondum totus natus est. Toties enim nascitur Christus, quoties fit aliquis Christianus. Fiunt enim, ut ait Hieronymus, non nascuntur Christiani. Hodie autem primum nata est fides Christi in gentibus, quarum primitiæ fuerunt Magi. Hodie etiam primum in Judæis, quorum primitiæ fuerunt apostoli, qui ad miraculum vini de aqua facti ad nuptias, hodie primum, ut testatur Evangelista (*Joan.* II), crediderunt in Christum : quia hodie fides Christiana nata est in corde hominis, per quam Christus regnat in nobis. Hodie non incongrue dicitur esse natalis imperii Christi. Hodie namque primo Regem eum confessi sunt magi, dicentes : *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* (*Matth.* II.) Porro civitas hujus magni Regis ipsa est Ecclesia ex Judæis et gentibus congregata, et in ipso angulari lapide conjuncta. Hodie vero civitas hæc ædificata est per fidem credentium in utroque pariete : et idcirco non incongrue dicitur esse hodie natalis Urbis orbis totius dominæ : non illius urbis, de qua dictum est : « Fraterno primi maduerunt sanguine muri, » quamvis et hoc non inconvenienter Ecclesiæ possit aptari, in qua Cain Abel fratrem suum interfecit, et Judæi Christum. Sane natalem hujus imperii significavit ille circulus aurei coloris, qui sub Augusto Romam intrante orbem solis ambierat. Fides enim Christi mundo coæva est, a principio mundi incipiens, et usque ad finem mundi duratura. Liberi autem Antonii et Cleopatræ, qui propter plenitudinem utriusque sexus Sol et Luna appellati sunt, rectius significant Christum quam Augustum cœlo et sideribus dominantem. Orbis autem descriptio sub Cyrino præside facta, verius designat Ecclesiam quam Romam, sine fine regnaturam. Deinde Cyrinus, qui hæres interpretatur, aperte Christum demonstrat, cui a Patre dicitur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). Viginti quinque reges, qui ante currum Augusti captivi ducti sunt vinctis post tergum manibus, significant regnum peccati, mundi, et sensuum carnis Christo subjugandum, et ab eo captivandum per resurrectionis victoriam, et ascensionis triumphum, sicut scriptum est : *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV). Numerus iste, id est viginti quinque, qui ex quinario quadrato surgit in superficiem, significat mundanorum circuitum, qui in seipsum revertitur, sicut scriptum est : *Quid est, quod fuit? Ipsum, quod futurum est* (*Eccle.* I). Significat et impiorum circuitum, de quo

A est illud : *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* XI). Et illud : *Deus meus pone illos ut rotam* (*Psal.* LXXXII). Idcirco et numerus iste circularis appellatur, quia semper in quinarium revertitur, sive quadretur, sive cubicetur. Et fortassis hi sunt illi viginti quinque viri, de quibus scriptum est in Ezechiele, qui habebant dorsum ad templum, et adorabant ad ortum solis (*Ezech.* VIII) : quod quasi exponit Apostolus, cum dicit : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur ut non quæcunque vultis, illa faciatis* (*Galat.* V). Si autem viginti duo reges fuerunt, significant regnum vel potius tyrannidem superbiæ transgredientis naturalem legem, et scriptam, et ideo per reges bis undecim designatæ, destruendam per crucem Christi, sicut dicit Apostolus : *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci* (*Coloss.* II). Porro quindecim de amicis Augusti regibus illi triumphanti collateraliter obequitantes, significant utriusque Testamenti, id est totius legis adimpletores per solius charitatis præceptum. Omnis enim lex in hoc verbi instauratur : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum* (*Rom.* XIII). Hæc autem charitas in membris quindecim ab Apostolo comprehensa, aperte demonstrat se Judaicæ legis heptadem, et ogdoadem evangelicæ continere; de quibus est illud : *Da partes septem nec non et octo.* (*Eccle.* XI). Ait philosophus Multos reges, si ratio te rexerit, et pueri

B

C ludentes, rex eris, aiunt, si recte facias. Quid autem rectius, aut rationi convenientius, quam, ut quod tibi malum fieri non vis, alii ne feceris : et quod tibi bonum vis fieri, alii facere ne cuncteris? In quibus duobus tota naturalis lex continetur. Lex autem scripta nihil est aliud, quam legis naturalis oblitteratæ in peccatoribus plena cum expositione recordatio. Igitur cum regem esse, sit vivere recte, et secundum fidei rationem se ipsum regere, merito per reges designantur, qui divinis imperiis obsequuntur. Hi sunt illi amici magni Augusti, de quibus scriptum est : *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum* (*Psal.* CXXXVIII). Augustus in curru sedens significat Christum, qui est pax nostra et requies sanctorum ; currus aureus doctrinam evan-

D gelicam, cœlestis sapientiæ splendore refulgentem. Igitur circulus aureus orbem solis ambiens, natalem Christi secundum carnem, triumphus Augusti spiritualem ejus nativitatem significat secundum fidem. Orbis autem universi descriptio, urbis, id est Ecclesiæ præfigurat natalem, cui dicitur : *Dilataberis ad orientem et occidentem, ad septentrionem et meridiem* (*Isa.* LIV). Et de qua rursus dicitur : *Fundatur exsultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni* (*Psal.* XLVII). Hæc autem civitas etiam sponsa est : civitas a capacitate, sponsa a charitate. Civitas, quia collegitur; sponsa, quia diligitur. Civitas a numero, sponsa a merito. De hac ergo dicitur :

Hodie cœlesti Sponso juncta est Ecclesia. De longinquis utique finibus miseriæ, funibus attracta misericordiæ, ut impleretur illud Jeremiæ : *In charitate perpetua dilexi te miserans* (*Jerem.* XXXI). Cui simile est illud Isaiæ : *Apprehendi te ab extremis terræ; et a longinquis ejus vocavi te* (*Isa.* XLI). Longinqua terræ, sunt minora crimina : extrema, majora. Longius a Deo sunt, qui in extremis terræ sunt, quam qui in longinquis. Isti vocantur, illi apprehenduntur. Plus est apprehendi, quam vocari; quia ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. Vocati sunt apostoli, apprehensi publicani et meretrices. Vocamur per præcepta, apprehendimur per flagella. Ideo scriptum est : *Apprehendite disciplinam* (*Psal.* II). Quasi : Apprehendite apprehendentem; amplectimini amplectentem. Nam apprehensio disciplinæ nil est aliud, quam sanctus et jucundus amplexus sapientiæ, et nexus charitatis. Et hinc est illud Oseæ : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis* (*Ose.* II). Funiculi Adam, id est hominum, intelligendi sunt secundum triplicem eorum usum. Utimur enim funiculis ad ligandum, ad trahendum, ad metiendum. Ligat necessitas, trahit cupiditas, mortalitas metitur. Necessitas triplex est, naturalis, voluntaria, casualis. Naturalis est, ut fames et sitis, somnus et vigilia, labor et quies. Hæc naturaliter omnino sunt involuntaria. Voluntaria peccatum est, sine quo mortalis vita transigi non potest. Omne enim peccatum voluntarium est, sed quia omnino vitari non potest, necessitas appellatur. Casualis necessitas est tribulatio a Deo vel a proximo nobis immissa, vel ab hoste antiquo. Duæ primæ intrinsecæ sunt, tertia vero extrinsecus accedit. De naturalibus est illud : *Unusquisque vestrum Sabbato non solvit bovem aut asinum a præsepio, et ducit adaquare?* (*Luc.* XIII.) Similiter enim in diebus festis naturalibus necessitatibus satisfacimus, sicut et in profestis. De voluntariis est illud : *Funes peccatorum circumplexi sunt me* (*Psal.* CXVIII). Item : *Funibus peccatorum suorum constringitur impius* (*Prov.* V). De casualibus est istud : *Hunc, quam alligavit Satanas jam decem et octo annis, non oportuit solvi die Sabbati?* (*Luc.* XIII). Molestius namque affligit casualis necessitas, quam naturalis; et ideo non minus licitum est illi quam isti remedium quærere. De omnibus simul est illud : *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me* (*Psal.* XXIV). Hæc de ligantibus funiculis. De trahentibus autem est illud : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (*Jac.* I). Et : *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum* (*Joan.* V). Trahit quippe Deus et diabolus : ille sursum, iste deorsum; ille ad cœlos, iste ad inferos, ille ad gloriam, iste ad pœnam. Trahit autem Deus solus; sed cum diabolo trahit caro, trahit mundus; caro per famem gulæ et libidinis, mundus per sitim pecuniæ et honoris. Timor mundanus a bono retrahit, cupiditas temporalium ad malum trahit. Ili sunt duo funiculi, quibus cauda draconis A trahit ad se tertiam partem stellarum, et illam solam; nam duabus non prævalet, illis, qui vel conservant innocentiam, vel agunt pœnitentiam. Illis autem prævalet, qui nec timore frigidi, nec charitate fervidi, tepore languent mortifero; nec angelorum carmen considerant, nec væ reproborum formidant. Hæc de singulis trahentibus. Porro de metientibus est illud : *Et divisit eis terram in funiculo distributionis* (*Psal.* LXXVII). Et alibi : *Et mensus est duos funiculos, unum ad occidendum, alterum ad vivificandum* (*II Reg.* VIII). Ili duo funiculi significant aut electionem Dei, et reprobationem; aut illam duplicem et diversam sententiam judicialem : *Venite, benedicti; discedite, maledicti* (*Matth.* XXV). Aut mortem et judicium; de quibus Apostolus : B *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium* (*Hebr.* IX). Funiculus mortis vitam præsentem metitur, funiculus judicii vitam futuram. Quod enim mors sit, testatur Job (cap. XIV) : *Constituisti*, inquit, *terminos ejus qui præteriri non poterunt.* Possunt autem hi duo funiculi mensorii significare illud bonum figuræ Pythagoricæ, quod humanæ discretionis arbitrium bifurcat; cujus dexter ramus funiculis vivificans appellari potest, sinister occidens. De quibus poeta:

Et tibi quæ sanos deducit littera ramos,
Surgentem dextro designat limite callem.

Igitur Verbum caro factum funiculis Adam se ipsum ligavit, ut nos ligatos solveret; similem se C nobis fecit, ut pro similitudine tantæ dignationis affectus ad se nostros vehementius raperet. Mortalitate nostra se mensuravit, ut nos suæ participes immortalitatis efficeret. Et in his omnibus similitudinis ejus ad nos dignatio commendatur. Quam similis enim nobis esse voluit, qui præter peccatum et ignorantiam naturam nostram assumpsit, passibilitatis funiculo ligatus et mensus, et hoc quare, nisi ut dignantissima similitudine nos ad sui dilectionem traheret, qui noluimus eum diligere, quandiu se nobis similem noluit facere? Scriptum est autem : *Omne animal diligit simile sibi : sic omnis homo proximo sibi sociatur; omnis caro ad similem sibi jungitur :* sic omnis homo similis (*Eccli.* XIII). Hinc illa est fortissima prophetæ consolatio D ad animam suam. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus* (*Psal.* XLI). Quod est dicere. O anima mea, ne timeas accedere ad Deum meum : qui similis mei vultum meum gerit, in quo et factus est salutare meum, id est Salvator meus, homo ipse sicut ego; passibilis sicut et ego; esuriens et sitiens sicut et ego; vigiliis et labore fatiscens, sicut ego, carnem suam non odiens, nec mortem diligens, sicut nec ego. O similitudo omni dilectione dignissima! quam divina miseratio charitatis induit, quam sola dignatio summæ dignitatis assumpsit. Et vide, quam dignanter Deo factus sit in similitudinem hominum, et habitu inventus ut homo (*Philip.* II). Nec enim

dedignatus est, assumendo hominem, fenum se facere, et lutum, et cadaver. Hoc enim totum factum est Verbum, cum caro factum est. Nam omnis caro fenum et omnis caro lutum, et omnis caro cadaver; fenum a decore, lutum ab origine, cadaver a morte; fenum a transcursu, lutum ab introitu, cadaver a casu; fenum a forma, lutum a materia, cadaver a ruina. De primo est illud. *Omnis caro fenum* (*Isa.* XL), et illud : *Homo sicut fenum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorescit* (*Psal.* CII). De secundo : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me* (*Job* X). De tertio : *Ubicunque fuerit cadaver, illic congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV). Sic enim transtulit Origenes super illud Matthæi, Hebræi sermonis scientissimus. Igitur cum Deus homo factus est, et fenum, et lutum, et cadaver. Sed fenum semper floridum, lutum nunquam sordidum, cadaver nunquam putridum. Fenum, ut foveat; lutum ut abluat; cadaver, ut pascat. Est enim quoddam genus luti aptum ad tollendas maculas de vestibus, et sordes abluendas. Fenum factus est Christus in flore, lutum in sanguine, cadaver in carne. Floruit et florebit in æternum ejus conversatio simul et sermo : lavit, et lavabit semper ejus passio : pavit, et pascit, et pascet semper in perpetuum illius caro. In hoc feno nidificaverunt sancti confessores ; in hoc luto stolas suas candidas fecerunt gloriosi martyres; ad hoc cadaver congregatæ sunt aquilæ volantes, id est animæ sanctorum, jam de carceribus egressæ corporum ; quæ de valle lacrymarum ascenderunt in montem Domini, et secure requiescunt sub altare Dei : invenientes in hoc monte præparatum convivium pinguium, convivium vindemiæ; pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Pingues medullati sunt ordines illi beatorum spirituum, qui de intima visione Dei assidue pascuntur, quia faciem Patris semper intuentur. Horum convivium est gloriosissima caro Filii Dei, sedens ad dextram paternæ majestatis, in quam desiderant angeli prospicere. Vindemia defæcata est beatissima et superexcellens ipsius anima in divinæ felicitatis bonis potioribus collocata. Quam veraciter ergo ait Apostolus : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Benignitas Dei maxime in humanitate apparuit, id est in benignissima hominis assumptione. Nunquam enim melius ostendere potuit Deus, quam benignus esset erga hominem et quantum eum diligeret, quam assumendo carnem, sicut jam demonstravimus. Igitur necessitates nostræ, quas suscepit in se Christus, iniquitates nostræ, quas ut nubem delevit; passiones innumeræ, quas pro nobis sustinuit, compassiones immensæ, quas ex corde nobis exhibuit; sunt illi funiculi Adam, quibus ad se hodie Ecclesiam attraxit, tanquam sponsus sponsam, sed cœlestis terrestrem, nobilis ignobilem, dives pauperem, speciosus turpem. Plane non sic solent eligere viri uxores. Nam, ut ait Isidorus, in eligenda uxore quatuor inquiruntur genus, pulchritudo, mores et divitiæ. At sponsa Christi antequam illi conjungeretur, pro ignobilitate generis Chananæa dicta est, Æthiopissa pro turpitudine, pro paupertate nuda, pro fœditate sanguinolenta, id est facinoribus et flagitiis plena.

Porro in eligendo marito, juxta præfatum Isidorum, quatuor solent inquiri, virtus et genus, mores et sapientia. Et notandum, quod in utraque electione mores circa finem ponuntur ; quia apud hujus sæculi amatores vix de moribus fit quæstio, et utinam vel ultima fieret ! nam apud plerosque nulla est. Porro sponsus Ecclesiæ Christus tantæ virtutis est, ut ad ejus tactum convalescant languidi, ad ejus odorem reviviscant mortui, ad illius clamorem exsiliant sepulti. Generosus autem est, ut Filius Altissimi; sapiens, ut Angelus magni consilii; speciosus, ut Filius Dei; dives et opulentus, ut Creator mundi. O quam dives est, cujus est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo ! Cujus civitatis plateæ sternuntur auro mundo. O quam pulcher, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur ! in quem desiderant angeli prospicere. O quam sapiens, qui comprehendit sapientes in astutia eorum, qui perdit sapientiam sapientum, et prudentiam prudentium reprobat ! cujus sapientia fundavit terram, cujus prudentia stabilivit cœlos : cujus stultum sapientius est hominibus. Generositas autem ejus tam enarrari non potest, quam ipsa generatio. *Generationem*, inquit, *ejus quis enarrabit ?* (*Isa.* LI.) multo minus generositatem. O quantæ virtutis est, qui vivendo vicit peccatum, prædicando mundum, moriendo diabolum, resurgendo infernum ! At suavitatem morum ejus quis explicet : quam certe nec ipse melius aut plenius explicare potuit, quam cum dixit : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum ?* (*Prov.* VIII.) Quid ad hoc dicis, o sponsa, non turpis, sed speciosa ; non ignobilis, sed generosa ; non exilis, sed opulenta ; non infelix, sed beata ? Ecce habes sponsum votis omnibus respondentem, quem cum amaveris, casta es; cum tetigeris munda es; cum acceperis virgo es ; cum illi nupseris, felix es. Certe nec humilius uxorem ducere poterat, nec tu nubere gloriosius.

Curramus ergo, fratres, curramus obsecro, cum magis ad regales nuptias; sed curramus ut magi, id est ut sapientes, hoc est cum muneribus. Nam insipientis est manu vacua postulare. Currere est quærere, petere, pulsare. *Omnis*, ait Scriptura, *qui quærit invenit, et qui petit accipit, et pulsanti aperitur* (*Luc.* XI). Multi quærunt, sed non inveniunt, quia insipienter quærunt; multi petunt, sed non accipiunt, quia insipienter petunt ; multi pulsant, sed non intrant, quia insipienter pulsant. Quærendum est, sed cum lumine; petendum, sed cum munere; pulsandum est, sed cum clamore. Lumen cum quo quærendum est, pœnitentia est, quæ per contritionem ardet, per confessionem lucet. Hæc est lucerna, quam mulier accendit, ut everrat domum, et drachmam perditam inveniat (*Luc.* XV). Everrere

donum est conversationem mutare: invenire drachmam est dignitatem divinæ similitudinis in conscientia restaurare. Quæ in decem præceptis continentur, tanquam in decem drachmis, quarum qui unam perdit, omnes perdit; qui in uno offendit, fit omnium reus: et qui unam invenit, omnes invenit: nam qui unam virtutem habet, omnes habet. Petendum est, sed cum munere; quia juxta vulgare proverbium, vacuæ manus cassa est petitio. Offeramus ergo Salvatori munera, quæ ipse prior nobis, tanquam servus, dominus obtulit. Aurum nobis obtulit in verbis gratiæ, thus in factis potentiæ, myrrham in amaritudine patientiæ. Aurum in præceptis, thus in miraculis, myrrham in pressuris. Et nos igitur offeramus ei aurum eleemosynæ, thus orationis, myrrham continentiæ, quæ per jejunium solet designari. B Vel aurum fidei, thus desiderii, myrrham martyrii. Pulsandum est cum clave, cum improbitate et perseverantia. Hæc sola intrat, quia sola salvat; sola impetrat, quia sola coronat. Labor improbus omnia vincit. Nihil adeo clausum est, ad quod non intrat pulsator importunus. Beati quibus sic currentibus et pulsantibus datum est intrare ad nuptias Agni, ut lætentur convivæ ex aqua vino facto, id est timore penitus in amorem converso, vel potius ab amore absorpto; quia timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Vel vinum ex aqua factum est requies post laborem, abundantia post pauperiem, satietas post esuriem, gaudium post mœrorem. Sicut scriptum est: *Mœror* C *in corde viri humiliabit eum, et sermone boni lætificabitur* (*Prov.* XII); illo scilicet: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis* (*Luc.* VI). Hoc est vinum bonum, quod Sponsus Ecclesiæ, nobis servat adhuc, sicut scriptum est. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX.) Ad quam nos perducat, qui sine fine vivit et regnat.

SERMO VI.

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ I.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui (*Psal.* XLVII). Duplex est susceptio hujus misericordiæ; mentalis, ut ita dicam, in Verbo; sacramentalis in carne. Prima Simeoni, secunda Annæ convenit: id est Simeon primæ susceptionis in se gerit mysterium; Anna vero vidua secundæ susceptionis D continet sacramentum; Simeon interpretatur *exauditio tristitiæ.* Duplicem tristitiam annuntiat nobis verbum Dei: æternalem gehennæ miseriam, et temporalem pœnitentiæ disciplinam. *Omnis enim disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris* (*Hebr.* XII). Primam nobis nuntiat, qui dicit: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante: aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (*Isa.* XXXIII.) Et Dominus in Evangelio: *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam* (*Matth.* X). Est autem gehenna duplex, caloris et frigoris, juxta illud: *Ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* VIII). Quam timenda vero et horrenda sit illa gehenna, ostendit Dominus, cum tam crebro repetit sempiternitatem illius, dicens: *Bonum est tibi oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis* (*Matth.* XVIII). Ubi *vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguetur* (*Isa.* LXVI). Repetitio confirmatio sermonis est, ut nos terreret ab æterna damnatione certissime secutura. Hanc tristitiam exaudit, qui futurum judicium certissime credit, et semper metuit. Quidquid de pœnis infernalibus fictum est a poetis, fabula creditur esse a philosophis. Sed nec fallere charitas, nec fingere veritas, nec solvi potest scriptura.

Et ideo quidquid in ea de inferno scriptum est, verum esse credendum est, quia sine dubio verum est. Non enim a Spiritu sancto hæc ad terrorem tantum dicta sunt, sicut a poetis ficta sunt, ut Origenistæ mentiuntur; sed potius ita est, ut scriptum est. Alioqui si non est æterna impiorum pœna, nec æterna credenda sunt justorum præmia. Sed verum est, quod scriptum est: *Ibunt justi in vitam æternam* (*Matth.* XXV). Ergo etiam verum est, quod præcedit, *et ibunt hi in supplicium æternum* (*ibid.*). Hieronymus autem tradit Zenonem Stoicorum principem credidisse inferos, et animas immortales. Juvenalis quoque satyricus contra generalem opinionem gentilium sic affirmat esse credendum, dicens:

Esse aliquos manes et subterranea regna,
Et contum, et Stygio nigras in gurgite ranas,
Atque una transire vadum tot millia cymba;
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur,
Sed tu vera puta. (JUVEN., *Sat.* II, v. 15.)

Igitur, ut diximus, exaudire gehennæ tristitiam, est firmiter credere, esse gehennam, et semper eam metuere. Audiunt hanc tristitiam, sed non exaudiunt, qui sic opinantur, non firmiter credunt. Nemo autem firmiter credit, efficaciter exaudit istam tristitiam; pro qua exauditione afficitur Simeonis nomine. Porro exauditio secundæ tristitiæ est susceptio pœnitentiæ, et perseverans exsecutio susceptæ. Per injustitiam dividit, sed non exaudit, qui injunctam suscepit, sed projicit susceptam. Igitur istarum duarum tristitiarum neutra sine altera potest exaudiri; quia nec gehenna salubriter timeri potest sine exsecutione pœnitentiæ, nec pœnitentia perfici sine timore gehennæ. Hæc ergo duo conjuncta Simeonem faciunt, id est tristitiæ duplicis bonum exauditorem. Hic est senex, id est sapiens, quia in antiquis est sapientia. Scriptum est autem. *Ecce timor Domini, ipse est sapientia* (*Job* XXVIII). Unde idem Simeon dicitur justus, et timoratus. Timoratus propter assiduum timorem Domini; justus propter justitiæ continuum fervorem. Nihil est justius, quam perenniter a nobis omnibus, et omnium judicem semper timere.

Hic Simeon semper habitat in Jerusalem, et consolationem Israel exspectat; quia justitia confœderatur paci, et consolatio promittitur lugenti. *Justitia,* inquit *et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Et: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Hic responsum accepit a Spiritu sancto, id est a

sua conscientia bene sibi respondente spirituali A testimonio, non visurum mortem, nisi prius videret Christum Domini, id est nisi prius dimissa fuerint peccata sua, et computruerit eorum jugum a facie olei, id est ab unctuosa misericordia Dei. Et ideo venit in spiritu in templum. In spiritu, id est in spirituali voluntate, in proposito audiendi verbum Dei, et retinendi memoriter, et fideliter conservandi, id est efficaciter adimplendi; tanquam sciens veraciter scriptum esse: *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (*Luc.* XI). Nemo potest in templo proficere, qui nescit in spiritu in templum venire. Nemo autem in spiritu venit, quem spiritualis voluntas non adducit. Sunt, quos in templum ducit petulantia; sunt quos perducit cupiditas; sunt, quos inducit ambitio; sunt, quos curiositas B introducit. Fur non venit, nisi ut furetur; petulans, nisi ut videatur, aut videat; tangatur, aut tangat; ambitiosus, ut honoretur; curiosus, ut rimetur. Templum est domus orationis; sed primi faciunt de ista domo speluncam latronum, secundi lupanar meretricum, tertii forum venale, quarti forum causarum. Nam etiam eorum qui audiunt verbum Dei, quidam audiunt tantum ut laudentur; alii ut vituperent; pauci, ut suscipiant; pauciores, ut conservent. At vituperare malum est, laudare parum, suscipere necessarium, conservare et custodire optimum et perfectum. Utinam quotiens in templum venimus, in spiritu veniamus: utinam ad audiendum verbum Dei nos adducat devotio, non C libido detrahendi seducat!

Quo tamen quisque spiritu adveniat, susceptio demonstrat. Quam bene devotum Simeonis devotissimus ille demonstravit affectus, quo amplexatus est puerum oblatum. Denique impatientissimum illius desiderium non exspectavit quousque Maria portans in suis brachiis incarnatam Dei misericordiam pervenisset ad altare; sed cum adhuc inducerent puerum Jesum parentes ejus, occurrit eis in medio templi, et suscepit ibi puerum, imo quadam aviditate festinationis rapuit eum de ulnis Mariæ in ulnas suas, et amplexatus est et osculatus. Plane sic custodiendum est verbum Dei, occurrendum est prædicatori ab auditore mente alacri, prompto animo, parato corde, ut possit dicere cum Propheta: D *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal.* CVII). Non exspectare debet, donec prædicator acutas proferat sententias, et verba penetrabilia, id est persuasibilia; sed mox ut Deo loqui incipit, debet ei cordis aperire ostium; et, ut ait Augustinus, verbo Domini facere nidum, ubi ponat pullos suos, et foveat. Sermonis quippe Domini proprium domicilium nil est aliud, quam cor humanum; hæc est ejus domus propria, hæc ejus mansio, hoc ejus hospitium, hic nidus. Hoc hospitium petit a nobis verbum Dei. Unde dicit: *Fili, præbe cor tuum mihi* (*Prov.* XXIII). Si quis puer parvulus foris staret ad ostium domus vestræ, et pro amore Dei peteret a nobis hospitium, nonne crudelis et inhumanus esset, qui illum hospitio non colligeret? At puerum istum, qui dicitur Jesus Christus, tanto crudelius et infelicius est hospitium petentem repellere, quanto ipse dignior est, et dulcior: et quanto illius major dignatio est, hospitium ab homine petere, sine quo non potest homini bene esse.

Et quid dulcius misericordia, quid sapientia dignius; quid salute dulcius, quid dignius Salvatore? At quid eo dignantius, apud indignitatis nostræ miseriam hospitate? *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Item: *Ecce ego sto ad ostium, et pulso. Si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum* (*Apoc.* III). O felicem tanto hospite hominem! Pulsat autem Dominus ad ostium vestrum, quoties offert vobis a prædicatore salutis verbum. Suscipite ergo illud in medio templi, id est cordis vestri, sicut scriptum est: *Ut facerem voluntatem tuam, Deus, et legem tuam in medio cordis mei* (*Psal.* XXXIX). Si enim juxta Apostolum corpora nostra templum sunt Spiritus sancti (*I Cor.* VI), quid aliud est hujus templi medium, quam cor nostrum? Cor enim animalis in medio ejus est. Porro puer iste non solum hospitio suscipiendus est, sed etiam in manibus gestandus. Quid est autem Jesum puerum in manibus gestare, nisi verbum salutis operibus adimplere? Pauciora vero possunt gestari in manibus, quam brachiis amplexari; ideo non solum gestandus, sed et amplexandus est, et pectori dulciter astringendus. Quod tantum gestare consuevimus, suos plerumque gestantes gravat.

Quod autem amplectimur, et nobis appectoramus, semper sine dubio nos delectat. Igitur puerum Jesum in manibus gestare, est facere quod jubetur; amplexari vero est, plusquam jubetur adimplere. Ad susceptionem prohibitiones pertinent, ad gestationem præcepta, consilia ad amplexum. Porro duo brachia quibus amplexandus est, sunt hilaris obedientia, et patientia fortis; vel temperantia in prosperis, et patientia in adversis. Isti sunt ambidextri, sic pugnantes sinistra ut dextera: quos nec prosperitas illudit, nec elidit adversitas. Væ illis, qui ad amplexandum hunc puerum utroque brachio manci existunt! in prosperitate luxuriosi, in adversitate murmurosi; intemperantes in voluptatibus, in calamitatibus impatientes; nescientes, imo non volentes, vel bona facere, vel mala tolerare. Amplexus autem et appectoratio hujus pueri devotionem significat in bono opere, et gloriationem in tribulatione. Non possumus oneratis brachiis diu incedere, nisi ipsa brachiorum onera nostris pectoribus astringi curemus. Onerata quippe brachia quam longius removentur a pectore, tanto facilius labore lassantur. Similiter nemo potest diu esse vel strenuus ad obedientiam, vel longanimis ad patientiam, nisi spontaneus et devotus exstiterit ad utramque. Nam quod inviti facimus, cito intermittimus. Et quod inviti ferimus quam cito pos-

sumus, ferre cessamus. Sola ergo devotio est, quæ inceptum opus absolvit; sola acedia, quæ dissolvit. Illa graves etiam labores alleviat, ista leves aggravat, juxta illud Comici: «Nulla res adeo facilis est, quin difficilis sit, quam invitus facias.» Sed e contrario potest adjici, nulla res adeo difficilis est, quin facilis sit, quam libens et devotus facias. Hoc est libamen, quod semper sacrificium debet comitari, juxta illud propheticum: *Sacrificium et libamen Domino Deo nostro* (*Joel.* II). Sacrificium sine libamine est opus vanum sine devotione. Deinde osculandus est puer, non in sui ipsius labiis, sed in solis plantarum vestigiis. Illud enim summum osculum singularis muneris est privilegio relinquendum. Nunquam legitur puer iste osculatus in ore suo, nisi vel a matre, vel a proditore. Summa præsumptio est, ad summi labia os inquinatum velle porrigere. At cui non contingit illud væ propheticum, ut se possit dicere labiis pollutum? *Omnis homo mendax* (*Rom.* III). Suis ergo immundis labiis osculabitur labia ipsius veritatis? Sufficiat nobis peccatoribus plantarum ejus osculum; a quibus altius osculari est, quod nec S. Simeon ille præsumpsit. Nunquid non magnum est hoc? Quis enim altior illo æstimabitur, qui pedes sedentis in cœlo osculatur! O vere hominem giganteæ celsitudinis, cui datum est osculari vestigia tam excelsæ majestatis! Sed quid est osculari plantas Verbi Domini, nisi omnia bona nostra in conspectu nostro despicere, et pro nihilo reputare, sicut scriptum est: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus?* (*Luc.* XVII.) Ille revera pedes Domini osculatur, qui semper se minorem aliis existimat, et aliorum bene facta et dicta laudans, et magnificans, comparatione illorum se nihil fecisse reputat, se nihil esse putat.

Pedes Dei osculatur, qui omnia bona non suæ industriæ, sed Dei gratiæ attribuit; mala autem sua sibi soli imputat et ascribit. Pedes Domini osculatur, qui bona sua a conspectu suo projiciens, mala sua cum lacrymis semper recordatur. Ad hoc pulcherrima simulitudine nos beatus invitat Bernardus, qui dicit nos sic facere debere, sicut pauperes et infirmos sedentes in semitis magnis, vel templorum porticibus, ut petant eleemosynam a viatoribus vel introeuntibus in templum. Nam quod in eis sanum et robustum est, occultant potius quam demonstrant; quod autem ulcerosum et putridum, et aspectu fetidum, et miserabile, hoc ostentare potius quam occultare laborant; ut inde magis ad compatiendum videntes provocent, et ad erogandum invitent. Sic et nos in conspectu Dei non nostra, si qua bona sunt, jactitare et magnificare debemus, sicut Pharisæus ille faciebat; sed nostra potius denudare vulnera, sicut humilis publicanus. Sola ergo humilitas est, quæ pedes Domini meretur osculari. Superbia vero summis semper astans arroganter et se ultra mensuram propriam turgidis inflationibus attollens et erigens, tanto magis scissioni et ruinæ approximat, quanto magis familiare osculum sibi prorsus indebitum apud amatorem humilium usurpat. Osculari quoque plantas Domini, est incarnationi Dominicæ devotissimis affectionibus medullatas gratiarum actiones referre. Ecce qualiter suscipiendum est Verbum Dei. Sed revera ipsius est, ut bene suscipiatur Verbum quod offertur. Sicut autem a S. Simeone formam suscipiendi cognovimus, sic a B. Maria virgine formam offerendi cognoscere debemus: in cujus oblatione tria præcipue consideranda sunt, tempus, modus et locus. Tempus, quando; modus, quomodo; locus, ubi. Non enim Verbum istud mox ut natum de matre est continuo oblatum est; sed tunc primo, quando impleti sunt dies purgationis Mariæ. Oblatum est autem, non in majestate terribili, nec in nuditate contemptibili; sed indutum membris teneris, et pannis mundissimis involutum. Oblatum quoque est, non extra templum, non ad fores templi, sed in ipso medio. Similiter prædicator futurus, qui divini Verbi mater spiritualis est, non statim ut aliqua Scripturarum sanctarum mysteria summatim perleviter attigerit, publice in ecclesia prædicare debebit; sed tunc primo, cum purgata fuerit ejus conscientia, et vetus conversatio plenissime mundata. Ab immundo enim quis mundabitur? Tunc autem offerat Verbum, non in majestate philosophica, sed nec in simplitate rustica; sed affectuosissimis adornatum sententiis, et dulcissimis sermonibus involutum. Oportet enim, ut lingua ejus non tantum foris perstrepat ad aures populi, tanquam Jesum offerens ad fores templi; sed magis intus penetret autem lex duobus modis; vel cum fiunt, quæ ibi usque ad cordis intimum, tanquam Jesum offerens in templi medium, ut possint dicere auditores: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui* (*Psal.* XLVII). Sic enim præcipitur prædicatoribus: *Loquimini ad cor Jerusalem* (*Isa.* XL). Quasi diceret: Nolite loqui ad bursas, ad linguas, ad aures, sed potius ad corda populi. Sane hæc sunt quatuor genera prædicantium. Sunt enim prædicatores bursarum, sunt prædicatores linguarum, sunt prædicatores aurium, sunt et cordium; sed istorum magna valde paucitas, cæterorum vero noxia multitudo. Primi nihil quærunt, nisi pecuniam; secundi nihil expetunt nisi famam; tertii nihil sciunt quærere, quarti nihil volunt perdere. Primis ergo tribus reprobatis generibus, quartum assequi laboremus; laboremus dico, quia hoc opus, hic labor est. Nam ad tantam loquendi efficaciam, quæ cor hominis non solum pungat, sed etiam perforet, omnimodis necessaria est lingua eucharis; quæ nonnisi in bono homine habet abundare. Revera enim verbi salutaris et persuasorii sacrosancta eucharistia, sicut nonnisi etiam in altari mundi cordis conficitur, sic nonnisi per linguam eucharim ministratur. Sicut enim mulier quæ in pec-

cato concipit, naturali nativitate in peccato parit; ita procul dubio qui divini Verbi conceptor immundus est, necessario tam sancti seminis et indignus sator est, et inutilis dispensator. Non sufficit autem sola vitæ sanctitas, nisi adsit etiam fecunditas doctrinæ. Quæ semper infecunda est, nisi eam fecundet linguæ facundia. Non est autem lingua eucharis artificiose docens mendacium, et facile quodlibet illicitum persuadens. Cum enim hoc nomen eucharis idem Græce signet, quod Latine vel *bona gratia*, vel *bene gratiosa*, manifestum est nullam linguam tam gratiosum promereri vocabulum, nisi quam gratiosam constat esse ad bonum.

Quasi ergo a Maria virgine, et matre, et plena gratiarum, de puero Jesu nova sit oblatio in medio templi, pergrata occurrentibus, suscipientibus peraccepta, quando prædicator ecclesiasticus mundus vita, fecundus scientia, eloquentia perfacundus, persuadet hominibus incedere per viam salutis, et ambulare in salvationem; utens ad eos verbo puro et simplici, honesto et utili, sancto et salutari, gratioso et dulci, sicut scriptum est de puero hoc: *Diffusa est gratia in labiis tuis* (*Psal.* XLIV). Sane si sit, qui illum sic offerat, erit qui oblatum bene suscipiat. Ideo enim hodie ad suscipiendum puerum Jesum nemo accedit, ut Simeon; quia ad illum offerendum nemo procedit, ut Maria.

SERMO VII.

IN PURIFICATIONE B. MARIÆ II.

Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in terris factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (*Galat.* IV). Hæc sententia Pauli scribentis ad Galatas, sicut ad Nativitatem Domini referri solet, propter illud: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, sic ad hodiernam solemnitatem, propter illud, quod subditur: *Factum sub lege*. Hic enim sermo brevissime quidem, sed tamen plenissime comprehendit, quidquid hodierna lectio sancti Evangelii de Purificatione B. Mariæ loquitur, et de inductione pueri Jesu apparentibus ejus in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Propter quod et hodie ad sextam horam in ordine nostro capitellum de hac sententia factum est. Et fortassis hac eadem puer Jesus hodie in templo est præsentatus. Hujus ergo sermonis gratia, ex quo festivitas hodierna tota pendet, et ideo quoque totam Pauli sententiam breviter et plane, prout Deus dederit, et hora permiserit, vestræ charitati proposuimus explanandam. In ejus explanatione quinque consideranda sunt, scilicet tempus, auctor, opus, causa et modus. Tempus plenitudinis, auctor universitatis, opus divinæ Incarnationis, causa nostræ redemptionis, modus operis, id est formatio Redemptoris ex muliere, et subjectio ejus sub lege. Singula per ordinem latius explicemus: *Ubi venit plenitudo temporis*, etc.

Omne tempus ante Salvatoris adventum, quasi vacuum et inane permansit, tanquam tempus egestatis, et tempus inopiæ; quippe in quo nunquam et nusquam inveniri potuit, unde vel unus homo redimere posset animam suam de manu inferi. Redemptio autem animæ viri propriæ divitiæ. Illud autem tempus vere fuit plenissimum, in quo Salvator attulit plenum salutis donum, id est copiosæ redemptionis pretium, sicut hodie canit per orbem universum Ecclesia: *Secundum nomen tuum Deus, ita et laus tua in fines terræ* (*Psal.* XLVII). Nomen Domini Jesus Christus; Jesus a salute, Christus ab unctione. Opus Jesu salus, et salus vera, qui operatus est salutem in medio terræ. Opus Christi redemptio, et redemptio copiosa, quæ mundum a morte perpetua redemit. Quia ergo secundum nomen ejus, ita et opus ejus; ideo secundum nomen ejus, ita et laus ejus in fines terræ: ut ubique laudetur, sicut verus Salvator et Redemptor; Salvator a peccatis, Redemptor a pœnis; restitutor innocentiæ, justitiæ retributor. Unde sequitur: *Justitia plena est dextera tua* (*ibid.*). Justitia tua, Jesu, qui totum habes dextrum, nil sinistrum; totum prosperum, nil adversum; totum forte, nil infirmum. Nam *quod infirmum est* tuum, *fortius est hominibus* (*I Cor.* I). Tu totus nil aliud es, nisi misericordia justificans impium, et justitia remunerans justum, exaltans humilem, dejiciens superbum. Opus tuum multitudo misericordiæ, et justitiæ plenitudo. Sane non poterat venire, nisi cum plenitudine et cumulo salutis ille, *in quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter; in quo sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II): qui fons bonitatis est, fons luminis, fons vitæ, flumen pacis, et torrens gloriæ, sicut scriptum est: *Ecce ego declino in eos, ut flumen pacis, et torrens inundans gloriæ gentium* (*Isa.* LXVI). Ideo dicebat olim Judæis: *Meus est orbis, et plenitudo ejus* (*Psal.* XLIX). *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum* (*Isa.* I). O quam plenus est, qui bonorum nostrorum non eget! qui solus sibi sufficit de cujus *plenitudine omnes accepimus* (*Joan.* I), quicunque boni aliquid habemus, a quo bona cuncta procedunt, et ad quem cuncta redeunt, tanquam flumina ad locum unde exeunt, ut iterum fluant. Unde Joannes dicit eum esse *plenum gratiæ et veritatis* (*ibid.*): plenum gratiæ, ut per abundantem gratiam mandata legis impleret, et ab aliis impleri faceret; plenum veritatis, ut per veritatem redditam quidquid lex prophetaverat, impleret. Unde dicit: *Non veni solvere legem, sed adimplere* (*Matth.* V). Super quem locum Augustinus contra Faustum. Ille adimplet legem, qui sic vivit, ut præcipit lex: *plenitudo* enim *legis est charitas* (*Rom.* XIII). Impletur ut præcepta sunt; vel cum exhibentur, quæ ibi prophetata sunt. Quæ cum impleta est, gratia et veritas facta est. Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem: quorum utrumque sit per Jesum. Unde: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*.

(*Joan.* I). Hæc est laus ejus in fines terræ. Augustinus ad Volusianum (15). In Christo Jesu eo tempore, quod opportunissimum noverat, et quod ante sæcula disposuerat, venit hominibus magisterium, et adjutorium ad capessendam sempiternam salutem. Nam magisterium nobis attulit charitatis, tanquam magni consilii Angelus, vel admirabilis consiliarius, tanquam Dei Sapientia, et doctor justitiæ. Adjutorium tanquam Deus fortis, vel Dei virtus, et gratiæ largitor, remittendo peccata, et conferendo merita. Nam sapientia ejus nostram illuminat ignorantiam, virtus ejus adjuvat et roborat infirmitatem nostram. Hac de causa appellavit Apostolus Salvatoris in carne præsentiam plenitudinem temporis, id est tempus plenitudinis, per hypallagen. Vel plenitudinem, id est adimpletionem temporis in lege repromissi. Quando ergo venit hæc plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.

Ecce auctor, ecce opus. Auctor excellentissimus, opus excellentissimum. Auctor Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis: opus Filius Dei missus ad salutem hominum, et consolationem miserorum, sicut ipse dicit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, ad evangelizandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem* (*Isa.* LXI). Misit, inquit, Filium suum. Misit, non ut esset, ubi ante non erat, sed ut appareret, ubi latebat. Misit tanquam legatum, et tanquam donum. Tanquam legatum ad inimicos, tanquam donum ad amicos. Ad illos reconciliandos, ad istos honorandos. De hac legatione Abdias: *Auditum audivimus a Domino, et legatum misit ad gentes* (*Abdias* I). Et apertius Paulus: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis delicta eorum; et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur; tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo* (*II Cor.* V). Quid hac prece dulcius, quid hac legatione sublimius, quid hac reconciliatione facilius? Facere debueramus hoc etiam non rogati; quanto magis tam dulciter a Deo rogati! Rogat nos, cum legatos mittit ad rogandum nos. De dono habemus in Isaia: *Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis* (*Isa.* XCV). Et in Evangelio: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (*Joan.* III), scilicet mundo, in pretium et cibum: in pretium captivis, ut a morte redimerentur æterna; in cibum famelicis, ut ad vitam nutriantur æternam. Empti enim sumus pretio magno ab eo, qui dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* V). O pretium pretiosissimum quo totus mundus redemptus est. O cibum deliciosissimum, qui angelorum cibus est. Unde Ambrosius (16) in laudem crucis:

Beata cujus brachiis,
Sæcli pependit pretium,
Prædamque tulit tartari.

Et Psalmista: *Panem angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXXVII). Quid hic dicis, o ingratitudo humana, tanto donatori et muneri ingrata? Quis hoc munus magnificentissimum festinanter venit videre cum pastoribus, desideranter curat adorare cum Magis, inhianter exspectat et expetit cum Simeone obviis illud excipere manibus, et lætis brachiis amplexari? Quis denique de tanti muneris susceptione felici lætus et alacer cum Anna vidua confitetur Domino, gratiarum actionis holocaustum offerens medullitus tanti datoris libertati gratuitæ?

Decem leprosi a Domino mundantur, sed novem ingrati ab eo nesciuntur (*Luc.* XVII): qui quaternarium gratiæ ipsius, qui factus est nobis a Deo sapientia et justitia, sanctificatio et redemptio, male jungunt quinario sensuum; et drachmam decimam sapienter non possunt quærere nec feliciter invenire; nec per illud unum, quod necessarium est, ad æterni remunerationem denarii pervenire. Idem gratus unus est, et alienigena, a sæculi actibus se faciens alienum; tanquam peregrinus et advena non habens hic civitatem manentem, sed futuram inquirens, ad unum tendens, et unum petens: non circa multa sollicitus, quia unum est necessarium, unitatem spiritus in vinculo pacis conservans. Sola est, quæ nos in defectu novenarii citra perfectionem denarii remanere facit ingratitudo, conversionem nostram a profectu alacritatis et fervore spiritus impediens, quodam tepore et torpore mortifero nostræ fidei calorem primitivum exstinguens. Ideo uni leproso redeunti, et de mundatione sua mundatori gratias agenti, ab eodem mundatore dicitur: *Vade, quia fides tua te salvum fecit* (*Luc.* XVII), id est fidei devotio. Patres nostri olim proficiebant de die in diem: hodie apud nos, qui eadem habuimus conversionis initia, magnus æstimaretur, si vel ipsa conversationis suæ primordia conservaret. Nunquid abbreviata est manus Domini, aut thesauri gratiæ defecerunt? Nunquid ejus voluntas salvandi nos immutata est, vel facultas imminuta est? Absit! Sed ingratitudo nostra gratiæ ipsius augmentum a nobis tepidis elongavit. Quæ videlicet ingratitudo gratiæ tempus opportunum reddit ingratis pessimum; quia non tantæ felicitatis est sub tempore gratiæ vivere, quantæ infelicitatis oblatam non suscipere gratiam, vel susceptam non servare. Sed et misericordiæ res est, ut B. Bernardus asserit (17), ingratis subtrahere gratiam, sicut e contrario indignationis et iræ misericordiam talibus exhibere, juxta illud. *Misereamur impio, et non discet facere justitiam* (*Joan.* XXVI).

Sed jam cætera videamus. Misit, inquit, Deus Filium suum factum ex muliere. Ecce modus operandi. Missio enim Filii, ejus est Incarnatio, cujus Incarnationis modus est, quod ex muliere factus est.

(15) Aug. epist. III.
(16) Imo Fortunatus, Pictaviensis episcopus, EDIT. PATR.
(17) *Serm. Contra vit. ingrat.*

Sed dices : Nonne et alii homines ex muliere facti sunt? Non certe, imo principaliter ex virili semine. Sicut enim nullus homo constare dicitur ex anima vel carne tantum, sed ex carne et anima; sic nullus homo recte dici potest factus ex muliere tantum, sine additamento, cum sit factus ex viro et femina. Hoc igitur genus facturæ soli Christo appropriatum est; nec brevius, nec planius potuit Apostolus describere facturam hujusmodi hominis, qui factus est in justitia et sanctitate veritatis, quam, ut diceret, factum ex muliere. Primus enim homo factus est de terra, prima mulier facta est de costa; omnes alii viri et mulieres de viro et femina, solus Christus ex matre sola. Hæc est illa factura nobilis, de qua dicit Psalmista : *Delectasti me, Domine, in factura tua* (*Psal.* XCI). Vere in hac sola factura delectari debemus. Nam prima et secunda factura hominis per peccatum ruerunt, in tertia de ruina peccati generamur ad ruinam mortis naturaliter destinati. In hac autem quarta factura de ruina peccati regeneramur ad justitiam, et de ruina mortis suscitamur ad vitam. In hac igitur factura delectari debemus, cum Psalmista; et simul expavescere cum Habacuc dicente : *Consideravi opera tua et expavi* (*Habac.* III). Delectandum est de exhibitione tantæ mansuetudinis, expavescendum de exinanitione tantæ majestatis. Quantum enim pondus beatitudinis collatura est hæc gratia suis susceptoribus, tantum onus calamitatis hæc eadem majestas suis est contemptoribus illatura. Unde Augustinus homilia de Incarnatione Domini (18) : « Tantum te pressit humana superbia, ut te non posset, nisi humilitas sublevare divina. » Idem in alia de eodem: « Hinc intelligimus, quam graves æstimet apud se Deus noster humanorum criminum causas, propter quas non angelum, non archangelum, sed Deum misit ad terras. » Et addit : « Quam gravis sit peccati, et quam dura conditio, prodit remedii magnitudo; quanta malorum discussio erit, qua damnabuntur, sollicitudo indicat, qua redimuntur. » Quid hic dicis, ingratitudo humana? Quomodo tantum beneficium benigne non accipis? quod potius tanto beneficio et benefactori ingrata contra consilium Salomonis stultam querimoniam moves de præsenti, dicens : *Quid causæ est, quod tempora præterita meliora fuere, quam nunc sunt? Stulta est*, inquit, *talis interrogatio* (*Eccle.* VII). Vere stulta, quia falsa talis locutio. Meliora namque sunt modo tempora sub levi Ecclesia et suavi jugo Christi, quam olim fuerunt sub gravissimo onere legis Moysi; *quod* ut ait Petrus, *nec patres nostri, nec nos portare potuimus* (*Act.* XV). Vel etiam quam fuerunt olim ante legem temporibus patriarcharum, quando florebat mundus abundantia bonorum temporalium; quando erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace. Hæc omnia tam non faciebant tempus bonum, quam nec hominem bonum. *Sabbatum*, ait Veritas in Evangelio, *propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum* (*Matth.* II). Si autem Sabbatum, ergo et omnis alia dies. Nam alii dies facti sunt propter hominis operationem, Sabbatum propter illius requiem.

Si ergo tempus factum est propter hominem, ergo a malitia vel bonitate hominis æstimanda est bonitas vel malitia temporis. Non enim facit tempus hominis bonum, nisi quod facit hominem bonum. Unde Hieronymus super Ecclesiaste. « Viventi virtutes dies bonos faciunt, vitia malos. » Sic ergo, inquit, vivere debemus, ut semper præsentes dies, meliores sint præteritis : ne, cum decrescere cœperimus, dicatur nobis illud Apostoli : *Currebatis bene, qui vos impedivit veritati non obedire* (*Gal.* I). Et illud : *Cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini* (*ibid.*). Bonum ergo tempus hominis non facit abundantia bonorum temporalium, sed magis spiritualium; ut est plenitudo fidei, et honestas morum. Hanc bonitatem temporis attulit ad nos, ut supra dictum est Filius Dei missus ad nos factus ex muliere, factus sub lege Quod factus est ex matre, divinæ virtutis fuit miraculum, juxta illud : « Videte miraculum matris Domini (19). » Quod factus est sub lege, summæ humilitatis fuit magisterium, juxta illud : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* II). Sub lege Moysi fuit usque ad annum vitæ tricesimum; sub lege Domini usque ad vitæ terminum. Unde Chrysostomus (20). « Post triginta annos Jesus venit ad baptismum, legem veterem soluturus. » Et infra. « Per tringinta annos justitiam legis impleverat; et tunc venit ad baptismum, Evangelium docturus, cumulum cunctis observationibus legis imponens. » Sic ergo sub lege Moysi fuit usque ad annum trigesimum vitæ suæ; sub lege autem Domini, tota vita sua. Sub illa inquam lege Domini, de qua dicit Psalmista : *Lex Domini immaculata, convertens animas* (*Psal.* XVIII).

De qua lege dicit sic beatus Bernardus in Epistola ad Carthusienses (21): « Est, qui confitetur Domino, quoniam potens est; et est, qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est; est vero qui confitetur Domino quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, et timet sibi; secundus mercenarius, et cupit sibi : tertius filius, et defert Patri. Itaque et qui timet, et qui cupit, utique pro se agunt; sola, quæ in filio est, charitas non quærit quæ sua sunt. Hæc autem lex Domini immaculata convertens animas, quæ sola potest avertere animum ab amore mundi, et in Deum dirigere. Nam nec amor, nec timor privatus convertit animum; interdum mutant vultum vel actum, affectum nunquam. Facit servus nonnunquam opus Dei, sed non sponte; facit et mercenarius, sed non gratis. Ubi autem proprietas,

(18) Aug. tom. X.
(19) Responsorium Ecclesiæ.
(20) Chrysost. hom. 10, *in Nat.*
(21) Bernard., epist. 11.

ibi singularitas; ubi singularitas, ibi angulus; ubi angulus, ibi sordes, sive rubigo. Itaque nec lex servi, id est timor; nec lex mercenarii, id est cupiditas, immaculata est, nec animas convertere potest. Charitas autem lex est immaculata, quia nil sibi de suo retinet; quippe cui de proprio nihil est, sed totum quod habet, Dei. Qui autem Dei est, immundus esse non potest. Lex ergo immaculata charitas; quia non quærit quod sibi utile est, sed quod multis. Lex autem Domini, quia ipse ex ea vivit, vel quia eam nullus, nisi dono ipsius possidet. Charitas autem ipsam Trinitatem in unitate cohibet, et colligat in vinculo pacis. Charitas autem, non qualitas, vel accidens, sed substantia. Dicitur enim recte charitas, et Deus, et Dei donum. Itaque charitas dat charitatem, substantia accidentalem. Ubi dantem significat, nomen est substantiæ; ubi donum, qualitas.

Item idem in eadem epistola: « Servus et mercenarius habent legem, non a Domino, sed quam sibi ipsi fecerunt; ille Deum non amando, iste vero aliud amando. » Et post pauca: « Qui autem faciunt, quod ait Apostolus: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* XIII), profecto sicut Deus est, et ipsi sunt in hoc mundo, nec servi aut mercenarii sunt, sed filii. » Et post pauca: « Istis non est lex posita, sed voluntariis eo liberaliter data, quod suaviter inspirata. Unde Dominus. *Tollite jugum meum super vos* (*Matth.* XI). Ac si diceret: Non impono invitis; sed tollite, si vultis. Alioqui non requiem, sed laborem invenietis animabus vestris. Bona itaque lex charitas, et suavis; quæ non solum leniter suaviterque portatur; sed etiam servorum et mercenariorum lege portabiles ac leves reddit; quas utique non destruit, sed facit ut impleantur, dicente Domino: *Non veni solvere legem, sed adimplere* (*Matth.* V). Illam temperat, istam ordinat, utramque levigat, neutram annullat. Nunquam erit charitas sine timore, sed casto; nunquam sine cupiditate, sed ordinata. Implet ergo charitas legem servi, cum infundit devotionem; implet et mercenarii, cum ordinat cupiditatem. Timori autem permista devotio ipsum non annullat, sed castificat. Cupiditas autem tunc recte ordinatur, cum mala penitus respuuntur, et bonis meliora præferuntur, nec bona nisi propter meliora appetuntur. Quod cum fit, et per Dei gratiam sic fieri assuescit, diligitur corpus et omnia corporis bona propter animam, anima propter Deum, Deus propter se ipsum. In primis ergo diligit homo se propter se, in secundo gradu Deum propter se, in tertio Deum propter Deum. In hoc gradu statur. Utrum autem in hac vita quartus perfecte possit apprehendi, scilicet, ut se diligat homo propter Deum, ignoro. Erit autem hoc, cum introductus fuerit bonus servus in gaudium domini sui. »

Hæc S. Bernardus de lege Dei immaculata, quæ A est charitas. Charitas sibi ipsi lex est, et lex æterna; quia Deus charitas est, et Deus æternus est, et charitas æterna. Hæc lex fecit Christum facere quidquid fecit, et pati quidquid passus est. Hæc fecit eum hominem fieri, qui Deus erat; pauperem, qui dives erat; servum, qui Dominus erat: circumcidi, qui nil superfluum; oblatione redimi, qui nihil habebat sub peccato venundatum; baptizari qui nil habebat immundum; accusari, flagellari, et illudi sine culpa, sine causa damnari; et hoc totum ut eos qui sub lege erant, id est sub jugo et onere legis, redimeret. Christus itaque redemit nos ab onere legis Mosaicæ, quando ritum cæremoniarum legalium de medio tulit, et sacramenta novæ legis instituit, virtute, ut ait Augustinus (22), majora, B utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora; tanquam justitia fidei jam revelata. » Deus bone, quam onerosa erant sacramenta illa legalia, in variis baptismatibus et justificationibus carnis, in circumcisione parvulorum, in mactatione pecudum, in excoriatione pellium, in dilaceratione membrorum! Carnificum opus est hoc, non sacerdotale. Sane omnes sacerdotes veteris legis lictores erant, carnifices, et coci. Gratias illi, qui nos redemit ab hoc maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Redemit nos ab onerosa lege Moysi, sacramenta novæ legis instituendo; ab onerosissima lege mortis et peccati, pro nobis moriendo, et a mortuis resurgendo. O quam bene mutatum est sacramentum circumcisionis in sacramentum baptismatis! C Illud masculos valde lædebat, istud neminem lædit; utrumque sexum, omnem ætatem abluit, januam paradisi confestim aperit, et baptizatum, si statim moriatur, intromittit. Quam bene mutatum est sacramentum victimarum in immortalis Agni sacrificium sub specie panis et vini, facilitate honestissima, et nihilominus potentissima virtute constitutum.

Illud vetus sacrificium sacerdotes ipsos, qui alios mundare debebant, polluebat, et cruentabat, infumabat, incinerabat. Ubique occurrebat pollutio corporis, mundatio animæ nusquam. *Impossibile enim* erat, teste Apostolo, *sanguine hircorum et taurorum auferri peccata* (*Hebr.* X). In hoc autem sacrificio novo mun- D datio animarum est efficacissima, inquinatio corporum nulla, sed utriusque hominis, interioris et exterioris, refectio sancta et sobria. Sic redempti sumus ab importabili jugo legis Mosaicæ per sacramenta novæ legis, seu Veritatis evangelicæ, fidei Christianæ, et per eamdem legem a lege peccati et mortis. Ipsa enim est lex spiritus vitæ, id est lex gratiæ spiritualis, et vivificantis, quæ est in Christo Jesu, fides scilicet incarnationis Christi cum sacramentis suis, quæ mortuum vivificat, dum justificat impium. Quisquis ergo vult redimi ab hac lege damnabili peccati et mortis, necesse est ut fiat sub lege Redemptoris; sicut ipse sub lege factus est. Nam

(22) August. lib. XIX, *cont. Faust.*, c. 13.

si ipse nos non redimeret, id est non sub lege fieret, quomodo ab eo redimi potuimus, ut ejus fidem suscipiamus, præcepta servemus, promissa speremus? *Justus autem ex fide vivit* (*Gal.* III). Sicut autem vita animæ fides, sic vita fidei dilectio operans. Nam *fides sine operibus mortua est* (*Jacob.* II). Vita autem dilectionis humilitas se nihil reputans. *Charitas enim non inflatur* (*I Cor.* XIII). Porro vita humilitatis obedientia prompta et hilaris, non in rebus suavibus, et carni placentibus; sed in laboriosis et difficilibus: et ideo vita obedientiæ patientia est, in qua anima possidetur: vita patientiæ perseverantia, cui soli salus æterna promittitur, et datur.

Totum ergo sacramentum festivitatis hodiernæ virtus humilitatis est. Nam ideo purgata est Maria, quæ purgatione non eguit; et oblatio pro Christo facta est secundum legem, qui legi nil debuit; ut celaretur diabolo redemptionis humanæ mysterium, et mundo dedicaretur in matre et filio humilitatis exemplum. Quæ humilitas, quantum in se est, bona sua abscondit; mala sua, si habet, per humilem confessionem detegit; si autem non habet, et habere putatur, purgationem legitimam subire non renuit. Hujus humilitatis duæ filiæ sunt obedientia et patientia; quæ sunt quasi duo brachia charitatis, quibus hodie suscipiendus est puer Jesus a virgine Maria. Sic suscepit eum hodie beatissimus senex ille Simeon, justus et timoratus, exspectans consolationem Israel. Justus per obedientiam implens mandata; timoratus per humilitatem, verens omnia opera sua; exspectans consolationem Israel per patientiam, mundanas et temporales consolationes respuens, ad æternas et cœlestes avidissima exspectatione suspensus. Charitas enim Spiritus sanctus erat in eo: qui sic eum suspenderat per responsum, quod dederat supplicanti. Tota summa salutis humanæ in humilitate est. Facit enim hæc timoratum, id est in timore assiduum; et *beatus homo, qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Qui enim timet, et Deum timet, nihil negligit; nec magna, nec minima. Utinam tantam humilitatem haberemus in peccatis nostris, quantam sancti et perfecti in recte factis! Augustinus ad Dioscorum (23). « Nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Nam cætera vitia in peccatis, superbia recte factis timenda est. » Et postea ait, quemdam rhetorem nobilissimum interrogatum, quid ei primum videretur in præceptis eloquentiæ observandum, respondisse; Pronuntiationem; quid secundo, idem; quid tertio, idem. Sic, inquit, respondendum est de humilitate, in omnibus præceptis Christianæ religionis hæc in primis necessaria est, in secundis, in tertiis. Hæc est enim virtutum principium, profectus, et perfectio. Qui hanc habet, totum habet. Hanc nobis dare dignetur magister humilitatis et mansuetudinis, puer Jesus; per intercessionem humillimæ matris suæ virginis Mariæ, et justi Simeonis: cujus hodie desiderium implevit ipse desideratus omnibus gentibus. Amen.

SERMO VIII.

IN RAMIS PALMARUM I (24).

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Matth.* XVI). Vulgo dicitur: « Qui bene est, non se moveat. » Sed quis bene est, quando in mundo est, qui totus in maligno positus est, id est in potestate maligni, ut ab eo non possit tentari? Quomodo a tentando se abstinebit, qui nec a Salvatore abstinuit? Dies etiam mali sunt, et quotidie posterior dies fit deterior. Unde Dominus: *Nolite solliciti esse de crastino. Ipse enim crastinus sollicitus erit. Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* VI), id est afflictio sua. Hinc est illud filii Sirach: *Numerus dierum hominis, ut multum, centum anni: et quasi guttæ aquæ maris reputati sunt. Parvi et amaritudine pleni* (*Eccli.* XVIII). Et Jacob ad Pharaonem: *Dies peregrinationis vitæ meæ super terram centum et triginta anni, parvi et mali* (*Gen.* XLVII). Si ergo etiam locus in quo sumus, in maligno positus est, et dies nostri mali, et tempus pessimum, quis bene hic est? Non ergo ad nos pertinet; « Qui bene stat, non se moveat. » Sed tunc plane, et tunc primo bene erimus, quando in gaudium Domini nostri introducti fuerimus; ut jam inde non moveamur. Interim movendum nobis est; quia migrandum a labore in requiem, a bello in pacem. Unde Michæas: *Surgite, et ite, quia non habetis hic requiem* (*Mich.* II). Quasi dicat: Non estis hic bene. *Timenti Dominum bene erit in extremis; et in die defunctionis suæ benedicetur* (*Eccli.* I). Vita præsens via est. *In via hac quam ambulabam, posuerunt laqueum mihi* (*Psal.* CXLI). Ex quo nascimur, imus: quis enim stat? Quis non, ex quo vitam intravit, cogitur ambulare? Infans natus est, crescendo ambulat. Via ista periculosa est; quia sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit. *Imitatores mei*, ait Apostolus, *estote, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram* (*Philip.* III). Quasi dicat: Habete prudentiam lupi, qui communiter sequitur hominum vestigia, non luporum; persuasit enim sibi, quod melius sibi cavere sciat in dubiis homo, quam lupus. Unde sequitur in Apostolo: *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, et nunc flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus*, etc. (*ibid.*) Qui bene vivit, bene vadit, quia ad regnum cœlorum vadit: et nusquam alibi beatitudo est. Qui autem male vivit, male vadit; quia ad carcerem inferni vadit, ubi summa et æterna calamitas est.

Quid est bene vivere? Ut ait B. Bernardus (25), bene vivere est bona agere, et mala tolerare. Men-

(23) Aug., epist. 56, post med.

(24) Hic sermo totus Gallice pronuntiatus est, et ultimus fuit auctoris, ut habet autographum.

(25) Bernar. ser. in festo Petri et Pauli.

tita est illorum iniquitas sibi qui dicunt eos bene vivere, qui se bene pascunt, qui suis voluptatibus obsequuntur, juxta illud Terentianum in Hecyra.

Quid reliquit Phania
Consobrinus noster?

ait Laches. Cui respondet Pamphilus:

Homo voluptati obsequens
Fuit dum vixit, et qui sic sunt, haud multum here- [*dem juvant*;
Sibi vero hanc laudem relinquunt: Vixit, dum vixit, [*bene.*

(TERENT., *Hec.* act. III, sc. 5.)

Unde Sidonius de quodam parasito, quem non tam pascebat suus panis, quam panis alienus, laudabilem non de bene vivente, sed de bene pascente profert sententiam. Igitur qui bona agunt, et mala tolerant, ipsi bene vivunt, et bene vadunt, et recti ambulant. Duæ namque sunt tantum viæ: una quæ ducit ad cœlum, altera quæ ad infernum. Qui in prima non est, in secunda est. Prima via recta est, quæ ducit hominem ad patriam suam, non in qua natus est, sed ad quam creatus est: propter quam in baptismo renatus. Nam, ut ait Hieronymus, præsenti sæculo nascimur, futuro renascimur. De hac via dicit Psalmista: *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis* (*Psal.* CVI). Via quæ ducit ad infernum, quamvis recte ducat ad eum, tamen recta dici non potest; quia facit hominem errare, et in latronum manus incidere, juxta illud Evangelicum: *Homo quidam descendebat a Jerusalem, in Jericho; et incidit in latrones* (*Luc.* X). Utraque via ducem suum habet, et antesignanum. Viæ infernalis dux est diabolus, qui primus illam invenit; qui est rex super omnes filios superbiæ. Signum ejus superbia est; quæ facit contemnere Deum in flagellis, in præceptis sapientem, in beneficiis benignum et dulcem. Primus contemptus facit impavidum, et ideo infelicem. *Beatus* enim *homo, qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Qui vero mentis est duræ, id est impavidæ, corruet in malum. Secundus contemptus facit inobedientem, tertius ingratum. Et quis illo infelicior, qui impavidus est ad pericula, inobediens ad præcepta, ingratus ad beneficia? Sequitur enim, ut idem sit inverecundus ad turpia, inhumanus ad humana, et incredulus ad consilia, incredulus ad hortamenta. Unde legitur de diabolo: *Cor ejus indurabitur ut lapis; quasi stipulam æstimabit malleum; non fugabit eum vir sagittarius: in stipulam versi sunt ei lapides fundæ* (*Job* XLI.) Et certe quando sanctus Job ista dicebat, jam cor diaboli induratum erat ut lapis, imo plus quam lapis. Cum hoc dixit, verbo futuri temporis usus est dicens: *indurabitur*, et non, induratum est; ut ostenderet se non de capite diabolo tantum, sed de membris ejus loqui.

Cor enim diaboli est, quicunque scienter facit et perficit ejus voluntatem. Voluntas diaboli mala, et male placens, et in malo posita, est, ut peccator a via sua mala nunquam convertatur, ut sic æternæ damnationis hæres cum eo efficiatur. Cor lapideum est (quod a nobis auferat Deus per suam clementiam!) quod futuri judicii comminationem non timet: hunc autem non timere vel parvipendere, est malleum judicialis sententiæ quasi stipulam æstimare. Tripliciter punit Deus peccatores, virga, baculo, malleo. Virga in præsenti, baculo in pœnis purgatoriis, malleo in supplicio gehennali. Virga erudiuntur filii, baculo percutiuntur servi, malleo conteruntur inimici. Hunc malleum quasi stipulam æstimat, qui damnationem æternam aut nunquam futuram credit, aut levem futuram putat. Istum de loco suo nunquam fugabit vir sagittarius, id est prædicator ecclesiasticus. Locus enim hujus peccatoris recte situs est in ipso ictu petrariæ, id est comminationis divinæ mortem intentantis æternam. Hæc enim comminatio et de longe jacit, ac etiam horrende ferit, tanquam petraria, et tanquam malleus omnia conterens. Quisquis ergo exaudito sæpius sermone divino minime corrigitur, cor ejus sicut et cor diaboli, ut lapis induratur. Hic igitur triplex contemptus superbiæ character est bestiæ, de quo loquitur Apocalypsi: *Et factum est vulnus sævum ac pessimum, in homines qui habebant characterem bestiæ* (*Apoc.* XVI). Character bestiæ, id est Antichristi, sive diaboli, superbia est: vulnus sævum ac pessimum, inobedientia, et impœnitentia. Inobedientia est, quasi aurium præcisio; impœnitentia, quasi ferri candentis inustio: contemptus mandatorum Dei, est quasi oculorum effossio.

Hujusmodi signa solent fieri in latronibus prima vice deprehensis, quando eis parcitur a suspendio, ut si denuo deprehensi fuerint, justius suspendantur. Sic facit Dominus peccatoribus, qui admoniti pœnitere nolunt, et quos ipse longanimiter exspectat, ut tandem aliquando convertantur. Justo quippe, sed terribili et occulto judicio permittit eos exauriculari per obedientiam, inuri per impudentiam, excæcari per contemptum. Cum enim dicat Augustinus: « Qui incipit credere, incipit judicium timere; » procul dubio qui non timet, non credit. Unde: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare; et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* 15). Qui autem non credit, non videt. Sicut enim fides lux est; sic infidelitas nox. Unde Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V). Isti justissime suspendendi sunt: quando illi in judicio omnes fuerint deprehensi, tanquam in retiaculo Domini, juxta illud: *Cadent in retiaculo ejus peccatores* (*Psal.* XL.). Dies enim Domini tanquam fur in nocte, ita veniet: et ideo sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo, sic homines capientur in tempore malo, cum eis extemplo superveniet. Non est ergo sequendus antesignanus iste, nec character ejus sumendus. Magis sequamur Christum ad Patrem suum, qui in cœlis est, euntem, et signum crucis portantem, imo crucem ipsam bajulantem, et dicentem: *Si quis vult*, etc. (*Matth.* XVI). Hic est autem signifer noster,

qui tanquam pastor bonus cum oves suas emiserit, ante eas vadit. Signum ejus crux est. Quod signum ipse de cœlo attulit, non in terra primum sumpsit. In cruce siquidem forma duplex ostenditur, hominis et Dei : hominis visibiliter, Dei invisibiliter. Forma hominis ibi apparet in binaria divisione longitudinis et latitudinis : propter geminam substantiam animæ et corporis, quæ sine mediatore ad Trinitatis conformationem occursura non erat, quando de limo terræ homo in forma crucis manu formabatur artificis longus et latus, ut semper viveret et feliciter tanquam Deus. Sic enim ipse mediator attestatus est qui ait : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV). Medius hic hominum stetit, quem Judæi nescierunt. Ideo in divisionis binario remanserunt; lati, in quibus multiplicata est ruina; longi, ut eorum miseria sit æterna. Ipsi sunt enim populus, cui iratus est Dominus in æternum. Forma Dei in illo quaternario intelligitur, de quo dixit Apostolus : *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo et latitudo, sublimitas et profundum* (*Ephes.* III). Radix naturæ Pater est, fundamentum Ecclesiæ Christus; charitas Patris et Filii et Spiritus sancti credere, id est firmissima dilectione tendere in Deum Patrem et Filium, et Spiritum sanctum. Sic enim comprehenditur quæ sit latitudo dilectionis divinæ, longitudo æternitatis, sublimitas potestatis, profundum sapientiæ. Quorum primum maxime apparuit in passione Domini, quando manus suas expandit in cruce, secundum in Resurrectione; tertium in Ascensione, quartum in missione Spiritus sancti. De primo : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* (*Matth.* XXIII.) De secundo : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur* (*Rom.* VI). De tertio : « Deus cujus Filius in alta cœlorum potenter captivitatem nostram sua duxit virtute captivam (26). » De quarto : *Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnem veritatem* (*Joan.* XIV). Unde Leo papa; « O quam velox est sermo sapientiæ, et ubi Deus magister est, quam cito discitur, quod docetur (27)! » At Spiritus sanctus missus non fuisset, nisi Christus in cœlum corporaliter ascendisset, juxta illud : *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos* (*Joan.* XVI). Similiter nunquam in cœlum cum glorificato corpore ascendisset, nisi prius mortuus surrexisset. Unde Joannes ipsam resurrectionem et ascensionem significans causam fuisse missionis Spiritus sancti, ait : *Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*Joan.* VII). Porro nunquam surrexisset a mortuis, nisi prius mortuus fuisset. Sed nullo mortis genere melius suam poterat latitudinem dilectionis ostendere, quam brachiis extensis moriendo in cruce. Ideo Apostolus

A prius latitudinem nominavit. Hoc igitur signum felicitatis æternæ factus ante nos antesignanus noster, sic nos invitat ad bellum : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI). Neminem cogit, sed in voluntate cujuslibet dimittit, utrum se sequi velit. Deus enim coacta non admittit obsequia, tanta est libertas humani arbitrii, ut nemo invitus malus esse possit vel bonus. Denique nullus tunc temporis hoc perficere volebat. Nam ille qui prius dixerat : *Eamus et moriamur cum eo* (*Joan.* XI); et ille qui promiserat dicens : *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XXVI), cum ad rem ventum est, noluerunt. Sed nec necesse erat, ut quis cum eo moreretur. Mors enim ejus solius ad re-

B demptionem omnium sufficiebat, unde : *Singulariter sum ego donec transeam* (*Psal.* CXL), et : *Torcular calcavi solus* (*Isai.* LXIII) Vir enim nullus cum eo mori paratus fuit, sed femina una mater ejus parata erat. Mors tamen ejus etsi tunc oblata est ex desiderio, suscepta non est in passionis conservo, tanquam non necessaria in redemptionis mysterio. Ideo autem non dixit : Si quis venit post me, sed *Si quis vult venire post me*, ut ostenderet bonæ voluntatis propositum Deo penitus persolvendum, nullaque minoris boni commutatione implendum. Unde Gregorius : « Quisquis aliquod majus bonum proposuit, minus bonum, quod prius licuerat, illicitum sibi fecit. »

C Cum prima nostri ordinis jacerentur fundamenta, erat in Ecclesia Lugdunensi clericus honestus et honorabilis Joannes, qui rumore bono et odorifero nostri ordinis conpunctus, tacitus secum proposuit in nostro se collegio sociandum. Quod propositum post paucos dies subeunte alia cogitatione mutavit; et pro quadam recompensatione peregrinationem sancti Jacobi arripuit. Qua devote completa rediens gratulabunde susceptus a domesticis, et fatigatus ex itinere, in cubiculum se recepit. Quiescenti illi mox adfuit Deus et Dominus noster Jesus Christus cum duobus beatis apostolis Petro et Jacobo. Quorum Petrus librum manu tenebat, quem præcepit Dominus aperiri. Erat autem scriptus litteris aureis, continens nomina prædestinatorum. Jussus

D ergo apostolus cœpit legere; et cum ibi legeret nomen Joannis illius : « Tolle, ait Dominus, tolle; dele eum, dele qui meum se futurum promiserat, et resiliit a promisso. » Accedens autem propius sanctus Jacobus, et obsecrans, dicebat : « Domine, meus est peregrinus, ne deleas, obsecro nomen ejus. » Cui Dominus : « Meus, inquit, non peregrinus, sed civis esse debuerat. Nonne majus est, civem meum esse, quam tuum peregrinum? » Apostolus autem Jacobus persistens in supplicatione : « Ne deleas, inquit, Domine piissime, ne deleas eum, obsecro. Ego tibi pro eo fidejubeo, quod faciet quod promiserat. » Et Dominus ad eum : « Quando faciet? »

(26) *Oratio Ecclesiæ.*

(27) Leo, serm. *in Pentecosten.*

Apostolus autem: « Infra quindecim dies. » Excitatus ad hæc verba Joannes solo prosternitur, et fidejussori suo cum uberrima lacrymarum effusione gratias agit dicens: « Faciam prorsus, apostole sancte, faciam quod tam misericorditer pro me pollicitus es. » Non multo post fletum magnum iterum obdormivit; iterumque Dominus cum prædictis apostolis adfuit, jussitque iterum librum aperiri; in quo audivit idem Joannes beatum Petrum legentem: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento* (*Cant.* I). Mox Joannes surgens, et præfixum diem præveniens, adimplevit votum. Hic fuit primus abbas cœnobii Bonævallis, et post Ecclesiæ Valentinæ antistes: cujus vita et mors multis meritis et miraculis claruit. Plane merito Israelitis improperatur, quod corde redierint in Ægyptum; quando iste Joannes, quia a Cistercio corde resiliebat, jussus est deleri de libro vitæ.

Simulque considerandum nobis est, quanta devotione sanctorum nobis sunt imploranda suffragia; qui tam amicabiliter spondent pro nobis, et tam efficaciter intercedunt. Erubescant igitur canes Albigenses, qui contra veritatem latrando, mentiuntur, eorum orationem nihil nobis prodesse; qui non solum tanquam canes improbi et importuni lapidibus et baculis abigendi sunt, sed etiam tanquam canes rabidi confodiendi gladiis, vel ignibus comburendi. Igitur velle venire post Jesum, est proponere vivere ad illius exemplum. Quod quicunque proponit, ad hoc ut solvat votum, oportet, ut abneget se, id est reputet se nil esse, nil posse, nil valere, nisi in quantum timet Deum, et mandata ejus observat; hoc est enim omnis homo, id est in tantum est omnis homo aliquid, in quantum hoc agit ad quod creatus est. Alioqui qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit (*Jac.* I). In baptismate abnegat homo diabolum, in conversatione abnegare debet semetipsum. Abnegat diabolum, qui firmissime credit eum nil posse, nil sapere, nil valere, id est nihil boni velle, quia nihil factus est, et non erit in perpetuum. Similiter abnegat semetipsum, qui quidquid habet potentiæ, quidquid sapientiæ et gratiæ, nihil esse reputat, quantum ad suum meritum, sed tantummodo quantum ad gratuitum Dei donum. *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV.) Sic se abnegabat, qui dicebat: *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor.* XV). Istam abnegationem generat cognitio infirmitatis humanæ, quæ in quatuor gradibus consistit: duobus in consideratione mali; et duobus in consideratione boni, ut sciamus nos nullum malum nostra virtute cavere posse, et a nullo malo post lapsum nostra virtute posse resurgere: ut cognoscamus nos ad nullum bonum nostra sola industria posse convalescere Unde Abraham ad Dominum: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (*Genes.* XVIII). Pulvis ad omnem statum de suo loco excutitur, quocunque dejectus nunquam nisi alieno le-

A vatur. Ecce in his duobus est forma defectus humani, quantum pertinet ad considerationem boni. Cujus ex se nullum omnino granum producit, et aliunde susceptum nulla pinguedine nutrire sufficit: ecce forma defectus humani; quantum pertinet ad considerationem boni. Facile semetipsum abnegat, qui defectum suum ita considerat. Nullum defectum in se habebat Dei Filius, qui tamen semetipsum quodammodo abnegavit, quando *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens; in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II). Quanto magis debet semetipsum abnegare, qui in semetipso ex toto deficit, et ad nullum bonum ex seipso sufficit?

B Porro in tribus gradibus constat abnegatio sui ipsius. Prius est enim abnegare sua, deinde suos, deinde semetipsum, Abnegat sua, qui vendit omnia quæ habet, et dat pauperibus; abnegat suos, qui relinquit omnia, domum, patrem, et matrem, fratres et sorores, et cæteros parentes, agros, et vineas, et cæteras possessiones, ut centuplum in spiritualibus recipiat, et vitam æternam in extremis possideat (*Matth.* XIX) Multi infelices in religione sunt. Qui cum omnia bona sua in professione abnegaverint, parentes tamen suos abnegare non possunt; sed propter eos furta perpetrant et sacrilegia; dantes eis de rebus monasterii quidquid possunt. Abnegare se est corpus suum castigare, C mundi hujus delicias non amplecti, sed potius respuere et subtrahere corpori suo omnes voluptates non necessarias. Abnegare semetipsum est voluntatem propriam odire. Abnegat sua charitas, quæ *non quærit quæ sua sunt* (*I Cor.* XIII): abnegat castitas, quæ castigat corpus suum, et in servitutem redigit (*I Cor.* IX). Abnegat semetipsam obediens humilitas, quæ non facit voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illam (*Joan.* VI), id est qui præest ei. Sic se abnegabat Apostolus dicens: *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II). Et ille qui ad mulierem olim male sibi cognitam, et dicentem, « Ego sum, » respondebat: « Et si tu es tu, sed ego non sum ego. » Sic cum omnia vitia nostra vetera et per Dei gratiam jam a nobis exD pulsa, cum iterum ad nos improbe et importune pulsant, debemus respondere. « Ego jam non sum ego. »

Sequitur: *Et tollat crucem suam* (*Matth.* XVI). Superius dictum est, quod bene vivere est bona agere, et mala tolerare Prima pars continetur in abnegatione sui ipsius, quæ facit largum, et paupertatis amatorem, castum et sobrium, obedientem et humilem. Secunda pars continetur in eo quod sequitur *Tollat crucem suam.* Crux eo tempore quo passus est Christus, contumeliosissimum genus erat supplicii, et acerbissimum, et maximo apud Judæos et Romanos habebatur in usu. Unde poeta:

Non furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus: habes pretium, loris non ureris, aio.

Non pasces cruce corvos.

(HORAT., *Epist.* l. 1, ep. 16.)

Crucem ergo post Christum tollere, est omnes contumelias, injurias et molestias pro Christo tolerare. Non omnes qui cruciantur, crucem suam ferunt. Est qui crucem portat, sed non suam, ut Simon Cyrenæus : est qui crucem suam patitur, id est quam peccando invenit, sed tamen non eam tollit; quia cruciatum suum non æquanimiter accipit, nec pœnitet de malo facto suo, sed murmurat de justo judicio, et contra stimulum calcitrat, ut latro ille pessimus impœnitens et blasphemans. Est qui crucem suam tollit, quia cruciatum quem velut æquanimiter accipit, et seipsum accusando, et juste condemnatum confitendo leviorem reddit, ut beatus ille latro pœnitens, et continens qui et seipsum accusabat, et blasphemantem socium arguebat, et innocenti Christo compatiebatur, et eum metuebat; judicem reus deprecabatur, et regem servus dicens : *Nos quidem juste digna factis recipimus : hic autem quid fecit ?* (*Luc.* XXIII.) Quare ergo neque tu miser times Deum, quoniam in eadem damnatione es qua et ego? Et conversus ad Dominum qui pendebat medius, tanquam in lance media pensans merita utriusque, dicebat : *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*ibid.*).

Mira confessio hæc latronis, et mira petitio Jesus patibulo tenebatur affixus clavis, sicut et ipse latro, et alius pendens cum eo. Ibant tamen omnes, sed solus Jesus per supplicium ibat ad regnum. *Exsultavit* enim *ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII). Et licet confixus clavis currebat ad gloriam : illi autem per supplicium ibant ad judicium : sed blasphemus latro ad judicium sine misericordia, qui nec sibi ipsi faciebat misericordiam, ut misereretur animæ suæ placens Deo, ut seipsum judicans judicaretur : latroni autem confitenti, qui se ipsum judicabat, tanquam humili et exiguo concessa est misericordia, et ideo statim audivit ab ore misericordiæ : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Est autem *qui crucem suam tollit*, suam dico, non quam ipse meruit, sed quam sibi imposuit, ut Christus, quæ non rapuerat pro aliis exsolvens. Similiter crucem suam tulerunt martyres, ut sequerentur Agnum quocumque vadit, innocentiam simul et patientiam conservando. Est item, qui crucem meretur, sed eam non patitur : ut Barrabas dimissus injusta petitione Judæorum, et injusto judicio Pilati. Talis est omnis peccator impunitus, quo nihil infelicius. Nam, ut ait Augustinus, nihil est infelicius felicitate peccantium. Hæc prosperitas stultorum perdit illos. Isti sunt Barabbas, id est filii magistri, quia diabolum magistrum habent in scelere, Barabbas, id est filii patris, quia eumdem diabolum patrem habent in hæreditate infelicissimi omnium, sive Simones Cyrenæi id est hypocritæ, qui crucem alienam portant in angaria, bonum opus per studium vanitatis agentes, et rem A justi sine fructu justitiæ operantes; qui videntur esse obedientes, sed non sunt; et hæreditatem consecuturi, sed non consequentur, quia mercedem suam hic recipiunt. Tollamus ergo crucem nostram, aut cum Christo persecutionem patiendo propter justitiam; aut cum beato latrone vindicando Deum de nobis per patientiam. Gregorius duobus modis dicit crucem tolli (28) « Cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem affligitur animus. » Augustinus ad Lætum scribens inter cætera sic ait (29) : « Crucem nostram quam ferre jubemur a Domino, quid aliud debemus intelligere, quam mortalitatem carnis hujus? Ipsa autem nos vexat donec absorbeatur mors a victoria. Crux ergo hæc ipsa crucifigenda, et transfigenda clavis timoris B Domini, ne salvis et liberis membris reluctantem portare non possis. Sequi autem Dominum nisi eam portans omnino non vales. Nam quomodo eum sequeris, si non es ejus? *Qui* autem *Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum passionibus et desideriis* (*Galat.* V), hæc Augustini. Tollat inquit crucem suam et sequatur me; id est in sequendo me perseveret. Sic sequatur ut consequatur. Non enim sequi dicitur aliquem qui modo vadit post eum, modo recedit ab eo. Sed dicit aliquis : difficile est sequi crucifixum. Quid enim est homo, ut possit sequi regem factorem suum? Fratres, Christus ad sequendum se non solum nos invitat, sed etiam adjuvat. Est enim pastor bonus, non mercenarius, non fugiens a lupis, sed lupos in C fugam vertens, qui oves suas vocat nominatim, et emittit eas; et cum eas emiserit, ante illas vadit, tanquam dux itineris; sed et post eas tanquam custos gregis, et circuit eas tanquam defensor earum, juxta illud : *Montes in circuitu ejus et Dominus in circuitu populi sui* (*Psal.* CXXIV), et in medio ipsarum deambulat tanquam adjutor omnium, juxta illud : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Adjutor in opportunitatibus in tribulatione, voluntatem timentium se faciens, et deprecationem earum exaudiet, et salvos faciet eos; quis speravit in eum et confusus est? *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXXIII). Sine illo nil possumus facere, et omnia possumus D in eo qui nos confortat.

In principio nostri ordinis erat quidam clericus de Vandopera studens in schola apud Lugdunum. Hic vidit in visione noctis quamdam vallis planitiem sub quodam monte, super quem montem civitas quædam sita erat, tantæ pulchritudinis, ut nemo aspectu illius posset satiari : et quisquis eam videbat, modis omnibus laborabat, quomodo ad eam pervenire posset. Interea vidit clericus ille fluvium quemdam circa pedem montis decurrentem, quem dum circuiret quærens artem quomodo illum transmeare posset, vidit super ripam fluminis duodecim, sive quatuordecim pauperes lavantes tunicas suas

(28) Greg., hom. 32 *in Evang.*

(29) August., epist. 38.

in flumine, inter quos erat quidam vir veste candidissima indutus, multum aliis dissimilis, et longe cunctos præcellens, qui adjuvabat illos ad suas tunicas abluendas. Et postquam adjuverat unum, ibat adjuvare alium, sic omnes per ordinem percurrens. Tunc clericus qui hæc videbat, ivit ad illum qui cæteros adjuvabat, et dicit ei : Quæ gens estis vos? qui respondit : Isti pauperes, homines sunt pœnitentiam agentes, qui se lavant et purgant a peccatis suis : ego sum Jesus Christus Filius Dei; sine cujus auxilio nec isti nec alii possunt bene facere : qui auxilium meum nulli petenti denego, sed omnibus libenter impendo. Civitas hæc pulcherrima quam vides, paradisus est ubi ego maneo; quæ multo pulchrior est intus quam foris appareat. Ibi manent mecum, qui jam tunicas suas laverunt, id est qui se ab omnibus peccatis jam penitus purgaverunt. Quilibet istorum quando tunicam suam laverit, id est quando pœnitentiam peregerit, in illam civitatem intrabit : nec est alia via quæ ducat ad illam, quam pœnitentia. Tu ipse satis diu quæsiisti viam, qua pervenire possis ad illam, sed aliam nunquam invenies, nec tu, nec alius, quam viam pœnitentiæ, id est tunicæ abluendæ. Ad hæc verba excitatus clericus a somno, congratulari cœpit visioni, et significationem ejus cum timore quodam mirari, cumque non multo post reversus esset a schola in patriam, narravit visionem episcopo Cabilonensi, cui familiaris erat. Qua audita, episcopus suasit ei sæculum relinquere : dicens quod Dominus piissimus eum ad religionem vocaret : commendans ei super omnes ordines Cisterciensem, qui nuper incœperat. Venit ergo Cistercium, et invenit locum incultum et desertum, et fratres inter bestias conversantes. Ad portam monasterii quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus, cujus sonitu portarius vocabatur. Qui citatus hoc sonitu venit ad eum foras, et inclinans salutavit eum. Quem clericus intuens, statim recognovit eum se vidisse inter illos pauperes, qui tunicas suas in flumine lavabant. Clericus autem rogavit eum ut adduceret ad se abbatem. Portarius autem respondit : Jam exibit cum aliis ad laborem, et poteritis omnes videre. Nec multo post egressus est abbas cum conventu. Clericus autem omnes intuens, recognovit esse illos pauperes, quos viderat tunicas suas in flumine lavare. Statimque cecidit ad pedes abbatis, rogans cum lacrymis, ut susciperent eum in suo collegio. Cumque abbas responderet ordinem difficillimum esse ad portandum, ait clericus : Bonum adjutorem habetis, et spero in Deum, quod me adjuvabit, sicut et cæteros; referensque visionem valde confortavit omnes, et ita susceptus est : qui et non multo post prior factus est. Nolite ergo, fratres, nolite, obsecro, pusillanimes fieri : nolite timere sequi Crucifixum antesignanum nostrum, et tollere crucem vestram post eum : quia revera eumdem habemus adjutorem, quem et ductorem, Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Obiit Elinandus post sermonem istum.

SERMO IX.

IN RAMIS PALMARUM II.

Equitatio tua salus (*Hubac.* III). Salvatoris adventum a monte Oliveti in civitatem David tam mirabilem, quam mirabiliter humilem, alacritate satis admirabili suscepit hodie officiosissima puerorum simplicitas, et obsequentissima turbarum multitudo. Quid mirabilius, quam quod ad adventum hujus pauperis in asino sedentis via certatim sternitur a pueris, et tam ramis arborum, quam vestibus ipsorum, etiam eidem pauperi, tanquam vero Salvatori, Hosanna Davidicum festivo et unanimi conclamatur applausu? O vere nova et insolita Regis equitatio, et talis Regis! cum, qui sedet super cherubim, consessor Patris, assessor æquitatis : possessor cœli, sessor aselli fieri dignatus est! O iterum nova et stupenda Regis salvatio ita equitantis! quando pauper sedens super asinum, tanquam vilis et abjectus, ac risui exponendus, honoratur ut imperator, adoratur ut Redemptor, suscipitur ut Salvator! Vere *magna opera Domini : exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX). Vere sapientia semper sapienter agit. Non poterat Rex gloriæ et humilitatis magister gloriosius suscipi, vel humilius advenire. Jam tunc in illius exempli formula illa judicialis regula cœlestis sapientiæ formabatur. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV). Quanto magis humiliabatur Deus in seipso, tanto magis exaltabatur a populo : et contentione pulcherrima quanto promptior erat humilitas ad fugiendam gloriam, tanto pernicior erat gloria ad humilitatem persequendam. Legimus sane nonnullos gloriosos terræ olim a quibusdam regiis civitatibus ambitiosissime fuisse susceptos. Sed quid mirum, quando ipsi ad eos ambitiosius veniebant? Non enim sedebant in asinis, sed in equis et curribus, quadrigis et navibus pompatice incedebant; multum præ se ferentes pulveris, virtutis minimum, salutis nihil; destructionis plurimum, vanitatis totum. Sic susceptus est olim a Syris Holofernes, Antiochus a Jasone, Cecilianus a templorum pontificibus. Sic susceptus est olim Alexander Philopompus ab Hierosolymitanis, Plato philosophus a Syracusanis, Cæsar Julius a Romanis. Primus propter terrorem potentiæ, secundus propter honorem sapientiæ, tertius autem non solum propter favorem victoriæ, quam de Gallis habuerat; sed etiam propter amorem benignitatis et indulgentiæ, qua milites suos tractare consueverat, quos commilitones appellabat; quo nomine ipse primus omnium in concione usus est ad suos milites imperator. Sed ecce plusquam Alexander hic, quia potentior; ecce plusquam Plato hic, quia sapientior; ecce plusquam Cæsar hic, quia benignior. Si ergo illi miserrimi peccatores, et infernalis miseriæ perpetui hæredes in tanta gloria suscepti sunt, quam gloriose suscipiendus est a nobis hodie Jesus meus

Deus verus, et Dei Filius : sine peccato conceptus, A sine tædio portatus, sine dolore parientis natus! qui, tanquam verus sol justitiæ, ortu suo mundum illuminavit, paupertate ditavit, verbo curavit, exemplo docuit, morte redemit. Quam merito ergo illi acclamatur a Propheta : *Equitatio tua salus.* Sic legitur in antiqua translatione, ubi nos habemus, *quadrigæ tuæ salvatio.* Salvis autem aliis intellectibus sanis et catholicis, hanc equitationem in hoc loco non inconvenienter accipere possumus hodiernam Domini super asinum sessionem. Equus enim speciale quidem vocabulum est : equitare vero generale verbum est, ad quemlibet similem modum vectitandi, juxta illud Flacci :

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

B Ait ergo sub persona turbæ obviam Domino venientis. *Equitatio tua salus.* Et sciendum quod abundantiori honore circumdatus est hodie Dominus super terram, quam unquam fuerat. Quando enim annuntiatus est ab angelis, soli pastores hoc audierunt : quando requisitus a pastoribus, nulli alii cum eis perrexerunt; quando nuntiatus a stella, soli tres magi hoc intellexerunt; quando adoratus a magis, nulli cum eis adoraverunt; quando oblatus est in templo a parentibus, nulli cum eis tunc perrexerunt; quando susceptus a Simeone et Anna, ipsi soli devotionem fidei ei obtulerunt. Hodie vero turbæ magnæ quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : *Benedictus qui venit in nomine Domini* C (*Matth.* XXI). Quæritur ergo qua ratione tam humiliter adveniens, tam gloriose susceptus sit; vel tam gloriose suscipiendus, tam humiliter advenerit. Primam quæstionem nobis absolvit, dicens : *Propterea exivit ei obviam turba, quia audivit eum hoc signum fecisse :* scilicet, de quo dixerat *Testimonium perhibebat turba, quæ fuerat cum eo, quando Lazarum vocavit a monumento, et suscitavit eum a mortuis* (*Joan.* XII). Maxime quidem Dominus quatriduanum mortuum jam fetentem potentissimi verbi virtute ad vitam revocaverat de sepulchro. Hujus celeberrimi celeberrima fama miraculi, aures hominum novitate gaudentes novæ admirationis clarissimo tinnitu circumsonans, æmulos ad odium, humiles ad obsequium stimulabat. Hinc enim collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Cogitaverunt quoque, ut et Lazarum interficerent; quia multi propter ipsum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. Turbæ vero, quia audierant eum fecisse hoc signum, cum floribus et palmis Salvatori obviam occurrerunt. O infelicissimum genus morbi invidia! quæ causam mortis habet odorem bonum, qui est aliis causa vitæ. O genus morbi, omni genere tormenti patientem excrucians! cui ipsa est clavus in oculo, lancea in latere, phtisis in pulmone, cancer in corde, erisipela in hepate, icteritia in facie, noli me tangere in toto corpore; juxta illud :

Invidia Siculi non invenere tyranni
Tormentum majus.
(HORAT. *Epist.*, lib. I, ep. II, 48.)

Hæc est arbor universaliter mala, et æternaliter maledicta; cujus radix superbia, truncus malevolentia, rami rancor et odium, folia detractio et mendacium, flores pallor et macies, fructus dolor et gaudium; sed dolor, quem non extorquet, nisi gaudium alterius; gaudium, quod non extorquet nisi dolor alterius juxta illud :

Insultare malis, rebusque ægrescere lætis.

Et iterum :

Risus abest, nisi quem visi movere dolores.
(OVID., *Metamorph.*. lib. II, 727.)

Quid est invidia? Fraus illa potentissima; quæ spoliavit cœlum, ditavit infernum, hæreditavit mundum, prostravit Satanam, substravit Evam, infecit Cain, interfecit Abel, vendidit Joseph, perdidit Saul, concussit Joab, percussit Abner, exclusit Hilarium, Danielem inclusit, confixit Judaismum, Dei Filium crucifixit, juxta illud : *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.* (*Marc.* XV). Quid est invidia? Fera pessima et pestilentissima; pestis feralissima, et ferocissima. Omne bonum alterius, quod audit odit, quod videt invidet, quod aspicit despicit, quod tangit exstinguit, quod inficit interficit, quod corripit corrumpit. Quid est invidia? Robur malitiæ, virtus nequitiæ, vitiorum satio, virtutum rubigo, lues sæcularium, tabes claustralium, vita diaboli, mors Christiani, juxta illud : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.*, II). Quid est invidia? Fortissimum et inexpugnabile iniquitatis præsidium omni artificio nocendi compositum, omni telo malignitatis armatum, dente minatur ut aper, lingua ut coluber, cornu ut taurus, fronte ut aries, pede ut equus, cauda ut scorpius, visu vocem tollit ut lupus, vitam ut regulus, juxta illud :

. . . *Lupi Mærin videre priora*
(VIRG., *Bucol.*, ecl. IX, 54.)

Et iterum :

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
(ID., *ibid.*, ecl. III, 103.)

O quam fascinatores habebat oculos, qui de Jesu D nostro dicebat : *Gravis est nobis etiam ad videndum* (*Sap.* II). Sic nimirum solis justitiæ visus, et idem radius, in diversas materias dissimiliter operans, lutum invidiæ indurabat ad odium, et ceram pietatis ad devotionis obsequium molliebat. Nam cogitantibus Pharisæis de morte Christi, turbæ illi occurrentes ambitiosissima cum devotione suscipiunt; ut *qui in sordibus sunt, sordescant adhuc, et justi justificentur adhuc* (*Apoc.* XXII). Sed rursus quæritur, quare tam gloriose suscipiendus, tam ingloriosus advenerit, super asinum videlicet equitando. Quid est enim hoc, quod hic ipse qui pridie suscitavit Lazarum tanquam Dei virtus, nunc sedet super asinum, tanquam quidam Lazarus? Nam leprosi est sic equitare. Fortassis ideo dictum est : *Et nos*

putavimus eum quasi leprosum (*Isa.* LI). Ad hæc sic A respondendum est: Duo sunt, quæ in hoc adventu suo probare volebat Dominus, videlicet se esse Regem gloriæ et humilitatis magistrum. Primum probat per testimonia puerorum mentiri nescientium, vel adulari. Nihil enim, ut ait orator egregius, puero teste certius, qui ad eos annos pervenit, quibus intelligat; nondum ad eos quibus fingat. Secundum probavit per modum equitandi personæ regiæ indecentissimum. Nullus enim genus procedendi in publicum minus Regi congruebat, quam sic equitare. Abjectius et contemptibilius sic procedit, quam si pedes incederet. Nam pedibus incedere tam nobilibus quam ignobilibus commune est; in asino vero equitare, secundum sæculi consuetudinem, nonnisi ad ignobiles et B despectos pertinet. Prævidens ergo Dominus turbam sibi honorifice occursuram, et se Regis nomine salutandum, noluit equum vel currum ascendere, quia non consueverat; sed nec eum decebat uti tali vehiculo, ne dignitatis fastum et extollentiam affectare videretur. Noluit ergo pedes ad eos procedere, sicut solitus fuerat, ne forte videretur eis occasionem dedisse rapiendi se, et ad honorem regium vel coactum sublimandi. Hoc enim prius facere voluerant. Sed dices: Poterat fugere, sicut prius fecerat. Utique, sed propositum habebat tunc temporis honorari ut Rex, sed non ut Rex apparere: sicut e contrario in passione sua voluit apparere ut Rex, sed non ut Rex honorari. Ut igitur C abscinderet a se omnia signa elationis et superbiæ, humilium genus equitandi sponte sibi præripuit, ne forte altius ascendere cogeretur; ascenditque super asinum, ut ostenderet regnum suum non esse de hoc mundo. Neque enim regiæ majestatis est asina vehi, vel asino; sed aut equo feroci, aut curru triumphali, aut aliquo superbiæ titulo solemni. Hic poterant dicere Pharisæi: O hominem calamitosissimum! nescit vivere. Sed possunt hic respondere Christiani: O Dominum mitissimum! nescit ferocire. O Regem humillimum! nescit superbire. In hoc igitur facto clamat, quod prius verbo dixerat: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI). Quid hic dicit nostra superbia, qui non dico asinis et burdonibus, quis enim hoc auderet? qui D nec equis mediocribus uti jam dignamur? Cernere est quosdam prælatos Ecclesiæ, usque ad teneritudinem delicatissimarum reginarum impudentissima effeminari mollitie, et omnem ambulaturam equi respuere, præter illam solam, quæ suavis et quieta passibus incedit æqualibus, usque ad capillum capitis non movendum; adeo nihil interesse volunt inter ambulationem et navigationem. Alii quos oportuerat esse, non quasi dominantes in clero, sed formam gregis facti, nec ipsos palefridos suaviter ambulantes sua sessione dignos existimant, nisi forma et decore athletos repræsentent Bucephalos, ostentantes videlicet nobilitatem generis, ut quasi Alexandrino sanguine respersi videantur. O superbia, quousque ascendisti! sed si in cœlo posueris nidum tuum, inde te detraham, dicit Dominus. Quid dicam de phaleris et ornatu superfluo? Hodie pomposius incedunt clerici, quam milites, episcopi quam duces; algente et esuriente Christo ad eorum ostia. Equi eorum in medio platearum de patrimonio Crucifixi pannis operiuntur sericis, et fulvum mandunt sub dentibus aurum. Dicite, pontifices, in freno quid facit aurum, aut in pectorali, aut in cella, aut in calcari? An equi vestri calcaria sentire non possunt, nisi auro fulserint: aut freno regi nequeunt, nisi sub dentibus aurum masticaverint! Parcite, quæso, parcite divitiis, quas amatis. Si juxta Plautinam sententiam melius est istos efferre, quam lædere, ad æquitationis Dominicæ mysterium revertamur. Ascensurus ergo Dominus ad civitatem regiam perstringendus erat coruscatione honoris ante grandinem confusionis, juxta illud: *Ante grandinem præibit coruscatio* (*Eccli.* XXXII). Conflicturis ergo nobis cum gemino hoste, honoris scilicet et contumeliæ, geminum nobis præbuit auxilium, videlicet exemplum humilitatis et patientiæ; quod sanctificare voluit ascendendo super asinum animal mansuetum et humile, oneriferum et quietum, ut per hoc nobis demonstraret humilitatem servandam in prosperis et patientiam in adversis. Hæc est enim duplex acies, quam producit adversus nos mundus: blanditur, ut decipiat; terret ut frangat. Isti sol et boreas, qui juxta parabolam sapientis posito inter se pignore certamen ineunt de tollendo spolio viatori; in quo quidem certamine sol fortior fuisse quam Boreas memoratur: quia revera fortius, facilius, frequentius nos subvertunt læta, quam tristia; minusque nocet homini calamitas quam successus. Unde noster ille Claravallensis orator [2]. « Facilius invenies, qui sapientiam retinuerit contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderit. » Habet autem hæc equitatio Domini etiam significationem corporis castigandi. Asinus enim corpus humanum significat, quod ita subjici debet nostro rationali, sicut subjugale homini, unde Sallustius. « Animi imperio, corporis servitio magis utimur. » Hinc illud in Cantico Debboræ: *Qui ascenditis super nitentes asinos, benedicite Dominum* (*Judic.* V). Ascendere super nitentem asinum, est invenire corpus delicate a pueritia enutritum; et juxta illud comici, solidum et succi plenum, et splendore circumdatum, naturali amore freno temperantiæ regere, et castitatis legibus edomare. Asinus iste solvitur, quando homo noster exterior a vinculis vetustæ conversationis absolvitur. Scriptum est enim: *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V). Hunc asinum solvunt duo discipuli, id est fides et spes; fides solvit asinam, id est carnem a vinculo pravo delectationis. Primus quippe gradus fidei est timor futuri judicii: nam, ut ait Augustinus, « qui incipit credere, incipit judicium timere. » Spes solvit pullum, id est opus a consuetudine peccandi. Sic so-

luti adducuntur ad Jesum, id est ad quemlibet salutaris observantiæ præceptorem; imponunt apostoli vestimenta sua, id est sanctæ conversationis exempla. Sicut enim vestis se habet ad corpus, sic conversatio corporalis ad animam. Super hæc sedet Jesus, id est requiescit salus. Cujus itinerarium ad supernam Jerusalem ostendit processio, quam facimus per claustrum. Prius autem videndum est, quid sit, quod turba processit ei obviam; quorum quædam pars, ante pedes hujus asini flores spargit, alia ramos jacit, tertia vestem substernit. Certum est autem, flores pedibus asini non nocere, sed passus ejus facere minores. Rami autem gressus ejus impediunt, vestes involvunt. Turba igitur occurrens obviam significat turbidas cogitationes nostræ conversationis principiis occurrentes. Hæ sunt immissiones, quæ fiunt per angelos malos. In primis autem objectat nobis diabolus voluptates, quas reliquimus; et honorem et gloriam mundi, in quo florere solebamus. Talium cogitationum immissio est velut suavium et suave olentium florum aspersio. Sed facile est ista contemnere, consideranti, de contemptu temporalis gloriæ et præsentium voluptatum nos mercari beatitudinem sempiternam. Cum autem videt diabolus se in hujusmodi suggestionibus nihil proficere, addit et tentare de molestiis ordinis servandi, de austeritate ciborum, de continuatione jejuniorum, de prolixitate vigiliarum, de grossitudine et vilitate vestimentorum, de instantia laboris, de censura silentii, de tædio claustri, de tolerantia contra invidos et detractores necessaria; de voto obedientiæ vix aut nunquam persolvendo. Hæc et similia suggerere, est quasi in via ramos sternere, et offendicula transituri pedibus offerre. Qualia et eorum exemplum, qui tot victi molestiis perseverare non potuerunt, sed velut canis revertens ad vomitum, ad sæculum redierunt. Sed facile superatur terror illatus ex consideratione molestiarum temporalium, si respiciat animus ad acerbitatem et longitudinem æternarum; nec multum valet ad dissuadendum exeuntium paucitas, si consideretur perseverantium multitudo. O jumentum infelicissimum, quod aut illectum floribus, aut impeditum ramis, aut involutum vestibus, Salvatorem projicit, quem portabat! Potens est Jesus noster in momento, in ictu oculi, de via jumenti sui omne offendiculum removere. Tantum non projiciat onus lenissimum, et suum magis allevians quam congravans portitorem. Sic autem Salvator jumentum suum ducit in cœlestem Jerusalem. Prima statio procedentis fit ante capitulum, et ante dormitorium. In capitulo confitemur, in dormitorio quiescimus, in auditorio tacentes auscultamus, quid nobis prior aut abbas injungat, juxta illud: « Tacitus citius audies. » Auditorium namque dicitur, ab officio discipuli, locutorium ab officio magistri, non quia ibi passim omnes loqui debeant, sed quia ibi prior et abbas de necessariis disponunt. Sicut discipulo tacere et audire convenit, sic magistrum provide et juste condecet cuncta disponere. Igitur primum stallum peccatori necessarium confessio est, juxta illud: *Præoccupemus faciem ejus in confessione*, vel juxta aliam titulationem. *Incipite Domino in confessione.* Est autem confessio duplex, privata de occultis, publica de manifestis. Post confessionem vero prima debet sequi cessatio a peccatis juxta illud: « Peccasti, quiesce. » Hæc est prima pars pœnitentiæ peccatori injungendæ. Ideo statim post capitulum sequitur dormitorium, quod significat requiem a malis operibus. Ad hoc autem ut suaviter et salubriter quiescamus, oculi claudendi sunt; quia prima lex verecundiæ imponi debet oculis. Hæc est fenestrarum domus nostræ prima et maxima, per quam mox ad animam accessum debet habere non difficilem. Idcirco præcipitur, ut in dormitorio caputia in nostris capitibus semper profunde demissa ante oculos habeamus. Quinque sunt de quibus præcipue tacere debemus; mendacium, juramentum, detractio, adulatio, verbum scurrile et otiosum. Est quoddam Capitulum velut quædam fabriferrarii officina; in qua equus ille nobilis, qui de sella regis est, ferratur. Jam enim equi vocabulo dignus est asinus, postquam ad Salvatorem adductus, vehiculum esse meruit tanti regis. Quatuor ferra quæ in pedibus accipit, sunt illæ quatuor austeritates pœnitentiæ gravioris, quæ consistunt in vigiliis, et in jejuniis, in castigatione verborum, et prolixa decantatione psalmorum. Clavi sunt doloris punctiones multiplices, quæ cor pœnitentis excruciant. Porro verecundiæ color rubeus est, quasi stramentum purpureum, quo palefridus regius operitur. Censura vero regularis silentii est quasi frenum ejusdem palefridi decoratum auro sapientiæ, quæ in verbis innotescit paucis, rationabiliter et opportune, et sine risu et clamosa voce prolatis. In quo auro tanquam gemmæ quædam includuntur istæ quinque virtutes, quas modo enucleavimus. Post custodiam oculorum et linguæ, sequitur custodia ventris et manuum, quam significat secunda statio, quæ fit ante lavatorium et refectorium. In lavatorio manus abluimus, in refectorio ventrem reficimus. Ablutio manuum significat omnem immunditiam ab omni tactu corporis repellendam. Hæc est tertia linea, in qua et duæ sequentes continentur. Nam in visu et alloquio et contactu omnes amoris blanditiæ consistunt. Est autem tactus duplex. Est tactus de proximo, et est tactus de longinquo. Tactus de proximo est, qui fit membro ad membrum; tactus de longinquo est, qui fit per mutuam missionem et acceptionem donorum. Ab utrisque tactus immunditia abluendæ sunt manus nostræ. Illa non est pudica, quæ se tangi ab alia carne permittit, et, ut ait S. Hieronymus, non est casta matrona, quæ munera accipit.

In sobrietate et refectione quatuor consideranda sunt: tempus statutum, ne ante horam, vel extra comedamus; qualitas victualium, ne nimis sumptuosa vel delicata sumamus; quantitas sumendo-

rum, ne ventrem ciborum onere distendamus; apparatus eorum, ne cibos vulgares more notabili parari faciamus. Hac abstinentia et sobrietate infrenandus est equus noster: et illa quæ prædiximus duplici tactus continentia, tanquam duobus fortissimis cingulis astringendus. Post hoc sequitur tertia statio, quæ non fit in tertio latere claustri, sed in quarto. In tertio enim non consistimus, sed illud pertransimus, quod non sine ratione fit. Nam tertium latus claustri, quod est juxta viam publicam, significat viam sæculi, quam reliquimus et ad quam ulterius redire non debemus; sed ab ea corpore et corde recedere. Ideo in eo non stamus, sed in quarto. In quo plus quam in aliis solent esse monachi in lectione et meditatione, quibus itur in Jerusalem, quam significat oratorium, in quod post tertiam stationem intramus. Omnes autem stationes juxta oratorium limitantur. Nam in prima statione stat abbas juxta oratorium; in secunda laici, qui processionem sequuntur; in tertia monachi, qui processionem faciunt. Quia ergo, ut ait Apostolus, nihil boni, non dico facere, sed nec *cogitare possumus a nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III); rogemus Deum, ut nos sic in mandatis suis incedere et procedere faciat, quatenus ordinate incedentes, et de virtute in virtutem, de bonis ad meliora procedentes, ad supernam Jerusalem cum gaudio perducamur. Amen.

SERMO X.

IN RAMIS PALMARUM III.

Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem; et signa Tau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus (*Ezech.* IX). Hæc dicit Dominus ad virum lineis indutum; id est Pater ad Filium mundissimæ carnis multiplici pressura circumdatum, et adhuc multifarie circumdandum. Sicut enim linum, quod de terra nascitur, multis tunsionibus prius oportet atteri, quam pervenire ad perfecti candoris munditiam; sic, teste ipsa Veritate, prius oportuit Christum pati, quam intraret in gloriam suam (*Luc.* XXIV). Christum autem dico totaliter, id est caput cum corpore, Christum cum Ecclesia. Nam caput et corpus unus est Christus. Sic enim exponit Apostolus, cum dicit: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV). Hinc quod in Apocalypsi idem Agnus Dei dicitur esse occisus ab origine mundi (*Apoc.* XIII); quia in membris suis ex tunc occidi cœpit. Eadem quoque ratione potest dici occidendus usque ad finem mundi, qua in seipso in Petro confessus est venire Romam, iterum crucifigi. Denique et Paulus dicit se supplere in corpore suo *ea quæ desunt passionibus Christi* (*Coloss.* I): per quod manifeste ostendit, quod Christus nondum totus passus est, sed usque ad finem sæculi passurus est in membris suis. *Omnes enim qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III): et quoniam nondum totus passus est, nondum totus intravit in gloriam suam. Oportet illum prius pati,

A quam glorificetur. Facienda est vis in verbo *oportet*; quia sic omnino necesse est, et aliter impossibile est, aliquem intrare in regnum Dei, quam per multas tribulationes. *Angusta est via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui intrant per eam* (*Matth.* VII). Omnibus quoque dicitur. *Contendite intrare per angustam portam* (*Luc.* XIII)

Et notandum est, quod duplex est candoris species: naturalis et artificialis. Naturalis, ut in lilio; artificialis, ut in lino. Primus candor ad Christum pertinet, secundus ad Christianum. Christus enim sine labore perfectam semper munditiam possedit cordis et corporis, quia nullos sensit in carne stimulos, sicut nos ex corruptionis semine procreati: qui ex pœna originalis peccati naturalem repugnantiam carnis ac B spiritus semper conferimus ad exercitium pugnæ spiritualis. Christus autem conceptus ex Spiritu sancto et Maria Virgine, venit ad corpus incoinquinatum, in quo *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX) tali habitatore dignam, et arcam de lignis Setim tanto thesauro dignam. Unde dicit in Canticis: *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II). Porro artificialis candor linearum vestium, candorem duplicem designat animarum, sanctitatis laboriosæ et claritatis æternæ. Primus meritorius est, secundus retributorius; neuter autem sine magnis laboribus acquiri potest, neuter sine magnis difficultatibus obtineri. Quis enim unquam mortalium virtutem castitatis obtinuit, nisi corpus castigavit; quis hu- C militatem sine contumelia, mansuetudinem sine injuria, paupertatem sine indigentia; quis denique vel minimam justitiæ portionem sine disciplina? Quid hic dicent infelices et miseri, quibus a Spiritu sancto væ dicitur, quia terram ingrediuntur duabus viis? Hi sunt, qui sine laboribus virtutes obtinere volunt; omnia relinquere, et nullo indigere; castitatem habere, et satis comedere; pauperes appellari, et mollibus vestiri; humiles reputari, et contumeliam nullam pati; in præsenti florere cum mundo, et in æternum regnare cum Christo; illic mentem, et hic ventrem pascere; de deliciis transire ad delicias, et in utroque sæculo apparere gloriosi. Hi sunt, qui contra legem induuntur veste ex lana linoque contexta: sectantes mol- D lia et aspera professi. Non sic Jacobus frater Domini, qui lineis non est usus, sicut nec balneis, requiem carnalem in nullo quæritans; sed cum beato Baptista vestiri mollibus in omnibus aspernans. Si caput eorum qui sine peccato mundum intravit, sine peccato in mundo vixit, sine peccato de mundo exiit, cum Dominus esset virtutum et rex gloriæ, tamen sine passionibus non intravit in gloriam suam, id est quæ ipsius erat, antequam ad eam intraret; quomodo nos peccatores et impii de perditionis misericorditer extracti, et ab ea separati; sine observantiis disciplinæ et passionum purgationibus putamus nos peccatores posse venire ad eam? *Gloriam*, inquit, *meam alteri non dabo* (*Isa.* XLII), alteri, id est mihi dissimili, meas semitas non ambulanti.

Vestes sacerdotales vestes lineæ sunt : per quod ostenditur, maxime pastores et doctores ecclesiasticos laborare debere præ cæteris ad munditiam carnis et spiritus obtinendam. Nam ab immundo quis mundabitur? (*Eccli* xxxiv.) Solent etiam fures, qui ad tormenta trahuntur, antequam suspendantur, omnibus suis vestimentis exui, et in lineis tantum dimitti, ne illorum nuditas publici aspectus incestet reverentiam, sed in ipsis damnatis salva sit verecundia, et pudoris dignitas non damnetur. Igitur per hoc quod vir iste in lineis apparuit, significatur, Christum quidem semper fuisse paratum ad crucem sustinendam : sed exspectasse tempus, quod opportunius ad hoc ipse providerat, et Pater præfinierat ab æterno : *Tempus* enim *nascendi, et tempus moriendi* (*Eccle.* iii). De quo tempore moriendi ipse dicit : *Tempus meum nondum advenit* (*Joan.* vii). Sicut enim in ejus potestate fuit, quo genere mortis animam suam poneret; ita etiam quo tempore faceret. Idcirco usque hodie mortem fugit, hodie vero ad eam cucurrit. Nam multoties ante hunc diem voluerunt eum Judæi apprehendere, sed nemo misit super eum manus; quia nondum venerat hora ejus. Aliquando etiam duxerant eum in supercilium montis, ut eum præcipitarent; ipse autem transiens per medium illorum ibat. A principio etiam vitæ suæ Herodes quæsierat eum ad perdendum; sed in ipsa nocte qua in crastinum perdendus erat, *angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum* (*Matth.* ii). Has igitur fugas et absconsiones Domini significare mihi videntur cruces et crucifixi, qui per totam Quadragesimam velorum appensione teguntur. Quid est enim absconsio Christi, et ipsa gemina, prior a facie persequentium, secunda a cognitione videntium? Nam videbant illum, nec tamen cognoscebant, sicut de illis prophetatum erat : *Obscurentur oculi eorum ne videant* (*Psal.* LXVIII). Et iterum : *Ego autem cum molesti mihi essent, induebar cilicio* (*Psal.* XXXIV), id est molestas, insidiosas et subdolas inquisitiones eorum de divinitate mea, per humanitatis assumptæ defectus visibiles eludebam, ut non solum similitudinem carnis peccati habere me crederent, sed et ipsam carnem peccati. Hinc est illud S. Jeremiæ prophetæ : *Dabis eis scutum cordis laborem tuum* (*Thren.* iii). Labor enim multiplex, per quem Christus humanitatis asssumptæ mysterium dispensabat in oculis Judæorum, esuriens post inediam, sitiens post calorem, dormiens post vigiliam, fatigatus post laborem, perfusus opprobriis, circumfusus etiam conviciis, opportunus injuriis, expositus flagellis : hæc, inquam, et similia, corda Judæorum, quasi scuto septempiici crassioris ignorantiæ contegebant. Cujus scuti spissitudo ac durities omnia divinorum verborum jacula et miraculorum fulgura repellebat, ne ad illorum intima penetrarent. Potest tamen prædicta velorum oppansio ante cruces et crucifixos in Qua- A dragesima illud significare; idem scilicet, quod significant illæ duæ cortinæ : quarum prima appenditur inter laicos et clericos; secunda inter clericos et altare. Significat autem prima obscuritatem legis Judaicæ, quæ ante passionem Domini nunquam plene potuit revelari : et cujus figuras et cæremonias necesse erat auferri de medio, postquam *pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* v). In cujus rei significationem mox ut Christus in cruce spiritum exhalavit, velum templi scissum est a summo usque deorsum.

Cur autem magis scissum est, quam vel convolutum in unum locum, vel in quamdam partem retractum : cum utrumque, divinæ virtuti æque foret facile, sicut et illud scindere : nisi quia aperte per hoc significabat Spiritus sanctus legales cæremo- B nias auferendas esse de medio, tanquam ad nihilum jam utiles, postquam in illo singulari sacrificio omnis utilitas completa fuerat, in quo Christus sacerdos et hostia semetipsum obtulerat? In hujus rei significationem cortinas non retrahimus, sed ex toto auferimus quarta feria septimanæ pœnosæ. Porro secunda cortina, quæ appenditur inter chorum et presbyterium, inter clericos et altare, significat obstaculum carnis nostræ, quod nos impedit ab æternorum intuitu, ne videamus interim vel sanctorum gloriam, vel pœnam reproborum. Ideo in Dominicis et festis sanctorum cortinas retrahimus; significantes quod in generali resurrectione nobis nuda et aperta erunt, quæ nunc occulta; et quod animæ sanctorum corporibus exutæ jam vident C quod crediderant, et tenent quod speraverant, quod concupierant jam habent; Christo quem amaverant inhærent, sicut sine periculo et sine termino, sic etiam sine obstaculo inhærendi, sine periculo relabendi, sine termino perfruendi. In hujus etiam rei significationem cruces omnes detegimus in Parasceve, et cortinam retrahimus ad missam præsentis defuncti, et ad illius exsequias crucem deferimus non velatam : significantes utique defuncti animam jam transisse carnis parietem, et videre locum sibi pro vitæ merito deputatum. Hinc est illud in Canticis : *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* (*Cant.* ii). Ipse scilicet personaliter, non tantum per nuntium, D stat paratus ad adjuvandum, et exspectans pœnitentem; post parietem continuo, scilicet post mortem inveniendus. Sic Ezechiel vidit eum stantem in porta (*Ezech.* XL); id est nec totum foris, nec totum intus. Respiciens per fenestras, id est plene cognoscens; prospiciens per cancellos, id est diligenter intendens. Auris enim zeli audit omnia, et oculus similiter zeli videt omnia. Per fenestras præsentia, per cancellos futura. Per fenestras videt futura opera; per cancellos intricatos cogitatus, vel sermones perplexos. Videt quædam intuitu cancellato, ut væ divitibus, et qui nunc rident : beati pauperes, et qui nunc lugent. Unde : *Recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autem consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* xvi). Sic Jacob

cancellatis manibus filios Joseph benedixit, latro A currit ad paradisum, Judas ad infernum. Nec tantum per cancellum videt, sed etiam per parietem, qui clausis intrat januis. Frustra ergo dicent: Parietes sunt undique, quis nos videbit? Vel per fenestras, apostolos; per cancellos, prophetas. Felix, cui tantum post unum parietem stat Dominus; quem sola ab eo separat lex peccati, quæ est in membris. Nam qui addit consensum, actum, consuetudinem, et contemptum, post parietes, quinque stat illi Dominus, et tarde ei subvenit, si primo solvatur corporis paries, et ante rapiatur a rugientibus præparatis ad escam. Igitur oppansio velorum ante cruces et crucifixos triplicem significationem prætendit, id est velamen figurarum legis Judaicæ, velamen tenebrarum mortalis vitæ, velamen latentis B absconsionis Dominicæ. In cujus absconsionis revelatæ significationem hodie crucem detectam ferimus ad processionem.

Nam qui a facie mortis usque hodie declinavit, hodie ad eam non minori alacritate quam humilitate currit, ostendens se nec timore mortis hactenus detrectasse pugnam, nec amore laudis suam deinceps patientiam ostentaturum. Sciens ergo Pater tempus advenisse redemptionis humanæ, dicit ad Filium suum: *Transi per medium civitatis, et signa Tau*, etc.; id est appropinqua Hierosolymis ad invidos Judæos, quos hactenus declinasti, qui quærebant te interficere. Nam oportet te per medias eorum manus ad mortem et infernum usque C transire. Sufficit, quod hactenus infirmioribus dedisti exemplum fugiendi persecutionem, quandiu salva conscientia eam fugere possunt; nunc oportet, ut perfectioribus des exemplum decertandi pro justitia usque ad mortem. Transi ergo per mediam civitatem; ego te ad inferni civitatem deducam, ut inde reducam salvum et incolumem; sed per mortem mediam, et per manus Judæorum qui quærunt animam tuam oportet te transire. Volo autem ut solus ad infernum transeas, sed nolo ut solus inde redeas; imo volo, ut tecum triumphantes ab inferno redeant, quicunque triumphantis tuæ crucis ab initio sæculi portavere vexillum. Transi ergo per mediam civitatem; id est amodo ne quæras latebras contra mortem, neque tuam a Judæis perfidis D abscondas deitatem; sed in transitu manifesta te illis, ut te quasi verum Salvatorem hodie suscipiant, quem postea tanquam latronem sunt suspensuri. Et hoc est quod addit: *In medio Jerusalem*, id est in aperto et publico hodie te suscipiat infelix illa civitas; nec solum pacifice tanquam amicum, sed etiam pompatice tanquam Dominum; ut honoris transitorii præmissa coruscatio ante secuturam grandinem passionis et tibi patientiæ pondus accumulet, et illis aggravet onus vindictæ. Sicut enim gaudia præmissi cumulant inopina dolores, sic omnis contumelia de præmissi honoris magnitudine cumulatur. Sequitur: *Et signa Tau super frontes virorum gementium*, etc. Regiæ consuetudinis est, regalia signa reges singulos procedentes ad bellum præcedere; a quibus hostes territi fugiant, securi milites non recedant. Sic Pater Filium mittens ad bellum, signum proprium jubet conferre, et suorum singulis illud imponere, vel imprimere: per quod agnosci valeat, qui sint ejus.

Quod est autem hoc signum, nisi illud de quo dicit Apostolus; *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis?* (*Galat.* v). Signa Tau, id est signa signum, nam Tau signum interpretatur: sed signum antonomastice et excellenter, tanquam signum principale, regium, seu imperiale, singulare et excellens, tanquam signum signorum. Sicut enim rex cujus est hoc signum dicitur Rex regum, et Dominus dominantium: sic et signum ejus signum signorum. Quid enim potentius isto signo; quod solo aspectu adversarium vertit in fugam, et signifero confert victoriam? Non solum si a cive, sed etiam si ab hoste feratur: sicut legitur de Judæo signo crucis exterius signato, cui dæmones crucis inimici nocere volentes, sed non valentes exterriti fugerunt, dicentes: « Vas vacuum, sed signatum. » Quasi dicerent: in hoc vase possemus habitare ut in vase vacuo, nisi clausum undique, et fortiter munitum signo terribili, tanquam muro impenetrabili, nobis omnem aditum denegaret. Sic dæmones qui capitulum tenuerant de culpis non delendis, sed scribendis, pro eo quod in fine capituli solemus dicere: *Adjutorium nostrum in nomine Domini* (*Psal.* CXXIII), compulsi sunt clamare: Destructorium nostrum in signo Domini. O signum singularis potentiæ, et virtutis plusquam humanæ, quod non solum signum, sed et scutum est, et gladius, arbor et sceptrum! Signum, ut discernat; scutum, ut protegat; gladius, ut perimat; arbor, ut pascat; sceptrum, ut regat. Signum fidei, scutum auxilii, gladius vindictæ, arbor vitæ, sceptrum justitiæ, pignus et arrha felicitatis æternæ. Unde legitur de signifero Constantini, qui ex legitimæ dignitatis officio signum crucis aureum præferebat in bello, quod nunquam vulneratus sit, nunquam in bello captus, vel in captivitatem ductus, nec ullum infortunii genus pertulerit. Neque enim signum victoriæ sine felicitatis auspicio potest ab aliquo circumferri. Ac de hoc signo dictum fuerat prius regi Constantino: *In hoc vince.* Adhuc signum sanctæ crucis nimis ignobiliter latebat in terra, et jam virtus ejusdem signi valde mirabiliter coruscabat e cœlo: quando signum crucis velut in radio solis Constantino apparuit litteris pulcherrimis, in se tantum continens hanc scripturam, Ἐν τούτῳ νίκα: » id est, *In hoc vince.*

Ideo sapientia semper sapienter agens, prius sanctæ crucis adorare voluit signum, quam lignum: ne solum lignum illud adorabile putaretur, in quo corpus ejus extensum fuerat; et non signum, quod corporis ejus extensio in salutem credentium divinitus consecrarat. Sicut enim in arte geometrica figurarum virtus et veritas magis attenditur secun-

dem abstractam quantitatem; quam secundum concretam: sic virtus et dimensio sanctæ crucis magis æstimanda est secundum formam, quam secundum materiam. Neque enim dæmones terrentur ad aspectum lapidis, vel ligni, vel metalli, cujuscunque materiæ crucis; sed potius ad virtutem invisibilem formæ invisibilis de Crucifixi corpore in arte expressa invisibiliter, in cruce visibiliter. Et sciendum, quod signum Tau nunquam tantæ virtutis exstitit, quandiu tantum tres dimensiones habuit; hoc est longum, latum, et profundum: nam quartam dimensionem, id est altitudinem tunc primo habere cœpit, cum Filius Altissimi in ligno crucifixus est. Hanc enim tribus antiquis dimensionibus Pilatus superaddidit, ut in ea describeret imperatoriæ majestatis et regalis victoriæ triumphalem titulum inscriptione trium linguarum. Bene autem signum crucis per ultimam alphabeti Hebraici designatum est litteram, quæ figuris legalibus terminum imposuit, et virtutem charitatis, quæ totam legem continet, confirmavit. Omne siquidem redemptionis humanæ mysterium, quæ in viginti duobus libris Veteris Testamenti latebat occultatum, in cruce revelatum est, et plene consummatum. Unde Dominus in cruce positus cum accepisset acetum, dixit: *Consummatum est* (*Joan.* XIX). Est aliud sacramentum, quod in isto mysteriali numero 22, litterarum secretius latebat. Nam numerus iste duos undenarios continens duplicem transgressionem significat: legis naturalis, et legis scriptæ. Homo quippe ad imaginem et similitudinem Dei factus; ad imaginem in sapientia, ad similitudinem in justitia; ad imaginem in ratione, ad similitudinem in electione boni et reprobatione mali, decalogum legis accepit in tabulis cordis carnalibus indelebili memoria conservandum, ad hanc brevitatem redactum: Quod tibi non vis fieri malum, alii ne feceris: et quod tibi vis fieri bonum, alii facias (*Matth.* VII). Adam vero transgrediens mandatum Domini, primus omnium mutuatus est a feneratore diabolo undecim pro duodecim ludo vanitatis. Sicut enim undenarius mandati transgressionem significat, sic duodenarius peccati ultionem. Continet enim senarium geminatum; qui numerus est operis et laboris, juxta illud: *Sex dies sunt, in quibus oportet operari* (*Luc.* XIII). Quid est ergo geminatus senarius, nisi labor geminatus? Cum igitur peccator post laborem hujus vitæ transit, non ad requiem, sed ad laborem futuræ, non facit transitum de senario ad septenarium, quasi de sexta feria ad Sabbatum; sed potius redit ad alterum senarium, id est ad laborem iteratum. Sic igitur solvit duodecim pro undecim, ultionem peccati per transgressionem mandati, pœnam pro culpa, judicium pro injustitia. Ergo, sicut ostensum est, primus undenarius a diabolo mutuatus, id est mutuo nobis datus, fuit legis naturalis transgressio, secundus autem legis scriptæ prævaricatio. Idcirco in ejus alphabetico viginti duæ litteræ continentur;

A quarum postrema est Tau figura crucis Dominicæ; quia Christus in cruce positus exsolvit quod non rapuerat, sed quod nos rapueramus. Et quidem in antiquis libris Samaritanorum, teste B. Hieronymo Tau figuram crucis exprimere solet: sed in novis Hebræorum, quos Esdras reperit, quarta illi deest dimensio, id est altitudo; quæ in Christi passione reperta est et superaddita. Crucis enim supplicium, quod apud Romanos et Judæos præcipue in usu habebatur, ex duobus lignis compactum erat, uno in terram fixo, et in sublime erecto, altero in transversum posito; ita quod suspensi caput reclinatorium non habebat. In hoc supplicio lignum rectum erat pro longitudine, lignum transversum pro latitudine. Id vero in quo fixum stabat lignum erectum,

B quidquid illud esset, sive lapis, sive lignum, sive ipsa terra, profundum appellabatur. Filius autem Altissimi exaltatus in cruce, crucem suam non potuit non exaltare: perficiens in ea dimensionem altitudinis, ex altitudine divinitatis. Quod significavit causa ipsius super caput ejus scripta: *Hic est Jesus Nazarenus Rex Judæorum* (*Matth.* XXVII). Cujus scripturæ simplex sensus est: Iste nomine Jesus, patria Nazarenus, gente Judæus, non ob aliud crucifixus est, nisi quia dixerat se regem Judæorum, sicut et revera est. Hoc enim significat illa judicis affirmatio: *Quod scripsi, scripsi* (*Joan.* XIX). Ex tunc ergo signum crucis cunctis suis partibus absolutum cœpit esse tam terribile catervis dæmonum, et tam venerabile choris angelorum, quam salutare filiis

C hominum. Tunc enim primo comprehendi cœpit ab homine, quomodo consultum esset humano generi in illius hominis crucifixione. Totum quippe genus humanum cruce signatum est, cum Verbum caro factum est. Nam forma divinitatis nil aliud est, quam forma crucis. Est enim divinitatis forma simplicissima, indivisibilis, sicut invisibilis, æternitate tamen longa, charitate lata, potestate sublimis, sapientia profunda. Quid enim æternitate longius, charitate latius, sapientia profundius, sublimius potestate? Propter æternitatem dictum est: *Longitudine dierum replebo eum* (*Psal.* XC). Propter charitatem: *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXIII). Propter sapientiam: *O altitudo divi-*

D *tiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus* (*Rom.* XI), etc. In quo loco ponitur altitudo pro profundo, sicut cum dicitur: puteus altus est. Propter potentiam autem dictum est: *Quoniam Dominus excelsus terribilis super omnem terram* (*Psal.* XLVI). In his quatuor demensionibus continentur sex species linearis motus. Nam in longitudine sunt ante et retro, in latitudine dextrorsum et sinistrorsum, in profunditate et altitudine sursum et deorsum. Æternitas longa est ante, quia caret fine; longa retro, quia caret principio; quæ duo notantur in Apocalypsi per α et ω. Hæc longitudo crucis duo climata continet orbis, orientem et occidentem. Oriens enim ante nos est, occidens retro. Charitas lata est a dextris, et a si-

nistris: a dextris per amicitiam, a sinistris per patientiam. Hæc duo notantur ibi: *Charitas patiens est, benigna est* (*II Cor.* XIII); id est lata in immensum, ex utraque parte; omnia largiens, et omnia patiens. Hæc latitudo crucis duo continet climata orbis, septentrionem et meridiem, per Aquilonem et Austrum designata: quorum ille sinister est, iste autem dexter. Humillima potestas est, quæ non nisi ex aliena infirmitate vires accipit. Talis est potestas dæmonum, quos potentes efficiunt sola peccata nostra. Tantum est enim potens adversum te diabolus, quantum illi consenseris, et nihil amplius. Cur ergo Christianus diabolum timeat, cum nil omnino adversus eum possit adversarius, si ille non consentiat? Denique omnis potentia tantum habet altitudinis, quantum justitiæ. Nam posse malum facere, et non bonum, non potentiæ est, sed infirmitatis; non virtutis, sed impotentiæ. Cur ergo superbiunt principes hujus mundi de potestate nocendi, quæ communis est bestiis et serpentibus, muscis et pulicibus, et propria dæmonibus? Nil prodest, quod non lædere possit idem: sed non e converso. Posse et non prodesse, et non velle, tam omnino nihil est, quam quod omnino non prodest; et ideo, sicut dixi, omnis potestas tam excelsa est, quam justa voluntas. Sed quoniam voluntas hominis, etiam justa, plerumque effectu caret, parva et humilis est omnis potestas hominis, magna vero et alta potestas angeli, summa Dei, nulla diaboli. Unde ad eum dicitur: *Nihil factus es* (*Ezech* XXVIII). Sapientia Dei tam profunda est, quam ubique attingens propter suam munditiam. Profundum est cor hominis, quis cognoscet illud, nisi Deus, qui solus novit corda filiorum hominum? O profundam illam sapientiam, quæ usque ad hoc profundum attingit cordis humani, et usque ad profundum inferni. Propter has quatuor dimensiones signum crucis factum est, attingens a fine usque ad finem fortiter, per longitudinem æternitatis, et ideo terribile dæmonibus fugitivis, disponensque omnia suaviter per latitudinem charitatis, et ideo salutare hominibus miseris: trahens sursum usque ad cœlos per sublimitatem potentiæ, et ideo venerabile virtutibus angelicis: penetrans deorsum usque ad inferos per profunditatem sapientiæ, et ideo rursus intolerabile spiritibus immundis. Periit ab eis fuga; non est enim quo fugiant a facie longitudinis crucis Dominicæ. Frustra exardescit eorum invidia; non est qua nocendi aditum inveniant altitudine charitatis divinæ. Frustra intumescit eorum superbia; non est, quo ascendant a sublimi potentia illos comprimente. Frustra delitescit eorum timor et ignavia: non est, ubi se abscondant a profunditate ubique attingentis sapientiæ. Hac igitur quadam fide divinitatis forma figurata est humana natura, quando incarnata est Dei sapientia. Sed ejusdem formæ mirabile mysterium, nisi per crucem Christi hominibus nunquam esset revelatum; quamvis in conversatione Christi, qua inter homines tanquam homo conversari dignatus est, apparuit hujus formæ quoddam superficiale vestigium in obedientia, charitate, patientia, et justitia. Nam longanimitatem crucis demonstravit ejus obedientia usque ad mortem; latitudinem, dilectio suorum usque in finem; profundum, patientia usque ad crucem; altum, zelans justitia usque ad sanguinem. Sic igitur vivendo et deinde moriendo monstravit Christus humano generi, quomodo crucis signaculo debeant signari; videlicet obediendo, patiendo, zelando. Est autem primum ejus præceptum, quod in terra præcepit homo inter homines, istud: *Pœnitentiam agite* (*Matth.* III). Hæc nostræ crucis longitudo, si longa sit ante et retro. Retro sunt peccata præterita, ante futura. Perfectus ergo dolor peccati præteriti, perfecta cautela futuri nos longos efficit ante et retro.

Qui de perpetrato præterito dolet, sed non cavet ne iterum peccet, longus est retro, sed curtus ante. Et ideo necesse est, ut incidat in manus inimicorum crucis Christi; quia ejus longitudini non commensuratur. Sicut ille miser homo apud Abrincatensem civitatem qui doluit se tentatum a spiritu fornicationis, sed non cavens ab illius impetu, quasi Deo satisfaciens de crebra ruina, novies ivit Romam orationis causa, et cum de nona peregrinatione rediret, securior factus de tantis laboribus reversus est ad vomitum, id est versus ad coitum, et in ipsa emissione seminis spiritum exhalavit. Qui cavet ne aliena rapiat, sed tamen aliena retentat, longus est ante, sed curtus est retro. Sic comes ille Teutonicus, qui cum alias justissimus fuisset, tamen pro eo solo quod injuste detinuerat quoddam jus Ecclesiæ Metensis beati Stephani protomartyris, quod parentes ejus longi temporis præscriptione sibi usurpaverant, ardere visus est in inferno. Charitas autem nos latos facit a dextris et a sinistris; a dextris dando, a sinistris dimittendo. His duobus brachiis amplectimur Christum in cruce clamantem ad nos voce et opere. *Dimittite, et dimittemini, et dabitur vobis* (*Luc.* VI). Dimittite peccanti, date indigenti. Prius autem dixit: *Dimittite*, quam *date*; quia qui petitor est veniæ, prius debet esse dimissor culpæ, juxta illud: *Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam* (*Eccli.* XXVIII). Qui dare sciunt, et dimittere nesciunt, lati sunt a dextris, sed a sinistris stricti; qui dimittere sciunt et dare nesciunt, econtrario. Odium et invidia nos strictos faciunt a sinistris, a dextris cupiditas et tenacitas; cupiditas alieni, tenacitas proprii. Invidia nil dimittit, tenacitas nil tribuit. Utraque est inimica latitudini Christi. Profundum crucis Christi humilitas est omnia tolerans, usque ad mortem, et ipsam mortem; sublimitas justitiæ zelans usque ad sanguinem. Sicut omnis baptizatus per aquam abluitur, sic per aquæ judicium examinatur; in quo examinationis genere fluctuantes damnantur, mersi salvantur.

Aqua tribulatio est. In hac aqua fluctuat qui vel

recalcitrat, vel tacitus submurmurat; mergitur autem, qui æquanimiter omnia tolerat, et hic solus salvatur, si tamen habeat quartam dimensionem, id est zelum justitiæ usque ad fundendum pro ea sanguinem. Sic enim scriptum est: *Signa Tau super frontes virorum gementium super abominationibus quæ fiunt in medio Jerusalem* (*Ezech.* IX). Quibus verbis ostenditur quod isti signandi jam a peccatis propriis abstinebant, qui de alienis dolebant; et ita jam longum crucis habebatur per cautelam peccati, latum per compassionem, fundum etiam habebant per humilitatem latendi. Sed quoniam sublime non habebant per zelum corripiendi, idcirco adhuc signo Tau signandi erant in fronte. Væ illis, qui signum hoc victoriæ et honoris non in fronte ferunt, sed sub pede abscondunt. Væ prælatis, laminam laneam, in qua nomen Domini tetragrammaton scriptum est, non in fronte gestantibus; sed sub pedes calcantibus. Ili sunt pastores mercenarii, qui videntes lupum venientem, dimittunt oves et fugiunt. Sex viri qui securim gestabant, sunt sex ordines nuntiorum, quos Deus in mundum per sex ætates misit; viri, id est viriliter loquentes. Vas interitus, quod LXX Interpretes securim appellant, significat gladium spiritus, quod est verbum Dei, quod est vas interitus illi, qui auditor est tantum, et non factor. Nota, quod isti viri non dicuntur ferre lyram vel cithaтam, sed securim; quia prædicator verbi Dei non palpare peccata debet, sed ferire et pungere, sicut scriptum est: *Verba sapientum quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccli.* XII). Nemo enim secures virorum illorum evadere poterit, quæ jam ad radices arborum positæ sunt, nisi signum Tau in fronte statuerit. Sic enim signatus venit hodie Dominus in Jerusalem, non solum appropinquaturus ad Judæos, sed etiam provocaturus eos, ejiciendo de templo vendentes et ementes, eversurus mensas nummulariorum, et nummos effusurus; vehementer inimicos suos corripiens, quos sciebat nullatenus corrigendos. Sic Joannes Baptista Herodem de adulterio corripuit, quem tamen non dimissurum adulteram nequaquam dubitavit. Non est autem quod æstimet aliquis has omnes crucis dimensiones nimis esse asperas, aut graves ad portandum. Sicut enim crux olim terribilis ad videndum, jam delectabilis aspectu facta est, quia decorem de membris Domini suscepit singularem: sic etiam levis ad portandum facta est, quia lenitatem lucrata est ex charitatis onere, unctionem ex signo, suavitatem ex unctione. Nihil enim Christo lenius, qui portantem se portat, nihil unctione suavius, quæ non solum lenit asperum, sed etiam recreat fatigatum. Charitas autem tota in cruce extensa est, et ejus unctio per totam crucem diffusa, pretiosissimo Redemptoris sanguine rivis largissimis per singulas ejus dimensiones currente. Uncta est siquidem crucis profunditas sanguine currente de pedibus Christi, latitudo de manibus, altitudo de vulneribus capitis per spineam coronam, longitudo de fonte lateris facto per lanceam. O quam mali æstimatores rerum sunt, qui crucem Christi tam levem, tam suavem, vel asperam, vel gravem reputant! Vere nimis infirmum palatum gerunt, qui dulcedinem ejus non sentiunt. De qua dulcedine feliciter crapulatus erat sanctissimus ille Mammertus episcopus Viennensis, cum metrice canebat:

Crux fidelis inter omnes
Arbor una nobilis,
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sustinens

Sane qui gustavit istam dulcedinem, non erubescit in fronte sua portare crucem, id est certare pro justitia usque ad mortem. Quod est signum præcipuum servorum Crucifixi, juxta illud: *Nolite nocere terræ et mari neque arboribus: quoadusque signemus servos Dei in frontibus eorum* (*Apoc.* VII). Quo nos omnes signare dignetur Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

IN RAMIS PALMARUM IV.

Hosanna Filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel! Hosanna in excelsis (*Matth.* XXI; *Luc.* XIX). Vulgo dicitur: « Domino omnes honores, » supple debentur. Proverbium istud verum est, sed non generaliter intelligendum. Non enim omni domino debetur omnis honor. Sed quanti hodie domini sunt, qui vel nullo, vel modico honore digni sunt. Unus solus Dominus est, cui convenit istud proverbium. Quis ille? Qui est Rex regum et Dominus dominantium, id est Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, et filius David. Filius Dei secundum divinitatem; filius David secundum humanitatem: qui secundum quod Filius Dei creator est omnium; et secundum quod filius David, hominum Redemptor, non tamen omnium, sed tantum fidelium. Huic Domino omnis honor debetur, quia ab eo omnis honor proficiscitur; sicut scriptum est: *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant* (*Eccle.* I). Quod autem omnis honor ei debeatur, testantur hodie pueri Hebræorum, non solum in platea ludentes, sed etiam ad ubera matrum pendentes; quorum puerile decus hodie Domino sedenti super asinum, et per viam transeunti prompsit Hosanna pium. Non autem ex naturali sensu hanc laudem ei dixerunt. Sicut nec major ætas, quæ voces easdem promebat; sed potius ex dono Spiritus sancti, qui hodie ad laudem Christi linguas infantium fecit disertas. Dicunt ergo: *Hosanna filio David*, id est salus sit filio David. Sic glossat Hieronymus super Marcum. Tale est illud in Apocalypsi. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno* (*Apoc.* VII). Cum autem hoc dicimus, non optamus ut Deus

noster, vel ut Filius David salvus sit, quod idem est, sed sensus est: Quicunque salutem sperat vel exspectat, a filio David tanquam a Salvatore illam sperare et exspectare debet. Ipse est enim Salvator in imis, et in excelsis, in cœlo et in terra, angelorum et hominum, animarum et corporum. Jesus autem Filius David appellatus est, antequam natus. Sic enim ait angelus ad Mariam: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I). Nullus filiorum David regnare potuit in æternum, præter Christum; de quo dicit Daniel: *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur: et regnum ejus, quod non corrumpetur* (*Dan.* VII). Et de quo dicit Apostolus: *Qui factus est ei ex semine David, secundum carnem* (*Rom.* I). Soli ex omnibus patriarchis Abraham et David appellati sunt patres Christi secundum carnem; quia illis solis specialiter facta est promissio, quod Christus ex eorum semine nasceretur; et idcirco eorum filius in principio nuncupatur, cum dicitur: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham* (*Matth.* I). David autem ideo primus ponitur, quia propinquior fuit Christo, quam Abraham. Prius tamen facta est promissio Abraham, quam David; quia in hæreditate Christi primum locum accipiunt justi, secundum pœnitentes. Verumtamen semel tantum legitur in Evangelio Christus appellari filius Abraham (*Matth.* I), sed sæpissime filius David; quia paucissimi sunt, qui post primam vocationem suam perfectissime conservent justitiam: plurimi vero, qui post lapsum ad priorem gratiam per pœnitentiam revertantur. In hoc ergo quod Christus sæpius appellatur filius David, quam filius Abraham, magna spes indulgentiæ peccatoribus posita est, non solum indulgentiæ, sed etiam totius gratiæ, vel etiam plenioris, quam unquam habuit, recuperandæ; sicut apparet in David post trinum lapsum adulterii, homicidii, et proditionis: et in Petro apostolo post trinæ negationis abyssum. Uterque enim pœnitendo pleniorem recuperavit gratiam, quam peccando amiserat. Denique adeo deleta sunt peccata David per pœnitentiam, quod etiam dicitur non peccasse. Sic enim legitur in libro Jesu filii Sirach: *Præter David, et Ezechiam, et Josiam, omnes peccaverunt* (*Eccli.* XLIX). Quid est hoc, Domine? Ergo David non peccavit, qui hæc et illa fecit? Hic plane responsurus est Deus: Non memini quid fecit, et quis hoc mihi probare poterit? quod omnino deletum est, omnino non est. Ego omnium peccatorum testis sum et judex, et quis testificari poterit, quod ego non memini: quisve rescribere, quod ego delevi? Impius si conversus egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus quas fecit non recordabor. Non peccavit ergo David, non enim ipse est qui peccavit, sed alius juxta illud: *Verte impium, et non erit* (*Prov.* XII), subaudi, impius, sed pius, quia versus est de impio in pium. Hinc est illud Salomonis: *Talis est via*

A *adulteræ, quæ comedens, et tergens os suum, dicit: Non sumo perata malum* (*Prov.* XXX). Mulier adultera est peccatrix anima, alii adhærens quam vero Sponso. Hæc mulier adultera comedit, quando carnis desideria perficit: sic enim pascit sterilem, quæ non parit, et sibi ipsi quæ vidua est bene non facit. Tergit autem os suum, quando confitetur peccatum. O quanta urbanitas est tergere os, postquam comederis, id est pœnitere, postquam peccaveris! Tergendum est autem os cordis per veram contritionem, os corporis per puram et integram confessionem; et ut ita dicam, os operis per dignam et congruam satisfactionem. Beatus qui sic tergit os suum, ut a Domino sibi repropitiato recipi jam mereatur in pacis osculum; qui humana-
B rum animarum æternus amor est, et amator non fastidiosus, sed facile indulgens, amatamque post delicta suscipiens, nec improperans quod deliquit, juxta illud Jeremiæ: *Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum: nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te* (*Jer.* III). O benignitas incomparabilis! Dicit ergo mulier adultera; jam non adultera, sed altera, postquam tersit os suum post comestionem: Non sum operata malum. Super quem locum eleganter Ambrosius ait: « Non dicit soluta sum, dimissa sum, tecta sum, lota sum; sed
C confidenter loquitur: *non sum operata malum:* non sum quæ fueram, alia facta per te, qui vertis impium et non erit. » Sane tale est illud: *Præter David, et Ezechiam, et Josiam, omnes peccaverunt* (*Eccli.* XLIX).

Non enim David iste est ille qui peccavit, sed alius sine dubio per illum factus, qui vertit impium et non erit. Nec solum adnumeratur David illis qui non peccaverunt, sed etiam præponitur; ut etiam quodammodo dignior ostendatur. Sic et in sanctorum invocationibus Maria Magdalena non solum connumeratur virginibus, sed etiam præponitur universis; pro eo videlicet quod tam eleganter tersit os suum, ut pateat tam Deo quam hominibus, nunquam antea comedisse. O quam bene
D tergebat os suum, quando osculabatur pedes Domini, rigabat lacrymis, tergebat capillis, et unguento ungebat! (*Luc.* VII.) Ecce quare Filius Dei maluit in Scripturis sæpius appellari filius David, quam filius Abraham: ut videlicet ex hac appellatione spem certissimam peccatores conciperent plenissimam veniam consequendi. Propterea merito bene dicitur filius David, et tanquam Rex et Salvator suscipitur, non solum a puerili innocentia, sed etiam a turba utriusque sexus, et omnis ætatis, vocibus propheticis exclamante: *Hosanna filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Omnis rex dominus est, sed non omnis dominus rex. Omnis autem dominus tantum debet esse salvator, quantum et dominator. Omnis enim

dominus statuitur ad salvandum pro posse suo illos vel illas, quibus dominatur: excepto tamen regno Satanæ, in quo omnes præpositi et omnes satellites constituuntur ad perdendum. Nam, ut ait Tertullianus, « dæmonum operatio est hominis eversio. » Malitia spiritualis a primordiis auspicata est in hominis exitium. Quanto magis autem nobis, tanto magis etiam sibimetipsis adversantur; quia quantus in eis est conatus deceptionis humanæ, tantus et profectus est damnationis propriæ; sed tantus in eis est furor in judicem, ut parvi ducant quantumlibet onus supplicii, dummodo videant homines ad paria supplicia perurgeri: et idcirco desperata conditio illorum ex prædamnatione solatium reputat fruendæ interim malignitatis occasionem de pœnæ mora; quamvis nec interim sine pœna sint, et ipsa multiplici et gravissima; sed leve æstimant quidquid tolerant, dummodo ad decipiendos homines ex libitu discurrant. Igitur omnes homines qui suos subditos lædunt, de regno Satanæ sunt. *Non est potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt* (*Rom.* XIII). Omnis autem divina ordinatio in rebus humanis humanæ salutis est procuratio; qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Nemini mandat Deus impie agere: facit tamen, id est permittit, aliquando regnare hypocritam propter peccata populi; vel quia talem regem tales merentur subditi; vel quia tale regnum, tales perversi. Igitur omnis dominus a Deo super homines constituitur ad salvandum, id est ad disponendam subditorum salutem. Væ autem illis, qui sua dominatione abutuntur in alios, ad illorum vel propriam perniciem, ut Alexander, qui nil salvare noverat, sed omnia destruere: quod etiam nativitatis ejus certissimum præmonstravit præsagium. Ea namque nocte qua natus est, non solum terra mota est, et tonitrua magna facta sunt, sed etiam de cœlo veri lapides cecidere, significantes utique, quod ille puer qui natus erat, lapidare homines veniebat. Tales sunt hodie multi dominantes in clero vel in populo, turbatores pacis, hostes justitiæ, dilapidatores rerum, lapidatores hominum: qui sic in provinciis debacchantur, ac si ad flagellandum Job egressus sit Satan a facie Domini. Sic conversantur inter eos quibus præpositi sunt, ac si ad tædas in facinus excitandas mittantur ab inferis Tisiphone vel Megæra. Apud hos judicium nihil est nisi publica merces, vixque tenent lacrymas, cum nil lacrymabile cernunt. Omnium sane dominorum nomen venerabile esset in populo, si tanta impleretur sollicitudine, quanta petitur ambitione; si juste judicarent, si prodesse quam præesse mallent; si exactionibus parcerent; si projicerent avaritiam ex calumnia, et excuterent manus suas ab omni munere, nec omnem quæstum pietatem putarent. Omnis dominus subditorum suorum et res et corpora salvare et servare debet. Ubi tamen invenietur inter mortales Dominus, qui vel ista semper salvare possit?

Non domus et fundus, non æris acervus et auri,
Ægroto domini deduxit corpore febres.

(HOR. *Ep.* I, 2, 48.)

Ponatur tamen quod omni homini salva sint hæc duo, scilicet corpus et possessio: *quid proficit homo, si universum mundum lucretur; animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* XVI.) Solus ergo ille verus Dominus est, qui verus Salvator est, id est qui animas, et corpora, et res in æternum servare potest. Nam si de animabus constat, ergo et de corporibus et rebus. Nonne anima plus est quam esca: et corpus plus quam vestimentum? Qui potest quod majus est, utique et quod minus. Servat Christus animas Eliæ et Enoch, ne corpora sua relinquant; qui jam per tot annorum millia in eisdem corporibus sine ulla perturbatione vixerunt. Salvavit olim in deserto 40 annis Judæorum corpora et indumenta: et per tantum temporis spatium non fuit in tribubus eorum infirmus, et vestimenta eorum non sunt attrita. Hic autem non temporalem nobis, sed æternam salutem attulit, et animas nostras salvari docuit per fidem et obedientiam mandatorum; corpora per mortificationem membrorum, res per sustentationem pauperum. De primo: *Fides tua te salvum fecit* (*Luc.* XVIII). Et: *Si vis venire ad vitam, serva mandata* (*Matth.* XIX). De secundo: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII); et Apostolus: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* (*Coloss.* III); et rursus: *Quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur* (*Cor.* XV). Augustinus: « Frumentum si servas, perdis; si seminas, renovas. » De tertio: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur; et ubi fures non effodiunt, nec furantur* (*Matth.* VI). Item Augustinus: « Manus pauperum gazophylacium Christi sunt. » Anima per fidem vivit, corpus per pœnitentiæ sationem resurgit, res per eleemosynæ largitionem non perit. Benedictus ille Dominus, qui sic salvari docuit nos, et nostra. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc nomen Dominus significat quasi dans munus. Quod munus, vel quantum dat iste Dominus? Omne bonum, et summum bonum. *Ego*, inquit, *ostendam tibi omne bonum* (*Exod.* XXXIII). *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est* (*Jac.* I). *Benedictus* ergo *qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Super hunc locum ait Augustinus in Joannem scribens: « Quid magnum est Christo Regi Angelorum, regem esse Judæorum? » Neque enim rex est Christus ad exigenda tributa, aut congregandos exercitus, hostesque debellandos: sed Rex Israel est, quia mentes regat, et ad regna cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Quod ergo Filius Dei æqualis Patri Rex Israel voluit esse, dignatio fuit, non promotio: miserationis indicium, non potestatis augmentum.

Notandum tamen, quod tribus in locis legitur in

Evangelio Christus Rex appellatus; et ibi maxime, ubi minime secundum homines apparebat ejusdem regiæ majestatis insigne. Ut enim paucis omnia comprehendam, appellatus est Rex jacens in præsepio, sedens in asino, pendens in patibulo: et hæc omnia quid ad regem, Deus bone? Quid regi et præsepi? Quid principi et subjugali? Quid imperatori et cruci? Nonne primum jumentis, secundum infimis, tertium parari solet maleficis? Ubique tamen, si sit qui bene consideret, vera regiæ majestatis insignia monstrata sunt. Superius diximus, quod omnis dominus et rex salvator debet esse eorum quæ sub ejus dominio constituta sunt; quoniam ad ea servanda pro jure constituitur. Nunc igitur videamus, quæ signa Salvatoris fuerint jacentis in præsepio, sedentis in asino, ejusdemque pendentis in patibulo. De primo signo dicit angelus ad pastores: *Natus est enim vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Invenietis infantem positum in præsepio* (*Luc.* II). Ecce quale signum Salvatoris, infantia in præsepi. Infantile silentium neminem accusat, infantilis imbecillitas neminem percutit, fenum in præsepio jumenta reficit. Significabat ergo infans iste positus in præsepio, quod non venerat peccatores accusare, vel punire, sed tolerare, et eis parcere, et animas pœnitentium feno carnis suæ reficere. Et hoc est Salvatorem esse, vere regere, et esse dominatorem. Magi tamen aliud signum regiæ majestatis ejus protulerunt, dicentes: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente* (*Luc.* II). Et ut demonstrarent quantus Rex esset, subsequuntur, et dicunt: *Venimus adorare eum* (*Ibid.*). Vere enim stella noviter creata, et nova claritate, et regia magnitudine novum hominem significabat, et novum regem non solum dominatorem hominum, sed et creatorem stellarum, et ideo ab omnibus hominibus, etiam a regibus adorandum. Clementiæ vero maximum signum fuit in sessione asini: juxta illud propheticum: *Exsulta, filia Sion, jubila, filia Jerusalem. Ecce Rex tuus venit tibi justus, et Salvator ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium subjugalis* (*Zac.* IX). Hinc est illud Ambrosianum (25-26):

O quam stupenda pietas!
Mira Dei clementia,
Sessor aselli fieri
Dignatur auctor sæculi.

Plane ita sessio significavit et sessoris Regis mansuetudinem, et mansuetorum salutem. Ad hoc veniebat, ut mansuetorum et humilium sessor fieret: ut jugum suum suave, et onus suum leve mansuetis imponeret; quatenus sub jugo Christi suaviter et recti incederent, qui sub jugo diaboli prius infeliciter curvabantur, ut scriptum est: *Incurvare, ut transeamus* (*Isa.* LI). Beatus plane, qui potest dicere cum Psalmista: *Ut jumentum factus sum apud te: et ego semper tecum* (*Psal.* LXXII). Beatum jumentum, quod Salvatorem portat, quod Jesus equitat, quod Christus insidet, quod Messiam sustinet, quod unctionem suavitatis et sanitatis redolet, quod apostolorum vestimentis tegitur; cujus pedibus flores sternuntur, quod a servitute plurimorum dominorum jugum peccati excussit, quod a vinculis peccatorum manus apostolica jam exsolvit, quod uni Deo se subjicit, quod ad æternæ pacis visionem perducit. Signum quoque dominatricis potentiæ erat clamor ille repentinus, atque propheticus, ex ore infantium et lactentium laudem perficiens Salvatoris; quorum linguas in laudem Regis nostri faciebat disertas, non humana doctrina, vel naturalis industria, sed gratia Spiritus sancti per illorum testimonia credibilia virus inimicum destruens, et ultorem, id est Scribas et Phariseos mirabiliter confundens: qui quasi in ultionem legis Judaicæ inimici veritatis et hostes justitiæ facti erant. Denique signum illud magnum omnipotentiæ, quod nuper factum fuerat in suscitatione Lazari quadriduani de sepulcro ad vitam mirabiliter revocati, præcipua causa erat propter quam turba cum veneratione et devotione Christo obviam veniebat. Sic enim dicit Evangelista: *Propterea et obviam venit ei turba; quia audierunt eum fecisse hoc signum* (*Joan.* XII). O vere signum magnæ pœnitentiæ, mortuum in sepulcro jacentem; et per dies quatuor in fetore saniei suæ manentem non solum vitæ, sed etiam incolumitati perfectæ subito restituere; et hoc sola virtute vocis hujus qua clamavit, voce magna: *Lazare, veni foras* de claustris sepulcri, ubi homines te posuerunt, *et statim*, inquit, *prodiit qui erat mortuus, ligatus manus et pedes institis* (*Joan.* II). Sed quid mirum, quando ille jusserat, qui claves habebat mortis et inferni? Ecce quæ signa regalis potentiæ, quæ regiæ majestatis insignia secum deferebat, qui tam mansuetus et humilis super asinum veniebat. Nam se Dominum majestatis esse non tacuit, qui se templi Dominum appellavit, dicens: *Scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Luc.* XIX). Factoque flagello de funiculis, omnes vendentes et ementes ejecit de templo, significans unumquemque suorum peccatorum funibus constringendum; et non alio flagello quam suorum ipsius peccatorum merito de cœtu sanctorum ejiciendum. Super quem locum dicit Hieronymus, « Inter omnia signa videtur hoc mirabilius, quod unus homo ad flagelli verbera tantam ejecerit multitudinem illorum, quorum lucra destruebat in eum sævientium. » Et addit: « Igneum enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie. » Porro in die passionis suæ ter appellatus est Dominus Rex, et ter ei est regibus honor exhibitus, semel irrisorie, et bis assertive. Irrisorie a militibus Pilati præsidis, deferentibus ei cum irrisione honorem regium; assertive ab ipso Pilato scribente

(25-26) Ambros. in hymno.

titulum, et a latrone pœnitente et confitente: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Joan.* XIX). Uterque enim Pilatus et latro Christum regem esse testatus est; ille scribendo titulum triumphalem, et scripturam confirmando, dicens: *Quod scripsi scripsi* (*Luc.* XXIII): iste confitendo, et regiam clementiam implorando, dicens: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Sciendum tamen, quod illa militum illusio huic eidem veritati testimonium triplex, quamvis ignoranter perhibuit. In illa enim illusione duo valde magna, et ad nostram eruditionem omnino necessaria significabant milites nescientes, id est honorem mundi vanum esse, et honorem Christi verum esse. Omne regnum et imperium hujus mundi caducum est et fragile brevitate temporis, pungitivum et triste molestia sollicitudinis, igneum et terribile exspectatione judicii gravioris. De primo scriptum est: *Omnis potentatus brevis vita* (*Eccli.* X). Ecce revera sceptrum arundineum, quod leviter frangitur. De secundo: Reges et principes hujus sæculi moles rei mediocriter malos esse non sinit. Ecce revera diadema spineum, quo caput gestantis molestissime pungitur. De tertio: *Potentes potenter tormenta patientur; et fortioribus fortior instat cruciatio* (*Sap.* VI). Ecce revera chlamys coccinea, et vestimentum igneum, quo corpus induti totum comburitur.

Hæc autem omnia honorem Christi regium veraciter exprimebant. Nam sceptrum arundineum significabat ipsum esse, qui scripsit in cordibus hominum legem justitiæ, et qui redditurus est unicuique juxta opera sua (*Matth.* XVI): nam arundine scribere solemus et mensurare. Corona spinea significabat Christum esse, qui perfecte peccatum vicerat, et perfectam de peccatis victoriam reportabat. Nam *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Nec solum peccata, sed etiam peccatores semper triumphat Dominus; aut ipsos convertendo misericorditer, aut juste æternaliter puniendo. Porro vestimentum ejus purpureum tria significabat: immortalitatis decorem præcipuum, summæ potestatis honorem regium, quo resurgens a mortuis caro ejus ornata est, et similis decoris commune participium, quo sancta Ecclesia in die judicii circum ornanda est, et præcipue sanguinis ejus pretiosissimi roseum lavatorium, quo in die passionis ejus redempta, et abluta, sicut prædictum fuerat in præclara prophetia Jacob, in benedictione filii sui Judæ. *Lavabit in vino stolam suam: et in sanguine uvæ pallium suum* (*Gen.* XLIX). Stola ornamentum, ut aiunt, matronale significat corpus Christi, scilicet Ecclesiam, quod et per pallium designatur; quia Ecclesia ornamentum Christi est atque vestimentum. Unde scriptum est: *His omnibus velut ornamento vestieris* (*Isa.* XLIX). Sanguis autem uvæ sanguinem Christi significat, qui secundum humanitatem vitis vera est, in qua palmites manentes ferunt fructum multum; secun-

A dum divinitatem agricola non exterius culturam adhibens, sed interius dans incrementum. Et bene sanguis Christi vinum dicitur, et lavacrum: vinum, quia lætificat; lavacrum, quia mundat, abluit et sanctificat; juxta illud: *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I). Alibi dicitur: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit* (*Isa.* IV), etc. Hic per sanguinem peccatum designatur, O sanguinem virtutis eximiæ, potentiæ singularis! Omnis alius sanguis sordidat et maculat: hic solus a sordibus abluit, a maculis emundat. O novum fullonis genus, qui sanguinem sanguine lavat! Quid non poterit sanguis Creatoris omnium, si tantum potest sanguis quorumdam animalium? Legimus tres species

B sanguinum potentissimas; hirci, mulieris menstruatæ, et muricis. Primus scindit adamantem lapidem durissimum; secundus dissolvit bitumen gluten tenacissimum; tertius tingit purpuram colorem optimum. Sane nil minus ab his, imo multo plus his habere debuit sanguis illius Agni, qui tollit peccata mundi, juxta illud Apostoli: *Si sanguis hircorum et vitulorum inquinatos sanctificat,* etc. *quanto magis sanguis Christi* (*Hebr.* IX)! Ideo in hujus sanguinis effusione, ad designandam ejus abluendi et sanctificandi potentiam terra tremuit, infernus crepuit, sol expavit, petræ scissæ sunt. Et ut aliquid morale sanguines isti nobis eliciant, sciendum est quod toties in virtute sanguinis Chri-

C sti adamas scinditur, quoties peccator obstinatus ad pœnitentiam emollitur; bitumen dissolvitur, cum inveterata injustæ libidinis consuetudo violenter dirumpitur; purpura tingitur, cum in tribulationibus et persecutionibus usque ad mortem pro justitia certatur. Adamas scissus est in conversione magorum, ut Cypriani et Dariæ; bitumen dissolutum in continentia fornicatorum, ut Bonifacii et Pelagiæ; purpura tincta in constantia martyrum, ut Laurentii et nostri Thomæ.

SERMO XII.

IN RAMIS PALMARUM V.

Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI). Prædicator egregius tanquam juris peritus convenientis-

D sime nostro jure nos convenit; sciens nimirum hoc in usu esse apud omnes homines, ut tanto servus in opere domini sit instantior, quanto altiori fuerit peculio comparatus. Idcirco nos hortaturus ad glorificandum Deum in præcepti custodia, et ad eum portandum, in flagelli disciplina, præmonere nos voluit de semper cogitanda magnitudine pretii, quo sumus a Domino miserante redempti, dicens: *Empti enim estis pretio magno.* Sic Petrus: *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis; sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi Jesu* (*I Petr.* I). Isaias: *Gratis venumdati estis et sine argento redimemini* (*Isa.* LII), Non ait, et gratis redimemini; sed sine argento, id est non corruptibili pecunia nunquam Deo placita; sed Agni man-

sueti salutari victima ab eo singulariter acceptanda. Empti estis pretio magno. Paulus dicit : *Empti;* Petrus : *Redempti.* Utrumque verum est. Redempti sumus de manu inimici ; empti de manu Dei. Redempti sumus de vana nostra conversatione, ut non in illa remaneamus; empti sumus a Domino, ut justitiæ serviamus. Redempti sumus, quia prius venditi fuimus; empti sumus, ne amplius vendamur. Vere enim liber est, quem Filius veritas liberat. Primus nos vendidit Adam, quando per culpam suæ inobedientiæ nos omnes constituit filios iræ, sicut scriptum est : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors.* (*Rom.* III). Deinde nosmetipsos vendidimus, quando diabolo sponte consensimus, sicut dicit Dominus per Isaiam : *Quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis; in sceleribus vestris dimisi matrem vestram* (*Isa.* L). Pulchre autem dictum est : *Gratis venundati estis* (*Isa.* LII), id est sine pretio et fructu aliquo : nihil enim peccando lucramur, nisi servitutem et mortem, quæ peccati stipendium est, merces et fructus.

Nihil aliud habet diabolus, quod dare possit : adeo pauper est et inops, ut omni bono careat; adeo miser, ut omni malo abundet. O quanta stultitia, quanta infelicitas, tali Domino se vendere, qui nec se, nec alium potest adjuvare, nec sibi prodesse, nec alii. Nemo autem semel sub peccato venundatus semetipsum redimere potest; quia peccati se servum fecit, sicut scriptum est : *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII), et adeo servus, ut et si mente legi Dei consentiat, carne tamen contradicat : ideo non potest evadere peccati servitutem, id est concupiscentiam, nec peccati stipendium, id est mortem et gehennam. Unde Augustinus super illum locum : « Virtus vero peccati lex. Auget, inquit, prohibitio desiderium operis illiciti, quando justitia non sic diligitur, ut peccandi cupiditas ejus delectatione vincatur. Ut autem sic diligatur, et delectet vera justitia, nonnisi divina subvenit gratia. Solus ergo ille potuit nos redimere, quem nemo alius potuit vendere; in quem peccatum non potest cadere, mediator scilicet Dei et hominum homo Christus Jesus, qui sic solus implevit omnem justitiam, ut cum de peccato non posset argui, pro peccatoribus non recusarit mori. » Idem Augustinus hom. *De Incarnatione Domini :* « Tantum te pressit humana superbia, ut te non posset nisi humilitas sublevare divina. » Empti ergo fuimus a diabolo pretio nullo, sed redempti a Christo pretio magno; qui dedit semetipsum pro nobis pretium; non diabolo, qui nos gratis emerat, et gratis possidebat; sed Deo Patri suo, qui nos juste vendiderat, id est vendi permiserat, juxta illud Psalmistæ : *Vendidisti populum tuum sine pretio* (*Psal.* XLIII), id est vendi permisisti. Et Moyses : *Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos? Deut.* III). Sic enim dicitur Deus nos vendidisse

A sicut Pharaonem indurasse, et convertisse cor Ægyptiorum, ut odirent populum suum. Sicut autem a carne et sanguine venditi fuimus, id est hominis carnali voluptate; sic carne et sanguine redempti sumus, id est secundi hominis pia oblatione : qui idcirco naturam nostræ mortalitatis assumpsit, ut haberet, quod pro nobis Patri offerret. *Omnis pontifex*, sicut ait Apostolus, *ad offerenda munera et hostias constituitur* (*Hebr.* VIII), et ideo necesse est hunc habere aliquid quod offerat. Sed dicit hæreticus : Quid pertinet oblatio carnis et sanguinis ad redemptionem animæ substantia spiritualis? Quid est enim quælibet caro et sanguis, nisi caro et sanguis? Audi, miser : *Non omnis caro eadem caro. Alia est caro volucrum*, alia caro piscium, alia ju-

B mentorum, alia *pecorum*, alia bestiarum, alia reptilium (I *Cor.* XV). Omnis caro humana ex immundo concepta semine naturaliter immunda est, et sordida. Caro autem Christi, quia sine virili semine sumpta est, et de virgine, naturaliter purissima est; quia vero personaliter Deo conjuncta, etiam purgatissima. Unde Ambrosius (27) :

Culpat caro,
Purgat caro,
Regnat Deus,
Dei caro.

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? (*Job* XIV.) Subaudi, conceptus sine semine. Qui enim facit aliquid de ni-

C hilo, potest facere mundum de immundo. Omnis sanguis humanus eo ipso quod est humor sanguineus inquinat et polluit. Sanguis autem Christi, quia sanguis Dei est, potentissime lavat et abluit, non dico maculas vestium, aut corporum, sed quod incomparabiliter majus est, animarum. Est enim sanguis Agni illius, qui tollit peccata mundi. Unde Joannes in Apocalypsi : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I). Unde Apostolus ad Hebræos optime argumentatur a minori, dicens : *Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit*

D *immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?* (*Hebr.* IX). Et ne cui forte tanta virtus carnis et sanguinis incredibilis videatur, consideret, obsecro, carnem tiri serpentis, et hirci sanguinem. Nonne de carne tiri theriaca conficitur, quæ veneni perniciem depellit a carne humana? Ergone de carne Dei non potuit confici medicina, quæ venenum serpentis antiqui, id est peccati putredinem depellere possit ab omni anima? Unde scriptum est : *Medicina omnium in festinatione nebulæ* (*Eccli.* XLIII), id est antidotum salutis humanæ vere confectum est in triduana morte Christi; cujus caligo festinanter pertransiens, et acceleratæ resurrectionis illustri mi-

(27) Ambros. in hymno.

raculo velociter evanuit, et potenter exsufflata est a cordibus fidelium; tenebras palpabiles crassioris ignorantiæ relinquens in cordibus superborum. Hæc enim nebula tam crassa fuit, ut etiam in cordibus discipulorum tempore passionis pene totum fidei lumen exstinxerit. Unde dicebant : *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel (Luc.* XXIV). Sed, ut dixi, ista caligo Domino post resurrectionem illis apparente cito pertransiit, et in solis cordibus superborum remansit, qui Scripturis sanctis non volunt credere; et ideo ad scientiam veritatis non possunt pervenire. Sicut scriptum est : *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isa.* VII). Nonne per hircinum cruorem frangitur adamantis invicta durities? Ergone per Christi Filii Dei sanguinem resolvi non poterit peccatorum nostrorum quantalibet indurata glacies? Unde : *et sicut in sereno glacies, solvuntur peccata tua* (*Eccli.* III). Idcirco Dominus ipse per serpentem æneum et hircum emissarium designari voluit : quorum serpens levatus in pertica, et respectus a turba sanabat in percussis morsus serpentium; hircus autem, cum in precatione pontificis peccata populi portabat in desertum. Serpens æneus nullam prorsus habebat veneni perniciem; sed solam serpentis figuram et imaginem. Sic et Christus nullam habebat peccati corruptionem, sed solam carnis peccati similitudinem. Caro quoque ejus, quia ænea fuit, quia semper incorrupta permansit; ante passionem sine corruptione culpæ, post passionem sine corruptione pœnæ. Propter quod dicebat Job : *Nec fortitudo lapidis fortitudo mea, nec caro mea ænea est* (*Job* XII). Si figura passionis Christi tantum potuit in serpente æneo, quantum poterit veritas in sanguine patientis effuso? Respectus illius sanabat morsus serpentium, respectus hujus sanat peccata confitentium, et eis aperit paradisum : sicut dictum est ad latronem, culpam suam, et ejus innocentiam simul et potentiam confitentem : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Dicat ergo Apostolus : *Empti enim estis pretio magno* (*I Cor.* VI). Ac si aperte dicat : Nemo magnitudinem hujus pretii parvipendat; quia quanto altiori sollicitudine redempti sumus a mansuetudine Christi pendentis in patibulo, tanto acriori districtione judicandi sumus ab ejus majestate jam regnantis in cœlo. Unde Augustinus in quadam homilia. « *De Incarnatione Domini.* » Hinc intelligimus, quam graves æstimet apud se Deus humanorum criminum causas; propter quas non angelum, non archangelum, sed Deum Dei Filium misit ad terras. Et addit : « Quam gravis, et quam dura sit peccati conditio, prodit remedii magnitudo, quanta malorum discussio erit qua damnabuntur, sollicitudo indicat, qua rediumntur. » Hoc ipsum terribiliter probat Apostolus argumento a minori in Epistola ad Hebræos, dicens : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Non ergo Filium Dei conculcemus, nec sanguinem testamenti pollutum ducamus, in quo sanctificati sumus, nec spiritui gratiæ contumeliam faciamus voluntarie peccando, et nos iterum diabolo vendendo; sed glorificemus et portemus Deum in corpore nostro. Glorificandus est autem Deus tripliciter : corde, ore, opere. Corde, credendo; ore, confitendo; opere, vincendo. De primo genere glorificationis dixit Dominus ad Moysen : *Quia non credidistis mihi, ut glorificaretis me in conspectu filiorum Israel, non introducetis populum istum in terram, quam dabo eis* (*Num.* XX). Est confessio duplex : criminis, et laudis. Unde : *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi* (*Psal.* LXXIV). Confitebimur peccata nostra, confitebimur beneficia tua; nam per utraque glorificatur Deus. Unde Josue ad Achan, qui furtum fecerat in anathemate. *Fili mi, da gloriam Deo, et confitere quid feceris* (*Jos.* VII). Hoc de confessione criminis. De confessione laudis est hymnus ille angelicus, *Gloria in excelsis Deo.* De glorificatione operis ait Dominus in Evangelio : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V). Et Apostolus : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (*I Cor.* X). Sine ista tertia glorificatione operis aliæ duæ nihil sunt; quia et fides sine operibus otiosa et mortua est; nec est speciosa laus in ore peccatoris, qui opere blasphemat. De talibus laudatoribus ait Dominus ad Pharisæos : *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias dicens : Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (*Matth.* XV). Cui simile est illud Jeremiæ : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum* (*Jer.* XII); qui in luxuria vel pecunia delectantur, nihil turpius Dei laudatore.

Quale est enim ore Deum laudare, quasi cælibem; et renes suos super terram trahere, quasi bufonem? Quale est, magnis vocibus prædicare cœlestem patriam, et totis viribus congregare terrestrem pecuniam? Illud faciunt clerici summis labiis, hoc autem imis medullis. Idcirco ne quis putaret glorificationem vocis illud magnis vocibus, hoc autem totis viribus sermonis sufficientia; subjunxit Apostolus dicens : *Et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor.* V). Glorificare Deum, sicut supra diximus, pertinet ad præcepti custodiam; portare vero ad flagelli disciplinam. Nam portare Deum est flagella ejus, et correptiones paternas non solum patienter, sed et libenter suscipere; et ex eis mores reprobos emendare. Nam qui flagellati a Domino se non corrigunt, disciplinam ejus non recipiunt. Unde Dominus de talibus per Jeremiam conqueritur, dicens : *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt* (*Jer.* II). Hinc est illud Apostoli ad Hebræos : *In disciplina perseverate : tanquam filiis vobis se offert Deus. Quis enim est filius, quem non corripiat pa-*

ter? etc. (*Hebr.* XII). Et ostendens pulcherrima ratione quare hanc disciplinam libenter suscipimus, subdit deinde : *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et verebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?* (*Ibid.*) Et paulo post : *Omnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudii, sed mæroris ; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ* (*Ibid.*). Ut ait B. Cyprianus (28) duodecimus abusionis gradus est plebs sine disciplina, quam sic describit ipse : « Disciplina est morum ordinata correctio, et majorum præcedentium regularum observatio. » Et addit : « Corporis Christi tunica disciplina est Ecclesiæ. Qui extra istam est, alienus est a corpore Christi. Non scindamus eam ; sed sortiamur cujus sit. Non solvamus quidquam de mandatis Christi, sed unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat. »

Optime tunica Christi disciplina Ecclesiæ dicta est ; nam semper Christus disciplinæ tunica indutus fuit, et totus, ut ita dicam, involutus. Unde puer et servus Domini nuncupatur. Pueri enim et servi semper in disciplina sunt. Unde B. Benedictus pueris custodiam et disciplinam adhiberi præcipit, usque dum ad intelligibilem ætatem perveniant. Et de servo scriptum est in Ecclesiastico : *Cibaria et virga et onus asino : panis et disciplina, et opus servo* (*Eccli.* XXXIII). De Domino autem scriptum est : *Ecce puer meus electus, quem elegi : posui super eum spiritum meum* (*Isai.* XLII). Item : *Servus meus es tu, quia in te gloriabor* (*Ibid.*). Item : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob*, etc. (*Isai.* XLIX). Servo malevolo tortura et compedes. Nihil hoc servo melius, vel benevolentius, nihil obedientius : et tamen contumelia et tormento interrogatus est super omnes servos, et morte turpissima ac injustissima condemnatus. Servus sciens voluntatem domini sui et non faciens digna, plagis vapulabit multis. Iste servus omnia digna fecit, nihil egit perperam, nihil indignum ; et tamen nemo alius tantis plagis vapulavit. Verberatus est enim non solum tanquam servus ad quæstionem, sed etiam, ut vulgo dicitur, tanquam asinus ad pontem : quamvis ipsum pontem, id est mortis angustiam libentissime pertransiret ; pedetentim tamen, quia caro passibilis et infirma naturaliter horrebat mortem ; sed spiritus promptus eam tanquam asinum mansuetissimum, et nimis oneratum onere peccatorum nostrorum prudentissime maturis passibus deducebat per pontem. Ex qua tarditate, id est maturitate factum est, ut iste asinus amplius gravaretur in suo corpore, ut nos melius ab onere levemur. Cibaria hujus asini, vel panis hujus servi fuit obedientia. Unde : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui misit me, et perficiam opus ejus* (*Joan.* IV). Virga disciplinæ patientia. Unde : *Disciplina pacis nostræ su-* A *per eum, et livore ejus sanati sumus* (*Isai.* LI). Onus ejus et opus est iniquitatum nostrarum portatio, unde : *Posuit in eo Deus iniquitates omnium nostrum* (*Isa.* LIII). Denique ideo hodie Rex virtutum, Rex gloriæ appropinquans loco passionis, cujus tempus appropinquabat, super asinum venire dignatus est ; ostendens se per hanc mansuetudinem non tam exhibiturum servis suis severitatem Domini, quam servitutem et utilitatem domestici jumenti. Ipse est enim Samaritanus, qui vulneratum a latronibus miserans, et infusione vini et olei vulnera ejus alligans, imposuit eum super jumentum suum, et duxit in stabulum (*Luc.* X). Asinus est jumentum nimis brutum ; et ideo hoc genus jumenti insidere voluit humillimus hominum veniens nobis in B auxilium contra Regem superborum, debellaturus eum mansuetudine et obedientia ; infirmitate carnis et stultitia crucis : cujus infirmum et stultum sapientius est et fortius non solum hominibus, sed etiam dæmonibus universis. Venit ergo servus noster, asinus noster, ut dorsum suum ponat ad flagella ; disciplinam pro nobis suscepturus. Septem disciplinas pro nobis recepit, in flagellis, in colaphis facie velatus, in sputis, in spinis, in clavis, in confossione lateris, in gustu fellis et aceti, quando dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XIX), id est consummata sunt quæ de mearum passionum tolerantia prædicta fuerant ; consummatæ sunt disciplinæ corporales, quæ mihi pro fratribus meis C injunctæ erant. Sic ergo Christus quasi jumentum tulit jugum nostrum, onus nostrum ; implens prior illud mandatum, quod dedit per Apostolum suum : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* V). Quid ergo magnum est, si portamus Christum in corpore nostro, qui prius nos portavit in suo ? Pro magno tamen habet, si dignemur eum ferre sessorem, tanquam subjugales, quem primum habuimus subjugalem, id est jugi et oneris nostri portitorem. Jugum nostrum pœnalis mortalitas, et necessitas moriendi.

Unde : *Grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris, usque ad diem reversionis in matrem omnium* (*Eccli.* XL). Onus nostrum iniqui- D tas nostra, unde : *Iniquitates meæ sicut onus grave gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII). Utrumque portavit Christus mortalis pro nobis factus, et pro peccatis nostris mortuus, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, vulneratus propter peccata nostra, et attritus propter scelera nostra. Vult ergo ut etiam ipsi jugum et onus ejus feramus. *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde. Jugum enim meum suave est et onus meum leve* (*Matth.* XI). Tollite, inquit, jugum meum, sicut ego tuli vestrum : portate onus meum, sicut portavi vestrum. Jugum vestrum asperrimum, onus vestrum gravissimum.

(28) *De 12 abusion. sæc.*

Denique sub jugo et onere vestro toto corpore sanguinem sudavi, pertuli crucem, fudi cruorem, cruentavi carnem, animam exhalavi. At jugum, inquit, meum suave est, et onus meum leve. Jugum meum lex mea, onus meum crux mea; lex mea dilectio. Jugum dicitur a jungendo, lex a ligando; dilectio est quasi duorum ligatio. Omnis enim dilectio ad minus inter duos est. Charitas non solum ligat hominem homini, et angelum angelo : sed etiam Deum angelo et homini, et angelum et hominem Deo. Deum ligavit homini per Incarnationis mysterium : hominem ligat Deo per veræ fidei sacramentum, et hilaris obedientiæ suave vinculum; quidquid enim hilaritas facit, suave est. Unde Hieronymus : « Nihil amanti durum, nullus difficilis cupienti labor est. » Ideo charitas dicitur ab angelo vinculum perfectionis, quia perfecte ligat, id est fortiter et suaviter. Cætera vincula quanto fortiora, tanto minus suavia; quanto suaviora, tanto minus fortia. Ferrum ligat fortiter, sed non suaviter : filum suaviter, sed non fortiter. Charitas autem quanto ligat fortius, tanto suavius : quanto suavius, tanto fortius; ideo vinculum perfectionis est, quia perfectissime ligat id est fortissime et suavissime. *Quis nos*, inquit, *separabit a charitate Christi?* (*Rom.* VIII.) Quasi dicat : Nullus. *Certus sum, quia neque mors, neque vita*, etc., *nec alia creatura poterit nos separare a charitate Dei* (*Ibid.*) Ecce vinculi fortitudo inseparabilis. Ecce et delectatio incomparabilis. *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Mihi adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII), supra omne bonum optabile, quia optabile tanquam summum bonum. Bene lex charitatis dicitur jugum et vinculum, quia ligat et jungit spiritum creatum suo Creatori. Dicitur etiam onus et crux, quia premit et cruciat carnem rebellem, et eam subjicit et subjugat suo spiritui. Sed hoc totum leniter et suaviter, tanquam onus leve, et crux suavis : quippe juncta per totum sancti liquoris unguine, id est roseo Christi cruore, qui per omnes crucis dimensiones rivis largissimis emanavit. Non potest esse aspera neque gravis ad portandum crux inuncta, quam sacer cruor perunxit, fusus Agni corpore. In dedicatione Ecclesiarum cruces chrismate liniuntur, quia spiritus adjuvat infirmitatem nostram, ut quantoslibet cruciatus pro Christo cum gaudio patiamur. Quod est autem gaudium vel glorificatio in tribulatione, nisi unctio in cruce? Vide 12 cruces chrismate inunctas. *Ibant apostoli gaudentes*, etc. (*Act.* V). Hujus crucis latitudo est largitas dandi, et facilitas dimittendi; ut omni petenti se tribuat, et omnem injuriam pœnitenti remittat. His duobus brachiis amplexatur nos Christus, et a nobis amplexari desiderat. Deus enim proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Quomodo non cum illo omnia nobis donavit? Ecce donandi largitas. De dimittendi facilitate est illud : *Donantes vobismetipsis sicut et Dominus donavit vobis* (*Coloss.* III). *Venite, ad me omnes qui laboratis et oneratis estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Omnes allicit, neminem repellit. Omnem donat injuriam, nil reservat ad vindictam. Ideo clamat ad nos : *Date et dabitur vobis; dimittite, et dimittemini. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis* (*Luc.* VI). Longitudo crucis est longanimis exspectatio, omnia sufferens, omnia sustinens. Suffert enim charitas omnia quæ crudeliter inferuntur; omnia sustinet, quæ fideliter promittuntur. Unde : *Usque in finem sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis* (*Eccli.* I). *Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Væ qui sustinentiam perdiderunt* (*Jac.* V). Sublimitas hujus crucis est cœleste desiderium corda nostra sursum levans; profundum timor castus corda nostra penetrans, et nos semper in humilitate conservans. Deum ergo in corpore nostro portabimus, si illud Apostoli præceptum impleamus : *Alter alterius onera portate* (*Galat.* V). Quod nobis præstare dignetur, qui hanc legem primus adimplendo, onera nostra portare dignatus est, Jesus Christus Dominus noster. Amen

SERMO XIII.

IN PASCHA.

Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara : exsurgam diluculo (*Psal.* LI, CVII). Exsurgamus ergo tandem aliquando, Scriptura nos hortante et dicente : *Hora est jam nos de somno surgere : nunc enim propior est nostra salus quam cum credidimus* (*Rom.* XIII). Vere propior est : quando ostensa est jam nobis via, aperta est janua, parata est mensa, vox turturis audita est. Ostensa est via peregrinis, aperta est janua mendicis, parata est mensa famelicis, vox turturis facta est amicis. Ostensa est via disciplinæ, sive obedientiæ, aperta est janua misericordiæ, sive indulgentiæ, parata est mensa opulantis, et ad epulas invitantis Sapientiæ, vox turturis audita, ut jucundemur. Via trium dierum professio est ordinis in quo tria profitemur : stabilitatem in loco, conversionem, hoc est correctionem morum, obedientiam secundum Regulam. Stabilitas in loco, est non moveri de loco sine præsidentis imperio : nam qui jussus locum mutat, non perdit stabilitatem, quia obedientiam servat. Conversio morum, est eversio vitiorum, et virtutum plantatio. Obedientia secundum Regulam, est non tarda, non trepida, non murmurosa, non tepida; sed velox, serena, hilaris, et fervida; et hoc tantum in duris et contrariis rebus, et carni non placentibus. Nam in voluptuosis et nihil in se pœnitentialis amaritudinis habentibus, et tarde ac tepide obediendum est, si res ipsa citra peccatum est.

Si autem sine peccato transigi non potest, obediendum est Deo, magis quam hominibus. Nihil enim homo debet homini, nisi salva innocentia. Hæc igitur est via, ambulate in ea via in principiis arcta et ardua, sed post principia lata et spatiosa, facilis et plana : in utrisque autem pulchra et

recta (*Isai.* xxx). Ut enim ait legislator noster (29), via vitæ non nisi angusto initio incipienda est; at deinde dilatato corde inenarrabili dulcedine curritur, juxta illud Psalmistæ: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* cxviii). Porro arcta via jumentum nimis incrassatum non vehit; ardua viatorem oneratum non provehit; via pulchra inquinatum nil admittit, recta non transmittit erroneum. Equus incrassatus cito recalcitrat; viator oneratus cito fatigatus ab itineris labore cessat. Vir immundus quidquid tangit polluit, et tanquam ovis morbida omnem gregem contaminat; erroneus autem cum ratione nunquam concordat. Incrassantur gulosi, onerantur avari, polluuntur luxuriosi, errant vagabundi, et vagantur errabundi omnes hæretici et inconstantis animi. Hæc via nobis ostensa est in itinerario Jesu Christi dupliciter, verbo et exemplo. Verbo nobis ostensa est arcta via, cum dixit *Videte, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ* (*Luc.* xxi). Exemplo; cum jejunat quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et cum discipuli ejus tanta arctabantur esurie, ut ambulantes per sata spicas vellerent, et vulsas et confricatas ambulando manducarent. Via ardua nobis ostensa est verbo, cum dixit: *Si quis non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* xiv); et iterum: *Si quis non bajulat crucem suam quotidie, et sequitur me, non est meus discipulus* (*ibid.*). Ecce solam crucem ferre jubemur, et quidquid est aliud, habere prohibemur. Quæsitum est aliquando a quodam dæmone per hominem obsessum loquente de monacho proprietatem habente, quid de tali monacho sibi videretur. Qui respondit: Monachus qui habet obolum, non valet obolum. Nemo, ait philosophus quidam, cum sarcinis enatat. Ego autem dico, quod multo magis nemo cum sarcinis volat. Omnis pecunia, omnis terrena possessio, quidquid habetur supra victum et vestitum, quo contenti esse jubemur, onus est. Via pulchra nobis ostensa est per Verbum; quando ab incarnata Dei Sapientia datum est mundo perpetuæ virginitatis consilium, dicente Domino: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Dei, qui potest capere capiat* (*Matth.* xix); et Apostolus præcipuus: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do* (*I Cor.* vii). Ostensa est nobis hæc eadem via per Christum, quando ipse Dei Filius dignatus est nasci de Virgine; ac dilecto virgini discipulo etiam commendare dilectam matrem et Virginem moriendo in cruce. Hæc pulchritudo viæ nihil patitur immundum. Si ergo omnis immundus secundum legem Moysi a sanctorum castris ejicitur; quam merito secundum severitatem Patrum nostrorum omnis immunditia non solum in opere, sed etiam in quolibet signo aut verbo a conventu sanctorum

A corporaliter eliminari jubetur! Via recta nobis ostensa est verbo, quando dictum est: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus* (*Joan.* xx). Ostensa est nobis per exemplum; quando ille qui sic vixerat, et sic docuerat, videntibus discipulis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Hæc igitur est via, ambulate in ea. *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini* (*Psal.* cxviii). In hoc loco sub nomine maculæ omne impedimentum comprehenditur, id est crassitudo et onus, immunditia et error. *Beati*, inquit, *immaculati in via*. Quam viam dixerit, exposuit, cum subjunxit: *Qui ambulant in lege Domini*. Immaculati ergo in via sunt, qui nec incrassantur

B per gulam, nec onerantur per avaritiam, nec polluuntur per luxuriam, nec per hæresim errabundi vagantur. Sicut autem ostensa est nobis via, sic aperta est nobis janua. Quibus aperta? Latroni, neganti, peccatrici, homicidæ, apostatæ, septem dæmoniis subjectæ; sed latroni confitenti, apostatæ amore flenti, peccatrici valde diligenti. In latrone confessio, in Petro contritio, in peccatrice diligens satisfactio, vel satisfaciens dilectio commendatur. Idcirco autem tres istos maximos peccatores maxime numeravi, ut nullus peccator quantumlibet maximus, de aperienda sibi misericordiæ janua desperaret. Parata est etiam nobis mensa, id est sacrosanctum altare, in quo agnum Paschalem comedamus. Sic autem comedendus est.

C *Renes*, inquit, *vestros accingetis, calceamenta habentes in pedibus, baculos tenentes in manibus, et comedetis festinanter. Est enim Phase, id est transitus Domini* (*Exod.* xii). Caput cum pedibus et intestinis vorabitis. In accinctis renibus carnis castigatio, in calceatis pedibus mortis appetitio, vel affectuum nostrorum munitio; in baculis in manibus operis rectitudo, aut certe judicii æterni assidua meditatio. Quod judicium quasi baculus est, quia regit et percutit, sustentat, et prosternit. Utrobique baculus rectus, quia reddetur unicuique quod rectum est. Caput hujus agni est potestatis divinæ sublimitas; pedes humanæ dispensationis humilitas; intestina in utraque natura viscera pietatis. Hæc omnia

D voranda sunt, id est credenda firmiter, adoranda simpliciter, devote et medullitus honoranda. Vox turturis audita est in terra nostra, hæc scilicet: *Exsurge gloria mea*, etc. Vox turturis est, id est vox Patris suum comparem, id est sibi coæqualem Filium, velut plangentis, dicentisque: Fili mi, *gloria mea*, cecidisti in contumeliam, *exsurge* in honorem; Fili mi, *psalterium meum*, id est laudem meam sonans a superiori, cecidisti in confusionem, *exsurge* in gloriam; Fili mi; *cithara mea*, id est laudem meam sonans ab inferiori, cecidisti in passionem et mortem, *exsurge* in immortalitatem impassibilem. *Catulus leonis Juda; ad prædam ascen-*

(29) S. Bened. in prolog. Regulæ

disti, Fili mi: quis suscitabit eum? (*Gen.* XLIX.) Quis de angelis, vel archangelis? Non Michael, non Gabriel, non Raphael, non alius ullus. At se ipsum potuit suscitare, jubente ac dicente Patre: *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium, et cithara*, ipsoque respondente: *Exsurgam diluculo*. Dixit ergo, et fecit, quia ejus dicere facere est. Ecce resurrexit, et adhuc non solum cum Patre est, sed etiam nobiscum fratribus suis, et erit omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Possunt etiam verba ista Patris non solum de Filio ejus unigenito, sed etiam de ultimogenito intelligi. Habet enim filios tres: unum unigenitum, alterum primogenitum, tertium ultimogenitum. Unigenitus est Dominus noster Jesus Christus; primogenitus populus Israeliticus in electis Patribus; ultimogenitus populus Christianus. Ad nos ergo loquitur dicens: O Fili mi, popule Christiane, *gloria mea* per remissionem peccatorum gratuitam; *psalterium meum*, annuntiando laudem meam; *cithara mea*, confitendo iniquitatem tuam. *Omnes*, inquit Apostolus, *peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius* (*Rom.* III). Vel *gloria mea*, vivendo sapienter; quia gloria patris est filius sapiens: *psalterium* meum, vivendo concorditer; nam pacem summa tenent: *cithara mea*, agendo viriliter, et sustinendo patienter. Vel *gloria mea* per redemptionem, *psalterium meum* per dilectionem, *cithara mea* per carnis mortificationem. Nam redempti sumus in gloriam et laudem ejus. In psalterio decachordo psallimus, cum proximum diligimus. Omnis enim lex in hoc sermone instauratur, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum* (*Rom.* XIII). Igitur monachordum dilectionis valet decachordum legis. Citharizamus, cum carnem mortificamus. *Exsurge*, id est ex terra usque ad cœlum surge: quærendo quæ sursum sunt, sapiendo quæ sursum sunt. Respondet Christianus: *Exsurgam diluculo*, id est mox ut sol justitiæ mihi ortus fuerit, et radiis gratiæ suæ mentem meam afflaverit: ut a terra me suspendat, ut post se me trahat, ut ad cœlum me pertrahat, et ad se ipsum me tandem accipiat. Sic ipse discipulis promisit, dicens: *Veniam ad vos, et accipiam vos ad me ipsum: ut ubi ego sum, et vos sitis* (*Joan.* XIV). Quod ipse nobis omnibus præstare dignetur: qui hodie novus auctor resurrectionis, ab inferis resurrexit. Amen.

SERMO XIV.

IN ASCENSIONE DOMINI I.

In velamento alarum tuarum exsultabo (*Psal.* LXII). Bone Jesu, qui me sub umbra alarum tuarum protegis, qui mihi obumbras scapulis tuis, qui in odore unguentorum tuorum me trahis, qui obviis manibus et in ulnis tuis me suscipis, tu me hodie doces sublimiter in cœlum post te volare, qui me prius docuisti humiliter in terra post te ambulare. *Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus* (*I Cor.* XIII): nunc autem de profectu sapientiæ et ætatis, et gratiæ grandescens, sapientiam loquor et audio inter perfectos. Ad utraque nos, Domine, instituisti, tunc gallina, nunc aquila: tunc parvulus cum parvulis dixisti de parvulis: *Sinite parvulos ad me venire; talium est enim regnum cœlorum* (*Marc.* X): et puerum statuisti temetipsum in medio, et sic venisti quærere quod perierat, sic sollicitus mei. Quæsivit me diabolus, et invenit, et circumvenit. Quæsivit me Christus; invenit, et subvenit. Quæsivit me diabolus per serpentem non diabolum; sed diabolo nescienter plenum: et in luce me invenit, et seduxit. Quæsivit me Deus per angelum non Deum, sed Dei bonum nuntium; et in umbra me invenit, sed non reduxit. Postea Deus per hominem non Deum, sed hominem purum, quamvis prophetam magnum, scilicet Moysen, quæsivit me, et invenit me in luto et latere laborantem molli et effeminata luxuria, dura et obstinata malitia diabolo servientem; et invenit et eduxit, sed ad quietem non perduxit. Tandem Deus per hominem Deum, id est per Jesum Christum me quæsivit, invenit, duxit, et induxit in montem sanctificationis suæ. Sed duxit ut gallina pullos suos congregans sub alas et fovens, quæsivit scalpuriens, et domum subvertens, et universum stratum ejus in infirmitate versans; quasi abbas scrutans lectos monachorum, non qui jam erant, sed qui esse debebant, propter opus peculiare, ut invenireur: sic gallina super pullos suos contracta, docuit nos sobrie, et juste, et pie vivere in terra sub alis suis, quæ sunt exemplum vitæ, et verbum doctrinæ, humilis utriusque. Ut parvulus cum parvulis conversabatur, ut parvulus cum parvulis loquebatur, terrena docens, id est usum sacramentorum, in terra duntaxat exercenda; nondum fructum terræ sublimem, et in cœlo percipiendum proponens, quibus dixit: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI) Sic quæsivit in pulvere pulverem, et in pulvere margaritam; pulverem, qui apparebat; margaritam, quæ latebat: et tandem quem quæsivit, invenit in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis; id est in carne corrupta, sed inevitabili necessitate mortis, in sensuum interiorum corruptione: vere solitudo vasta, in qua solus erat vastatus homo; solus sine vero, sine bono, sine seipso, sine Deo; nesciens unde veniat, aut quo vadat, tam principii sui, quam finis ignorans. Hinc ejus consilium infatuatum, judicium reprobum vel falsatum, desiderium corruptum. Consilii est discernere inter bonum et malum, commodum et incommodum; judicii inter justum et injustum, verum et falsum, tanquam inter lucem et tenebras: desiderii inter jucunda et tristia, amara et dulcia: et sic in se retorsit triplex væ propheticum, væ qui dicunt bonum malum, etc. (*Isa.* V.) Sic ignorans seipsum abiit post gregem sodalium suorum, præsentibus intendens, non ad futura se extendens; primum bonum vinum ponens, non rerum exitus prudenter metiens; quia cujus finis bonus vel ma-

jus est; ipsum quoque bonum vel malum. In his A invenit homo Deus hominem non Deum, et more gallinæ circumduxit eum, et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui. Circumduxit undique naturam purgans, adjectiva tanquam superflua amputans et circumcidens; cireniens et immolans carnis vitia, et impiorum qui in circuitu ambulant vestigia delens. Sapientia namque non solum terram circuit, sed et gyrum cœli: circumduxit eum, et circumduci docuit, et custodivit carnem, ut gallina; mentem, ut aquila. Ignis autem eum præcedit, et inflammat in circuitu inimicos ejus; ignis videlicet terroris, qui semper in sensu cogitat circumspectionem Dei; quem charitas foras mittit ad custodiam, quo secure quiescat intus in lectulo cum Salomone suo. In hunc modum circumduxit per ti- B morem, docuit per spem, custodivit per fidem. Docet mortem non timendam, sed per eam potius transeundum ad vitam; ut justus gaudeat vehementer, cum invenerit sepulcrum, quia cum se consumptum putaverit, orietur ut Lucifer. Quam dulcis somnus, ubi hæreditas Domini, cum de curru transferetur ad currum more regio, de sub alis gallinæ super humeros aquilæ. Egredietur de prælio mortis dolore percussus, et ipsi morti moriturus revertetur in regnum suum, juxta illud: *In lætitia egrediemini, et in pace deducemini* (*Isa.* LV). In hac spe docet Deus hominem scientiam, quem tandem custodit per fidem, sicut pupillam oculi sui. Sine fide virtutes oculos habent, sed pupillam non ha- C bent: nesciunt quo dirigant intentionem, quo devotionem, quo orationem; sed sic currunt quasi incertum; et sic pugnant, quasi aerem verberantes. Idola oculos habent, sed non vident, quia pupillam non habent. Sic Deus per fidem custodit et dirigit consilia, judicia et desideria; ne devient et exorbitent a bono et vero, utroque jucundo. Sic sic gallina nostra pullis suis terram desertam, in qua non invenit Apostolus bonum, sed spinis et tribulis obsitam convertit in hortum deliciarum, juxta illud: *Terra illa deserta facta est ut hortus voluptatis* (*Ezech.* XXXVI); locum horroris convertit in portum salutis, ubi Christus stat in littore. Tunc erit mors tua pretiosa, et mori lucrum (*Philip.* I); cum suscipientes te angeli sancti revertentem de D mari, prius in conversione tua gavisi, merces exoticas et pretiosissimas exponentes de manu tua, et in fluctibus acquisitas stabilient in conspectu Domini, cujus multiplicasti pecuniam: et propter pauca stabiliet te super multa. Navis ista regularis est disciplina. Sic Dominus in humilitate nos circumduxit, et docuit, et custodivit, quasi dicens: Terrena tanquam parvulis dixi vobis: amodo cœlestia dicam vobis, et credetis, dicetisque: *Et si cognovimus Christum secundum carnem; sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V). Unde sequitur: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans* (*Deut.* XXXI). Hæc aquila filios habet, de quibus: *Oculum, qui subsannat patrem, et despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrente, et comedant eum filii aquilæ* (*Prov.* XXX).

Hic oculus voluntatis propriæ et perversæ contra Deum obstinatæ: non enim timet Deum, nec hominem reveretur: per quem mos ingreditur et egreditur, alios per ipsum, et ipsum per alios fascinans, et fatuans. Hic subsannat patrem, vitam Christi contemnens humilem et laboriosam, mortemque sanctorum pretiosam: et hic partus Ecclesiæ, quæ cum parit tristitiam habet. Hunc effodiant, et de loco suo, de proposito expellunt corvi de torrentibus, id est sancti corpora sua mortificantes, et de torrente in via cum Christo bibentes, stigmata Jesu in suo corpore circumferentes. Tales corvi pascunt Eliam in torrente pane et carne (*III Reg.* XVII), id est devotione cordis et mortificatione carnis, mane et vespere, in principio conversionis et fine. Filii aquilæ sanctorum animæ, quos Sol justitiæ foris denigrat, intus illuminat et decorat. Sic justi peccatores auctoritatis exemplo corrigunt, et zelo charitatis in se trajiciunt. Hos filios suos hodie Christus aquila provocat ad volandum, ut quo tendit, intendant. Super eos volitat, imo et super cherubim, et super pennas ventorum, super omnia sanctorum merita, et super omnes ordines angelorum, longe transcendens illorum vitam et gloriam, sicut et scientiam. Prælati est, super pullos suos volare, ut omnes præcellat merito, sicut et loco. Juxta eos volitat, si æqualis est vita illius vitæ subditorum: infra, si inferior est vita ejus vita illorum; supra, si major. Expandit Christus alas suas, quæ sunt remissio, ab inferioribus expediens, et emissio ad superiora contendens. In velamento alarum istarum nobis est exsultandum, sicut exsultabat, qui dicebat: *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII). Adhæreat avarus et cupidus, et terrenus, imo terra et pulvis pulveri suo, id est divitiis suis terrenis, cujus anima humiliata est in pulvere. Quid enim sunt divitiæ terrenæ, nisi pulvis, leves, instabiles, incertæ? *Præcipe*, inquit, *divitibus hujus sæculi, non sperare in incerto divitiarum* (*I Tim.* VI). Adhæreat carnalis et luxuriosus meretrici suæ, imo stercori suo. Omnis enim mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.

Qui ergo adhæret meretrici, efficitur non solum unum corpus, sed etiam unum stercus. Dicat animalis et acediosus. *Adhæsit pavimento anima mea* (*Psal.* CXVIII), quod est durum et insensibile, boni fastidium, juxta quod sequitur: *Dormitavit anima mea præ tædio.* (*Ibid.*) Et hoc illius est expositio. Non sic spiritualis, dicens: Adhæsit anima mea glutino amoris sancti post te. *Mihi adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII). *Quis me separabit a charitate Christi?* (*Rom.* VIII.) *Trahit sua quemque voluptas*, sic et me mea. *Dextera tua suscepit me* (*Psal.* XVII). Manus Christi operatio Christi, læva ejus operatio humilitatis ejus, caput meum levans, quod nequaquam sine illa levarem, etiam si justus

essem. O pulchra lævæ trajectio, ignominia glorificans, paupertas locupletans, dolor exhilarans, stultitia sensificans, infirmitas corroborans, sitis inebrians, miseria felicitans, mors ipsa tandem vegetans animas et vivificans. Hæc læva nos levat, ab hac scilicet captivitate ad libertatem gloriæ filiorum Dei. Mittit enim radices deorsum, et facit fructum sursum. Læva levat ad dexteram; dextera ejus nos amplexatur, assumendo nos in gratiam et gloriam. Hæc dextera est operatio Trinitatis, quæ tripliciter nos suscepit, juxta illud : *Dextera Domini fecit virtutem*, me liberans : *Dextera Domini exaltavit me* (*Psal.* CXVII), ad alta intelligenda et operanda me illuminans et confortans et coadjuvans : *Dextera Domini fecit virtutem*, me beatificans. Liberavit ab Ægypto, illuminavit in Sinai sancto; glorificavit in regno.

Prima nos suscipit operatio potentiæ in sacramento sanctitatis, deinde operatio sapientiæ in documento veritatis, tandem operatio benignitatis et benevolentiæ in experimento beatitudinis. In hac tertia susceptum non est qui de manu Dei possit eruere; nam de duabus primis evelli possunt etiam, si fieri potest, electi. Nam et post sacramentum sancti nonnunquam profanantur, et post documentum sapientes nonnunquam infatuantur, juxta illud : *Si fuerit Jechonias filius Joachim regis Juda annulus in manu dextra mea, inde evellam eum.* (*Jer.* XII.) Quod est : Si fuerit justus in operatione sacramenti et documenti divini, quasi signaculum cæteros exemplo et verbo insigniens et informans, et erraverit a justitia, et fecerit iniquitatem, inde evellam eum, quia nec lavacrum baptismi, nec verbum fidei proderit ei. In hæreditate vero Domini fixa sunt omnia (*Ezech.* XLVIII), nec commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem illa quæ vocatur Adonai samma, id est Dominus ibidem. Jesus ipse Deus meus, et salutaris meus, non movebor amplius. Sic Dominus Jesus terram convertit in hortum voluptatis; locum horroris in portum salutis, vastitatem solitudinis in civitatem habitationis. Civitas illa munita virtus et sanctificatio. Suscipe me, Domine Jesu, post hoc meritum et gratiam in illam potentiæ tuæ lætitiam, quæ tuis erit sufficiens præmium, et gaudium plenum in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

IN ASCENSIONE DOMINI II.

Tolosæ habitus ad clericos scholares in ecclesia B. Jacobi.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde. (*Psal.* XXIII.) Cum sermonem hunc facere coactus sum, tam justæ reprehensioni expositum, quam præmeditatione legitima non exsculptum, occurrit illud poeticum :

Carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.
(HOR. *De art. poet.*, 292)

Cui sententiæ consentit Quintilianus in libro *Institutionum oratoriarum*, dicens : « Sit modo tardior, dum diligens stylus. Nihil enim magnarum rerum natura cito effici voluit præposuitque cuilibet magno operi difficultatem. » Verum istud periculum sæpe mihi accidit ex temerario plebis judicio, quæ, sicut ait Salustius de fortuna, cunctas res magis ex libidine quam ex vero celebrat, obscuratque; facitque ut aliquis nomen habeat quod vivat, et mortuus est; quod eleganter de omnibus disserat, et balbutit. Hinc est, quod a devotione vestra laudabili sic ad me concurritur quasi ad vocem jucundam, et carmen amicæ Thebaidis, cujus auctor Statius, cognomento Surculus, hujus civitatis oriundus. Ubi, ut Hieronymus asserit, recitationis dulcedine adeo placebat Romanis, ut teste satyrico subsellia frangeret auditorum. Verum multos alios auctores celebri laude dignissimos legimus quantum ad notitiam supervixisse ignobiles, et quasi nati non essent, pene universis ignotos : adeo leve et frivolum et fortuitum est placere hominibus, ut, sicut ait orator egregius, in quibusdam etiam ipsæ virtutes gratiam habeant, in aliis vitia ipsa delectent.

Væ igitur favori humano a temeritate judicii; quando explorata facultate virium humeris debilibus sæpius imponit onus gravissimum, et negotium magni conaminis et multi operis ab infirmo, et in brevi desiderat absolvi. Sed ista lectio jam loquatur : *Quis ascendet in montem Domini?* etc.

Scandere celsa juvat, pudor est descendere celsis;
(HORAT.)

ait quidam, et alius :

Unicus est, de quo sollicitantur, honor.

Omnis enim rationalis spiritus quasi naturaliter in arduum nitens, et honoris appetens satis indicat et generositatem suæ originis, et honorem pristinæ dignitatis. De primo est illud Arati poetæ :

Ipsius enim et genus sumus.

De secundo illud Psalmistæ : *Homo cum in honore esset, non intellexit.* (*Psal.* XLIX.) Hinc est, quod homo requiem non invenit in loco terreno et humili, quia principium trahit a sublimi, id est regione cœlesti. Auctor enim ejus in cœlis est, juxta illud : *Pater noster, qui es in cœlis.* (*Matth.* VI.) Illuc igitur oportet ipsum recurrere, ut ibi veram requiem possit invenire. Unde Michæas : *Surgite, et ite, quia non habetis hic requiem.* (*Mich.* II.) Et Apostolus : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est*, etc. (*Coloss.* III.) Certe quidquid in Deo est, in excelso est : nihil enim Deo excelsius. In excelso igitur est fides nostra, salus, et pax, et requies. Hinc est, quod Hebræorum pueri cum Salvatori obviarent, se salvari postulabant in excelsis : scientes ibi esse, et ibi tantum, veram et plenam animarum requiem, corporum salutem, amborum pacem, locum et civitatem omnium salvandorum : juxta quod Christus in cœlum ascensurus discipulis suis promittebat, dicens : *Vado parare vobis locum. Et si abiero, et paravero vobis locum, iterum veniam ad*

vos, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis (*Joan.* XIV). Ad hanc ergo assumptionem, vel hujus assumptionis præparationem invitatur omnis homo, cum dicitur : *Quis ascendet in montem Domini?* etc. *Innocens manibus, et mundo corde* (*Psal.* XXIII). Audiant filii Adam ascensionis cupidi, venatores gloriæ, potestatis aucupes, altitudinis amatores. Audiant, et gaudeant, se non solum ab ascensu non esse prohibitos, sed magis ad ascensum nunc esse provocatos, juxta illud Ambrosii.

Nunc provocatis actibus,
Christum exspectare nos decet,
Vitaque tali vivere,
Quæ possit cœlos scandere (30).

Et ne quis forte causaretur, iter ad cœlum aut penitus impossibile homini, aut nimis arduum : ecce ascensor cœli, tanquam via, et veritas et vita, mamanifeste monstravit hodie se esse viam ad cœlum in exemplo innocentiæ, veritatem viæ in verbo doctrinæ, vitam veritatis in jucundo spectaculo ascensionis suæ. Væ, qui vocati exemplo, non veniunt; provocati verbo, non audiunt; provocati miraculo, non accurrunt. Nihil enim excusationis remanenti relinquitur; quando tanta merces innocentiæ demonstratur. Certe servanda erat a nobis innocentia, etiam si nulla merces speraretur innocentiæ, nulla pœna iniquitatis timeretur. Sufficiebat enim ut faceret servus, quia præcepit dominus; ille præsertim Dominus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est. Nunc autem cum tantum gloriæ pondus innocenti promissum sit, et tantum miseriæ onus sit repositum nocenti; ut et illud omne desiderium superet, et istud exsuperet omnem metum, justissime quidem, sed districtissime arguendus erit, quisquis non ascenderit, de peccato, de justitia, et de judicio. De peccato quod commisit, innocentiam non servans; de justitia quam omisit, mercedem justitiæ non desiderans : de judicio quod non timuit, damnationem diaboli non ignorans. Veniet certe, veniet magister innocentiæ, nocentiæ vindex, veniet ad judicium, sicut ivit in cœlum : quantum desiderabilis ad dexteram, tantum intolerabilis ad sinistram; id est ineffabilia redditurus innocentibus præmia, nocentibus tormenta : illis ascensuris ad cœli palatia, istis in tartara ruituris.

Sed dicit aliquis : Quis potest ascendere in cœlum? Audi quis. *Innocens manibus, et mundo corde.* Cœlum namque dicitur mons Domini; quia *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III) : subaudi integer, id est caput cum corpore. Nam caput et corpus unus est Christus. Cœlum igitur dicitur mons Domini, vel propter habitationem, juxta illud : *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis* (*Psal.* CXXII) : vel propter ascensionem, juxta illud : *Qui ædificavit in cœlo ascensionem suam : Dominus nomen illi* (*Amos*, IX). Christus prius habitavit in cœlis, quam in cœlos ascendit; quia prius fuit Deus in cœlo habitans, quam homo se de terra ad cœlum levans. Nobis autem prius est ascendere, quam habitare, quod in loco dicitur stare. Idem prius quærit Propheta de ascensione, et postea de statione, dicens : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus.* Hanc quæstionem facit ipse, quasi in sacrario cordis sui consistens, et orans. Et respondetur ei ex aditis templi et quasi ex cornibus altaris emittitur ad eum vox ista, dicens : *Innocens manibus et mundo corde.* Innocentia aliquando stricte accipitur, aliquando large. Stricte, ut apud Senecam : « Innocentia, inquit, non est perfecta virtus, sed abstinentia alieni. » Etiam apud Hieronymum super illum locum : *Non privabis bonis eos qui ambulant in innocentia* (*Psal.* LXXXIII) : « Melius, inquit, habes in Hebræo *in perfectione* : quia innocentia non est perfecta virtus. » Innocentia quoque ponitur aliquando pro simplicitate, ut apud Salomonem in Proverbiis : *Innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos* (*Prov.* XIV). Porro large accipitur innocentia, quando perfectionem justitiæ designat, ut apud Augustinum (30) super illum locum : *Perambulabam in innocentia, cordis mei* : « Habe, inquit, innocentiam, et justitiam perfecisti. » Hujus innocentiæ duæ sunt partes : nec facere miserum, nec deserere miserum. Facimus autem miserum, aut verbo, aut facto, aut consensu solo. Verbo tripliciter : aut detrahendo, aut adulando, aut contumeliam inferendo. Detrahis vero tripliciter : aut ut inventor, aut ut relator, aut ut non invitus auditor. Nam si desit qui audiat, deest qui dicat. Sicut autem detractoris est bona minuere, et mala augere : sic adulatoris e contrario. Unde apud Terentium Thrasoni quærenti :

Magnas vero agere gratias, Thais, mihi?

respondit Gnato :

Ingentes.

(TERENT., *Eun.*, III, I, 1.)

« Satis erat, ut ait Cicero, dixisse *magnas* : sed assentatoris est semper augere quod is velit audire cui assentatur. » De hoc est illud Satyrici :

Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti; faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul a tellure tenentis

(JUVEN., III, 89.)

Porro contumelia sermonis duplex est : in Deum blasphemiæ, in proximum iræ. Blasphemia in Deum duplex est, aut opinionis hæreticæ, aut jurationis illicitæ. Illicita juratio est, quoties causa non subest, ut ad purgationem criminis, ad fœdera pacis, ad persuasionem virtutis. Contumelia in proximum dupliciter fit; aut voce non significante, ut *raca*; aut significante, ut *fatue.* Item facimus

(30) *Hymn. Ascensionis.*

miseros vel nos ipsos vel alios, et loquendo mendacium, et tacendo veritatem. Mendacium vero large dicitur falsa significatio : stricte vero falsa significatio cum intentione fallendi. Et dicitur significatio non vocis tantum, sed scripturæ, vel nutus. Mentiri large dicitur falsum dicere, stricte et proprie contra mentem ire. Et describitur sic : Loqui contra hoc quod animo sentit quis, sive illud verum sit, sive non. Omnis ergo qui loquitur mendacium, mentitur : sed non convertitur. Tria sunt genera mendacii. Primum indolis vel utilitatis quæ fit causa proximi, et est veniale : secundum joci, et similiter veniale, nisi ducatur in consuetudinem ; tertium deceptionis, et istud est crimen. Augustinus (31) octo describit mendaciorum genera. Primum religionis, ut in articulis fidei. Secundum læsionis, quod tale est, ut nulli prosit, et obsit alicui. Tertium læsionis similis, et talitatis, quod scilicet prodest alicui, et obest alteri. Quartum est libidinis, sola scilicet voluntate mentiendi. Quintum adulationis, quod fit placendi cupiditate, suaviloquio. Tria reliqua solius utilitatis sunt, sed differunt ; quia sextum fit pro vitando damno pecuniæ, septimum pro vitando damno personæ, octavum pro vitanda jactura pudicitiæ. In his octo generibus tanto quisque minus peccat, quanto magis a primo recedit.

Est autem veritas duplex : est veritas rei, et est veritas Christi. Veritas rei attenditur circa inhærentiam prædicati ad subjectum; veritas Christi circa constantiam loquentis. A veritate vel fasitate rei dicitur quis verus vel falsus; a veritate Christi dicitur quis verax vel fallax. Proinde, terminis commutatis, potest quis esse simul verus et verax, et tunc utrumque est a Deo; falsus et fallax, et tunc utrumque est ab homine; verax et falsus, fallax et verus; et tunc alterum a Deo, alterum ab homine. Facimus etiam miserum facto dupliciter : aut læsione corporis, aut damno rei familiaris. Quorum utrumque duobus modis committitur, aut manu propria, aut aliena : velut quando David occidit Uriam gladio filiorum Ammon. Item utrumque istorum dupliciter adimpletur, id est aut facto proximo, aut remoto, et quasi longa manu peccando. Proximo, ut quando ipsi facimus, vel ut fiat admonemus. Remoto dupliciter : causaliter, vel occasionaliter. Causaliter, ut quando pro peccato unius alter punitur, sicut plerumque contingit, aut per judicis ignorantiam, aut per iracundiam ejus qui læsus est, et expetit vindictam. In quo casu puto, illum qui primus peccavit teneri occurrere, ut liberet innocentem objectione proprii corporis, dicendo illud Virgilianum :

Me, me (adsum qui feci), in me convertite ferrum...
(*Æneid.* IX, 427.)

Sicut et fecit David angelo percutienti populum pro peccato quod ipse commiserat, dicens : *Ego sum qui peccavi, convertatur, obsecro, gladius tuus in me*, etc. (*II Reg.* XXIV). Occasionaliter facimus miserum ; ut quando dicimus vel facimus aliquid unde alter occasionem peccandi sumit : quamvis non ad hoc illud dixerimus vel fecerimus. Tale fuit illud, quando David accepit ab Abimelech panes propositionis et gladium Goliæ in præsentia Doeg Idumæi, unde dixit ad filium ipsius Abimelech, qui ad ipsum confugerat : *Ego sum reus omnium animarum domus patris tui* (*I Reg.* XXII). Tale etiam fuit illud, quod in præsentia trium fortissimorum suorum desideravit aquam de cisterna Bethlehem, quæ sine periculo afferri non poterat. Unde quando allata est, reprehendens se ipsum de tali sermone, noluit eam bibere, sed libavit eam Domino, dicens : *Absit, ut sanguinem istorum bibam* (*II Reg.* XXIII). Ista tamen occasio proximior est quam prima, et magis reum constituit.

Facimus quoque miserum consensu solo dupliciter, vel expresso verbis, vel qualibet significatione, ut fiat : et iste consensus valde proximus est, et facto æquipollet, pari pœna puniendus; vel tacito aut remoto ; ut quando consilium non damus, sed tamen ut fiat volumus, vel si fiat gaudemus, aut certe non dolemus ; vel tacito et remotiore, ut quando dolemus factum, sed non impedimus faciendum, cum impedire possemus. Qui enim non resistit, cum resistere potest, consentit. Item deserimus miserum in sex operibus misericordiæ, quæ Dominus in Evangelio enumerat dicens : *Esurii, et dedistis mihi manducare*, etc. (*Matth.* XXV). Et in septimo, id est in sepultura mortui, de qua legitur in Tobia, et in Ecclesiastico : *Et mortuo non prohibeas gratiam* (*Eccli.* VII), sepulturæ scilicet. Quamvis enim facilis sit jactura sepulcri, et sepeliat natura relictos, nec ad mortuum perveniat talis jacturæ sensus ; tamen quantum in nobis est, relinquimus illum miserum, si relinquimus insepultum. Plus tamen nosmetipsos miseros relinquimus, qui opus misericordiæ non implemus. Item deserimus miserum, omittendo non solum corporales eleemosynas, sed etiam spirituales, quæ multo majores sunt corporalibus, et periculosius ac perniciosius deseruntur : ut quando errantem non docemus, vel peccantem non corripimus. Verum quoniam omnis misericordia a nobis ipsis debet incipere, juxta illud : *Miserere animæ tuæ, placens Deo*, periculosissime nosmetipsos miseros deserimus, quoties de peccato statim non pœnitemus. Omne namque peccatum quod per pœnitentiam non statim diluitur, suo pondere ad aliud trahit. Ecce quot et quantis modis innocentia perditur ; dum non solum propria vel aliena miseria procuratur, sed vel tantum deseritur, eique non succurritur. Maximus ergo labor necessarius est, et multa sollicitudo adhibenda, ad hoc ut innocentia conservetur. Unde Augustinus in libro *De civitate Dei* : « Sicut, inquit, non est beneficentiæ, adjuvando

(31) Aug., *De mendacio.*

efficere ut bonum quod majus est omittatur, sic non est innocentiæ, parcendo severitati, ut in gravius malum incidatur. »

Pertinet ergo ad innocentis affectum, non solum malum non facere, sed etiam ne fiat, adjuvare, vel punire peccantem ; quatenus is qui corripitur corrigatur supplicio, aut alii terreantur exemplo. Est autem ad innocentiam conservandam necessaria cordis munditia, quia scriptum est : *Manus in manu non erit innocens malus* (*Prov.* XI). Sufficit enim ad perdendum thesaurum innocentiæ, solum nocentiæ voluntas, vel negligentia custodiæ cordis : quia si peccandi facultas subtrahitur, sola voluntas pro facto reputatur. Licet enim nunquam habituus sis effectum pravi operis; tamen jam præcipitas te in reatum voluntatis. Omni ergo custodia B serva cor tuum : quia ex ipso vita procedit. Hæc omnimoda cordis custodia ejus munditia est, quam maxime timor Domini operatur. *Beatus* enim *homo qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Timor Domini expellit peccatum tanquam ostiarius, qui jugiter sedet ad cordis ostium, ut neminem admittat, nisi qui meretur ingressum. Quia vero immundus est apud Deum omnis arrogans, præcipue necessaria est ad obtinendam munditiam cordis humilitas, et inanis gloriæ solidus contemptus. Unde Augustinus in libro *De civitate Dei* : « Tanto est quisque Deo similior, quanto ab immunditia inanis gloriæ mundior. Hæc autem cordis munditia nunquam nisi de timore Dei casto et sancto nascitur, de quo scriptum est : *Qui timet Deum, nihil negligit* (*Eccle.* VII), id est nec magna, nec minima; nec illa quæ oportet facere, nec illa quæ omittere oportet. Proinde munditia cordis est illa simplicitas oculi, de qua scriptum est : *Lucerna corporis tui oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* V). Solus talis oculus Deum visurus est, sicut scriptum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*ibid.*) Sed ubi visurus? Ubi habitat, sicut scriptum est : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* (*Psal.* CXXII). Igitur duæ partes innocentiæ quæ sunt, nec facere miserum, nec miserum deserere, sunt duo gradus scalæ, quibus in cœlum scanditur. Cordis autem munditia est oculi claritas, per quam Deus videtur. Propterea quærenti : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus*, ita responsum est : *Innocens manibus et mundo corde*. O responsum breve, non leve, planum, sed plenum veritatis; perspicax et efficax, divinum et deificum. *Innocens manibus et mundo corde*. Audite, filii Adam, quam facile ascenditur non dico super equum, vel super thronum regium, sed super ipsum cœlum.

Unde philosophus sapiens cœlo impositus intelligit, cum sellam aut tribunal ascenderet, quam humili loco sederet. Nemo est sapiens, nisi sit innocens, qui solus est ascensor cœli, et cœlestis cognitoris ascensor. *Quis ascendet in montem Domini* A *aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde*. Ecce, fratres charissimi, invenit artem divina Sapientia, per quam possint homines volare super volucres, calcare super dæmones, saltare super nubes, super cœlos ascendere, super astra cœli exaltare solium : inter ipsos angelorum ordines collocare sibi nidum. Quid hac arte subtilius, quid hac utilius scientia, quid ista facultate salubrius, quid hac sublimius potestate? *Filii hominum usquequo gravi corde : ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* (*Psal.* IV) et negligitis tantam artem, et tantum magisterium? Hanc artem nescivit obscurus ille Lucifer, licet sit ille artifex, qui tanquam fulgur de cœlo cecidit. Nescivit Alexander ille superbus rex, qui de potestate sua occubuit. Nescivit ille maleficorum princeps Simon Magus pestifer, qui de præsumpto volatu corruit. Nescierunt philosophi, qui defecerunt scrutantes scrutinio : rimantes cœlestia, relabentes ad terrena, quia relabentes ea; ponentes in cœlum os suum, dum lingua eorum transiret in terra, et ipsi terram lingerent : dum in terris suis nomina sua vocarent, ut ab eis notarentur discipuli Pythagorei, vel Platonici, Epicurei vel Stoici, et cætera hujusmodi. Hos fallaciter beatificat poeta fallaciæ, dicens :

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit.

(OVID., *Fast.* I, 297.)

Et post pauca :

C *Admovere oculis distantia sidera nostris.*
Ætheraque ingenio supposuere suo.

Falleris, miser, falleris, non enim est felicitas ista curiositas, imo nihil infelicius, quam in cœlum scandere per cognitionem cœlestium, et mox de cœlo ruere per elationem animorum. *Fallax equus ad salutem* (*Psal.* XXXII). Non sunt hujusmodi ascensores cœlorum, sed ascensores equorum, de quibus scriptum est : *Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt, qui ascenderunt equos* (*Psal.* LXXV). Equi dicuntur homines superbi et rebelles, filii Belial, id est absque jugo, jugum non ferentes Dominicum, calcitrantes contra stimulum disciplinæ, ferventes ad coitum, exsultantes ad bellum : hæc est enim equi natura. Væ tibi, mortalium cæca semper D ambitio; væ tibi, ruinosa dominandi libido; ut quid temetipsam extollendo dejicis, magnificando minuis, multiplicando annihilas, dilatando dirumperis, exaltando præcipitas? Ecce enim ut ascendat vel voluptatis lectum, vel dignitatis gradum, vel æquitatis sellam, vel honoris cathedram, innocentiam perdis, humilitatem deseris, munditiam polluis, sine quarum vehiculo omnis ascensus casus est, omne sublime præcipitium, omnis altitudo ruina. Habet enim regula veritatis, quoniam : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII).

Alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
. . . . . *Frangit Deus omne superbum.*

Non sic, impii, non sic (*Psal.* I); non sic ascendi-

tur in montem Domini. Sed quomodo? Audi: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde.* Sed nunc sermone simplici pauca loquamur ad simplices, ut et ipsi nobiscum pariter ascensuri, invenire possint per Dei gratiam in sermone nostro viam et vehiculum, lucernam et viaticum. Viam in errore, vehiculum in lassitudine, lucernam in caligine, viaticum in fame; ne vel a via recedant, vel in via deficiant. Longe peregrinantur homines ad discendum. Multi multa tolerant, propter lucrum; urbes et orbem circuire solent scholastici, ut ex multis litteris efficiantur insani. Quid enim aliud conferre possunt nihil salvantes litteræ, nisi *semper dicentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (*II Tim.* III.) nisi tamen aliquando ad insaniam ducere? B

Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui,
Ultra quam satis est, virtutem si petat ipse.

Ultra quam satis est litteras petunt, qui cum jactura morum illas addiscunt. Unde Apostolus: *Non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII); vel, ut in Græco habetur, *ad pudicitiam*. « Melius est, inquit Hieronymus, aliquid nescire, quam cum periculo discere. Idcirco B. Benedictus videns in scholis artium liberalium multos ire præcipites per abrupta vitiorum, illum quem jam in mundo posuerat, retraxit pedem. Recessit igitur nescius, et sapienter indoctus.

Ecce quærunt clerici Parisius artes liberales, Aurelianis auctores, Bononiæ codices, Salerni pyxides, Toleti dæmones, et nusquam mores. Nam de moribus non dico ultima, sed nulla fit quæstio. Ubique quæritur scientia, et nusquam vita; sine qua non solum nihil prodest, sed et nihil et scientia. Ideo nec ipsa scientia invenitur, quia ubi est non quæritur, id est in libro vitæ, qui etiam est liber scientiæ, hoc est Dei sapientia, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II). At iste liber hodie se recepit in armarium suum, quia se levavit in cœlum. Necesse est ergo illuc ascendere, si ad veram scientiam vis pervenire, sicut ostendit B. Bernardus in nocte qua transiit ex hoc mundo ad patrem, dilecto, et dilectori suo Guillelmo, qui fuerat dominus Montispessulani, et tunc monachus vivebat in monasterio Grandissilvæ, quod est in partibus Tolosanis. Videbatur ei in visu noctis, quod sanctus ille satis eum demulcebat alloquio. Deinde dans ei manum educebat eum de dormitorio versus quemdam montem altissimum juxta Jerusalem, et dicebat, se oportere illum montem ascendere. Tunc Guillelmus: « Ad quid, domine? » Qui respondit: « Ut discam. » Cumque ille diceret, se opinari ipsum esse sapientiorem cunctis mortalibus, ait: « Tunc primum sapiens ero, postquam illuc ascendero. » Et statim ascendebat velocissime. Cumque ille admirans oculis sequacibus deduceret ascendentem, signum horologii pulsando ad vigilias, excitando eum cum fratribus finem fecit visioni. Sicut autem in hoc A libro absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, sic et in hoc scrinio repositi sunt omnes thesauri sufficientiæ. Est enim liber iste legentibus sapientia, videntibus sufficientia, gustantibus vita. O quanta faciunt homines, et quam gravia, quam dura tolerant, ut divites fiant! Quoties ob incertum lucrum incurrunt pericula certa, damna sustinent negotiatores, milites, athletæ et fures! Multo plus sudatur ad acquirendas divitias, quam ad litteras addiscendas. Nam dives qui fieri vult, cito vult fieri. Utrique tamen incassum sudant, tam illi qui fallaces divitias, quam illi qui falsi nominis scientias acquirere laborant. Non est enim census super salutem corporis. Vera scientia est sapientia salutaris, quæ sanctorum scientia proprie nuncupatur. Unde: *Et dedit illi scientiam sanctorum* (*Sap.* X). Scientia sanctorum est pie vivere, scire abundare et penuriam pati, scire timere Deum, scire declinare a malo, et facere bonum; scire salvare animam suam, scire pro æternis evitandis malis, bonis adipiscendis, præsentia bona contemnere, mala tolerare. Sapientia prima est stultitia caruisse. Prima mihi debes animi bona. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* XVI.) Vera salus animæ justitia est; vera salus corporis gloria immortalitatis. De justitia quoque legitur, quod perpetua sit et immortalis. Ad hanc salutem animæ nihil conferunt nihil sonantes litteræ. Ad hanc salutem corporis nihil conferunt divitiæ hujus temporis. C Non proderunt thesauri in die ultionis. Justitia vero liberat a morte. Anima sanari non potest, nisi suo Salvatori Christo adhæreat. Corpus quoque salvari non potest, nisi in cœlo maneat, tanquam in proprio corporum humanorum salvatorio. Et hoc paucis advertite.

Omnia elementa hujus mundi humanum corpus exterminant, quamvis ipsum componant. Tabesne cadavera solvat, an rogus, haud refert. Tabefiunt corpora nostra in aqua, vel terra, vel aere, incinerantur in igne. Ad hoc ergo ut salva esse possint corpora, super omnia elementa levata sint. Sicut ergo Salvator animarum non est alius quam Christus, qui hodie cum carne glorificata cœlos ascendit; D sic, ut ita dicam, salvatorium corporum non est aliud quam cœlum, quod Christum ascendentem suscepit, et susceptum custodit. Hoc enim significabat ipse, cum dicebat: *Vado parare vobis locum* (*Joan.* XIV); quasi diceret: Vado parare vobis repositorium, in quo vos reponam; vado exornare capsam, in qua vos transferam; vado parare hospitium, in quo vos suscipiam. Vas repositorium mundis piscibus, capsam pretiosam sanctis corporibus, hospitium regale recipiendis civibus. Væ piscibus malis et immundis, rejiciendis in stagnum sulphureum. Væ putridis et libidinosis corporibus, projiciendis in sterquilinium. Væ gratiæ repulsoribus repellendis in infernum. Sagena Christi modo ex omni genere piscium congregat. Sed cum im-

pleta fuerit, educetur, et boni pisces eligentur, et in vasa cœlestia reponentur; in illas videlicet mansiones, de quibus scriptum est : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV). Mali vero pisces foras projicientur in stagnum ignis et sulphuris : quod illis paratum est, non ut ibi in voluptatibus ludant, sed in doloribus gemant. Boni pisces sunt secundum legem, qui squamas habent et pennulas, fortes et loricati ad mala toleranda; hilares et exercitati ad bona peragenda; alacres et veloces ad transiliendum, id est contemnenda bona præsentia, acres et ardentes ad desideranda futura. Porro capsam cœlestem, in qua reponenda sunt corpora sanctorum, tanquam veræ et cœlestes reliquiæ, significant capsæ illæ aureæ et argenteæ, in quibus nunc reponuntur. Quarum ornatus triplex in auro et argento et lapidibus pretiosis significat tam exteriorem cœli ornatum in sole, et luna, et stellis, quam interiorem in tribus hierarchiis. Nam sol rubet ut aurum optimum, luna nitet ut argentum, stellæ fulgent et radiant sicut gemmæ. Supremam hierarchiam significant lapides pretiosi; mediam aurum, infimam argentum.

Tres enim primi ordines sunt quasi gemmæ incomparabiles, Regem cœli coronantes, vel vicinius ei adhærentes. Tres medii quasi vestis ejus aurea, tres infimi quasi vestis ejusdem tintinnabula, per quorum nuntium quasi per argenteum tinnitum secreta cœlestia plerumque mortalibus referantur. Magis autem proprie significat ornatus sanctarum capsarum, in quibus sanctorum reponuntur reliquiæ, sanctorum exuviæ, virtutes, et pretiosa miracula, quibus meruerunt exaltari a terra. Nam virtutes sanctorum et opera justitiæ sunt quasi pulcherrima et pretiosissima quædam ædificia, super fundamentum fidei a cunctis exstruenda fidelibus, juxta illud Apostoli : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos*, etc. (*I Cor.* III.) Nunquid credendum est in illa cœlesti civitate, quam paravit Deus sanctis suis, qui et eam ædificavit, ligneas aut fenæas domos contineri? Absit! Non recipit tam dives patria tam viles mansiones. Omnis materia corruptibilis vel combustibilis locum ibi non habet. Quidquid ex ligno, feno, stipula super pretioso fidei fundamento ædificatum est, igne comburetur. Per hæc autem tria intelliguntur peccata venialia, sine quibus non vivitur. Nam mortalia non sunt lignum, fenum, stipula, sed cuprum, æs et ferrum. Et hujusmodi peccata fundamentum non solum polluunt, sed omnino destruunt. *Fides enim sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Est autem veniale aliud alio venialius; sicut mortale aliud alio mortalius. Ligna sunt rigidiores quam justum est, fenum molliores et delicatiores, stipula leviores. Lignum ædificat tardior ad dimittendum, ad dandum parcior; fenum, ad corpus castigandum pigrior, ad fovendum pronior; stipulam, ad risum, vel discursum, vel otiosum verbum paratior, ad censuram silentii, vel gravitatem quietis intemperantior.

Hic autem oritur non contemnenda quæstio. Nam si lignum, fenum, stipula, peccata venialia significant, sine quibus præsens vita non ducitur : quare sancti similiter non dicuntur ædificare lignum, fenum, stipulam, sicut et cæteri, cum sine talibus vitam non transigant? Nam *si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III). Ad hoc ego respondeo, quod verbum ædificandi multitudinem venialium significat. Non enim ex uno ligno, feno, vel stipula ædificium potest construi, sed ex multis talibus simul adunatis. Sancti vero et perfecti quilibet, non solum ab omni mortali, verum etiam ab omni veniali quantum possunt se abstinent. Ideo non contrahunt ex illis tantam multitudinem, ut ædificium possit appellari. Significat etiam nomen ædificii moram et assiduitatem in quolibet veniali. Sancti vero quotidianas offensas quotidianis bonorum operum sacrificiis redimunt : et ideo de ipsis offensis nullum ædificium construunt. Sed quia multa bona opera congregant, idcirco aurum, et argentum et lapides pretiosos ædificant. Aurum in rubore patientiæ, pudoris et verecundiæ; argentum in bona opinione, in verbo doctrinæ; lapides pretiosos in splendore castitatis, in fervore charitatis, in puritate conscientiæ, in soliditate perseverantiæ, in miraculorum coruscatione. Ideo autem sanctorum opera levantur de terra; quia satis indignum est ut qui corruptionis opera non fecerunt, in tabe corruptibili putrefiant : sed magis signis ostendendum fuerat, quod præmium incorruptionis exspectant; et quod licet terrestris eorum dissoluta sit habitatio, tamen domum habent ex Deo, non manufactam, æternam in cœlis (*II Cor.* V). Quam domum ipse Dominus significabat, cum dicebat : *Vado parare vobis locum* (*Joan.* XIV). Hic locus est ab origine mundi prædestinatione, et paratur quotidie justificatione. De primo parandi modo est illud : *Venite, benedicti, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). De secundo est illud, quod hic dicitur : *Vado parare vobis locum.* Parat enim Dominus mansiones in cœlo, ut ait Augustinus, cum eisdem mansionibus parat mansores, subtrahendo eis corporalem præsentiam in terris, ut eidem præsentari desiderent in cœlis. Sic enim Christus ascendens in altum, miro modo, ut ait Leo papa, factus est divinitate præsentior, et humanitate longinquior. Parata est civitas cœlestis futuris in ea civibus terrigenis; ex quo diabolus de cœlo cecidit : qui terram illam velut arbor mortua et inutilis occupabat. *Parata*, inquit, *sedes tua ex tunc* (*Psal.* XCII), id est ex quo Satanas cum angelis suis apostaticis velut arbores eradicatæ, his mortuæ ab illa ceciderunt. Vel ex tunc, id est ex die ante Sabbatum, a quo die ille psalmus ac-

cepit titulum : quando factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei (*Gen.* I), etiam in eo sedem sibi paravit sapientia, cujus sedes est anima justi, et etiam pœnitentis humilitas a peccatis quiescens præteritis ; et tremens ac præcavens a futuris, juxta illud : *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea ?* (*Isai.* LXVI). *Justitia*, inquit, *et judicium præparatio sedis tuæ* (*Psal.* LXXXVIII). Justitia, quæ servat innocentiam ; judicium, quod perditam recuperat per pœnitentiam.

O singularis dignitas conditionis humanæ, cujus præparator hospitii ascensor est cœli, cujus loci mundator est mundi fabricator ! O quam nobilis creatura homo purus ! cujus servus homo Deus ad præparandum illi hospitium præcucurrit ad cœlum, deferens secum litteras ad Patrem a nobis commendatitias, pro nobis deprecatorias, tam potentes ad impetrandum, quam delectabiles ad legendum. Ad has litteras pro nobis faciendas membranam ministravit virginalis uterus, ministratam paravit Spiritus sanctus, paratam inscripsit Altissimi Filius, litteris aureis scribens de terra corporis sui digito Dei, et stylo vel calamo sapientiæ, opera redemptionis humanæ. Rubricavit autem has easdem litteras pretioso minio cruoris rosei, quo genæ virginales ornantur, juxta illud Agnetis sponsæ Agni : « Et sanguis ejus ornavit genas meas. » Porro ad corroborandam auctoritatem litterarum, ut inconvulsa maneat et æterna stabilitate servetur, inviolabilis conservetur, regale sigillum crucis a foris appensum est vestigio clavorum et lanceæ firmissime bullatum. In impressione tota sigilli certitudo consistit. Non est verum sigillum [quod] bulla caret ; non est vere crux, quæ clavos et lanceam non habet. Crux est exterior afflictio, et corporalis exercitatio ad modicum utilis : clavi et lancea sunt pietas valens ad omnia. Clavi sunt timor Domini, qui manus et pedes perforat, quando carnis opera mortificat, et affectum mentis humiliat, juxta illud : *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII). Lancea charitas est, quæ latus aperit, quando cor ipsum vulnerat, juxta illud : *Vulnerata charitate ego sum.*

Hic fortasse quærat aliquis : Quomodo crucem, clavos, lanceam secum in cœlum tulit ? Ad quod respondeo, quod forma crucis secum tulit in elevatis manibus, clavorum et lanceæ vestigia in suis cicatricibus. Cum enim more hominis peregre proficiscens, prius habuisset solemne et familiare convivium, illo expleto, eduxit eos in Bethaniam, et elevatis manibus benedixit eis, ut merito et numero populus ei serviturus augeretur. Deinde in eodem schemate manibus sic elevatis videntibus illis elevatus est, deferens eamdem formam crucis usque ad consessum Patris. Neque enim fatigatus est Jesus noster scutum suum sic elevans, dicente ad eum Patre : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX). Formam crucis habet navis dum navigat, homo dum

A natat, avis dum volat, sacerdos dum missam cantat. Sic igitur ascendit Christus in cœlum, quasi navigantes ducens ad portum, pisces ad salvatorium, aves ad nidum, plebes ad Deum. Beati qui participarunt convivio Jesu in suo profectu. Beati quoque, imo beatiores, qui participaturi sunt convivio ejus in suo reditu.

Primum nobis datur in sustentatione viæ, secundum reservatur in plenissimam refectionem patriæ. Primo interfuerunt apostoli, secundo assidue intersunt angeli. Sic ergo, ut diximus, parat nobis Christus hospitium, assistendo vultui Dei pro nobis ; illum Psalmistæ versiculum sub persona Ecclesiæ quæ illum præmisit ad cœlum, non tam vocis elatione, quam corporis elevatione, et vulnerum
B ostensione decantans : *Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui* (*Psal.* LXXXIII). Sane hujus versiculi sensus exaratus est valde legibiliter, et omnino indelebiliter in corpore Salvatoris. Ait ergo : *Protector noster aspice*, id est inspice ante te sapientiam incurvatam Filii tui, quam pro nostra liberatione ad nos transmisisti. *Et respice*, seu iterum aspice ejusdem Filii tui humanitatem exaltatam, et tuo vultui pro nobis assistentem. Vide, quam ferventer tuam jussionem impleverit, quam alacriter ad nos cucurrerit, quam sapienter causam nostram egerit, quam fortiter hostem nostrum fortissimum solus superarit, quam largiter pro nobis sanguinem suum fuderit, quam potenter inferni
C claustra fregerit, et inde reducens captivitatem nostram captivam et liberam ad te reduxerit, quam liberaliter dignitatem suam nobis communicaverit, ut nos secum in cœlo regnare faceret, et ad tuam dexteram jam in suo corpore, quod est caput nostrum, sublimissime collocaret. Aspice in Christum tuum : ut eum pro nobis apud te interpellantem pro sua ipsius reverentia exaudias. Respice in corpus ejus, quod nos sumus, quod adhuc peregrinatur in valle lacrymarum et miseriæ, ut illud pro tua misericordia suo capiti conjungas et counias. Aspice in Christum tuum, quem misisti ad nos ad peregrinandum nobiscum. Respice in nos miseros, qui eumdem ad te remisimus ad parandum nobis hospitium. Fratres, beatus, qui se parat ad para-
D tum jam hospitium in cœlo : ne imparatus corruat in præparatum supplicium in inferno. Sicut enim parata jam sunt justis gaudia, sic impiis jam parata sunt tormenta, juxta illud : *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus* (*Prov.* XIX).

Sicut enim benedictis jam paratum est regnum ab origine mundi ; sic etiam maledictis paratus est ignis æternus ; ille idem, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.

Hunc paratum invenit princeps ille Matisconensis, qui, cum in solemnitate quadam ad solemne convivium in proprio palatio resideret, multis militibus diversi ordinis constipatus, repente ignotus homo equo insidens per ostium palatii ingressus,

cunctis videntibus admirantibus usque ad ipsum equitando pervenit, dicens se velle ei colloqui, instans ut surgeret, et se sequeretur. Qui invisibili potentia jam ligatus non valens resistere, mox surrexit, et usque ad ostium palatii processit: ubi equum paratum invenit: quem jussus statim ascendit: cujus habenas ille eques accipiens, qui eum vocaverat, velocissimo cursu per aera cunctis videntibus ferre cœpit. Ille autem miserabili et horribili voce clamans: Succurrite, cives, succurrite, totam civitatem commovit. Omnes autem eum currentem per aera diutissime conspexerunt, quandiu naturali oculorum acie eum prosequi potuerunt. Sicque tandem subtractus visibus hominum, factus est æternus socius dæmonum. Exivit autem cum socio suo per ostium muri palatio proximi; quod ostium cives ob tantæ rei horrorem lapidibus obstruxerunt. Hoc autem ostium Guillelmus nuper Ogerius Guillelmi comitis præpositus innovare cupiens, propter quædam quæ privato vel publico usui necessaria videbantur, conductis quadam die operariis lapides ab ostio removebat. Et dum ibi instaret, ecce invisibiliter a diabolo raptus est, et post modicum dimissus corruit, totoque corpore graviter colliso brachium confregit. Quod videntes socii rursus ostium obstruxerunt.

O quam melius hospitium paraverat sibi Dunstanus Cantuariensis archiepiscopus, qui dum instaret dies Ascensionis Dominicæ, peractis vigiliis, more suo orationis causa remansit in ecclesia solus. Et ecce innumera candidatorum multitudo coronas aureas in capitibus gestantium inæstimabili fulgore micantes, per ecclesiæ januam irrumpens, ante ipsum conglobata constitit, et hac voce illum salutavit: Salve, Dunstane noster, salve: mandat tibi, quem pie desideras Filius Dei, quatenus si paratus es, venias, et diem hanc, ad cujus gaudium suspiras, nobiscum celebres. Ad quod ille imperterritus manens, sciscitatus est, qui essent. Cherubim, inquiunt, ac seraphim sumus: et responde quid velis. Tunc ille: Hodie dies solemnissimus est, et incumbit mihi pane verbi Dei plebem reficere, et ostendere illi quomodo ad hoc gaudium possit pervenire; propter quod multi convenerunt, nec debeo illos decipere; et ideo hodie venire non possum. Qui dixerunt: Eia paratus esto, ut in die Sabbati paratus sis hinc nobiscum Romam venire, et coram summo pontifice Sanctus, sanctus, sanctus, æternaliter canere. Annuit ille, et illi recedunt. Lecto igitur hoc die ad missam Evangelio; locutus est ad plebem, qualiter nunquam locutus fuerat. Et reversus ad altare celebravit mysteria. Ubi autem ventum est ad benedictionem super populum, iterum ab altari prædicaturus regreditur; ita ut non hominem, sed angelum loqui putares. Iterum ad altare revertitur, et data benedictione tertio ad populum redit cunctis stupentibus. Et mox ut os ad loquendum aperuit, tanta claritate vultus ejus resplenduit, ut nemo [illegible] [illegible]dere posset;

A obitumque suum illis instare prædixit, promittens se illis nunquam postea defuturum. Post hæc ad mensam corporis reversus est. Cumque a mensa sumpto cibo surrexisset, oratorium petiit, et designavit locum in quo voluit sepeliri. Mox languor eum invasit. Sexta feria lecto decubuit. Omnes ad se adventantes ad sequenda Christi vestigia invitabat. Sabbato iterum communicatus est. Et cum horam suam exspectaret, subito cum lecto in quo jacebat usque ad superiora levatus est, trabibus obsistentibus ad terram leniter demissus. Quo demisso, cum quasi ad quiescentem illi qui aufugerant reverterentur, iterum cum lecto suo ad trabes raptus est ut prius, et iterum dimissus. Hoc etiam tertio factum est. Tunc ait ad circumstantes: Vi-
B detis quo vocor. Si vultis mecum venire, ite via qua incessi. Deus qui me vocat, ipse dirigat corda et corpora vestra ad faciendam voluntatem suam in pace. Et responso ab omnibus, Amen, transiit feliciter ad Dominum. Vere feliciter: ad quem beatificandum de felici assumptione sua tam proxime futura tot et tanti nuntii tantæ dignitatis et excellentiæ missi sunt de cœlo a cœli Rege benigno. Missi vero non solum propter eum lætificandum, sed etiam propter circumstantem populum in fide confirmandum.

Utquid enim assumebatur cum lectulo, nisi ut evidenter ostenderetur, quod felix illa anima, quæ tunc assumebatur sola sine corpore, quandoque
C etiam cum ipso corpore foret assumenda? Erit enim quando in omnibus electis implebitur anagogice, quod in illo paralytico impletum est historice; cui sanato dicebat ille magnus medicus: *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (*Matth.* IX). Quasi enim in lecto paralytica jacet omnis anima, quandiu corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena habitatio sensum. Postquam vero conscissus fuerit saccus mortalitatis, tunc vere tollemus lectum nostrum, et ibimus in domum æternitatis nostræ. Pro cujus itineris præconcepta jam spe exsultat in Domino Ecclesia, ascensiones in corde suo disponens, et dicens: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI). Quod erit, quando *si-*
D *mul omnes rapiemur in nubibus obviam Christo in aera* (*I Thess.* IV). Quod significavit illa nubes testium, hoc est societas, cui hodie exhibitum est perjucundum spectaculum Ascensionis Dominicæ. Fuerunt enim centum viginti numero, qui numerus constat ex quindenario in trigonum ducto, id est insimul cum omnibus suis unitatibus aggregato. Componitur autem iste numerus ex heptade et ogdoade. Heptas autem omnes electos Veteris Testamenti, ogdoas omnes Novi significant. Nos autem qui residui sumus in adventu Domini, *non præveniemus eos qui dormierunt, sed simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera* (*ibid.*), ut quasi 120 ex duabus quindenarii partibus aggregati, simul omnes cum Domino ascendamus; ut et

in mysterio simus Ascensionis, quot hodie in numero fuerunt Ascensionis Dominicæ spectatores. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

IN FESTO PENTECOSTES I.

Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, etc. (*Act.* II). Sermonis hodiernæ festivitati solemni more debiti materia fervens et torrida, torrens et fervida utinam me duplici torpentem frigore, conversationis videlicet et sermonis, vitæ et facundiæ, tantum calefecisset, quantum tremefecit; et quantum tremefecit, et quantum terruit, tantum torruisset. Quem enim non terreat hujus torrentis ignei de fonte bullienti adventus flammeus, imo fulmineus, non nisi verbis igneis, imo fulmineis explicandus? Ad loquendum quippe de igne divino, imo de igne Deo indigna et inefficax est omnis lingua, nisi sit ignea; incongruus et inutilis omnis sermo, nisi sit igneus. Ad hoc enim pertinet, quod Spiritus sanctus hodierna die super discipulos in unum congregatos, in linguarum dispertitis formulis visus est illabi; ut ostenderet legem suam igneam non nisi verbis igneis, et per linguas igneas rite sive recte posse prædicari. Quasi enim quidam barbarismus doctrinæ est, de lege ignea frigidam ferre sententiam, et de re vivifica mortuum proferre sermonem. Omnis autem sermo frigidus aut mortuus reputatur, qui a summis, ut aiunt, labris elabitur; qui non exit a pleno pectore, nec a fonte cordis ebullit. Omnis, inquam, sermo frigidus et mortuus reputandus est, qui non in secreto vivit conscientiæ, nec in vitæ speculo relucescit. *Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis.* Et post pauca: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis*, etc. Igitur in hoc loco tria præcipue consideranda sunt, id est tres illi comites, quos secum adduxit Spiritus sanctus: videlicet sonus, ignis, et lingua. Et mihi quidem absque præjudicio sententiæ potioris videtur esse istorum trium tritriplex significatio. Primo enim per hæc tria significari arbitror S. Trinitatis notitiam, quæ hodie primum mundo delata est. Secundo tripertitam discipulorum gratiam, quæ hodie illis collata est. Tertio nostræ conversionis formam, quæ in his tribus breviter expressa est. De singulis per ordinem videamus. Sciendum in primis est, quod S. Trinitatis mysterium non simul, sed per partes et per successiones temporum mundo innotuit. Nam antequam Filius carnem assumeret, sola persona Patris mundo erat cognita, etiam ab illis qui unum Deum tantum credebant esse, sicut et nos credimus. Sed nec illa plene cognoscebatur, quia nondum sciebat mundus, quid esset dicendum in Deo persona, quidve substantia; sed id solum credebant, Deum esse omnium creaturarum auctorem, creatorem, Patrem; sed Patrem creatione, non generatione; quia nondum mundus sciebat illum habere Filium; et ideo nec Filii, nec Spiritus sancti adhuc aliquis habebat notitiam, exceptis paucissimis perfectis, sicut prophetis et patriarchis præcipuis, qui Trinitatis eamdem habuerunt notitiam, quam et nos, etiam perfectiorem quam nos; quippe quibus Deus seipsum revelaverat, quos Pater contra potentias hujus mundi patientia confortaverat, Filius contra errores sapientia illuminaverat, Spiritus sanctus contra inimicitias armaverat amore. His ergo, sicut dixi, exceptis, totum reliquum vulgus adhuc de solo Patre habebat notitiam, et ipsam valde modicam. At post quam Filius incarnatus mundo se ipsum cognoscendum præbuit, et jam per os proprium, non per os prophetarum, se esse Deum docuit: tunc duarum personarum notitiam, Patris scilicet et Filii mundus habere cœpit, nec Patrem esse sine Filio, nec Filium sine Patre; sed sempiternum Patrem sempiternum habere Filium, et e converso. Sed de Spiritu sancto nihil adhuc cognovit. Postquam vero Spiritus sanctus in igneis linguis mundo apparuit, et suæ divinitatis potentiam manifestavit, tunc primo S. Trinitatis mysterium innotuit, et tunc mundus credidit tres in divinitate personas esse inconfusas, sicut unam substantiam indivisam. Hinc est, quod in lege veteri solus Pater introducitur loquens, cum dicitur: *Hæc dicit Dominus;* in Evangelio vero Filius ipse per se ipsum loquitur, dicens: *Audistis, quia dictum est antiquis. Ego autem dico vobis*, etc. (*Matth.* v). Quasi diceret: Eadem mihi auctoritas est tradendi Evangelium, quæ fuit Patri meo tradendi antiquis Vetus Testamentum. In scriptis autem et in Actis apostolorum, quæ tertia pars est totius canonis sacræ Scripturæ, tota sermonis auctoritas ad Spiritum sanctum refertur, tanquam ad auctorem ejusdem partis, et ejusdem auctoritatis, cujus et duo primi: ut cum dicitur: *Dixit Spiritus sanctus* (*Act.* XIII). Sic ergo S. Trinitas quamvis in se nullos gradus habeat, tamen per quosdam, ut ita dicam, gradus ad humanam pervenit notitiam, dum primo solus Pater cognitus est, secundo cum Patre Filius, tertio cum utroque Spiritus sanctus. Notandum quoque, quod hæc Trinitatis notitia sicut per successiones temporum, ita per distinctiones eorum processit. Tria quidem magna et præcipua opera fecit Deus: primum fuit creatio mundi, secundum redemptio, tertium redemptorum ad virtutem confirmatio, et quasi subarrhatio ad amorem. Primo enim creatus est homo, ut esset qui non erat; secundo redemptus, ut resurgeret qui ceciderat; tertio confirmatus est, ut staret qui resurrexerat. Hæc tria opera paria sunt.

Ejusdem namque virtutis et potentiæ, bonitatis, et sapientiæ est, de nihilo non solum aliqua, sed et bona facere, et perdita restaurare, et restaurata ne pereant conservare. Porro singula istorum operum referuntur ad singulas personarum. Nam mundi creatio refertur ad patrem, redemptionis redemptio ad Filium, con-

servatio ad Spiritum. Pater enim creavit, Filius redemit, Spiritus sanctus conservat et custodit. Singula tamen opera ita singulis appropriantur personis, ut etiam singulæ in omnibus operentur. Nam in singulis istorum operum singularum patent indicia personarum. Mundus quippe creatus est magnus, pulcher, et utilis. In magnitudine Pater se ostendit, in pulchritudine Filius, Spiritus sanctus in utilitate. Siquidem potentiæ est magna facere, sapientiæ pulchra, bonitatis utilia. Sic igitur in propria operatione Patris invenire est vestigium totius Trinitatis. Similiter et in opere proprio Filii, id est in redemptione mundi, quam operata est dispensatio incarnati Verbi, tota Trinitas fecit se agnosci. Nam cum baptizaretur Dominus a Joanne, Pater in voce innotuit, Filius in carne apparuit Spiritus sanctus descendit in columba (*Matth.* III.)

Oportebat ergo similiter in operatione Spiritus sancti Trinitatis aliquod vestigium inveniri. Idcirco descendit Spiritus sanctus hodierna die super discipulos cum quodam signo Trinitatis, id est cum sono, et igne, et lingua. Cum sono terribili, cum igne visibili, cum lingua coruscante. Sonus factus est de cœlo, ignis ex sono, lingua ex igne. Sonus repentinus. ignis fulgidus et innoxius. lingua ignea. Sonus ut audiretur, ignis ut videretur, lingua ut loqueretur. Sonus ad terrorem, ignis ad splendorem, lingua ignea ad ardorem simul et splendorem. Sonus terrificus signum fuit fortitudinis atque potentiæ; ignis fulgidus et innoxius signum sapientiæ et justitiæ; lingua ignea signum amoris et doctrinæ. Igitur in sono Pater insonuit, qui est potentia; in igne Filius effulsit, qui est sapientia, et a quo omnis justitia; Spiritus sanctus, qui est amor Patris et Filii, et qui docet omnem hominem scientiam, in linguis igneis coruscavit. Pater exterruit, ut timeretur; Filius resplenduit, ut crederetur, Spiritus sanctus ignivit, ut diligeretur. Quis rectius timendus est, quam qui potest omnia? Cui magis credendum est, quam ei qui novit omnia? Quis magis diligendus est, quam qui donat omnia? Timeamus ergo Patris potentiam, quia potest nos damnare; credamus Filii sapientiam, quia nescit fallere; diligamus Spiritus sancti bonitatem, quia nescit lædere. Revera timenda est potestas, quia potenter percutit, credenda est sapientia, quia nunquam errat, et neminem fallit; diligenda est charitas, quia nunquam odit, sed semper diligit. Timeamus omnipotentem, credamus omnia scientem, diligamus omnia donantem. Primo enim timendus est Deus, deinde credendus, tertio diligendus. A timore salus incipit, per fidem proficit, in dilectione consummatur. Initium quidem salutaris scientiæ timor Domini, fides augmentum, dilectio finis. A timore incipimus. per fidem ambulamus, per dilectionem pervenimus, quo tendimus. Timor nil est sine fide, fides nil sine dilectione.

Sed de sono, igne, lingua, latius in sequentibus dicetur. Interim autem sciendum est, quod ideo sancta Trinitas in singulis operibus singularum personarum manifestari se voluit, et ostendere, quod indivisa et inseparabilis est illarum operatio; et quod quidquid una illarum facit, faciunt et reliquæ. Hoc autem satis eleganti comparatione nobis ostenditur, cum in sacra Scriptura Filius manus Patris dicitur, et Spiritus sanctus ejusdem manus digitus appellatur: vel cum ille os Patris, et Spiritus sanctus ejusdem oris lingua nuncupatur. Artifex enim per manus operatur, quidquid facit, et quidquid manus faciunt, per digitos faciunt. Homo etiam, et manus hominis, et digiti non sunt tres artes, artifices, vel operatores, sed unus. Similiter quidquid homo loquitur, per os loquitur: et quidquid os loquitur, per linguam loquitur: et homo, os, et lingua ejus non sunt tres locutores, sed unus locutor. Igitur secundum hanc similitudinem quidquid facit vel dicit Pater, per Filium facit et dicit: et quidquid facit vel dicit Filius, per Spiritum sanctum facit et dicit, sicut scriptum est. *Quæcunque facit Pater, hæc et Filius similiter facit* (*Joan.* V). Et isti tres non sunt tres operatores, vel locutores, sed unus. Sic quidquid facit vel dicit Filius, facit et dicit Pater, et Spiritus sanctus: et quidquid facit vel dicit Spiritus sanctus, hoc dicit et facit Pater et Filius; sicut quidquid facit manus hominis facit homo, et ejus digitus; et quod faciunt digiti manuum, facit homo ipse, et manus suæ. Sic quidquid dicit os hominis, dicit homo et lingua ejus, et quod dicit lingua, dicit homo et os ejus. Quia vero Deo idem facere est, et dicere, quia dicendo facit, faciendo dicit, juxta illud: *Dixit, et facta sunt: mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII), ideo Filius appellatur non solum manus, sed et os Patris; et Spiritus sanctus non solum digitus, sed et lingua. Hæc est una ratio, cur in sono, igne, lingua, venit Spiritus sanctus, videlicet ut opus ejus proprium Trinitatis aliquod daret vestigium; sicut prius fecerat opera Patris et Filii; præsertim cum Trinitatis ipsius notitia præcipue in hoc tertio opere primum esset comparanda. Porro secunda significatio est triplex gratia, quæ in hoc adventu discipulis collata est. Sonus enim factus est super eos, ad significandum magnam illis collatam potentiam. Ignis effulsit super eos, ad designandum eorum justitiam et sapientiam. Linguæ dispertitæ sunt super eos, ad insinuandam ardentem illorum charitatem, et igneam doctrinam. Sonus terrificus signum fuit magnæ et mirabilis illorum potentiæ in signis faciendis; ignis fulgidus et innoxius signum fuit sapientiæ in præceptis Domini intelligendis, et justitiæ in custodiendis. Linguæ igneæ signum fuerunt ardentissimæ charitatis in diligendis proximis, et prædicationis efficacissimæ in populis convertendis. Primam gratiam receperunt ad terrendum mundum, secundam ad illuminandum, tertiam ad incendendum. Potentia quippe fecit eos terribiles; sapientia et justitia lucentes et commendabiles; charitas autem tam fecunda quam facunda, tam eloquentes reddidit, quam ardentes. Primam propriè

acceperunt ad pugnandum contra potestates aereas, secundam contra carnales illecebras, tertiam contra fallacias mundiales. De prima facti sunt terribiles etiam dæmonibus, de secunda honorabiles hominibus, de tertia amabiles omnibus. Facta sunt ergo hæc tria signa super discipulos, ut per ea terrerentur securi, illuminarentur cæci, docerentur magistri, admonerentur conversi; corriperentur admoniti, corrigerentur correcti, accensi præficerentur. Has autem gratias prius quidem acceperant discipuli a Patre et Filio. Sed in hodierno adventu Spiritus sancti plenius acceperunt. Nam potestas a Filio data fuit signorum faciendorum, quando ad eos dictum est. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones; et nihil vobis nocebit* (*Luc.* x). In baptismo quoque justificati fuerunt et mundati, sicut ad Petrum dictum est: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet* (*Joan.* XIII). Porro de sapientia et charitate, quod utramque jam accepissent, testatur Dominus, cum dicit ad eos: *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos: quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Et iterum: *Ipse enim Pater amat vos: quia vos me amastis, et credidistis mihi* (*Joan.* XVI). Ipsum quoque Spiritum sanctum jam a Domino perceperant, quando eis dictum est: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, etc. (*Joan.* XX.) Sed quæ jam habebant a Patre et Filio, hodie plenius a Spiritu sancto habere cœperunt: non quod Spiritus sanctus plenius hæc habeat, quam Pater et Filius: sed quia, qui post illos insinuandus erat, donis cumulatioribus erat honorandus. Justum quippe erat ut quod notitiæ Spiritus sancti quasi defuerat, ut tempore postremo donorum majoritas resarciret: sciretque mundus quod Spiritus sanctus quamvis post Patrem et Filium veniret in notitiam, non minorem tamen quam illi potentiam vel gloriam possideret.

Quod pulcherrime demonstravit Spiritus sanctus in quodam concilio, cui præsidebat papa Hildebrandus (32-33), alio nomine dictus Gregorius VII. In eo enim concilio archidiaconus quidam accusatus de hæresi Macedoniana, quæ Spiritum sanctum asserit esse creaturam, et negat creatorem, jussus a pontifice præsentari, adfuit. Interrogatus de fide sua, respondit se esse catholicum; cui papa: Credis in Patrem et Filium et Spiritum sanctum? Respondit: Credo. Credis, inquit, has tres personas ejusdem esse virtutis, majestatis, et gloriæ? Respondit: Credo. Ut ergo, ait apostolicus, credam te verum dicere, dic mihi hunc versiculum: *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.* Erubuit primo ille, æstimans se a summo pontifice quasi laicum æstimari, et litteras ignorantem: Domine, inquit, ego laicus non sum, sed litteras novi. Cui papa: Non curo, inquit, de tua scientia, sed de tua fide: et ideo præcipio tibi in virtute Spiritus sancti, ut si bene credis in Spiritum sanctum dicas mihi istum versiculum, si autem non bene credis in Spiritum sanctum, ne possis illum dicere. Tunc cœpit ille dicere cum tremore: *Gloria Patri, et Filio*, et statim obmutuit, nec potuit perdicere: *Et Spiritui sancto.* Apostolicus autem sæpe faciebat eum repetere totum versum a principio; sed ille nulla ratione poterat versum finire, sed semper obmutescebat post *Patri et Filio*. Quo viso, ait ad eum papa: Ecce, miser, quomodo Spiritus sanctus per tuum silentium ostendit se Patri et coæternam et coæqualem habere gloriam, quam tu per tuam insipientiam ei conabaris auferre. Et deposuit eum ab omni officio et honore ecclesiastico. Sic ergo, ut prædiximus, Spiritus sanctus cum majore gloria mundo innotuit, quam prius innotuerat Pater et Filius; quia copiosiora gloriæ multiformis attulit munera, quam illi prius dedissent: ut per hoc sciretur, quod licet posterior innotesceret, non inferior tamen illis esset. Nam qui solum Patrem prius cognoverant, acceperunt spiritum servitutis in timore, ut timerent Patris potentiam. Adveniente autem Filio datus est apostolis Spiritus sanctus scientiæ et cognitionis in ipsorum prædicatione ad intelligendam Filii sapientiam. In adventu vero Spiritus sancti datus est spiritus amoris in ignearum linguarum similitudine, ad diligendam simul et prædicandam ipsius Spiritus sancti benevolentiam.

Sicut ergo per quosdam gradus advenit Trinitatis notitia, ita per quosdam gradus crevit ipsius gratia. Sed de secunda significatione trium signorum soni ignis et linguæ ista sufficiant. Nunc de tertia videamus, quæ est nostræ conversationis forma, in his tribus breviter expressa. Quando enim peccator in seipsum revertitur, ut ad Deum convertatur, prius ei fit sonus de cœlo, deinde ignis ex sono, tertio formatur lingua ex igne. Prius enim terretur homo a Deo, ut eum reverenter timeat, deinde compungitur ardenter, ut, vehementer doleat consumitur sapienter, ut peccata sua prodat. Sonus enim pertinet ad terrorem, qui peccatorem convertit, ignis ad dolorem, qui pœnitentem coquit: lingua ad confessionem, quæ sicut lingua canis vulnus dum lingit, curat, etiam peccatorem sanat, dum peccata manifestat. Sciendum vero quod singula istorum trium tripliciter habent fieri. Nam triplici comminatione, ut terreat, nobis minatur: videlicet æternum ignem, purgatorium, repentinum interitum; pœnas æternas, pœnas purgatorias, subitaneæ mortis insidias. Primum minatur non timentibus se, secundum parum timentibus, tertium non semper timentibus. Igitur necesse est, fratres charissimi, quia necessarium valde et utile ut Deum non solum timeamus, sed et multum timeamus, et semper timeamus. Timeamus, ut peccatores debent, timeamus multum, ut justi solent, timeamus

(32-33) Hildebrandus nondum erat papa, sed legatus papæ.

semper ut perfecti timent. De primo est illud : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est omnis homo* (*Eccle.* XII). De secundo : *Semper*, inquit, *quasi tumentes fluctus timui Deum* (*Job* XXXI). De tertio : *Beatus homo, qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Timendus est Deus, propter pœnam æternam : multum quoque timendus est propter pœnam post mortem purgatoriam ; semper etiam timendus est propter mortem improvisam, et horam mortis incertam. Qui Deum non timent, necesse est ut infernum descendant, et ab eo non exeant. Qui non multum timent, necesse est ut per ignem post mortem transeant. Viæ inferni peccata sunt mortalia et quot peccata talia sunt, tot quæ ad infernum ducunt : *Libera me, Domine, de viis inferni.* Deus bone, quis se custodiet ab his viis, ut non in eis persistat, ut non per eas transeat, ut non in eas incidat ; ut non ad eas tendat ? Periculosum est ad eas tendere, miserum in eas incidere, miserius per eas transire, miserrimum in eis stare. Beatus plane, qui in cathedra pestilentiæ non sedit, sed beatior qui in via peccatorum non stetit : at ille beatissimus, qui in consilio impiorum non abiit. Hic est enim, qui nec ad vias inferni gressum tetendit, id est qui nec peccare mortaliter deliberavit. Nam qui tale peccatum vel tantum deliberat, jam gressus illius ad infernum spectat. Qui vero deliberatum peragit, jam in vias inferni incurrit. Qui autem peractum repetit, per viam inferni transit, vel potius currit. Et qui repetitum non deserit, in viis inferni persistit. Necesse est autem, ut quandoque ad infernum perveniat, quia a via inferni nunquam declinat, et semper eam percurrere festinat. Libet igitur exclamare cum Propheta : *Quis est homo qui vivit et non videbit mortem : eruet animam suam de manu inferi?* (*Psal.* LXXXIII.) Quis enim ad inferos non dico non pergit, sed et non currit ? Quis est, inquam, homo, qui mortem non videat, id est qui mortale peccatum aliquando non incurrat ? Mortale peccatum est homicidium, mortale est odium ; nam qui odit fratrem suum homicida est (*I Joan.* III). Mortale peccatum est unum solum verbum ex rancore animi, vel ex tumore superbiæ, vel ex fervore iracundiæ in proximum prolatum. Qui enim dixerit fratri suo Raca, reus erit gehennæ ignis (*Matth.* V). Quis autem in hujusmodi verbo aliquando non peccat ? Mortale peccatum est unicum adulterium. Plus dico ; mortale peccatum est unicus aspectus libidinosus ; dicente Christo : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*ibid.*). Plus etiam dico : mortale peccatum est unus solus affectus libidinis in proposito confirmatus. Qui enim in sola cogitatione sua usque ad consensum operis delectatur, hic non solum videndo, sed etiam cogitando mœchatur. Sic qui viderit rem quamcunque proximi, ad furandum eam, jam furatus est eam in corde suo. Ideo inter

A præcepta non occidendi, non furandi, etc., positum est præceptum non concupiscendi : ut ostenderet Scriptura, quod, cum concupiscenti facultas tollitur, sola voluntas pro facto reputatur. Fugiamus ergo vias inferni, id est omnis peccati mortalis actum, affectum, consensum.

Cavendum quoque est ab igne purgatorio; quia nulla magnitudo pœnæ præsentis potest comparari illius urentis ; cum ignis ille tantum molestior sit igne temporali, quantum ignis ardens in fornace molestior est igne depicto in pariete. Cavet autem ab igne purgatorio, qui cavet a veniali peccato. Nam omne veniale peccatum, quod in hac vita purgatum non fuerit, necesse est in eo igne purgatum

B iri. Deus bone, quis cavere poterit a tot viis, et se a tot laqueis explicare ? Quis cavere potest vias, quas enumerare non potest ? Infinita sunt venialia peccata, et eo periculosius, quo facilius perpetrantur. Multa enim mala sunt, quæ bona putantur. Unde poeta :

Et mala sunt vicina bonis, errore sub ipso,
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.

Multa quoque sunt mortalia, quæ putantur venialia. Unde Propheta : *Delicta quis intelligit?* (*Psal.* XVIII). Porro beatus Augustinus (34) enumerans quædam minora peccata, dicit esse hujusmodi, quoties scilicet aliquis in cibo vel in potu plus accipit, quam necesse est. Et certe sæpe hoc mortale peccatum est. Sed intelligendum est Augustinum hoc

C dixisse de modico excessu, non de nimio, qui crapula est vel ebrietas. Demum addit : « Quoties aliquis plus loquitur quam necesse est, vel plus tacet, quam expedit. » Verum in his exemplis quæ ponit Augustinus, non determinat citra quos fines peccatum sit veniale, vel ultra quos mortale. Fortasse hoc voluit intelligere, quod quantumcunque attenuentur ista, ad minus sunt peccata saltem venialia. Denique multa sunt venialia in imperfectis, quæ perfectionem professis mortalia reputantur. Unde beatus Bernardus (35) ; « Os tuum consecrasti Evangelio, nugis illud aperire illicitum, assuescere sacrilegium. » Vix igitur adducor, ut credam monachum vel presbyterum nugis assuetum non peccare mortaliter. Nam si omnes homines de hujus-

D modi verbis in die judicii rationem reddituri sunt, cum quanta putamus districtione hæc ratio exigetur ab illis, qui perfectionem ordine vel habitu professi sunt ? Quem autem non terreat exemplum de quodam monacho Cluniacensi, qui pro suæ religionis testimonio non solum abbas factus est, sed etiam raptus ad cathedram sedis Tolosanæ ? Hic enim cum in cæteris circumspectus esset, tamen verba risum moventia plus quam decebat monachum frequentabat. Super quo vitio sæpe increpatus est a S. Hugone : cum sæpe corriperetur, et non corrigeretur, prædixit ei quod sero pœniteret, videlicet cum post mortem labiis spumantibus dolens et an-

(34) Serm. 41, *De sanctis.*

(35) S. Bern., lib. II, *De consider.* in fine.

xius appareret. Quod ita factum est. Nam mortuus apparuit cuidam capellano præfati Hugonis abbatis, ita ut prædictum fuerat labiis spumantibus; rogans capellanum ut iret ad S. Hugonem, ut eum orationibus suis a pœna, quam ei prædixerat, liberaret. Qui vocatis septem fratribus injunxit eis, ut septem diebus pro anima ejus tenerent silentium. Quod præceptum sex fratribus diligenter servantibus, septimus dissolvit, qui silentium injunctum non tenuit. Iterum ergo præfatus episcopus apparuit eidem capellano, multum conquerens de illo fratre, qui silentium non bene tenuerat, et salutem suam sic interruperat. Quod ille retulit ad abbatem. Qui vocato fratri transgressori injunxit pœnitentiam, jussit solutum silentium septem diebus taciturnitate resarciri. Quibus expletis defunctus episcopus vultu hilari, et in veste pontificali apparuit ipsi abbati liberatori suo, gratias agens de sua liberatione. Hic plane de sola nugacitate damnari potuit, nisi ei tot virtutes aliæ, quibus abundaverat, succurrissent. Caveamus ergo ignem purgatorium, cavendo, ut possumus, omnis venialis peccati actum, affectum, consensum : et quotidiana pœnitentia quotidiana diluendo peccata. Sed oportet ut non solum timeamus Deum, sed ut multum, et semper timeamus : ut non solum caveamus a pœna æterna, et a pœna purgatorii, sed etiam a morte subitanea, quæ nunquam bene cavetur, si non semper timeatur, si non semper ante oculos habeatur, si non semper cogitetur.

In hæc tria pericula nos impellunt oblivio nostræ mortalitatis, lætitia carnis, securitas mortis. Contra primum est illud : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII). Contra secundum : *Risus vester in luctum convertetur, et gaudium in mœrorem* (*Jac.* IV). Contra tertium : *Beatus homo qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Item : *Sollicitudine non pigri* (*Rom.* XII). Hic mihi dicet aliquis : Quis semper potest cogitare de morte, sine tristitia continua et mœrore? Nam memoria mortis tristis est, et amara. Verum est, sed illis, qui non confidunt in Deo, quibus æterna non sapiunt, quibus temporalia dulcescunt. Nam qui justorum præmia fide præsentiunt, spe prædorantur, dilectione et desiderio prægustant, istis revera non est amara mortis memoria, sed dulcis potius et jucunda. Hi enim mori non metuunt, sed cupiunt dissolvi, dicentes cum Propheta : *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* CXIX). Quanquam legatur in Evangelio Nazaræorum (36) Dominus dixisse discipulis : « Nunquam læti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in charitate. » Hoc est ergo quod ait Apostolus : *Quasi tristes*, in sæculo, *semper autem gaudentes*, in Domino (*II Cor.* VI). *Quasi tristes* dixit, et non, tristes : et *gaudentes*, non autem, quasi gaudentes : quia vera tristitia vel lætitia in hoc sæculo non est nisi

(36) Liber apocryphus.

A de accusante vel defendente conscientia. Denique, ut ait Apostolus : *Est tristitia, quæ salutem operatur* (*II Cor.* VII). Nihil enim utilius ad victoriam de peccato futuro, quam tristitia de præterito. Hinc apud poetas victoria dicitur filia Stygis, quæ interpretatur *tristitia* : quia per tristitiam vincuntur vitia, per lætitiam vincunt. Unde quidam :

Dum non læta fuit, defensa est Ilion armis,
Militibus gravidum læta recepit equum.

Hæ sunt ergo tres comminationes a Domino, quasi tria tonitrua de cœlo, quæ nos exterreant a peccato. Infernum nobis minatur Dominus per se ipsum, dicens : *Ibunt hi in supplicium æternum* (*Matth.* XXV). Ignem purgatorium per Apostolum, cum dicit : *Ipse salvus fiet, sic tamen quasi per*
B *ignem* (*I Cor.* III). Mortem subitaneam, cum dicit : *Veniet dominus servi illius in die quam non sperat, et hora quam nescit* (*Matth.* XXIV). Hic est ergo triplex sonus, qui fit de cœlo super peccatorem ad eum exterrendum. Fit autem sonus de cœlo dupliciter, aut signo aliquo præcedente, ut turbato aere, vel nubibus concurrentibus, aut ex improviso et repente nullis signis præcedentibus, ut cum sereno cœlo, et aere tranquillo subito mugire audimus tonitrua. Sic sonus terroris a Domino fit aliquando signis præcedentibus; aliquando nullis præcedentibus signis. Signis præcedentibus fit quando peccator flagellatur a Deo vel damno rei familiaris, vel læsione proprii corporis, aut morte propinqui, antequam terreatur. Fit autem de cœlo sonus repenti-
C nus, quando peccator subita inspiratione divinæ gratiæ, nullis rebus adversis præcedentibus, in seipsum revertitur, et a propria conscientia terretur. Factus est sonus de cœlo cum signo præcedente super Paulum apostolum, qui prius cæcitate percussus est, quam voce territus. Factus est autem repente de cœlo sonus super Mariam Magdalenam, quam repente mutatam interius, nec exterius flagellatam, prius humiliavit divina gratia, quam pœnis castigavit. Idem contigit fratri, de quo in Vitis Patrum, qui cum ingressus fuisset ecclesiam a dæmonibus misere vinctus, vultu teterrimo et horribili, repente ibi ad Deum conversus, fugato dæmone angelis stipatus visus est. Vere super illum factus
D est repente de cœlo sonus. Repente, id est nullo signo præcedente. Sed de sono ista sufficiant. De igne vero et lingua in sermone sequenti, quod Deus dederit, explicabimus.

SERMO XVII.

IN EADEM SOLEMNITATE, II

Ignis qui factus est ex sono, sicut sonus de cœlo, significat quemdam splendorem divinæ gratiæ, simul et ardorem, qui sequuntur in animo peccatoris ex timore Domini conturbato. Sicut enim sonus præcessit ad percutiendum et perturbandum peccatorem : sic ignis succedit ad illuminandum simul et

illustrandum mentem. Illuminatur autem peccator triipliciter, ut sciat, si fieri potest, peccatorum suorum pondus naturam, et mensuram, id est qualiter et quantum, et quoties peccaverit. Pondus refertur ad qualitatem peccati, mensura ad quantitatem, numerus ad peccandi consuetudinem. Qualitas attenditur in peccati substantia, quantitas in circumstantiis, consuetudo in recidivis. Sic igitur post sonum de cœlo, fit ignis ex sono : quia postquam peccator timore Domini percussus in seipsum revertitur, statim recogitare cogitur quomodo peccando Deum offenderit; qualiter, quam graviter, quam frequenter. Et hæc triplex illuminatio est in malis quæ commisit. Illuminatur quoque tripliciter ad considerandum mala, quæ meruit : id est vermem, qui non moritur; ignem, qui non exstinguitur; mortem, quæ non finitur. Illuminatur etiam tripliciter in consideratione bonorum : quia considerat bona quæ non fecit, et bona quæ fecit, sed non sicut facere debuit; et bona quæ perdidit, id est quæ meruisset si ea quæ debuit, ut debuit fecisset.

Est autem singulorum triplex consideratio : quia tria bona non fecit, quæ facere debuit. Non dilexit Deum, non proximum, non seipsum. Non reddidit cuique quod suum erat : non Deo obedientiam, non proximo justitiam, non sibi temperantiam, juxta illud : *Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II). Item bona quæ fecit, tripliciter non fecit, ut facere debuit; quia non ea puritate intentionis, non ea perseverantia longanimitatis, qua debuit. Et, ut ait S. Benedictus : « Omnis justitia tepida, transitoria, vendita in oblivione erit coram Deo. » Tria ergo maxima bona meruisset, si homo fecisset sicut debuerat; carnis glorificationem, animæ beatitudinem, et beatorum visionem. Qui autem hæc omnia subtiliter considerat, doloris materiam sibi coacervat; et quanto perspicacius mentis intuitum ad singula direxerit, tanto ardentius singula delebit. Scriptum est enim : *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem* (*Eccle.* I). Nemo ergo potest ab hoc igne accendi, nisi prius ab eo illuminatus fuerit; quia nemo potest flere peccata sua, vel damna spiritualia, nisi prius ea cognoverit, et cognita prudenter æstimaverit. Illud ergo in hoc igne mirum est, quod ardor ex splendore procedit; cum alibi soleat splendor sequi ex ardore. Verum ita est in ipsa ignis substantia. Ignis enim ex calore splendidus est, et non calidus ex splendore. Sed in participatione ignis aliter est. Nam qui prius ab igne remoti fuerant, cum ad illum ardentem et lucentem appropinquare cœperint, necesse est, ut ab eo prius illuminentur, quam calefiant : et ut ante splendoris ejus fiant participes, quam caloris. Nam splendor ignis longius procedit, quam calor : et ideo prius se participari facit. Quod in solari radio manifestum est, qui ubique æqualiter lucet, sed non ubique æqualiter fervet : imo multos illuminat, quibus parum aut nihil caloris præstat. Denique sol in ipso ortu suo nobis lucet, sed non in nobis ipsis fervet : imo mane splendore instuit, et ignibus meridiem. Similiter ergo necesse est ut peccator prius sua peccata videat, quam pro illis doleat. Et quis sic digne doluit, ut dolere debuit? « Facilius, inquit B. Ambrosius (37), inveni, qui innocentiam conservassent quam qui condignam egissent pœnitentiam. » Nec mirum, cum pœnitentia nobis agenda sit, non solum de malis nostris actibus, sed etiam de bonis, quando ipsa bona in mala convertimus, quando ea non bene facimus. Ideo dicit Isaias : *Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ* (*Isa.* LXIV). Si justitiæ nostræ tales sunt, quales injustitiæ? Si lumen quod in nobis est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Ecce Deus homines mulieribus comparat; nec solum homines molles et fluxos, sed et fortes et robustos; nec mulieribus tantum, sed mulieribus menstruatis. Væ nobis omnibus a fragilitate corruptionis et corruptione fragilitatis, qui mulieres appellamur! Væ nobis a fœda mollitie! væ nobis a virtutibus, quæ panno immundis imo comparantur

Quantum nobis flendum est pro injustitiis, si pro justitiis est dolendum! *Maledictus* enim *qui facit opus Dei* negligenter, et ille amplius, qui *fraudulenter* (*Jer.* XLVIII). Siquidem uterque a mandatis tuis declinat, qui *mandasti mandata tua custodiri nimis* (*Psal.* CXVIII). Negligenter opus Dei facit, qui facit tepide, aut in incœpto non fervet opere, aut non perseverat in operis fervore. Opus autem Domini facit fraudulenter, qui vel de suis præsumit viribus, vel suis laudibus totus inservit; qui ipsum opus alii vindicat quam Deo; qui aliud præmium captat quam Deum; qui operis sui aliud pretium taxat quam ipsum; qui bonorum suorum operum alium quam solum Deum auctorem existimat, aut remuneratorem exspectat. Postquam autem ignis ille sic illuminavit ad intelligendum peccata, sic inflammavit ad dolendum, mox de seipso linguam formabit ad confitendum. Nec enim pro peccato suo condigne dolet, cui illud necdum perfecte displicet. Nemini autem perfecte displicet, qui adhuc illud tanquam thesaurum servat et possidet, dum illud celat et retinet. Nam qui perfecte peccatum odit, statim illud a se tanquam venenum nocentissimum exspuit et evomit. Igitur post recogitationem et contritionem continuo curritur ad confessionem, ut visitatio sancti Spiritus cunctis suis partibus absoluta sit : ut sicut de cœlo sonus emittitur, et de sono ignis egreditur; sic et de igne lingua formetur. Omnis autem lingua quæ de igne formatur, necessario ignea est. Ignea igitur debet esse confessio. Nihil igne purgatius, aut etiam purgantius, vel eo clarius aut lucidius, vel rutilantius, aut rubicundius. Ignis res est purissima, cla-

(37) Ambros., lib. II, *De pœnit.*, cap. 10.

rissima, coloratissima, quia rubicundissima, nihil habens admistum rubiginis, aut alicujus sordis, vel obscuritatis, nihil palloris vel coloris emortui. Similiter confessio debet esse pura, clara et rubicunda. Pura, ut non nisi peccata sua confiteatur, id est nec virtutes proprias, nec peccata aliena. Integra, ut omnia peccata et peccatorum circumstantias retegat, et nihil a confessore abscondat; rubicunda, ut confitentis faciem erubescere cogat. Confessio quippe quæ cunctis suis partibus absoluta est, pura est per humilitatem, nec aliena mala publicare didicit, nec sua bona novit jactitare; et clara est per simplicitatem, quæ veritatem nescit abscondere, quæ mendacium fingere non novit; et rubicunda est per verecundiam, quæ colore roseo confitentis faciem didicit ornare, ut hoc velut lenocinio interno plus placeat inspectori. Sunt qui peccata sua tanquam aurum in sinu suo abscondunt; sunt qui hujusmodi possessionem vendentes tanquam Ananias et Saphira avare dispensant, quædam exponentes, et quædam retinentes, et Spiritui sancto mentientes. Sunt qui non solum propria, sed et aliena dicunt. Sunt qui sua tantum recitant, sed tanquam fabulam, vel quamdam historiam sine pudore et verecundia, sine rubore et tristitia, sine fletu et gemitu, sine contritione et dolore. Sunt qui in confitendo superficie tenus suspirant et gemunt, ne nihil facere videantur. Sunt qui virtutes suas enumerant, jactantes sicut Nabuchodonosor somnia sua, visiones capitis sui phantasticas, vel dæmonum sophisticas apparitiones. Sunt qui confitendo peccata sua gemunt et plorant, sed de hoc ipso laudem affectant. Non sic ille qui ait : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino* (*Psal.* XXXI). Dixi, inquit, id est firmiter in corde meo facere proposui me facturum. Quid? Quod sequitur.

Confitebor ego ipse, antequam alius me accuset; sed sponte et voluntate pronuntiabo adversum me, non adversus alium, injustitias meas, non justitias Confitebor Domino, id est ad laudem et honorem Domini, non ad honorem vel laudem mei, imputans mihi peccata mea, gloriam autem Deo. Igitur ubicunque Spiritus sanctus hospitaturus est, necesse est hæc signa tota præcedere, quia per hæc tria in electorum cordibus sibi ipse solitus est hospitium parare. Timor enim Domini, qui fit de sono repentino, et qui principatum possidet in tota domo, domum jubet everri, et sordes ac quisquilias diligenter inquiri. Cognitio peccati et damni recordatio, tanquam quidam famuli obsequentissimi domum diligenter everrunt, et sordes et quisquilias in unum colligunt. Doloris vehementia quasi quædam flamma voracissima collatas comburit; confessio autem quasi scopa quædam combustas ejicit. Hæc est scopa, quæ hospitium Spiritus sancti evacuat et mundat. Hos ergo famulos præmittit Spiritus sanctus ante se. Cum autem remanserit, quos socios retinebit? Utique hos eosdem. Cum iisdem comitibus, cum quibus intrat ad nos, permanet apud nos, id est cum sono, igne et lingua; cum terrore, luce et ardore, cum timore, dolore et confessione; sed alio et alio modo. Qui enim advenerat cum timore servili et initiali, permanet cum timore casto et filiali. Et qui advenerat cum dolore ex peccato perpetrato, permanet cum dolore ex præmio dilato. Et qui advenerat cum confessione peccati, permanet cum confessione laudis, id est cum gratiarum actione de beneficiis perceptis, et cum spe de percipiendis. Sicut enim in principio timebamus, ne damnaremur; sic jam confortati a Spiritu sancto timemus adhuc quidem, sed non jam ne damnemur a judice, imo ne ab eo minus laudemur. Unde Apostolus : *Vis non timere? Bonum fac, et habebis laudem ex illa* (*Rom.* XIII). Aliter quidem timet ancilla dominam, aliter uxor maritum. Illa timet, ne prorsus expellatur; ista, ne parum diligatur. Similiter jam in Spiritu sancto exhilarati, dolemus adhuc quidem, non pro diluto crimine, sed pro dilato munere, sicut dolet quidam dicens : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* (*Psal.* CXIX.)

Confitemur quoque Domino, non quidem peccata nostra, quæ jam confessa et dimissa sunt, sed beneficia divina, quæ nobis gratis data sunt, sicut confitebatur, qui sic loquebatur : *Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum; confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione* (*Eccli.* LI). Hujusmodi autem ignis mentem quidem nostram non contristando macerat, sed exhilarando impinguat, sicut apparuit in illo fratre, qui pane et aqua per annum sustentatus, post annum apparuit pinguis et hilaris, velut in Domino confortatus. Nam sine intermissione in cella sua cum multa lætitia et exsultatione Deo gratias egerat, quia eum a sæculo revocaverat, et societati sanctorum conjunxerat, et ab inferno eripuerat. Sic etiam in nostris congregationibus multoties accidit : in quibus sunt adolescentes, qui cum cibis aridissimis nutriantur, tamen corpulentiores et coloratiores sunt, quam cum olim in sæculo cibis delicatissimis utebantur. Quod in Daniele et sociis ejus, qui cibos regios leguminibus et aqua commutaverunt, olim præfiguratum est (*Dan.* I). Habemus etiam linguam igneam, cum non soli salvari volumus, sed de aliorum salute solliciti sumus, edocendo ferventer, vel exhortando efficaciter pro aliis laboramus. Quod utrumque linguæ officium debet esse igneum, quia nec oratio frigida ascendit in cœlum, nec exhortatio tepida accendit animum. Et hæc fuit tertia ratio, quare Spiritus sanctus venit cum sono, igne et lingua.

Quarta quoque potest induci, quod ideo venit cum his tribus signis ad significandum videlicet, quod eodem ordine quo jam venit ad suam gratiam nobis conferendam, veniet ad judicium, ad rationem de collatis suis muneribus exigendam. Nam de Domini Jesu secundo adventu legitur : « Qui

venturus est in Spiritu sancto judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem (38). » Si autem veniet in Spiritu sancto, ergo et Spiritus sanctus veniet cum ipso. Ipse, inquam, Spiritus sanctus in Filio discretionem judicialem faciet; quia arguet mundum de peccato, et de justitia et de judicio. Veniet autem cum Filio, id est in persona Filii, in qua habitat plenitudo divinitatis corporaliter, id est qui perfectissime plenus est potentia, et sapientia, et sanctitate, et bonitate Dei. Sicut enim Pater in Filio, et Filius in Patre, sic et Filius est in Spiritu sancto, et Spiritus sanctus in Filio. Veniet ergo ad judicium cum sono, igne et lingua. Sonus erit in judicio repentinus, quia calamitas erit repentina. *Sicut enim in diebus Noe edebant homines et bibebant*, etc., *usque in diem qua intravit Noe in arcam, et tulit omnes, ita erit adventus Filii hominis* (*Matth.* XXIV). *Cum enim dixerint, pax et securitas, veniet repente calamitas, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet* (*I Thess.* V). Sonus ergo erit repentinus, id est terror subitus, et immensus ignis cum sono adveniet, non super centum viginti tantum, sed super mundum totum. Qui etiam non solum erit lucidus, sed etiam urentissimus. Erit autem fortassis injustis noxius, et justis innoxius; sicut fuit ignis Babylonicus tribus pueris in fornace, quibus omnino non nocuit, et tamen Chaldæos fornaci proximos incendit. Porro lingua ignea non est nisi illa definitiva judicis sententia, qua reprobis dicet : *Ite, maledicti, in ignem æternum*, etc. (*Matth.* XXV); electis autem : *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Ibid.*). quæ ignea, id est molestissima erit reprobis; sed ignea, id est clarissima, charissima et utilissima, quibus dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ad quod nos perducat judex ipse vivorum et mortuorum Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto venit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII

IN FESTO PENTECOSTES, III.

« Advenit ignis divinus (39). » Est ignis bonus, et est ignis malus; est ignis divinus, et est ignis diabolicus. Ignis malus et diabolicus, alius est culpæ, scilicet concupiscentia; alius pœnæ, scilicet gehenna. Uterque ignis nunquam dicit : Sufficit; uterque insatiabilis est. Ad differentiam hujus mali ignis, is qui hodie in discipulos Christi venit, divinus vocatur. Quod autem dicitur *advenit*, ignem gratiæ declarat, non ignem gloriæ, quæ nondum advenit : ideo hoc tempus dicitur gratiæ, non tempus gloriæ. Ignis ergo divinus, id est ignis divinæ gratiæ jam advenit, id est abundanter ad nos venit, ut in quibus abundavit peccatum, superabundet gratia. Ecce, fratres charissimi, gratia Dei omnibus se offert. In nobis est vel recipere, vel

A repellere. Pulsat ad ostia singulorum; si quis ei aperuerit, intrabit ad eum; non ad unum solum, sed ad singulos. Ignis est enim; nec ex sui distributione minuitur, sed potius augetur. Augetur dico, non in sui substantia, sed in participatione. Nemo autem se excuset de impossibilitate, quod eam non possit recipere. Ignis est enim, quem omnia possunt sentire, vel incendentem, vel calefacientem. Ad ignem benigne accedentes calefiunt, vehementer autem repellentes incenduntur. Similiter *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* V). Valles abundant frumento (*Psal.* LXIV), et inter medium montium pertranseunt aquæ (*Psal.* CIII); sed feriunt summos fulmina montes (HORAT., lib. II, *Od.* 10).

B Hic ignis lucet in quibusdam, in aliis occultus est. Lucet in electis jam bene operantibus: occultus est in electis adhuc errantibus, et adhuc corrigendis, sicut ignis in carbonibus mortuus adhuc reaccendendus.

Videat autem qui hunc ignem receperit, ne perdat receptum, sed conservet in perpetuum. Ad quod necessaria est materia, quæ pascatur. Et ideo, sicut in lege legitur : *Subjicienda sunt ligna per dies singulos, ut hic ignis jugiter ardeat in altari* (*Levit.* LXII). Ligna vero, quæ fomes ignis sunt, exempla sanctorum, vel monita doctorum, vel lectionem divinorum mandatorum accipienda arbitror : vel certe jugem memoriam gravium peccatorum super fundamentum fidei ædificatorum, et

C per ignem acerrimæ pœnitentiæ purgandorum. Hæc subjicienda sunt mane per singulos dies, id est cogitanda initio cujuslibet tentationis ad inanem gloriam pertrahentis : et similiter vespere, id est in omni tentatione inutilem tristitiam suggerente : et sic semper ardebit ignis, id est fervor boni operis, in altari cordis. Nemo autem desperet, quod a gratia Dei non possit purgari, tanquam nimis sordidus; vel illuminari, tanquam densissimis tenebris obumbratus. Ignis est enim, qui domat omnia, et quo etiam de durissimis lapidibus excutitur scintilla. Item nemo putet ex suis operibus se illam meruisse, vel suis meritis illam posse conservare. Ignis est enim qui per seipsum movetur, per se

D movens aliud, et semper est in motu. Similiter *Spiritus ubi vult spirat, et nescimus unde veniat*, id est pro quibus meritis nostris ad nos veniat, quando venit, *nec quo vadat* (*Joan.* III), id est nec quare nos relinquat, quando ad tempus relinquit : quod sæpe etiam justis contingit, nihil sibi consciis. Ignis autem quia semper in motu est aut crescit aut deficit; sic gratia Dei. Aut enim in ea proficimus, aut deficimus : nec est medium; quia non potest ignis in eodem statu permanere. Nemo ergo negligat gratiam Dei. Ignis est enim, qui neglectus exstinguitur. Unde : *Noli negligere gratiam Dei, quæ est in te* (*I Tim.* IV). Et alibi : *Spiritum nolite*

(38) Offic. eccles.

(39) Offic. eccles.

exstinguere (*I Thess.* v). Non negligere autem gratiam Dei, est se in data gratia in omni fervore devotionis exercere.

Item nemo conqueratur se parum gratiæ accepisse. Ignis est enim : et ignis ex modico crescit in immensum. Similiter quilibet gratiam quam accepit de modica potest facere magnam, si illam non neglexerit; ignis autem ad nimis remota non transit, sed tradit se proximantibus. Sic gratia Dei ad elongantes se non vadit, sed elongat se ab eis, sicut scriptum est : *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo* (*Psal.* CVIII). Ideo Propheta invitat, dicens : *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII). Nihil igni sic contrarium ut aqua, et gratiæ Dei nihil magis repugnat, quam luxuria, sicut dicit Apostolus : *Corruptio incorruptionem non possidebit* (*I Cor.* XV). Ignis nec frigidus est, nec tepidus, nec parum calidus; sed fervidus et æstuans : sic gratia Dei in frigidis non moratur, nec in tepidis, sed in ferventibus spiritu. Unde in Apocalypsi : *Utinam calidus esses, aut frigidus; sed quia tepidus es, evomam te ex ore meo* (*Apoc.* III). Quod est dicere : Utinam aut Christianitate ferveres, aut infidus esses; nam de te non gustarem, utpote cibo vel potu mihi ignoto, et ita mihi nauseam non provocares. Sed quia nomen Christiani habes, non possum, quin tentem quid sentias; et quoniam te tepidum sentio, mihi nauseam provocas et vomitum. Hoc generaliter de omnibus Christianis, specialiter autem intelligendum de nobis monachis : quibus fervorem justitiæ professis pejus est post votum reperiri tepidos, quam ante votum frigidos fuisse. Nunquid non tepidi sunt, qui terrenis se immergentes solatiis, superna non quærunt, ad cœlestia non aspirant? Quid habent isti de igne divino; de igne, qui semper sursum fertur, et sursum movet et effert? Certe qui non sursum moventur, non aguntur Spiritu Dei, imo nec humano, sed spiritu jumenti, qui semper sequitur carnem, et deorsum fertur. Ignis etiam divini ardorem efficacem, a quo ordo seraphim concreatus est. S. Dionysius sic describit (40) : « Mobile enim semper eorum circa divina, et incessabile, et calidum, et acutum, et superfervidum intente et non indigentis et inflexibilis semper motionis, et suppositorum reductive et active assimilativum, recalificans illa, et resuscitans in similem caliditatem, et igneum cœlitus, et holocauste purgativum, et incircumvelatum, et inexstinguibilem, habentem sic, sic semper luciformem et illuminativam proprietatem omnis obtenebrosæ obsanctificationis scrutatricem, vel persecutionem, et manifestationem Seraphim nominationes aut manifestationes docent. » Hæc sunt verba beati Dionysii, imo tonitrua : quæ plus stuporis et admirationis, quam cognitionis afferunt. Videntur autem ad amoris naturam referri. Tota enim seraphim vita, actio et affectio omnis, amor est ad Deum et proximum, qui prædictis verbis significatur. Pauca vero de his transcurrendo potius quam exponendo, et divinando potius quam disputando dicamus. Constructio eorum a fine est inchoanda, hoc modo. Nominationes seu manifestationes seraphim docet mobile eorum : id est interpretatio et manifestatio hujus nominis seraphim, quod est numeri pluralis. Ideo autem dixit nominationes vel manifestationes, plurali numero; quia non est unica, sed multiplex nominis seraphim interpretatio. Seraphim autem interpretantur principium oris eorum, vel ardentes, vel incendentes. Prima interpretatio significat, quod hi spiritus primum locum obtinent circa Deum; et quia primi loquuntur secreta Dei et laudes : secunda significat, quomodo ardeant amore Dei; tertia quomodo incendant amore proximi. Ait ergo : « Nominationes vel manifestationes seraphim; » id est interpretatio multiplex hujus nominis seraphim, quæ est manifestatio significationis illius, « docet mobile eorum semper, etc., » id est demonstrat, quod illi spiritus semper moventur circa divina et incessanter; et calidum, id est quod calent; et acutum, id est quod penetrant; et superfervidum, id est quod penetratione ferventiores redduntur ad penetrandum. Docet, inquit, mobile, id est mobilitatem motionis eorum, id est affectus; motionis dico intentæ, id est affectionis in Deum tendentis, et forsan intimæ. Sic enim postea in alia translatione legitur, id est forsan in Deum ipsum intrantis.

Quod autem dixit, forsan, non tam ad dubitandum posuit, quam ad sententiam temperandum : quasi diceret affectionis dico forsan intimæ, id est non penitus intimæ, sed tamen intimæ. Quidquid enim in Deum intrat, revera intimum est, sed non penitus intimum; quia non omnia secreta ejus creatis spiritibus penetrabilia sunt, nec intus potest cognosci, nisi a se solo, sicut ait Apostolo : *Nemo scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; similiter et quæ sunt Dei nemo cognovit,* subaudi ad plenum et ex toto, *nisi spiritus Dei* (*I Cor.* II). Ideo etiam præmiserat circa divina. Non enim dixit in divina, sed circa divina. Quantumcunque enim intretur in cognitionem Dei ab his beatissimis spiritibus, semper tamen sunt quasi circa, non quasi intra. Intra sunt tamen, quantum ad ea quæ capiunt; sed circa sunt, quantum ad ea quæ non percipiunt. Ideo etiam ait circa divina pluraliter, non circa Deum, quia in Deo sunt multa beatis spiritus cognoscibilia, sed etiam multa incomprehensibilia. Hoc est ergo forsan intimæ, id est non usque ad plenitudinem, ut ita dicam intimitatis divinæ; vel si legatur, non indigentis, id est affectionis non a suo desiderio frustratæ, sed suum desiderium ex toto complentis, et inflexibilis, id est non in fastidium se reflectentis. Et est quasi expositio ejus quod dixerat, intentæ, id est in Deum

(40) *De cœlest. hierarch.*

semper tendentis, et nunquam ab eo se avertentis. Igitur mobile significat velocitatem affectionis eorum. Motus enim eorum, vel potius, mobilitas, nihil aliud est, quam voluntatis eorum vel affectionis, vel concupiscentiæ, vel desiderii summa agilitas, celeritas, velocitas, vel potius volatus. Unde non solum cum pedibus, sed etiam cum pennis et alis pinguntur; quia sicut penna avis levis est, et jucunda, et fulgida; et sursum ferens, ita et affectus eorum. Nostri autem affectus pedes animæ vel gressus dicuntur. Unde Propheta: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei* (*Psal.* LXXII), id est affectus mei fere ad malum opus prolapsi. Et bene Gregorius (41): « Velle, inquit, aliquid facere, jam mente ire est. » Si autem nostri affectus, qui per carnis et spiritus repugnantiam multum tarditatis patiuntur, aliquando etiam in sanctis adhuc in carne positis, pennæ appellantur: quanto rectius affectus illorum, qui toti sunt spiritus! Velocitas ergo affectionis illorum significatur per hoc nomen *mobile*: munditia vero et sanctitas per hoc quod sequitur, *circa divina*. Nihil enim aliud desiderant, quam Deum. Perseverantia vero per hoc quod subditur, *et incessabile*; hujus perseverantiæ fervor notatur, cum dicitur *et calidum*. Potest enim aliquid semper et remisse moveri; ut fluvius Arar, qui semper currit, sed adeo lente, ut dubium sit aspicientibus in utram partem currat. Sed quia est aliquis fervor sine efficacia, ideo sequitur *et acutum*; id est penetrativum et penetrans, quod significat adeptionem rei desideratæ. Sed quia adeptio rei desideratæ solet minorare desiderium adipiscentis circa rem possessam, ideo subditur, *et superfervidum* quod significat quamdam superni fervoris ebullitionem, quæ illos replet ad satietatem, et quodammodo manat ad desiderium; sicut videmus fieri in cacabo assidue bullienti, ut ex fervore continuo repleatur usque ad summum, et evacuetur usque ad fundum; et replendo evacuetur, et evacuando repleatur. Quia vero liquor ille, qui in illis bullit spiritibus inconsumptibilis est; et ardor de quo illa prodit ebullitio inexstinguibilis, et ipsa ebullitio imminorabilis, ideo in illis est semper acutum et superfervidum. Quia autem in Deum semper penetrant, et semper penetrare desiderant; quia ut ait quidam sanctus, augent spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant, juxta illud: *Qui edent me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV).

Est itaque delectabiliter in illis impressa simul sitis atque satietas. Nam desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur: et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Longe abest a siti necessitas, longe a satietate fastidium: quia sitientes satiantur, et satiati sitiunt. Hoc est ergo quod ait superfervidum, id est ex fervore superabundans, et ex abundantia superfervens. Hoc enim superfervidum significat illud immensum divini gaudii pelagus, quo eorum acutum penetrat, et se immergit, cujus gaudii superaffluentia ineffabiliter scibilis, et liquidi acumem illud potentissimum non retundit et hebetat ad resiliendum fastidio, sed potius animat et renovat ad penetrandum desiderio. Nam ingens ille fervor vehementis incendii, qui in illius ordinis summo camino semper exæstuat, nihil aliud est, quam divini amoris sancta vehementia. Liquor autem, qui in illius camini vasis optimis et probatissimis ex illius ardoris incendio superfervet et ebullit, nihil aliud est, quam divinæ voluptatis torrens, per illorum spirituum corda capacissima superexcurrens; et illud flumen gaudii, et fluvius ille pacis, quæ exsuperat omnem sensum, et illorum beatorum spirituum flagrans desiderium non solum transcendit, sed etiam accendit. Hujus liquoris tenuitas inenarrabilis, et subtilitas inexplicabilis, et ineffabilis jucunditas, in aquis illis supercœlestibus signatur, quæ ibi suspensæ feruntur ad suavitatis rorem inferioribus infundendum. Illud tamen gaudium, illa voluptas aqua dicitur, et vinum, et torrens, et fluvius, et mare. Aqua, quia mundat et sanctificat; vinum, quia delectat et lætificat; torrens, quia desiderium reaccendit et renovat: fluvius, quia abundat et satiat: mare, quia in immensum omne desiderium transcendit et superat. Hoc super fervidum Dionysii videtur promittere Dominus his verbis: *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinus vestros* (*Luc.* VI). Alibi autem dicit: *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* (*Matth.* VII.) Hujus tamen posterioris loci sensus est. Si parvam mensuram dederitis, parvam recipietis; si magnam, magnam: semper tamen magis recipietis, quam dederitis; quia *mensuram bonam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinus vestros.* Et hoc est, quod etiam dicit Apostolus: *Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX).

Timor minarum est mensura bona, spes promissorum mensura conferta, custodia mandatorum mensura coagitata. Mensuram supereffluentem possumus dicere additionem ad illa tria, quæ in Deuteronomio leguntur: *Diliges Dominum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni fortitudine tua* (*Deuter.* VI): non enim ibi additum est, *et ex tota mente tua*. Et tamen legisperitus a Domino interrogatus, quid in lege scriptum esset, ait: *Diliges Dominum*, etc., *ex tota mente tua* (*Luc.* X). Quod responsum Dominus non solum non reprehendit, sed etiam confirmavit dicens: *Recte respondisti.* Aut ergo in Hebræo scriptum erat, ut legisperitus respondit, aut in aliqua translatione, aut certe æquipollens. Nam in eo quod dicitur in translatione nostra tertio loco: *Et ex omni fortitudine tua*, puto

(41) Hom. *in Evang.*

etiam comprehensum : *Et ex omni mente tua*, quia fortitudo tota hominis non in solis viribus corporis est, sed etiam in viribus mentis. Duplex fortitudo in Deuteronomio comprehensa est sub uno membro. In Luca vero divisa est in duo membra. Quidquid ergo mensuramus, aut de primo gradu est : ut multum de secundo, aut ut perfectum de tertio; supereffluentia vero in præmiis tantum, non in meritis est. Vides ergo quomodo superfervidum Dionysii, supereffluens Domini, præmium designet. Mensuram bonam nobis remetitur Dominus, quando nos liberat a damnatione perpetua; confertam, quando nos induit stola prima, in qua singulariter nos in spe constituit, et omnino eruit a timore; coagitatam vero nobis reddet, quando secunda immortalitatis, stola nos vestiet : at supereffluentem nobis B cumulabit, quando suæ visionis, quæ omne desiderium supera', æterna beatitudine nos donabit. Nec solum in hac parte superfluit mensura Domini mensuræ nostræ; sed etiam in singulis istorum graduum. Quidquid enim damus vel facimus, temporale est et transitorium : quidquid autem recepturi sumus immortale est, et æternum : igitur mittentes semina nostra in operibus bonis, et in lacrymis, non deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes. Væ parce seminantibus ab avaritia : væ nihil seminantibus a pigritia : væ mala seminantibus a stultitia; væ bona seminantibus in perfidia. Primi parce metunt, secundi nihil metunt, tertii mala metunt, quarti etiam nihil metunt, quia semen suum perdunt. Væ, inquam, tepidis, pigris, C carnalibus, hypocritis. Sed de his alias. Sic ergo descripsit Dionysius ardorem seraphim in Deum, cum dixit : « Mobile eorum circa divina, etc. »Quod autem sequitur, incendium illorum demonstrat in proximum; de quo ad præsens mihil dicimus : quamvis hoc satis pertineat ad materiam nostram, qui de igne charitatis tractamus. Hæc autem pauca diximus, ut vel ex parte monstraremus, quomodo charitatis igne fervere debeamus. Nam ut nobis de camino illo cœlestis Jerusalem scintillas aliquas sancti fervoris verborum Dionysii malleus excutiat, sciamus nostri amoris mobile esse circa divina nostrorum puritatem affectuum, et operum, quibus ad Deum gradimur. Nam pedes nostri affe- D ctus sunt; gressus istorum pedum opera : porro incessabile hujus mobilis perseverantia in utrisque. Calidum hujus incessabilis fervor in opere, et ardentissimus zelus justitiæ, et desiderium patriæ ferventissimum. Acutum hujus calidi aut spes est ipsius desiderii, quæ per acumen suum velut anchora quædam incedit post Christum pontificem usque in interiora velaminis; aut certe excessus noster quantuluscunque in contemplatione. Hic est enim in hoc sæculo nostri amoris acumen. Nam per illum solum amando in Deum penetramus. Hujus autem acuti superfervidum, est ipsius contemplationis tam exundans gaudium in comprehensione, quam stupor inundans ex admiratione. Videtur autem mobile hic significare aptitudinem potius quam actum, ut mobile idem sit ac moveri aptum : incessabile vero privationem cessationis. Igitur mobile pertinet ad eorum subtilem et simplicem naturam, incessabile ad perfectam eorum industriam.

Porro calidum, acutum, et super fervidum tam gratiam prævenientem significant, quam subsequentem. Nam sine calido nec mobile quidem haberetur. Nullus enim motus sine calore, nec calor sine motu : sed motum calor accelerat, et calorem motus augmentat : et magnus calor facit motum velocem, et velox motus magnum calorem. Calidum ergo significat præcedentem gratiam, quæ dedit illis mobilitatem circa divina, id est naturam aptam ad appetenda divina. Incessabile vero significat liberum eorum arbitrium ab hac divina gratia nunquam recessisse. Porro acutum et superfervidum significant divinam gratiam hanc stabilitatem in eis confirmasse, ut jam nec possint esse inhabiles ad intelligendum Deum, nec parum ferventes ad diligendum; sed semper acuti sint ad penetrandum, et superfervidi ad superfervendum, id est non solum ad semper fruendum, sed etiam ad superfruendum, hoc est ad beatius quam alii, fruendum, ut summi angeli. Ut totam mensuram Domini mensuræ Dionysii comparemus, possumus dicere, amoris nostri mobiles semper circa divina versari, id est naturalem nostram aptitudinem bona appetendi, si sit incessabile, hoc est, si in bono appetitu perseveret, esse mensuram bonam. Quod si non solum motum hunc incessabiliter habeat, sed etiam perseveranter in eo caleat et ferveat; esse mensuram confertam. Si autem calidum hoc usque ad acutum penetrativæ et lætificantissimæ spei proficiat; esse mensuram coagitatam. Si vero acutum hoc usque ad excessum contemplationis superferveat, mensuram esse aliquomodo supereffluentem. Hic enim excessus dono gratiæ naturam excedit, et ideo quodammodo supereffluit. Væ illis, qui mobile semper habent circa divina, et tamen nunquam moventur circa ea. Hi sunt qui talentum intellectus a Deo percipiunt, et illud in terra abscondunt, vel in sudario involvunt; *implicantes se negotiis sæcularibus*, vel carnis operibus insudantes (*II Tim.* IV). Væ etiam eis, qui acutum habent circa divina, sed non incessabile. Hi sunt, *qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* (*Luc.* VIII). Væ etiam illis, qui incessabile habent, et calidum non habent: semper in religione conversantes, et in sua conversatione semper remissi et tepidi, nec spiritu ferventes : cum agnum paschalem non solum crudum comedere non debuerant, sed nec etiam *coctum aqua, sed tantum assum igni* (*Exod.* XII). Sunt quidam, qui hujus amoris calidum habent, et acutum non habent. Hi sunt boni simplices et illitterati, qui multum habent devotionis et dilectionis, et parum cognitionis. « Multo autem melius est, ut ait sanctus Hieronymus, rusticitatem sanctam habere,

quam scientiam vel eloquentiam peccatricem. » Hujusmodi acutum non est acutum calidi sed frigidi: non acutum ignis, sed acutum ferri, quod semper inutile jacet et inefficax, si viribus destituatur urentis, cujus quoque utilitas ipsa et efficacia sæpius assumitur in mortis ministerium, quam in auxilium salutis. Non sic acutum ignis, quod semper ex seipso utile est et efficax, non otiosum futurum, si virtutis alienæ suffragium defuerit; sed semper quod suum est sua ipsius potentia facturum. Est non solum iners, sed etiam pessimum acutum hujusmodi ingenii, si divini amoris acutum defuerit. Quid enim? Nonne jacebit hebes, et consumptum rubigine, si non quadam velut cote subjungatur studii, et exercitii assiduitate levetur? Quod si studiosa exercitatio impendatur in artibus infructuosis, et nihil sonantibus litteris, quæ inde utilitas, quod emolumentum? Omne quippe scientiæ subtilius acumen sic est tanquam arista, qua nihil subtilius, nihil inutilius. Sic etiam in liberalibus disciplinis subtilitas multa, et si non ad amorem Dei transferatur, utilitas nulla. Si quis autem se in Scripturis divinis exerceat, et ipsius Scripturæ præcepta non adimpleat, quæ illi inde salus, imo quæ non pernicies? Nunquid potentes in Scripturis, si non potentes sint et in operibus bonis, ideo non potenter tormenta patientur? Et certe isti præcipue, ut ait Jeremias, *fregerunt jugum, ruperunt vincula* (*Jerem.* v).

Quis jam vel pro scientia Scripturarum corrigitur? Quis sua scientia utitur in salutem? Imo quis ea non utitur in suam perniciem? Quem mihi reperies etiam ex divinarum Scripturarum scientiam assecutis, et litteras sacras ructantibus, qui quemlibet illitteratum et luxuriosum non magis vincat luxuria, quam litteratura? Quis ex omnibus stipendiariis Ecclesiæ militibus non magis ventri suo aut gulæ militat, quam sponso Ecclesiæ Jesu Christo, de cujus patrimonio victitat. Heu! quam raro hodie coeunt virtus et scientia? nescio quo vinculo factionis novæ libidines et litteræ sibi cohæserunt. Et hæc non minus prodigiosa, quam perniciosa societas. Quid enim illis ad istas; cum illæ virtutis bonum protestentur ut doceant: illæ vero dedoceant et detestentur? Quando tamen hoc prodigium non regnavit? A diebus antiquis philosophorum celeberrimi, non dico secrete, sed, ut ait Hieronymus, etiam publice concubinas habebant. Adhuc istud regnat prodigium, quando noctuæ de die volant, nec jam solem fugiunt bubones. Quis clericus erubescit comptus procedere in publicum? quis molli et femineo gressu incedere, imo quis mulier esse? Videas illos, quos oportuerat dare aliis exemplum humilitatis et verecundiæ, gravitatis et pœnitentiæ, ornati morosius, discriminato vertice, calamistrato crine, rasitata facie, pumicata cute, capite detecto, nudatis humeris, fluxis lacertis, insculptis brachiis, calceatis manibus, chirotecatis pedibus, fissis inguinibus. Et quid sibi adhuc desit ad formæ lenocinium; et sui ordinis et corporis injuriam tota die quæritantes ad speculum, sicque procedentes in publicum cum veste viridissima, mente sordidissima, radiantibus annulis de digito, et de animo ridentibus oculis.

Denique illam tonsuram, quam in summo vertice tanquam pro Christi stigmate gestare coguntur, ne majore circulo capillarum pexuram attenuet aut hispidet, ita in parvulum orbiculum circumcinnant, ut magis videatur signum venalis corporis, quam ordinis clericalis. Et audent isti de sanctarum Scripturarum sacrosanctis mysteriis, buccis rubentibus, inflatis faucibus, turgentes gutture, protento aqualiculo, verbis suffocatis doctrinam publice profiteri? Et quid mihi persuadebunt isti de voluntaria paupertate et abstinentia Christiana; qui asperitatem crucis, et sordes paupertatis apostolicæ tam se probant nescire, quam demonstrant contemnere? Aut quid apud impudicos rosei isti doctores, et arte, non natura formosuli, de pudicitia perorabunt: quorum impudicitiam non dico signat, sed et aperte clamat fama, facies et oculus, vultus et habitus, sermo et incessus, victus et convictus? Qui tamen et nimis ad loquendum promptuli sunt, et satis ad disputandum spinosuli, et acutuli ad discendum:

Sed si Virgilio puer, et tolerabile deesset
Hospitium, caderent omnes a crinibus

Quid quod etiam ex hujusmodi canina voluptate ingenium suum acui protestantur? Mentior, si non ego ipse a nonnullis ipsorum hoc audivi. Sed plane non legerant illud viri sapientissimi. Nihil tam mortiferum ingeniis, quam luxuria. Sed fuerit stoicus, qui hoc dixit: nunquid hanc opinionem de lutosa doctrina hauserunt alicujus porcorum de grege Epicuri? Sed et ipse voluptatis assertor Epicurus, præter facilem, quæ ex litteris capitur, voluptatem, nihil magis commendasse legitur, quam sobrietatem et continentiam, etiam ab uxore ducenda. Certe Marcus Cato ad filium sic describit oratorem. « Orator est, Marce fili, vir bonus dicendi peritus. Ite nunc, inquit Seneca, et in istis fluxis atque expositis, et nunquam nisi in turpitudine viris quærite oratorem. » Ite, et in eisdem quærite theologos et prædicatores. An forte ad oratorem in curia pertinet, esse virum bonum, et ad oratorem in Ecclesia virum libidinosum? Hujusmodi libidinosis theologis prædicatoribus hæc inclamat Dominus: *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum* (*Psal.* XLIX). Væ pueris et adolescentibus, qui hujusmodi præceptoribus traduntur, a quibus ante omnis honestas dediscenda est, quam una littera perdiscenda. Non sic Plinius ad quemdam de filio suo. « Trades, inquit, illum præceptori ad mores primum, deinde eloquentiam discat, quæ male sine moribus discitur. » Et Quintilianus Plinii hujus præceptor scholaribus dicit cavendum esse non solum a turpitudinis crimine, sed etiam a criminis suspicione. Quamobrem ado-

lescentes in schola permistos discere pueris nequaquam permittebat. Nunc autem probro impudicitiæ tam humanis quam divinis condemnato legibus, et ubique jam pudicitiæ titulo per Filium Virginis coruscante; nescio tamen quo pacto velut contra eum conjuratione facta libidines et vitia fœdus iniere: adeo ut apud plerosque jam versum sit in regulam, acuti sensus hominem vix posse fieri continentem. Ecce quam periculosum est, nos acutos esse, et calidos non inveniri, id est astutos in malo, et non ferventes in bono, juxta illud: *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem agere nesciunt* (*Jerem.* IV): Et Dominus in Evangelio: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sunt* (*Luc.* XVI). Sunt enim multi hodie diserti adversus justitiam, B et eruditi pro falsitate: sapientes ut faciant mala; eloquentes, ut impugnent verum. Hi sunt, qui juris civilis et ecclesiastici captiosam scientiam in piscationis et aucupii artificium converterunt; quorum perplexis retibus pauperes illaqueant, et divites inescant. Et hæc de acuto astutiæ. Et quoniam supra diximus, naturalis ingenii donum significari per mobile, melius est, ut dicatur per acutum frigidi timorem et reverentiam designari. Quod enim frigus acutum sit, ex illo patet:

Gelidusque coit formidine sanguis.

Et Propheta: *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII). Igitur acutum timoris habere sine acuto calidi periculosum est, imo perniciosissimum; quia timere sine spe nil aliud est, quam desperare. Acu- C tum enim timoris semper quasi deorsum respicit: acutum amoris semper sursum tendit, quia acutum ignis est. Timore respicit ad judicium, spes ad misericordiam. Nisi ergo acutum spei, quod sursum tendit, acutum timoris, quod deorsum respicit, secum trahat; necesse est ut acutum timoris animum peccatoris deorsum figat, et ita desperatione opprimat. Quamvis autem aliquis sperare possit, qui non diligit, tamen acutum spei nemo qui non diligit potest habere. Hoc enim acutum nunquam procedit, nisi ex calido fervoris. Ergo ne acutum timoris prævaleat, cantemus Domino misericordiam; et ne spes inaniter præsumat, judicium Domini cogitemus. Et hæc dicta sint de acuto. Porro superfervidum ha- D bent, et acutum non habent, qui ferventes hoc sæculo, nec spem habent in Domino, nec timorem de inferno. Tale quippe gaudium superfervidum dici potest, id est superflue et inaniter in stultorum cordibus effervescens. Nobis autem dicitur: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit* (*Joan.* XVI): sed statim sequitur consolatio, cum subditur: *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium* (*ibid.*). Aufer a me, Domine, inane gaudium, et sæculare; ut ad illud cœleste, securum, et solidum, et vere superfervidum tandem aliquando perveniam; et videam oculis meis illud seraphicum mobile, mobile semper circa te, et in- A cessabile, et calidum, et acutum, et superfervidum. Et da mihi interim mobile ad quærendum, et acutum ad feliciter inveniendum; et superfervidum ad æternaliter inhærendum. Amen.

SERMO XIX

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS, I.

Audite me, divini fructus: et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate (*Eccli.* XXXIX). A bono duplici rosa commendari solet, a pulchritudine et utilitate. Pulchritudo in duobus attenditur, in colore et forma. Roseus color tunc est eximius, cum folia flammeam ruboris accenduntur ad gratiam: excepto quod inferius juxta foliorum radices paululum quid subtilissimi, et subobscuri candoris interlucet: quod ipsum tamen 5 breves et virides folliculi superius acuminati, velut quædam pyramides exstructæ forinsecus muniendo occultent. Forma vero rosæ tunc exactissimi decoris est, quando eadem folia non omnino clausa videri refugiunt, nec languida resupinatione lacescunt; sed ita temperate papillati corymbi circumpansa globositas rigiditate mascula se diffundit et erigit: ut calathi labellula castigato ridentia osculum a superis expetere videantur. Ideo vero calathus quo majore numero stipatur foliorum eo magis accedit ad oculorum gloriam, et aspectus illecebram numero lenocinante succressit. Hæc materialis pulchritudo rosæ: nunc de mystica videamus. Candor ille subtilis juxta radices foliorum rosæ, est perpetua cordis munditia in Maria virgine ab ipsa, ut ita dixerim, nativitate affectuum, tanquam e radicibus foliorum procedens, quinaria sensuum corporeorum custodia foris inexpugnabili munimento tegens et protegens quam semper integram perfectissime custodivit, et usque ad perennis impeccantiæ puritatem provexit. Ideoque adeo subtilis est, et subobscura, ut usque hodie a nonnullis nostrorum temporum theologis nec videri, nec intelligi, nec credi possit; perverse intelligentibus auctoritatem Augustini, qui hanc evidenter asserit, dicens (42): « Quando de peccatis agitur, de B. Maria matre Domini, propter honorem Domini, nullam prorsus volo fieri quæstionem. » Et quasi ab eo quæreret quis, quare hoc diceret, reddit rationem, dicens: « Inde enim scimus plus illi collatum gratiæ, ad vincendum ex omni parte peccatum, quod illum concipere meruit, qui nullum potest habere peccatum. » Quoties, inquit, de peccatis agitur, id est sive agatur de peccatis juvenum, sive senum, sive de peccatis adolescentium vel puerorum, sive de peccatis infantium vel de matre nascentium, de cujuscunque ætatis humanæ peccatis agatur, semper excipienda est Maria. Si autem proprium aliquod habuit, non ergo ex omni parte peccatum vicit. Sed peccatum ex omni parte vicit. Ergo proprium nunquam habuit peccatum.

Quid manifestius dici potuit? Et tamen nostri theologi somniant Augustinum hoc intellexisse ab

(42) *Liber de nat. et grat*, c. 20.

illo tempore, quo beata Maria Dominum concepit. Sed beatus Bernardus hoc verius et melius intellexit, dicens (43): « Absit, ut domus Virginis proprii inquinamenti aliquando aliquid habuisse credatur! » Et addit: « Quod si a parentibus originalem traxit maculam, minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut minus a S. Joanne Spiritu sancto repletam, credere prohibet pietas Christiana. » Quibus magis credendum est, Augustino et Bernardo viris sanctitatis et scientiæ plenis, doctoribus Ecclesiæ nobilissimis, an præceptoribus modernis? Ideo non mihi placet illa sententia, quam Petrus Lombardus in suis *Sententiis* ponit, dicens (44): « Caro Christi obligata fuit peccato semper, antequam Verbo uniretur, sicut et reliqua Virginis caro. » Hiccine est honor quem Augustinus jubet Matri Dei deferri, ut cum de peccatis agitur, nullam de ea habeamus quæstionem? Ego igitur firmissime credo, et nullatenus dubito, et confidenter dico, quod Scriptura sancta Mariam matrem Domini nequaquam comprehendit. Scriptum est enim: *Qui natus est ex Deo, non peccat* (*I Joan.* III), subaudi, ait beatus Hieronymus, quandiu semen Dei manet in eo. Semen autem, quod est Spiritus sanctus, semper mansit in Maria a prima sua sanctificatione, non in eodem gradu sanctitatis eam conservans, sed semper magis ac magis eam sanctificans. Ideo in Canticis dicta est progredi nascendo, scilicet quasi aurora consurgens, cujus claritas nunquam minuitur a primo ortu suo, sed semper crescit. Maria igitur sicut sancta, et sine peccato nata est, ita semper sancta, et sine peccato permansit, et semper in sanctitate profecit et claritate. Cui ergo peccato obligata erat caro Christi, antequam a Verbo assumeretur, aut reliqua Virginis caro? Omne peccatum aut originale est, aut actuale. Originale jam dimissum erat, actuale nullum commiserat, semine Dei, id est Spiritu sancto in ea permanente, et eam sanctam conservante. Quomodo enim templum illud deserere poterat, quod semel usibus divinis dedicaverat? Ideo Spiritus sanctus dicitur in eam supervenisse ad implendam conceptionem Verbi, quasi qui nunquam prius ab ea discesserit, semper in ea manendo custodierit immunem a peccato, et in sanctitatis profectu abundare fecerit. Tunc autem abundantius in eam venit, quam in aliquem unquam sanctorum. Hieronymus in libro *Dial.* 3 contra Pelagianos: « Hoc et nos dicimus posse hominem esse sine peccato, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus, quandiu nulla chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quod si paululum se remiserit, quomodo qui adverso flumine lembum trahit; si remittat manus, statim retro labitur, et fluentibus aquis, quo non vult ducitur. Sic humana conditio, si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, et multa se non posse cognoscit. » Secundum hanc similitudinem Hieronymi, dico gratiam Spiritus sancti semper cor Mariæ intentum, tenuisse, et quasi lembum adverso flumine traxisse: ita ut quod non poterat ex natura, posset ex gratia.

Quod igitur dicit postea Hieronymus: « Perpetuitatem impeccantiæ soli Deo reservare debemus, » verum est. Solus enim hoc potest, qui per se potest sine alterius auxilio. Quod autem Maria hoc potuit, non de se, sed ex gratia conservante potuit. Nam, ut ait Hieronymus in eodem libro: « Quidquid ex alterius pendet arbitrio, non ejus est, quem posse contendis, sed illius, sine quo esse non potest. » Ergone impossibile fuit Dei Verbo, ut carnem quam de Virgine sumpturus erat, ab omni peccato prius mundare non valeret, quam illam assumeret? Aut forte volebat, sed non valebat? Eadem vero quæstio est; de reliqua carne Virginis, quam totam usque ad illud tempus dicunt fuisse obligatam peccato. Ubi est ergo illa Domini sententia: *Honora patrem tuum et matrem?* (*Exod.* xx.) Neque enim illam honoravit ut debuit; si eam ex quo potuit, non a peccato mundavit; ex qua ille in carne et anima homo esse inciperet. Quid igitur fecerat Spiritus sanctus, quando eam sanctificaverat in utero? An forte sanctificarat eam ex parte, non ex toto? Id est in anima sola, non in carne? Sed quid absurdius? Restat ergo ut ex tunc tota sanctificata sit in carne et anima. Ergo ex tunc caro illius desiit esse obligata peccato.

Sed dicunt, quod etiam Jeremias et Joannes in utero sanctificati sunt, et tamen postea utriusque caro fuit obligata peccato. Quæ comparatio utriusque ad Mariam, ad Dominam! Ergone Spiritus sanctus æqualem gratiam credendus est dedisse illis, et isti? Absit! *Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* (*Psal.* LXXXVIII.) Idem dici potest de Maria: *Quis in nubibus æquabitur Dominæ*, matri Regis angelorum? Non dico jam existenti matri, sed adhuc futuræ; quæ ab æterno prædestinata fuit velut in conjugem patris spirituum, ut communem cum illo haberet filium et esset mater Filii Dei, sacrarium Spiritus sancti, templum totius Trinitatis, propria domus sapientiæ, sicut scriptum est: *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX). Sapientia sapienter semper agit, ut ait Hieronymus, semper igitur domum suam mundam conservavit. Quis enim sapiens domum sibi ædificans ad habitandum, ab ipso ædificationis initio non velit eam, si possit, omni carere vitio? Certe sicut dignum fuit beatam Mariam post conceptionem semper mundam ab omni peccato manere, quia mundatorem mundi conceperat, ita dignum fuit, eam etiam ante conceptionem filii semper mundam ab omni peccato manere, ut tali conceptione digna fieret. In libro Regum legitur (III, VI), quod dum domus Dei ædificaretur, malleus et securis non sunt audita in ea. In hoc autem loco

(43) Serm. 4 *in Assumptione*.

(44) *In* 3 *sent.*, dist. 3

præter sensum historicum de domo lapidea, et anagogicum de peregrinante Ecclesia in cœlum sublevanda, tertius est allegoricus de Virgine Maria, quæ dum ædificata est in domum Dei, per totum scilicet tempus, quo nutrita est a Spiritu sancto ante conceptionem Domini, non sunt audita in ea humanis auribus vel angelicis vel divinis, malleus et securis, peccata scilicet actionis et cogitationis. Per malleum enim quo percutimus exterius, peccatum intelligitur externum operis, quo locutio etiam comprehenditur; per securim, quæ etiam posita est ad radicem arboris, id est ad intentionem cordis, peccatum intelligitur cogitationis, quæ semper est radix pravæ actionis. Unde Isaias (*Cap.* I): *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Igitur dum ædificaretur domus Dei Maria, id est dum adhuc præpararetur, ut in ea non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter habitaret Deus homo, in ea, et ex ea factus, non sunt audita in ea malleus et securis; quia in toto illo spatio quo ædificata est hæc virgo in domum sublimissimam super cœlos omnes collocandam, in ea post primam sanctificationem quam accepit in utero matris suæ peccatum non fuit, nec exterius nec interius.

Sapientia itaque in ædificanda domo sua nullum opus insipientiæ reliquit. Quod est autem opus insipientiæ, nisi peccatum? Ideo etiam sapientia excidit columnas septem, id est omnis spiritualis gratiæ necessarium fulcimentum in ea posuit, ad cavendum omne peccatum et ad augendam omnem virtutem. Cujus ergo vitio subjectos dicemus parietes hujus domus post primam sanctificationem; id est cui peccato obligatum hujus sanctissimæ Virginis corpus? Deus bone! cui peccato obligata esse potuit caro hujus Virginis, quam ab æterno in matrem elegeras: quam in matris utero totam sanctificaveras, et Spiritu sancto plusquam Joannem præcursorem tuum repleveras? Quam antequam ex ea et in ea carnem assumeres, tuo sancto Spiritu semper foveras et nutrieras: quam in benedictionibus dulcedinis totam sic præveneras, quam cœlestibus disciplinis totam sic instruxeras, quam auro pudicitiæ et omnis sapientiæ spiritualis intus et exterius totam sic ornaveras, quam thesauro humilitatis totam sic repleveras? Qua igitur ex parte intrare potuit peccatum in hortum sic conclusum, in fontem sic signatum? Neque enim propter solam pudicitiam vocata est hortus conclusus, vel fons signatus, aut porta clausa: sed propter perfectam sanctitatis et justitiæ custodiam, et propter carentiam omnis offensionis, qua ita custoditum est corpus ejus et cor ejus omni custodia: ut ex nulla unquam parte intrare potuerit in eam peccati macula, a tempore primæ sanctificationis ejus. Unde antonomastice formosa in Canticis appellatur. Nam, ut ait orator egregius: Non est formosa, cujus crus laudatur aut brachium; sed illa, cujus facies universa admirationem singulis partibus abstulit. Hanc perfectionem, et perennem cordis corporisque custodiam significant illi quinque folliculi, ab inferiori parte rosam circumstantes, in formam pyramidum figurati, sicut in Canticis in laudem ejus dicitur: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Per collum quippe caput unitur corpori, et idem collum et tale pulchre Mariam significat, quæ post Christum qui est caput ejusdem corporis, quod est Ecclesia, eminentissimum membrum est, et mediatrix nostra, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere: per quam Christus factus est mediator Dei et hominum. Et quam convenienter collum illud turri eburneæ comparatur! Tale namque collum tali capiti congruebat, quod portat omnia verbo virtutis suæ: cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, in quem desiderant semper angeli prospicere. Sicut enim de isto capite scriptum est, *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est fortitudinem* (*Psal.* XCII): sic et de collo, *Fortitudo et decor indumentum ejus* (*Prov.* XXXI). Hæc enim mulier fortis inventu quidem difficilis, sed tamen aliquando tandem inventa est, tam fortis ut semper de hostibus, mulier de fortissimis, sola de innumeris triumpharit: tam pulchra, ut nec maculam, nec rugam peccati aliquando habuerit: et ideo totius pulchritudinis auctor singulariter eam dilexit.

Bene ergo dicitur turris eburnea virgo prudentissima, mulier pulcherrima simul et fortissima: sublimis voto, præcelsa merito, fortis proposito, recta consilio, erecta desiderio, inexpugnabilis inimico, virginitate candida, affectione munda, puritate solida, zelo castitatis armata, proposita omnibus in exemplum sanctimoniæ, superposita cunctis in refugium misericordiæ, circumposita singulis in præsidium pugnæ, reposita universis certantibus in præmium coronæ. Sane tali ædificio nil speciosius, nil pretiosius propter candorem eboris; nil fortius, nil utilius, propter munimen turris. Ab ipsa quidem nativitate sua in turrim eburneam ædificata est: sed subinde semper in altum crevit, donec in cœlum ascendit, et ad illum statum pervenit, quo ulterius ascendere nequivit. Idem ergo significant illæ quinque pyramides rosæ, quod fortitudo hujus turris eburneæ, id est Mariam ab omni peccato immunem. Denique altior peccati victoria non est, quam peccato resistere usque ad sanguinem: quam perfectionem multi sancti utriusque sexus et ætatis omnis habuerunt etiam pueri et infantes. Septem Machabæi fratres sub Antiochio Epiphane passi sunt: septem quoque filii S. Felicitatis in pueritia. B. Agnes anno ætatis decimo tertio, Eulalia duodecimo, Justus et Pantaleo anno nono, Tryphon anno septimo, ut alios plurimos mittam. Cum ergo certum sit de ætatibus inferioribus, de quibus minus credibile videbatur, non defuisse pueros et puellas, qui a Deo tantam gratiam perceperint, ut pro amore ejus sanguinem suum fuderint, qua altior peccati victoria esse non potest; quantum credenda

est hæc beatissima et singularis Virgo in illis omnibus prioribus annis jam a Deo percepisse : quæ quantamcunque alii perceperint, altiorem omnibus percipere meruit, et sine dubio percepit, alioqui quomodo mereretur mater illius fieri, cujus esse servum, est omne sanctitatis meritum ?

Necesse est igitur ut in quolibet tempore vitæ suæ sanctior, et melior, et perfectior, et purior fuerit omnibus suis coætaneis non solum sibi conviventibus, sed etiam eis qui ante illam fuerant, vel post futuri erant. Si ergo ab illo die, quo nascitur homo super terram, usque ad illum diem quo B. Maria concepit Dominum, inveniuntur in utroque sexu, qui peccato restiterunt usque ad sanguinem, qua victoria major esse non potest, et certum est B. Mariam quolibet die usque ad illum concepit Dominum, fortius vicisse peccatum, quam quemlibet alium : profecto irrefragabili ratione monstratur semper eam perfectissime peccatum vicisse. Ergo toto illo tempore sine peccato proprio fuit. Ab alieno autem, si unquam habuerat, jam mundata erat. Cui ergo peccato sanctissima illius caro obligata erat ? Sicut ergo infantes baptizati aliquanto tempore sunt sine peccato, ita beata Virgo omni tempore fuit sine peccato, et quod natura non potuit, gratia potuit. Nonne S. Nicolaus in infantia per gratiam et non per naturam, quarta et sexta feria semel sugebat ubera ? Nonne S. Joannes in utero exsultavit materno ad salutationem Virginis Mariæ Spiritu sancto repletus ? Si ergo ipse Spiritus sanctus tam abundanter supervenit in Mariam, ut salutatio matrem et filium ejus eodem Spiritu repleret : quam abundantius putandum est, eumdem Spiritum prius in eam venisse, cum adhuc ipsa esset in utero matris suæ ! Joannes infans jam sex mensium erat, quando Spiritu sancto repletus est. Credendum est igitur Mariam prius et amplius quam Joannem repletam fuisse Spiritu sancto. Certe quando eam Gabriel salutabat dicens : *Ave, gratia plena*, jam sine omni peccato erat. Neque enim posset esse gratia plena, nisi esset omni peccato vacua. Nam etsi alii sancti leguntur Spiritu sancto pleni fuisse, qui tamen non fuerunt penitus sine peccato, dicente Jacobo : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III); et Joanne : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus* (*I Joan.* I). Jam diximus Mariam, teste Augustino (45), quoties de peccato agitur, semper excipiendam.

Sed nec omnes plenitudines æquales sunt : non enim omnia vasa sunt ejusdem capacitatis. Spiritus sanctus sua gratia diversos replet, sed diverso modo : sic enim sunt animæ sanctorum, sicut diversa vasa, alia aliis capaciora. Cum ergo dicitur aliquis repleri Spiritu sancto, vel gratia Dei, intelligendum est, secundum suam capacitatem, non secundum absolutam mensuræ plenitudinem. Porro inter omnes spiritus creatos tam angelorum quam hominum, excepta anima Christi, nullus unquam adeo capabilis fuit plenitudinis divinæ gratiæ, ut anima beatæ Mariæ. Nullus ergo tam plenus fuit gratia, ut illa. Denique cum sancti dicuntur repleri Spiritu sancto, intelligenda est repletio illa non continua, sed interrupta. Accedit enim Spiritus sanctus ad adjuvandum nos, et recedit aliquando ad probandum. Propter quod et David orabat dicens : *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L); et alibi : *Non me derelinquas usquequaque* (*Psal.* CXVIII). At vero beatam Mariam credendum est repletam fuisse divina gratia, non per intervalla, sed continue; non tamen æquali semper plenitudine, sed secundum profectum ætatis; semper crescente in ea plenitudine gratiæ, ut semper seipsa fieret melior : sicut de David legitur, quod semper proficiebat, et fiebat seipso robustior. Non autem simili proportione mansit super eam, sicut super Dominum : sed eatenus super eam mansit Spiritus sanctus, ut eam interius ex exterius semper sanctificaverit, et sanctam conservaverit, ut ex nulla parte in eam peccatum deinceps intrare potuerit. Quamvis ergo semper fuerit perfecta secundum tempus : erat tamen de die in diem seipsa perfectior. Non enim semper æqualiter perfecta fuit : sed id soli Christo convenit, qui simul viator et comprehensor, semper æqualem perfectionem habuit ; tam perfectus in utero matris, quam in patibulo crucis, juxta illud vaticinium Jeremiæ : *Novum faciet Dominus super terram : femina circumdabit virum* (*Jerem.* XXXI). Vir enim ideo appellatus est adhuc inclusus utero concludentis Virginis ; quia tantæ perfectionis ibi fuit quantæ post circumdatus a Synagoga. Ex quo enim requievit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, etc., quod in conceptione factum est, mox in tanto culmine perfectionis stetit, ut nec ab eo cadere, aut in majus posset ascendere : nec profectum cuperet, nec defectum timeret. At Maria semper profecit, sicut aurora consurgens ; et de prima sua sanctificatione nunquam perdidit, nec post illam peccati labem in anima vel carne contraxit, sicut beatus Bernardus veraciter affirmat. Et hoc significat ille subtilissimus et subobscurus candor inferius latitans juxta radices foliorum rosæ; ut diximus, viridi, et corvo pyramidum quinario ad externam custodiam circumtectus. Nunquam enim interius conservari potest cor in sua custodia, nisi vigilet exterius sensuum corporalium custodia. Nam, ut propheta plangit, mors intrat per fenestras nostras. Unde Isaias : *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem ; et claudit oculos suos, ne videat malum ; iste in excelsis habitabit* (*Isai.* XXXIII).

Nunc ad colorem roseum transeamus. Roseus color tria significat in Maria, verecundiæ ruborem, charitatis ardorem, justitiæ zelum : quarum prima verecundia interno inspectori displicere timens,

(45) *Lib. de nat. et grat.*

semper et ubique ab omni malo perfectissime declinavit; secunda in charitate humanarum animarum æterno amatori placere cupiens, semper et ubique bonum facere studuit: tertia summo cognitori se sistendam cognoscens, semper et ubique peccato restitit, et peccantem libere et discrete arguit, prout pudorem decebat virgineum: paratissima, si necesse esset, suum sanguinem fundere, et pro defensione justitiæ animam ponere. Hoc triplici studio Maria semper ad Scripturæ speculum, et conscientiæ testimonium se depinxit, facta proinde præcunctis mortalibus speciosa et suavis in deliciis suis, et Deo et angelis gratiosa. Propter verecundiam semper solitudinem diligebat; propter charitatis ardorem semper orationi instabat; propter justitiæ zelum cum adhuc educaretur in templo puellula, ut in libro de nativitate ejus legitur, observabat, ne sociæ suæ virgines vel in sermone peccarent. Quælibet harum trium virtutum perfectionem continet; et qui unam habet, tres habet. Nam verecundia, ut ait Augustinus, nihil aliud est, nisi quidam displicendi metus. Quid est autem metus displicendi, nisi metus delinquendi, et Deum offendendi? Verecundia sæcularium timet displicere hominibus, verecundia sanctorum Deum magis veretur, quam hominem, conscientiam plusquam famam: neutram tamen negligit, sed utramque intendit. Verecundia ista sic in specie potest definiri. Verecundia est verens conditori displicere, et vere concupiscens placere conscientia. Hic est timor Domini justus, permanens in sæculum sæculi, omnes continens virtutes. Nam per timorem Domini declinat omnis a malo, qui est effectus verecundiæ: et qui timet Deum, faciet bona, qui est effectus charitatis: nam probatio dilectionis, exhibitio est operis; et qui timet Deum, nihil negligit, id est nec magna, nec minima; nec quæ oportet facere, nec quæ oportet omittere; et hic est effectus zelantis justitiæ. In sola verecundia laudabili, sicut in charitate, omnis lex vetus et nova concluditur, omnis doctrina sacra continetur, omne mandatum divinum absolvitur, omnis justitia perficitur: et ut paucis omnia concludam, verecundia est virtus, in qua consistit omnis animæ pulchritudo, tanquam rosarum rubor, liliorum candor, violarum purpura, crystalli perspicuitas, sapphiri serenitas, smaragdi viror, margaritæ speciositas, topazii superbia, carbunculi lucerna. Quid hic dicent nigerrimi quidam verecundiæ professores in sermone, destructores in opere, inverecundi ad turpia, impavidi ad pericula, inhumani ad humana, ad peccandum frontosi, ad pœnitendum pigri, ad fallendum vulpes, ad detrahendum canes, ad lasciviendum equi? Hæc de colore rosæ.

Forma vero ejusdem floris fusa in orbiculum angustioris calathi, et in signum regalis fastigii, quod super flores universos obtinet naturali diademate circumfulgens, manifeste significat Mariam virginem regali ortam prosapia, et ab æterno prælectam, ut Regem cœli pareret, et ut regina cœlorum vocaretur et esset. Sic enim rosa pulcherrima florum, sic Maria pulcherrima mulierum. Et quoniam inter omnes feminas obtinuit coronam singularem perfectæ pulchritudinis, inter universas quoque obtinere debuit ornamentum regiæ dignitatis, moraliter quoque circulus rosæ significat rotunditatem perfectæ castimoniæ, et immobilem in omni sanctitate perseverantiam. Nihil habet de rosæ circulo justus avertens sed a justitia sua, describens alpha sine omega, et caput offerens sine cauda. Omnis enim laus in fine canitur; et omnis agonizans non de pugna, sed de victoria coronatur. Vel certe roseus color præsentis vitæ meritum, id est justitiam et sanctitatem significat. Formæ vero coronula futuræ vitæ præmium, id est coronam justitiæ designat; ad quam nos invitat ista rosa, cum dicit: *Audite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate* (*Eccli.* XXXIX). Vox est Sapientiæ in persona Mariæ. Prius autem dixerat, *Quasi palma exaltata sum in Cades; et quasi plantatio rosæ in Jericho* (*Eccli.* XXIV). Maria non immerito rosa dicitur, et plantatio rosæ. Rosa, martyr et Virgo fuit; cujus tota vita martyrium, et perpetuæ castitatis exemplum. Imo plusquam virgo, et plusquam martyr. Plusquam virgo, quia mater fecunda: virgo concipiens, et virgo pariens; plusquam martyr, quia non in carne, sed in mente passa est in carne filii sui, non corporaliter, sed mentaliter; quod fuit ei acerbius martyrium, quam corporale. Plantatio rosæ fuit, quia rosam genuit et florem mundi Christum, qui dicit: *Ego flos campi*; et vere rosam, id est virginem et martyrem, virginum et martyrum regem. Ait ergo: *Audite me, divini fructus.* O vos, mentes electorum, quas divina gratia per me regeneravit, quas arbor vitæ de paradiso ventris mei producta sibi dignanter incorporavit, et ad suæ crucis brachia suspendit, audite me, seu obaudite (ut vera littera habet), id est mihi semper et in omnibus obedite. Audite me ut matrem, ut magistram, ut reginam: quæ sicut mater diligo, sicut magistra doceo, sicut regina jubeo, et obedientes mihi regina mundi honoro et extollo: audite me, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate; id est bene vivendo facite dignos fructus martyrii. Bene namque vivere, ut ait S. Bernardus (46), est bona agere, et mala tolerare. Fructificate ut rosa, id est sicut ego, plantata super rivos aquarum, id est nutrita semper in plenitudine gratiarum; et nunc tandem exaltata super choros angelorum. Nam et vos estis sicut rosæ plantatæ super rivos aquarum; quia translati de potestate tenebrarum in regnum Filii Dei, complantati facti estis similitudini mortis ejus, quando consepulti fuistis, cum illo per baptismum in mortem. Per

(46) *Serm. in festo Apostol.*

baptismum dico Christi sanguine rubricantem: et A ideo omnes animæ sic plantatæ fructificare debent ut rosæ; quia septiformem gratiam Spiritus sancti in fonte baptismatis perceperunt; sanctificatæ in utero matris suæ Annæ, quæ interpretatur gratia, Fructificate ut rosa. Quomodo fructificat rosa? Quis est iste fructus rosæ? Fructus rosæ hoc loco nil aliud est, quam id, propter quod rosa prodesse potest, vel placere, id est color, odor, sapor et medicina. Color pulcherrimus, odor suavissimus, sapor optimus, medicina efficacissima. In colore conversatio, in odore opinio, in sapore intentio simul et devotio, in medicina eruditio designatur. Cujus ergo conversatio irreprehensibilis est: cujus opinio laudabilis, cujus intentio casta, devotio continua, cujus eruditio utilis et efficax, salutaris et dulcis, B ille vere fructificat ut rosa. Ad primum nos invitat Apostolus dicens: *Ab omni specie mala abstinete vos* (*I Thessal.* v). Ad secundum qui dicit: *Curam habe de bono nomine, melius est enim nomen bonum, quam unguenta pretiosa* (*Eccli.* xiv). Ad tertium Christus dicens: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* v). Item: *In omni sacrificio Domini offeres sal* (*Levit.* ii), id est devotionis saporem cum reverentia timoris permixtum. Ad quartum, qui dicit: *Qui audit, dicat: Veni* (*Apoc. ult.*), id est qui jam obedit, alios ad obedientiam adhortetur. Illud autem in rosa præcipuum est, quod semper fructificat inter spinas. Ibi enim fructificat, ubi crescit et nascitur, id est inter spinas; C non ubi jam collecta reponitur, id est inter rosas. In hoc mundo, tanquam in magno quodam rosario nec rosæ sine spinis sunt, nec spinæ sine rosis. Frutex utrasque generans tribulatio est, quæ patientiam ad spinarum tolerantiam, patientia vero spem ad rosarum fragrantiam operatur. In cordis nostri frutice semper flores rosarum spinarum aculeos superare debent, quod in omni rosario faciunt. Quidam habent spinas sine floribus, id est tribulationem sine consolatione; quidam flores sine spinis, et hoc dupliciter, in bonum, vel in malum. In bonum electi, quibus omnia amara propter Christum dulcia sunt. In malum illi, qui ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Quidam flores et spinas habent, qui dicunt: *Secundum* D *multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* xciii). Multi quoque voluptuose viventes hæc habent, quia juxta poetam

Nulla est sincera voluptas.

Unde addit:

Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

Quidam neutrum habent; qui scilicet sicut vitula Ephraim docta diligere trituram: quibus etiam tribulationes immixtæ peccatis dulces sunt: quibus sensus ex usu occalluit. In hac igitur quadripertita distinctione nomine spinæ intelligitur tribulatio, nomine rosæ consolatio qualiscunque, sive carnalis, sive spiritualis. Carnalis propter brevis temporis pulchritudinem, spiritualis propter odorem simul et saporem, et locum spinis super eminentem. Sed melius per spinas et rosas in hoc loco peccatorum et justorum personas accipimus. Igitur secundum hunc sensum non sunt spinæ sine rosis, nisi in inferno. Hic enim spinæ colliguntur, in inferno autem comburuntur. Non sunt rosæ sine spinis, nisi in cœlo. Hic enim colliguntur, ibi reponuntur. In hac autem mortali vita, quæ plena est scandalis, in hac terra maledicta, quæ germinat spinas et tribulos, necesse est spinas rosis, et rosas spinis misceri; quia, sicut ait Hieronymus, in omni conditione et sexu mista sunt optimis pessima. Sicut ergo voluptates doloribus, et virtutes vitiis, sic justi peccatoribus, tanquam grana paleis admiscentur in horreo, et tanquam triticum zizaniis in agro. Sinite utraque crescere usque ad messem, et usque ad ventilationem falce messoria, et ventilabro judiciario discernentem. Igitur in diversis collegiis invenire est, secundum diversos mores hominum, duo spinarum genera, et totidem rosarum. Est enim spiritus inter spinas, malus inter malos. Spina inter rosas, est malus inter bonos, Satan inter angelos, Judas inter apostolos. Et rosa inter rosas bonus inter malos; quasi Noe inter gigantes, Lot inter Sodomitas, et generaliter omnes discipuli Christi missi ab eo sicut agni inter lupos. Esse spinam inter spinas valde malum est: esse spinam inter rosas pessimum. Esse rosam inter rosas magnum bonum est; sed rosam inter spinas optimum; istud enim est consummatæ virtutis et laudis eximiæ. Igitur spinæ nostræ nec penitus extirpandæ sunt, quia rosas generant, probant et commendant; nec charius amplectendæ, quia pungunt et lacerant, et quod miserrimum est, ignem exspectant .....

Cætera desunt

SERMO XX

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ, II.

Mulierem fortem quis inveniet? (*Prov.* xxxi.) Revera res est inventu difficilis mulier fortis. Nimirum cum mulier dicatur a mollitie, fortis a fortitudine. Unde videtur quasi oppositio in adjecto fortitudo in muliere. Sed non omnis mollities contraria est fortitudini; nec omnis fortitudo contraria mollitiei. Est enim mollities a fortitudine deficiens, et est mollities virtuti conveniens; et est mollities indifferens, ad utrumque se habens. Est mollities reproba, et est mollities approbanda, et est mollities neutra. Prima dicitur mollities vitæ, secunda gratiæ, tertia naturæ. De prima est illud Satyrici.

Sunt et mollis quoque tædia vitæ
Magna, voluptates commendat rarior usus.

De secunda est illud viri sancti: *Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me.* (*Job* xxiii.) De tertia illud Isidori: « Mulier dicitur a mollitie, quasi mollier (47). » Prima mollities in tribus

(47) Isid. in lib. *Etymolog.*

comprehenditur, in quibus et reprehenditur, in mollitie vestimentorum, vocum, gestuum. Primam reprehendit Dominus indirecte ubi laudat Joannem de veste dura et aspera. Laus enim vestis asperæ, mollis est vituperium. *Quid*, inquit, *existis in desertum videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* XI). Magna regiarum domorum suggillatio, quod molles nutriunt, quod mollitiem docent, quod asperitatem vitæ ignorant. Unde sapiens quidam: *In magnis involumentis et curis nutritus sum. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium* (*Sap.* VII). Secundam reprehendit Salomon dicens: *Ut eruaris a muliere aliena, et ab extranea; quæ mollit sermones suos* (*Prov.* II). Et Psalmista: *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula.* (*Psal.* LIV). Nihil enim ad audiendum mollius, aut penetrantius ad placendum, quam adulantis blanditiæ. Habent enim hoc in se naturale, sicut ait Seneca, quod etiam cum non recipiuntur, placent. Oleum hoc non impinguet caput meum. Hæc sunt illa mollia vestimenta, quibus Joannes mystice non fuit vestitus; quia neminem palpavit, peccantes acerrime reprehendit, nesciens vel regi parcere delinquenti. Væ domibus divitum, quæ talibus mollitiis abundant. Hæc est enim pessima divitum pauperies, quod non invenit dives, qui sibi verum dicat. De tertia mollitie quæ est in gestu vel actu, notatur in libro Saturnalium Quintus Hortensius, vir ex professo mollis, et ad speculum se componens. Ad hanc etiam referendum, quidquid pertinet ad usum dissolutioris vitæ, ut est ludus, jocus, torpor et somnolentia, mollis incessus, et habitus compositus, et alia: tactus etiam petulans, a quo dicti sunt molles, quos Apostolus conjungit masculorum concubitoribus, et a regno Dei se jungit. (*I Cor.* VI.) Mollities gratiæ trifariam dividitur; in timorem judicii, in compassionem proximi, in devotionem amoris Dei. De prima est illud: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Item: *Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me* (*Job* IX, XXIII). *Beatus enim homo qui semper est pavidus, qui autem mentis est duræ corruet malum* (*Prov.* XXVIII), ut ait Salomon. De secunda mollitie dicitur in laudem Augusti.

Scilicet ut per vim non est superabilis ulli,
Mollis et ad timidos sic habet ille preces

Hac plenus erat, qui dicebat: *Ab initio crevit mecum misericordia, et de utero egressa est mecum* (*Job* XXXI). *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, ait Dominus (*Matth.* V). In descriptione iniquitatis Sodomæ quasi gravissimum peccatum ponitur, quod manum suam egeno et pauperi non porrigebat (*Ezech.* XVI). De tertia mollitie scriptum est in Canticis: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est: quæsivi*, etc. (*Cant.* V). O quanta verbi violentia, per quam sic anima liquefacta est! Velox verbi transitus, sed violentiæ non parum habens, animam liquefactam relinquens,

A ut currat, et quærat, etc. De hac triplici mollitie dicit Deus: *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis carneum* (*Ezech.* XI), id est molle atque tractabile, et quod facile penetrari queat triplici gladio, timoris, doloris et amoris. Hoc triplici gladio transverberata fuit mollissima Maria, sicut ei prædixerat beatissimus ille senex. *Tuam*, inquit, *animam pertransivit gladius* (*Luc.* II). Scilicet timoris in nutriendo parvulo, doloris videndo filium crucifixum, amoris accipiendo de resurrectione mortuum suum, maximeque in desiderio ascendendi post illum. Mollities naturæ duplex est, sexus et ætatis; sexus in muliere, ætatis in parvulo. Nam puero est ætas mollis et apta regi; mulier quoque cito mollitur ad preces viri, flectitur a vigore propositi: cito mutatur a sententia consilii, juxta illud Virgilii:

B

Varium et mutabile semper femina

Cito etiam mollit cor durum, cito flectit cor rigidum, cito domat cor ferreum. Propter hanc mollitiem et molliendi potestatem mulier et malleus eamdem habent nominis originem. Sicut enim malleus a molliendo dicitur, quia mollit ferrum, sic et mulier quia mollit virum.

Ferrea lascivis mollescunt corda sagittis

ait Claudianus «Ferreas mentes libido domat,» inquit Hieronymus. Hic est malleus universæ terræ, per quem magnus ille malleator diabolus mundum pene totum malleat, mollit et demolitur. Malleat C suggestionibus, mollit illecebris, demolitur malis desideriis, flagitiis et facinoribus. Virtus hujus mallei plerumque Salomones infatuat, ut idola colant: Samsones enervat, ut Philisthæis serviant, Herculeos inflammat, ut vivi ardeant; Joves in boves mutat, ut post Europam mugiant; Martes incatenat, ut Veneri succumbant. Igitur a mollitie naturæ dicta est mulier. Cæsar quoque a quodam mordacissimo dictus omnium virorum mulier, et vir omnium mulierum. At a mollitie gratiæ dicta est Maria mulier, quæ præ omnibus mortalibus Deum timuit, pro Deo doluit, Deum dilexit: maxime que in eo quod precibus sanctis et molliri facilis est ad miserandum, et mollire potens ad convertendum. Est enim mater misericordiæ, et ideo cito D mollitur lacrymis pœnitentium, cito flectitur ad preces humilium, cito convertitur ad rogandum pro eis judicem filium. Est etiam mater gratiæ, et idcirco potens cito mollire peccatorem, cito flectere judicem, cito etiam punire, cum necesse fuerit, contumacem. Mollit enim peccatorem ut pœniteat, flectit judicem ut parcat, punit contumacem ut blasphemare desistat. In primis duobus malleus pietatis est, in tertio malleus justitiæ. Malleus pietatis fuit, quando Ægyptiacam convertit, et Theophilum: malleus justitiæ, quando contrivit Apostatam Julianum. Sane in hoc malleo videre est sapientiam Christi contra calliditatem diaboli, et clementiam contra crudelitatem. Sicut enim diabolus utitur muliere pro malleo ad emollienda corda superborum

ad lasciviam : ita Christus utitur ista muliere pro A malleo ad emollienda corda humilium ad pœnitentiam. Hinc est, quod audito in Ecclesia dulcissimo Mariæ nomine, statim laicorum corda lapidea, quasi quodam malleo pietatis percussa, semetipsa concutiunt, manus et oculos ad cœlum levant, et auxilium a Maria postulant : et tanquam nautæ in periculo constituti, ad stellam sibi cognitam frequentius inspectant. Hucusque de muliere diximus : nunc de forti videamus.

Mulierem fortem quis inveniet ? (*Prov.* XXXI.) Non loquitur hic Salomon de illa fortitudine muliebri, de qua est illud Satyrici :

Fortem animum præbent rebus, quas turpiter audent.

Non est fortitudo, fortem esse ad crimina; sicut nec sapientia, scire facere mala. Talem sapientiam B reprehendit Jeremias dicens : *Sapientes sunt, ut faciant mala : bene autem facere nescierunt* (*Jer.* IV.) Talem quoque fortitudinem reprehendit Isaias dicens: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum : et viri fortes ad miscendam ebrietatem* (*Isa.* V). Tali fortitudine fortis erat Catilina nobilis adolescens : qui cum esset omnium flagitiorum et facinorum officina, erat tamen, ut ait Sallustius, vigiliarum patiens, et laborum ac inediæ supra humanum modum. Fortitudo corporis sæpius nocet spiritui, quam prodest. Spiritus enim promptus est, quando caro est infirma. Unde Apostolus : *Quando infirmor, tunc fortior sum et potens* (*II Cor.* XII). Hinc est illud Gregorii : « Caro læta trahit ad culpam : afflicta revocat ad veniam. » Fortitudo quæ virtus est, animi C est, non corporis. Non tamen omnis fortitudo animi virtus est, sed illa tantum quæ rationi consentit; juxta illud Augustini, qui virtutem definit, æqualitatem vitæ, undique rationi consentientem. Si autem virtus æqualitas est, similior est illi circulus, quam plana figura. Hinc est Horatio

Vir sapiens totus teres atque rotundus.
(HORAT. *Sat.* II, 7, 85.)

Est enim ratio quasi centrum circuli, æqualitas vitæ circumferentia ejusdem figuræ. Vita ergo hominis ex omni parte rationi consonans, est quasi circumferentia circuli undique concordans. Undique, id est cogitatione, locutione, et opere. Per hæc enim tria circumvolvitur et circum- D fertur vita humana. Horatio igitur sapiens est totus teres atque rotundus. Nihil fortius est humano animo : qui tantæ fortitudinis est, ut vinci non possit nisi a seipso. Diabolus enim vel homo suadere potest, illicere et terrere et occidere; at cogere omnino non potest. Vera ergo fortitudo, verum robur animi, est æqualitas vitæ rationi undique consentiens : id est innocentiæ perfecta custodia ; ut nunquam facias, quod scias illicitum ; nunquam velis quod scias esse rationi contrarium : nunquam te subjicias homini vel dæmoni pro peccato. Hac fortitudine fortes fuerunt sancti, qui per fidem vicerunt regna : sed fortis fuit Maria super omnes mulieres, et super omnes homines. Unde et Christus semper appellat se filium hominis, nunquam filium mulieris. Maria namque pulcherrima mulierum, viris quoque fuit fortior : quia per gratiæ cœlestis auxilium ex omni parte vicit peccatum, ut testatur Augustinus (48). Et beatus Bernardus (49). « Absit, inquit, ut domus beatæ Virginis quidquam proprii inquinamenti aliquando habuisse dicatur! » Et post pauca (50) : « Ut ergo pium est credere, proprium Maria delictum nunquam habuit : et ideo ab innocentissimo corde pœnitentia tanquam non necessaria longe fuit. » Fortis plane fuit Maria in fide, credendo impossibilia ; fortis in spe, sperando inaudita; fortis in charitate, sola promissa cœlestia desiderando, terrenaque omnia contemnendo. Fortis, inquam, fuit vincendo diabolum, mundum, carnem et mortem. Maxime autem in eo vicit mortem, quod moritura non timuit, moriens dolorem non sensit, mortua corruptionem non vidit. Et nos, fratres charissimi, fortes esse debemus in fide, fortes in spe, fortes in charitate. Fortes in fide per obedientiam, fortes in spe per tolerantiam, fortes in charitate per desideriorum sanctorum vehementiam, et per mundalium contemptus violentiam, de qua scriptum est : *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI). De fortitudine fidei est illud Petri : *Resistite fortes in fide* (*Petr.* III), diabolo. De fortitudine spei ait Paulus : *Gloriamur in tribulationibus, scientes quid tribulatio patientiam operatur, patientia vero spem : spes autem non confundit*, etc. (*Rom.* V). De fortitudine charitatis est illud in Canticis : *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (*Cant.* VIII). Sicut mors animam separat a carne, sic dilectio a carnis voluptate. Nullus locus sustinet quod sustinet infernus : tantum calorem, tantum frigus, tantum fetorem etc. Sic et charitas, quæ patiens est, omnia suffert, omnia sustinet. Suffert quæ crudeliter inferuntur, sustinet quæ fideliter promittuntur : sicut scriptum est : *Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis* (*Eccli.* I). Fortis ergo est ut mors dilectio, et dura sicut infernus æmulatio; quia sicut mors omnibus prævalet et nullus ei, sic dilectio semper vincit, et nunquam vincitur. Et sicut infernus multa recipit et nihil reddit, sic charitas multa lucratur, et nihil perdit.

Fortes etiam esse debemus ad vincendum diabolum ; id est ad impugnandum, ad repugnandum, ad expugnandum. Ad impugnandum, ut dormientem in reprobis Leviathan suscitemus, sicut scriptum est : *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan* (*Job* III). Ad resistendum, ut eum in fugam convertamus, sicut scriptum est : *Resistite diabolo, et fugiet a nobis* (*Jac.* IV). Ad expugnandum, ut de victoria coronemur, sicut

(48) *De nat. et grat.*, c. 36.
(49) Serm. 4 *in Assumpt.*
(50) *Ibid.*

scriptum est : *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit* (*I Tim.* II). Qui sic pugnat, expugnat. Impugnat diabolum, qui peccandi occasionem sponte sibi subtrahit. Repugnat ei, qui suggestiones ejus non coactus rejicit. Expugnat autem eum, qui perseverat in bono quod accepit : qui bonum quod inchoaverat melius provehit, et optime consummat. Finis enim non pugnat, sed coronat. Omnes virtutes currunt : sola perseverantia accipit bravium. Fortes etiam esse debemus ad consurgendum, si forte cecidimus : sicut scriptum est : *Septies in die cadit justus, et resurgit* (*Prov.* XXIV). Vulgo dicitur, fortis est qui prostravit, sed fortior qui resurgit. Hinc est, quod ista lectio legitur in festo beatæ Magdalenæ; non legitur in aliquo festo genitricis Dei Mariæ; quia Magdalena quæ infirma cecidit, fortis resurrexit. Dei vero genitrix Maria, quia nunquam cecidit per culpam, nunquam resurgere opus habuit per pœnitentiam. Fortes etiam esse debemus ad vincendum mundum, sicut ait Augustinus (51) : « Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi. Blanditur enim ut decipiat : terret ut frangat. Non nos teneat voluntas propria, non nos terreat crudelitas aliena : et victus est mundus. » Fortes rursum esse debemus ad vincendam carnem, sicut ait Apostolus : *Sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). Sane pugnant, sed quasi aerem verberantes, delicati magistri, qui pleno ventre de jejuniis disputant : qui, manus dantes impudicitiæ, castitatem prædicant : qui, congestis opibus incubantes, induti veste peregrina, et involuti argento, auroque suffarcinati, paupertatem commendant. Talis prædicatio nihil est aliud quam cortex sine succo, nuptiæ sine sponso, cibus sine condimento, lampas sine oleo : et ideo apud Deum reproba est, sicut ait Apostolus : *Ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* (*ibid.*). De talibus est elegans illa Chrysostomi sententia : « Qui bene vivit et bene docet populum, instruit quomodo debeat vivere : qui autem male vivit et bene docet, Deum instruit quomodo se debeat condemnare. » Et certe nemo potest vincere mundum vel diabolum, nisi prius vicerit corpus suum. Quare? quia virtus diaboli est in lumbis ejus, et fortitudo ejus in umbilico ventris ipsius; quoniam infirmitas carnis humanæ magnum præbet auxilium virtuti diabolicæ : ideo infirmitatis ejus maxima pars in lumbis est virorum, in umbilico mulierum. Idcirco hujusmodi lumbi et umbilicus diaboli esse dicuntur; quia per illa animas nostras persequuntur. Fortes etiam esse debemus ad vincendam mortem, non timendo horam mortis, sed cum bonæ conscientiæ testimonio eam potius desideranter exspectando : ut, cum venerit Dominus, et pulsaverit, confestim aperiamus ei. Ideo etiam antequam pulset, festinemus ei ostium aperire : sicut festinabat, qui dicebat : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I). Et alius : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI). Hujusmodi fortitudo facit violentiam illam, de qua scriptum est : *Absorpta est mors in violentia* (*I Cor.* XV). Sic enim mors et moriendi necessitas, et corruptionis infirmitas absorpta est in resurrectione Mariæ virginis, et in ejus Assumptione : sic profecto fiet in resurrectione nostrorum corporum, si eam imitati fuerimus, in fortitudine tot victoriarum. Habemus autem eam non solum in exemplum victoriæ, sed etiam in adjutorium pugnæ : sicut aperte demonstrat secreta oratio hesternæ missæ, quæ sic se habet (52) : « Magna est, Domine, apud clementiam tuam Dei genitricis oratio, quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. » Et certe mediatricem omnibus ita fieri congruebat. Omnis enim malleus fortius ab alto percutit quam ab imo quapropter oportebat hunc pietatis malleum in altum sublevari, cujus violenta percussio efficax est oratio, nunquam ab effectu miserendi frustranda coram divinæ majestatis præsentia : ad quam nos perducat per ejusdem Virginis et matris patrocinium Christus ejus filius, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXI.

IN NATIVITATE B. M. VIRGINIS I.

Orta *est stella ex Jacob* (53). Crebras occasiones gaudiorum solemnium offerunt nobis crebræ solemnitates perpetuæ Virginis; quæ dulcem et jucundam abundantiæ suavitatis ejus memoriam sensatis cordibus eo altius imprimunt, quo crebrius affigunt. Quem non lætificat sæpius ad memoriam revocata, semper in auxilium invocanda, dulcis advocata nostra, benedicta in mulieribus; Domina præpotens, nec minus clemens, regina virginum, imperatrix angelorum, mediatrix hominum, genitrix Dei, Mater misericordiæ, nutrix sapientiæ, cultrix justitiæ, inventrix gratiæ, gloriæ reparatrix : sicut scriptum est : *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum*? (*Luc.* I) Et in Proverbiis. *Mulier gratiosa inveniet gloriam* (*Prov.* XI). Sane huic mulieri gratiosæ, huic reginæ gloriosæ gratiam et gloriam dedit Dominus in tanta multitudine, ut præventa ab eo in benedictionibus dulcedinis, benedicta facta sit ingrediens et egrediens : quippe cujus introitum simul et exitum Dominus custodivit, et custodiens benedixit. Benedictus ejus introitus, per quam lux et vita ad nos introiit; benedictus illius exitus, quæ paradisi januam, quam protoplasti clauserant, nobis omnibus patefecit. Hinc est, quod non solum de ejus Assumptione, qua in cœlum assumpta est, sed etiam de Nativitate, qua in mundum ingressa, gaudent angeli et collaudant Filium Dei. Quid, ni gaudeant angeli de Nativitate Dei genitricis, qui tantum gavisi sunt de Nativitate Ge-

(51) *Serm. de S. Vincentio.*
(52) Ecclesia *in pervigilio Assumptionis.*
(53) *Verba Ecclesiæ ex Num.* XXIV.

novellæ virginis? Specialior tamen causa lætitiæ A hominibus hodie exhibetur, quam angelis, nobis enim in Maria natum est perfectissimæ sanctitatis exemplum, et potentissimæ intercessionis auxilium: et de illa nobis exortum est pernecessariæ redemptionis pretium, quorum nullo indigebat perfectio et felicitas angelorum. Nemo igitur est ex omnibus mortalibus, qui non in ortu lætissimo Dei genitricis et lætetur et gaudeat, nisi qui forte quantum de illius partu lætandum sit, ignorat. Partus enim virgineus toti mundo salutaris et necessarius facit ortum Virginis universis fidelibus gaudiosum: nec solum ortum Virginis, sed et ortum præcursoris. Sicut enim hæc nata est, ut Salvatorem pareret; sic et ille a Deo missus est, ut viam Domino præpararet, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

Cæterorum vero sanctorum dies natalitios non celebrat Ecclesia: illos, inquam, dies quibus in hanc vallem lacrymarum flentes ingressi sunt: sed illos potius quibus de hac valle gaudentes ascenderunt in montem Domini, et in domum Domini lætantes abierunt; intraveruntque in gaudium Domini sui. Vere scriptum est: *Melior est dies mortis, die nativitatis* (*Eccle.* VII). Melius est enim exire de carcere, quam carcerem intrare. Omnis homo ad laborem nascitur, imo et ad carcerem: quamvis de carcere, cum carcere, in carcere nascatur. Nascitur enim de carcere materni uteri, cum carcere mortalis corpusculi, in carcere hujus C mundi: sed heu etiam ad carcerem inferni! quia nascitur natura filius iræ, perditionis hæres, corruptionis proles, calamitatis et miseriæ comes individuus, tanquam æterni delicti reus. Quis ergo diem tam mœstum et tam lugubrem festum ducat et celebrem: nisi qui prorsus rationis expers est, et humanæ conditionis ignarus? Idcirco sancti natales suos non celebrant, quia oderunt animas suas in hoc mundo. Diem hominis non desiderant; sed desiderium habent dissolvi et esse cum Christo. Maledicunt diei in quo nati sunt, parati suscitare Leviathan in hujus mundi dilectoribus dormientem. At infelix Herodes qui se moriturum non cogitabat, se natum in carcere non dolebat; sed gaudebat de paleis ibidem abundanter inventis, quibus præ cæteris concaptivis infeliciter abundabat. Et heu! quam lethalis illi fuit illa lætitia! in qua præcursorem Domini, lucernam scilicet ardentem et lucentem, quam Pater paraverat Christo suo, quæ spargebat ubique radios sanctitatis et justitiæ, sobrietatis et castimoniæ, temulentus adulter exstinguere conatus est, et quantum in se fuit exstinxit: quando caput illud sanctissimum ipsis angelis reverendum, cui se Dominus majestatis dignanter inclinaverat, convivis in disco apposuit, tanquam ferculum nuptiale. Sic sic, fratres charissimi, sic exstinguunt in se spiritum, quem Apostolus (*I Thessal.* V) nos prohibet exstinguere, id est gratiam spiritualem, qui futurorum obliti, inhærent præsentibus, qui toto animo resoluti complacent sibi in iis quæ transeunt: non utendo temporalibus, sed fruendo. Hi gratiam Dei decapitant, longe a se facientes timorem Domini, qui est initium sapientiæ: cujus initii caput est, id est initium, timor judicii venturi, juxta illud Augustini: *Qui incipit credere, incipit judicium timere.* O quam profunda nox erat, quando totus fere mundus in tantis tenebris ignorantiæ versabatur! sicut scriptum est (54): *Aspiciens a longe, ecce video potentiam Dei venientem et nebulam totam terram tegentem.*

Quis autem in magnis tenebris ad ortum novi et magni sideris non respiceret? Juxta prophetiam B Balaam orta est hodie stella ex Jacob. Sed quid est, quod prophetia Balaam, hominis magi et malefici, auguris et divini, incantatoris et arioli, et quem Scriptura sancta in multis reprehendit, auctoritate Spiritus sancti confirmata est; nisi quia Spiritus sanctus per eum locutus est, sicut per Caipham et per Sibyllam? Qui enim aperire dignatus est os asinæ ad corripiendam prophetæ insipientiam, vel potius vesaniam, sicut sacra Scriptura testatur; cur non et aperire dignetur os vesani hominis, ad prophetandam redemptionis humanæ clausam sapientiam, in mysterio a sæculis absconditam: quam nemo principum hujus sæculi agnovit? Simulque consideranda est in hoc divino secreto duplex utilitas. Prima, non esse magnum habere ex Deo donum bene loquendi, et non benefaciendi, sicut habuit Balaam: in cujus ore et non in corde posuerat Dominus verbum suum. Secunda, verbum Domini semper esse pretiosum, et cum omni reverentia audiendum, a quocunque homine proferatur. Nam idcirco fecit Spiritus sanctus mandari litteris et prophetiam Balaam arioli, a propheta Moyse; et prophetiam Caiphæ pontificis ab evangelista Joanne. Et vide bonitatem Dei. Conductus erat mercede Balaam, ut malediceret Israeli, et non potuit nisi benedicere (*Num.* XXIV): adeo bonum habemus Dominum, et Patrem benignissimum, qui consolator clemens, conciliator sapiens, gubernator prudens, auxiliator potens, pro muro nobis est et antemuD rali: ut nemo nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus. *Non est* enim *sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI). Bene autem summam benedictionum suarum conclusit Balaam, prophetando ortum benedictæ Virginis, benedictum Dei Filium pariturae, quam merito benedicunt omnes generationes: quæ tantam benedictionis copiam omnibus generationibus acquisivit; benedictum scilicet fructum ventris sui: qui a Deo benedictus est, ut quicunque illi benedixerit, benedictionibus repleatur: si tamen non coactus vel invitus, nec in sola verborum superficie sicut Balaam, sed voluntarius, et bonæ vitæ formula be-

(54) *Verba Ecclesiæ*

nedicat. Multi enim ore suo benedicunt, et corde suo, id est pravo cordis desiderio, maledicunt, dicentes : Domine! Domine, et quæ Dominus præcipit nequaquam facientes At *non omnis qui dicit ei: Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris ejus, qui in cœlis est* (*Matth.* VII). Unde iste Balaam dicit de seipso in persona talium : *Dicit Balaam, filius Beor : Dixit homo, cujus obturatus est oculus. Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi : qui cadens apertos habet oculos* (*Num.* XXIV). Balaam interpretatur *populus vanus*, Beor *impellens*. De populo vano sunt, qui dicunt et non faciunt : vel qui audiunt verbum Dei, et non custodiunt. Quid enim aliud quam verba fidei, non opera sectantur? Qui enim tantum verba sectatur, nihil habebit. Isti sunt filii diaboli impellentis eos in peccatum. Hujus Balaam obturatus est oculus interior, qui cum visiones Omnipotentis videat, id est judicia ejus et præcepta intelligat, non vivit secundum quod intelligit, sed apertis oculis cadit; id est scienter peccat, et descendit vivens in infernum : auditor sermonum Dei, et non factor. Intellectus quidem bonus omnibus facientibus eum, non facientibus autem non bonus, quia non eis deputatur ad bonum, sed potius ad damnationis suæ majus testimonium. Servus enim sciens voluntatem Domini sui, et non faciens eam, plagis vapulabit multis: et melius erat ei viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum converti ab eo quod traditum est illi, sancto mandato. Beati quidem qui audiunt verbum Dei; sed si illud custodiant, alioqui nemo ex solo auditu beatus est. Sicut enim non prodest sermo auditus non admistus fidei, sic nec fides ipsa sine obedientia. Ideo scriptum est : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Sicut enim fides ex auditu, sic obedientia ex obauditu. Nihil prodest audire, nisi credas; nihil credere, nisi obedias. Hæ sunt geminæ cordis aures spirituales et sanctæ, quas a nobis requirit Spiritus sanctus, credere scilicet et obedire. De prima : *Domine, quis credidit auditui nostro?* (*Isa.* LIII.) De secunda : *Dominus aperuit mihi aurem* (*Psal.* XVII), *ego autem non contradico, retrorsum non abii* (*Psal.* XXXIX). Item : *In auditu auris obedivit mihi.* De utraque : *Aures autem perfecisti mihi.*

Quamvis in hoc loco aures perfectæ intelligi possint obedientia mandatorum, patientia contumeliarum : vel timor comminationum, et desiderium promissionum : et est, *qui habet aures audiendi audiat* (*Matth.* XI,), id est qui audit, credat; qui credit, obediat : credat minis, credat promissis; credat sacramentis. Credat minis, ut illas caveat : credat promissis, ut illa concupiscat : credat sacramentis, ut de sanctificatione illorum, et de invisibili virtute non dubitet. Obediat præceptis, ut illa fideliter adimpleat, et firmiter conservet, ne sit, sicut Balaam, auditor sermonum Dei, et non factor. Sed hæc de Balaam dicta sufficiant. Nunc ad stellam revertamur. *Orta est stella ex Jacob.* Mira res : humanum genus de limo factum est, et ante partum Christum. Unde ergo de limoso genere jam stella post partum Christum? Quomodo de humano germine, de immundo semine nasci potuit proles siderea? Quid enim stella mundius, quid immundius luto? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Audi, quis. *Nonne tu, qui solus es?* (*Job* XIV.) Illa ergo virtus, illa sapientia quæ in principio temporum formavit hominem de limo terræ ad imaginem et similitudinem suam, illa ipsa in fine sæculorum cœpit facere stellas ex hominibus, et homines ex stellis, ad reformandam in eis imaginem suam, soli polique patriam unam faciens rempublicam; ut cœlum haberet homines, et tellus stellas. Quid enim aliud sunt justi, nisi stellæ in terra lucentes, juxta illud Apostoli : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, tanquam luminaria in firmamento cœli?* (*Philip.* 2.) Et quid sunt justi regnantes in cœlo, nisi stellæ lucentes in suo domicilio, et homines habitantes in sua domo? Unde ipse Apostolus : *Scimus quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo domum non manufactam æternam in cœlis* (*II Cor.* V).

Hoc autem opus, facere videlicet stellas ex hominibus, ad opus gratiæ pertinet, non ad opus naturæ, neque justitiæ. Natura namque similia de similibus producit, ut homines ex hominibus, jumenta ex jumentis, aves ex avibus, pisces ex piscibus, etc., in hunc modum. Justitia vero destruit sæpe quod natura construxerat; faciens ægros ex sanis, cæcos ex videntibus, surdos ex audientibus, mutos ex loquentibus, claudos ex ambulantibus, leprosos ex mundis, ex vivis mortuos : et quod terribilius est, ex sanctis et justis peccatores nasci constituit. Porro gratia sæpe reædificat quod justitia destruxerat; et perficit quod natura reliquerat imperfectum : faciens sanos de ægris, vivos de mortuis, justos de impiis, de miseris beatos : quod genus operis maxime Deum omnipotentem probat, juxta illud : « Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas, multiplica super nos gratiam tuam, etc. » Sic igitur gratia justificando impium, uno et eodem opere facit stellam ex homine, et de tellure cœlum. Et certe, fratres charissimi, talis proles, et talis habitatio, id est cœlestis atque siderea, olim sancto Abrahæ jam fuerat promissa, quando videlicet ad eum dictum est : *Suspice cœlum, et numera stellas, si potes. Sic erit semen tuum* (*Genes.* XV). Ex eo quod dicitur, numera stellas si potes, manifeste arguitur astrologorum quorumdam vana præsumptio; qui se universum stellarum numerum comprehendisse et conscripsisse jactaverunt, ut Aratus et Eudoxus. Quando enim, ait Augustinus, omnes dinumerari possunt, cum non omnes possint videri? Sane qui solus illas creare potuit, solus et dinumerare potest. Et suis propriis nominibus vocare, juxta illud : *Qui nume-*

rat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat (*Psal.* CXLVI). Unde sapiens quidam : Ubi habemus hoc adverbium *sic*, in Hebræo habetur adverbium *quo*, quod est similitudinis et locale. Aiunt enim peritissimi Hebræorum, idem adverbium positum esse in eo loco Exodi, ubi de Moyse scriptum est : *Cumque circumspexisset huc et illuc et neminem vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo* (*Exod.* II). Ubi enim habemus *huc et illuc* in Hebræo habetur *quo et quo*. Melius ergo transtulit Hieronymus in hoc loco dicendo sic, quam si dixisset illic. Nam locale adverbium solam loci celsitudinem significare poterat : adverbium autem similitudinis et loci celsitudinem, et stellarum multitudinem, et numerosam magnitudinem et cœlestis præmii claritatem designat. Ait ergo: *Sic erit semen tuum* : id est tam multum, tam clarum, tam firmum. Tam multum numero, tam clarum merito, tam celsum præmio, tam firmum loco. Dico autem tam et tam, non pro æqualitate, sed pro similitudine demonstranda. Nam in his omnibus semen tuum stellarum gloriam superabit. Erit enim numerosius, clarius, celsius, firmiusque.

De numerositate habes in psalmo : *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* (*Psal.* CXXXVIII). De claritate : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*I Cor.* XII). De celsitudine: *Scio hominem in Christo raptum usque ad tertium cœlum.* De firmitate et cæteris omnibus habes in Daniele: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Daniel.* XII). Ait ergo : *Sic erit semen tuum :* id est tam mundum et purum : in conscientia tam purum, clarum et fulgidum in cælibe vita, et in cœlesti doctrina, tam firmum et stabile in perseverantia, tam celsum et sublime in cœlesti patria, tam gloriosum et nobile in gloria resurrectionis æternæ. Quantum enim pertinet ad vitam justitiæ, qua vivimus in præsenti, per lucem stellarum intelligitur in hoc loco, per ardorem fervor sancti desiderii per stationem firmitas propositi, stella namque dicitur a stando et lucendo, et ardendo. Quantum vero pertinet ad vitam gloriæ qua vivemus in futuro, per lucem stellarum accipitur claritas glorificati corporis ; per ardorem ineffabile gaudium cordis, per stationem securitas, æternitas, et æternitatis securitas in utroque; ait ergo : *Sic erit semen tuum*, Quasi diceret : Sic tua posteritas cœlum possidebit, sic cœlestis claritas in ea fulgebit, sic illius charitas solide gaudebit, sic ejus felicitas finem non habebit. Sic erit semen tuum. Sic cœlum stellabitur tua genitura, sic sursum plantabitur caro non casura, sic intronizabitur caro regnatura, gloria mutabitur carnis, non natura. Ecce, fratres, quales stellæ S. Abrahæ promissæ sunt. Harum autem stellarum prima et præcipua est hæc singularis stella, quæ hodie orta est ; omnes stellas non solum humanas, sed etiam angelicas merito transcendens et præmio,

A sicut scriptum est : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas* (*Prov.* XXXI) Nulla enim unquam stella sic luxit exemplo, sic stetit proposito.

Discamus igitur ab hac stella lucere per exemplum castitatis, ardere per desiderium beatitudinis, firmi et stabiles stare in proposito sanctitatis. Nihil castitate lucidius ; castitas autem dicitur a castigatione corporis, sine qua impossibile virtutem castitatis perfecte obtineri. Unde Apostolus : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX). Castigandum est corpus jejuniis, vigiliis, et labore manuum, assiduitate silentii, et loci solitudine, fame et siti, frigore et flagellorum verB bere, sanctis meditationibus, et devotis orationibus. Multa enim meditatio carnis est afflictio. Nihil charitate ardentius, nihil mentis constantia firmius. Quid prodest, quasi lucere et ardere in cœlo ad horam, et breviter et æternaliter ab eo cadere ? *Quomodo*, inquit, *cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris* (*Isa.* XIV), id est oriri incipiebas ? Quam proprie usus est in hoc loco propheta præterito imperfecto, quod significat rem esse incœptam et nondum perfectam : per hoc enim significata est in diabolo cadente quemdam lucis incœptio, sed profectus nullus, perfectio nulla. Nam in veritate non stetit : *Videbam* ait Dominus, *Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X). Videbam dixit, et cadentem, verbum præteriti imperfecti jungens C cum participio præsentis temporis, significans diabolum cadere incœpisse, sed nondum totum cecidisse : adhuc enim quotidie cadit in membris suis. Sicut enim Dominus Jesus Christus nondum totus ascendit in cœlum, sed exaltatus a terra trahit ad se omnia, non simul, sed per partes : sic diabolus de cœlo cadens, trahit post se tertiam partem stellarum, et utinam vel duæ remanerent. Væ stellis non stantibus, sed de cœlo cadentibus : quæ se trahi patiuntur a draconis cauda viperea ! Væ stellis sequentibus eam, cujus nomen absynthium, ut amaritudine repleantur æterna. Quid prodest sapientiam invenire, et inventam mox perdere ? Beatus vir qui invenit sapientiam : sed si invenD tam custodiat, et qui tenet non dimittat. Sapientia enim clamitat in plateis : *Si quis diligit sapientiam, ad me veniat, et eam inveniet : et eam dum invenerit, beatus est, si tenuerit eam* (*Prov.* VIII). Invenire sapientiam est agere pœnitentiam : tenere eam, est in pœnitentia perseverare : quod est in sapientia moram facere, sicut scriptum est : *Beatus vir, qui in sapientia morabitur* (*Eccli.* XIV).

Tria sunt, quæ hominem in sapientia commorari impediunt, et eum ab inventa repellunt, superbia cordis, illecebra carnis, inconstantia mentis. Prima repulit philosophos, qui *cum Deum invenissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I, 21, 22). Se-

cunda repulit Salomonem : qui post inventam sapientiam, inclinavit femora sua mulieribus, et dedit maculam in gloria sua. Tertia repulit Demam diligentem hoc sæculum, et Apostolum relinquentem, qui prius propter Apostolum contempserat et reliquerat hoc sæculum (*II Tim.* IV). Hæc eadem repellit religionis apostatas ; faciens eos ut canes immundissimos ad vomitum reverti, et a bono proposito resilire, et dicere anathema Jesu. De quibus est illa terribilis Augustini sententia, in epistola ad clerum et populum Hipponensem : « Sicut difficile expertus sum meliores aliquando, quam qui in monasteriis profecerunt : sic nunquam expertus sum pejores, quam qui in monasteriis defecerunt. Et addit : Hinc arbitror in Apocalypsi scriptum : *Sanctus sanctificetur adhuc : et qui in sordibus est, adhuc sordescat* (55). » Quod velut exponens subdit : « Sicut enim præcedunt cæteros in regno, qui digne votis suis vivunt, sic pejores sunt in mundo, et inferiores in inferno, qui a voto recedunt. » Unde idem Augustinus in epistola ad Armentarium et Paulinam : « Antequam esses voti reus, liberum tibi fuit, quo esses inferior : quamvis non sit gratulabunda libertas, qua fit ut non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, non pejor : modo autem, quod absit, tanto miserior, si fidem Deo fregeris, quantum beatior si persolveris. Nec ideo te vovisse pœniteat ; imo gaude, tam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus. Ipse juvabit, qui vota tua expetit. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit (56). » Hæc Augustinus

Hujusmodi apostatæ de tertia sunt parte stellarum, quæ a cauda draconis de cœlo trahitur ad infernum (*Apoc.* VIII). Nam duæ partes quibus illa cauda non prævalet, sunt mutuam conservantes innocentiam, nunquam peccando mortaliter : et recuperantes perditam, acriter et alacriter incœptam pœnitentiam consummando. Primum quidem genus rarissimum et pretiosissimum : quamvis Ambrosius dicat (57), se facilius invenisse qui innocentiam servaverint, quam qui veram egerint pœnitentiam. Quæ est ergo tertia pars stellarum caudam draconis legens, id est in judicium diaboli incidens : nisi illi qui de perdita innocentia pœnitere incipiunt, et propter mentis inconstantiam et animi levitatem incœpta pœnitentia non persistunt ? Nam qui nec pœnitere inchoant, stellarum nomine digni non sunt, nullum lucis initium ostendentes. Idcirco Maria tale nomen divinitus sortita est : videlicet stella maris, id est illuminatrix mundi, qui tanquam mare tumet in superbis, fervet in iracundis et invidis, fœtet in luxuriosis, ebriosis et gulosis. Quis enim in periculo qualicunque positus, ad hujus stellæ respexit radium, et non statim opem sensit ? Specialiter tamen dicitur stella maris, id est consolatrix mœrentium, illuminatrix pœnitentium, eorum scilicet, qui recogitant omnes annos suos in amaritudine animæ suæ : quorum contritio magna est velut mare, id est lata et profunda, ut amaritudo confessionis omnes circumstantias peccatorum in lucem proferat, et amaritudo satisfactionis per omnia corporis membra discurrat, et amaritudo compunctionis semper de fundo cordis ebulliat. Non est Maria stella marium vel fontium, aquarum dulcium : sed stella maris, quia consolationem ejus non meretur accipere terra suaviter viventium : sicut signo Tau non merentur insigniri frontes ridentium et lætantium, sed virorum gementium et dolentium propter abominationes quæ fiunt in medio eorum. Caveamus ergo, fratres, caveamus, obsecro, ab his signis quæ futura prædixit Dominus in sole et luna et stellis : id est in prælatis Ecclesiæ, in principibus terræ, in subditis utrorumque, tam clericis quam laicis. Sunt enim quamplurimi utriusque sexus, et utriusque gradus, qui stare quidem videntur in Ecclesia, sed casuri sunt ab ea, vel etiam jam cadunt, non tam loco, quam merito ; per illa tria supradicta pericula, id est cordis superbia, carnis illecebra, mentis inconstantia.

Nullus autem casus lætificat diabolum, ut religionis apostatarum (*Job* XL). Absorbet enim fluvium, et non miratur : id est non pro grandi habet, si multos de sæculo post se trahat : sed habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus, id est descensus eorum qui se humiliant ad pœnitentiam peragendam, ut ibi discant a Christo mites fieri et humiles corde. Hos præcipue diabolus absorbere desiderat : quia fenum sicut bos comedit : escæ ejus electæ : captat in animam justi. Caveant ergo a faucibus diaboli, qui jam masticantur a favore Christi, juxta illud : *Macta et manduca* (*Act.* X). Quam miser, quam infelix, qui ab ore Christi evomitus, ab ore diaboli reabsorptus fuerit, a quo primum absorptus fuerat. Nihil enim sic inhianter desiderat canis ille infernalis, quam vomitum suum relambere, et totum resorbere ; quippe cum peccatorem absorptum nunquam voluntarius, sed coactus evomat, sicut scriptum est : *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre ejus extrahet eas Deus* (*Job* XXI). Talium autem casus, quantum lætificat Leviathan, tantum contristat Mariam.

Stemus ergo, fratres, succincti lumbos nostros in veritate; stemus, inquam, in sancto proposito inconcussi et immobiles, sicut B. Genesius martyr : qui cum Romæ appensus esset in eculeo, et ungulis abrasus, atque ardentes laminæ ad latera ejus es-

(55) S. Aug., ep. 157.
(56) Ibid., 45.

(57) S. Ambros., *De pœn.*, lib. II, c. 5.

sent appositæ, stabat immobilis, et clamabat dicens: Non est rex præter Christum: pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteritis. O columna fortissima in domo Dei! o stella firmissima, et firmissime fixa in firmamento cœli! Quando huic prævaleret draconis suggestio: cui prævalere non poterat incisio ferri et ignis adustio? Sane stella ista Christum sibi impressum habebat: a quo nulla ratione separari poterat. Quod enim de alio martyre in Græcia refertur: qui Nimias et Nehemias dictus est, qui cum similiter torqueretur, et similia responderet, jussit tyrannus ventrem ejus secari per medium; et cor ejus inde integrum avelli et findi, ut videret si Christus in eo esset, sicut martyr dixerat. Quod cum factum esset, apparuit in ipso cordis fissi medio pulcherrima Christi effigies, per totam cordis longitudinem et latitudinem se effundens. Quo viso, confusus tyrannus erubuit: populus autem fidelium valde exhilaratus in tanto miraculo, expansis manibus ad cœlum, et fixis in terram genibus, præ gaudio clamavit ad Dominum, et dixit: Gloria tibi, Domine, qui nos tam magnifice facis experiri, verum esse sermonem Apostoli tui dicentis Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Amen.

SERMO XXII.

IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS II.

Jucundissima Nativitas gloriosæ virginis Mariæ tot ab antiquis expetita votis, exspectata suspiriis, exquisita lacrymis, vaticiniis præcantata, publica jucunditate ab universo mundo celebrari meruit: quia post longam sæculi tristitiam publicæ jucunditatis primitias invexit. Ac si primo vagitu infantiæ tuæ illam ad omnes filios hominum consolationem evangelicam protulerit dicens: *Respicite et levate capita vestra: ecce appropinquat redemptio vestra* (*Luc.* XXI). Quod idem est ac si aliis verbis dicatur: Ecce jam paravit sibi Sapientia thronum eburneum, ad cogitandas cogitationes pacis idoneum: quatenus illarum cogitationum sacrosanctis carminibus incantatæ misericordia et veritas in hujus throni medio sibi ipsis obvient; et justitia et pax osculantes se invicem mutuis amplexibus astringantur. Hactenus enim sapientia Dei quasi vaga et profuga super terram, locum ubi requiesceret, aptum non invenit, propter humanarum sordium illuviem. Nunc autem Deo gratias, fecit ei rex Salomon thronum de ebore grandem. Thronus sedes est regia sive judiciaria. Regis, ut ibi: *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui* (*Psal.* XLIV). Judiciaria, ut ibi: *Sedisti super thronum, qui judicas justitiam* (*Psal.* IX). Et in Evangelio: *Sedebitis et vos super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Sed quoniam honor regis judicium diligit, honor autem judicis personam non accipit, nullumque malum impunitum relinquit, oportebat necessario ut rex et judex noster, qui Deus ultionum et consiliarius appellatur, prius offerret mortalibus pacis consilium, quam

A inferret peccantibus ultionis judicium: ut prius esset columba vice legati fungens, quam vice percussoris. De prima legitur, quod redierit ad arcam ferens in ore ramum olivæ virentibus foliis. De secunda: *Fugite a facie gladii columbæ* (*Jerem.* XLVI), id est ab instanti sectione capitalis sententiæ, prius denuntiandæ per legatum mitem et humilem, postremo ferendæ per eumdem vivorum et mortuorum Judicem; sed judicem qui sine felle irascitur, et cum tranquillitate judicat, et semper misericordiam judicio superexaltat. Ad legati mansuetudinem pertinet thronus Salomonis: ad iratum judicem thronus Artaxerxis: de quo legitur in libro Esther, quod *sedebat super solium regni sui, indutus vestibus regis auro fulgens, et lapidibus pretiosis: et erat terribilis aspectu* (*Esther* XV). Væ gentibus quæ B bella volunt, quia dissipabuntur: væ Judæis, qui pacis concilium reliquerunt, repellentes pacificum Salomonem, et eligentes bellicosum Cæsarem, quia suo Cæsari cadendi relinquentur. Secundum enim nomen Salomonis ita et opus ejus, similiter et Cæsaris. Diabolus enim non immerito a cæde et sanguine et armis nequitiæ, quibus semper abundat. Cæsar appellatur, mensuram hujus nominis, mensura crudelitatis semper implere satagit, juxta illud poeticum:

Cæsar in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias.

At Salomon noster secundum nomen suum vere paC cificus, fecit ut artifex sapientissimus thronum de ebore grandem, quasi primum et præcipuum pacis opus: quando Christus, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum, ut pacificaret quæ in cœlis sunt et quæ in terra, tanquam princeps pacis et rex justitiæ innocentissimam virginum et humillimam mulierum elegit sibi in matrem propriam, quasi in sede pacis mediatricem. Thronus enim, ut dictum est, sedes est tam regia quam judiciaria. Ad sedem pertinet quies, ad regem honor, ad judicem timor. Ad quietem innocentia, ad honorem justitia, humilitas ad timorem. De primo habes: *Peccasti, quiesce.* (*Gen.* IV apud LXX) De secundo: *Anima justi sedes est sapientiæ:* sedes, id est requies quam Sapientia in omnibus quærit, sed in solis humilibus se invenire D dicit, juxta illud exemplum. De tertio: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI.) Innocentiæ est cavere prohibita; justitiæ, servare præcepta; humilitatis, timere judicia, et omnia merita sua, quasi pro nihilo computare, juxta illud: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus* (*Luc.* XVII). Non tamen ad quemlibet innocentem vel humilem referri potest hujus throni descriptio. Nam cum de eodem legatur in sequentibus: *Non est factum tale opus in universis regnis* (*III Reg.* X), manifestum est non posse intelligi, nisi de humillima muliere. Humillimus hominum ille est qui ab ipsa Sapientia in persona assumptus est, de quo

dicit Daniel in visione tertia : *Donec cognoscant viventes, quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit dabit illud, et humillimum hominum constituet super illud.* (*Dan.* IV.)

Humillima mulierum illa est de qua idem homo id est Christus, natus est. Neque enim sapientia quæ semper sapienter agit, aliunde convenientius aut sapientius corpus posset assumere, quam de humillima muliere. Hæc est enim quæ cunctis innocentior et sacratior universis, viliorem tamen se omnibus reputabat. Unde salutationi angelicæ, laudationi magnificæ, promissioni mirificæ, sic respondit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I). Et quoniam semper in humilitate quievit, Deum in se non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter requiescere fecit : sicut in persona ejus dicit Sapientia : *Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo* (*Eccli.* XXIV). Quod ergo Salomon dicitur fecisse thronum, Psalmista quasi exposuit dicens : *Inclinavit cœlos et descendit* (*Psal.* XVII). Thronus enim sessionem habet, sessio vero inclinationem simul et quietem.

Sessio igitur Dei quid aliud est quam majestatis exinanitio, et formæ sterilis assumptio? Sicut scriptum est : *Tu cognovisti sessionem meam* (*Psal.* CXXXVIII), id est inclinationem meam æterno judicio approbasti. Nisi se inclinando sedisset super thronum, nemo ad eum habuisset accessum, juxta illud : *Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus* (*Matth.* V). Sed qualis est thronus ille ? Eburneus. Fecit, inquit, Salomon thronum de ebore. Væ regibus facientibus thronum de stercore. Quid enim aliud est animus in libidine requiescens, nisi rex in stercore sedens? Nam, ut ait Sallustius : « Animi imperio, corporis servitio magis utimur » Caro ergo libidini dedita sedes est de stercore facta. Quantum distat thronus eburneus a sterquilinio, tantum corpus castum a libidinoso. Ebur dictum est, quod sit e barro, id est ex elephante, qui Græce barrus a fortitudine nuncupatur : unde et vox ejus dicitur barritus. Est autem elephas animal inter cætera bruta magnitudine præcellens et altitudine. Unde et nomen ejus in lingua Græca et Indica *montem* significat. Nec solum magnitudine, sed etiam fortitudine præeminet. Unde et turres ligneas cum tricenis hominibus armatis portare consuevit. Sensu quoque plurimum viget, ad cognoscendas viarum differentias et draconum insidias, cum quibus ei juge certamen est, et discordia inexorabilis. Est etiam naturaliter clemens, castitatem diligens, diutissime vivens, usque ad ætatem tertiam Nestoris, id est usque ad annos, ut aiunt, trecentos.

Hæc omnia nulli magis congruunt moraliter quam virgini Mariæ. Nam per acumen sensus prudentia, per amorem castitatis temperantia, per fortitudinem ipsa fortitudo, per clementiam justitia designatur; quia, ut ait philosophus quidam, « illa vera A justitia est quæ erga inferiores servatur : » per magnitudinem magnanimitas, per altitudinem meritorum sublimitas, per longanimitatem perseverantia, per trecentos annos fides et imitatio Dominicæ passionis exprimitur, propter Tau litteram, quæ apud Græcos formam crucis habet exprimere, et numerum trecentorum signare. Est autem ebur dens elephantis, os videlicet natura frigidum, a carne nudum, substantia solidum, colore candidum, antiquitate rubicundum. Per naturalem frigiditatem timor Domini, per nuditatem contemptus mundi, per candorem carnis munditia, per soliditatem mentis constantia, per ruborem antiquitatis fervor multi temporis designatur. Vera namque castitas naturaliter timida est, sed timore Domini, non timore B mundi. Timor enim Domini fidelium mentes a carnalium vitiorum æstu refrigerat. Hic est enim angelus Domini, qui *descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem*, *et excussit flammam ignis de fornace* (*Dan.* III), id est incendium tentationis a carne, prius tamen a corde flatu suggestoris incenso. Timor Domini expellit peccatum, non solum illud quod adhuc foris pulsat importune satis ad cordis januam; sed etiam illud quod jam per consensum intravit ad animam. Timor autem mundi nunquam mentem refrigerat, sed latenti desiderio semper intus exæstuat : et ideo non expellit peccatum, sed fovet et contegit, donec tempus eveniat foras erumpendi. Unde Philosophus : « Multorum, quia imbe- C cillia sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis vires suæ placuerint, quam ea quæ jam facilitas aperuit (58). » Serpens etiam pestifera tractat, cum riget frigore, non desunt tunc illi venena, sed torpent. Unde quidam inter veram et falsam castitatem discernere volens, eleganter ait :

Si qua, metu dempto, casta est, ea denique casta est,
Quæ, quia non potuit, non facit, ista facit.
(OVID., *Eleg.* IV.)

Item vera castitas solida est, id est talis interius qualis exterius : talis in secreto qualis in publico : talis occupata tentationis certamine, qualis feriata a tentatione. Non sic temporales et cavernosi : qui *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* (*Luc.* VIII) : cannis similes et cicutis, exterius nitidi, interius D vacui : virentes de longinquo, fetantes de proximo : qui cum nihil interius prurit, sunt cælibes ; cum nihil exterius allicit, continentes. At si species concupiscibilis eorum aspectui se fortassis obtulerit, statim, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereunt peccatores a facie Dei. Aut enim Briarei manibus et sphingarum unguibus præoptatum cadaver aduncant ; aut si hoc facere mundano timore prohibentur, saltem oculos Argi vagis obtutibus illuc circumferunt, ut aspectu passivo cordis pascant esuriem, et occultæ delectationis jentaculo jejunæ famem libidinis præsignent. Sic perierat qui dicebat :

Ut vidi, ut perii : sic me malus abstulit error.

(58) Seneca.

Et alius quidam

Nimirum hic ego sum satis inter millia fortis.
Verum ubi quid melius contingit et unctius idem.

Item omnis vera castitas nuda est, id est voluntariæ paupertatis amica : excutiens manus suas ab omni munere. Nam, ut ait Hieronymus noster, « Non est casta matrona, quæ munera accipit. » Et juxta Quintilianum : « Muliebrium vitiorum fundamentum avaritia est. » Sane multorum et multarum castitas verborum jaculis impetita immobilis et integra stetit : muneribus arietata ruit. Nam ut aliquid de fabulis summatim attingamus, irrupit aurum in propugnacula turris Acrisii : et virgini fatuæ quæ de libidine triumphasse videbatur in terra, quasi de cœlo aureus pluit incestus. Sic quam non seducit petitor humilis, fallit sublimis. Sic arborem quam non movit favorinus, evertit aquilo. Sic etiam rosarium semper aliquo turbine sua purpura denudatur. Sed nullo facilius quam vento auriginе, id est æreі doni splendore, juxta illud :

Non ego divitibus venio præceptor amandi;
Nil opus est illi qui dabit, arte mea.
Secum habet ingenium, qui cum valet, accipe, dixit;
Cedimus, inventis plus valet ille meis.
(Ovid.)

Et iterum :

Munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque.

De talium castitate pulchre ait Satyricus :

Sic tibi Penelope frugi est, quæ si semel uno
De sene gustarit, tecum partita lucellum,
Ut canis a corio, nunquam absterrebitur uncto.
(Hor., *Sat.* II, 5, 101.)

Quod autem enur deus esse dicitur elephantis, quid aliud significat quam castitatem dentatam esse debere, ut magis porrigat tentatori morsum quam osculum, vultum exhibeat tristem, non hilarem; verba respondeat dura, non mollia; paratior ad rejiciendum quam recipiendum viscata, imo venenata munuscula, et litterulas tam deceptrices quam dulces. Nam, ut ait Hieronymus, « blanda munuscula et dulces litterulas sanctus amor non habet. » Elephans enim sine dente est, qui molliter negat consensum turpitudini. Est enim quoddam prognosticum secuturi consensus ad precem alteram, negatio mollis ad unam. Mollis Evæ responsio fecit eam penetrabilem et perviam veneno. Adhuc morem hunc molliter respondendi retinent Evæ filiæ :

Vix erit ex multis, quæ neget una tibi.

Neget, id est perneget, et nulla pernegat. Nam quæ mulier præcidit constanter verba rogantis, quæ petitorem suum perpetua tristavit repulsa? quin potius favorem quemdam sapit quarumdam negativa concessio, vel negatio concessiva. Quantumlibet enim dura respondeant, semper in aliquo verbi sui angulo reperiet procul aliquem fomitem suæ petitionis implicitum, quasi sponte et de industria sic relictum. Quod inde contingit, quia quæque sibi videtur amanda,

Pessima fit, nulli non sua forma placet.

(59) S. Ambr., *Serm. de S. Agnete.*
(60) Seneca.

A *Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen esse rogatæ.*

Unde Hieronymus : « Etsi rogata non cesseris, tamen formæ putas testimonium, si rogeris. » Alieni ergo amoris impetum sumunt ut pulchritudinis argumentum : et unde se vident aliquantulum placere aliis, inde jam incipiunt nimium placere sibi ipsis, juxta illud :

Delectant etiam castas præconia formæ.

At revera casta non est, quæ tali præconio delectatur, nimirum mentis elatione jam corrupta. Solet autem elationis occultæ præludium plerumque comitari corruptionis affectum : quod genus ulceris sæpe sordidissimo curatur emplastro, sicut scriptum est : *Balteum regum dissolvit, præcingit fune renes eorum* (*Job* XII). Unde Augustinus : « Audeo dicere : B plerumque superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, quæ jam sibi placendo ceciderant. » Salubrius enim sibi Petrus displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. Igitur elephas bene dentatus est, qui contra procorum vel potius porcorum grunnitus importunos non solum verbis obtingit asperrimis, sed etiam ore dentato indignantis animi remordet et repercutit, et cornuta fronte voluntatis refugæ ita semel petitorem repellit et vincilat, ut secundo opus non sit. Sic respondebat B. Agnes dicens (59) : « Discede a me fomes peccati, pabulum mortis, nutrimentum facinoris. » Sic respondere docet philosophus dicens (60) : « Efferat C matrona oculos jacentes in terram, et adversus officialem salutatorem inhumana potius quam inverecunda sit : longeque ante pudicitiam suam ore, quam verbo neget; nemo enim canens fortiter iterum rogatur. » Sic respondit martyr ille invictissimus, qui quoniam ligatus manus et pedes aliter se defendere non poterat, linguam suam allisam in os impudicæ jactavit. Sic respondit occulto tentatori noster ille gratia Benedictus et nomine, urticarum et vepriun volutatione molestissima pruritum bene confricans male blandientem. Fuit ergo Maria per humilitatem et innocentiam thronus, per castitatem et animi constantiam thronus eburneus, per charitatem perfectam thronus grandis, per fecunditatem thronus regius et thronus Salomonis. In throno D quies et tranquillitas, in ebore candor et soliditas, in grandi capacitas, in Salomone pacis fecunditas demonstratur. Nihil conscientia se non remordente tranquillius, nihil animi firmitate solidius, nihil capacius charitate. De primo habes : *Secura mens juge convivium* (*Prov.* XV). De secundo : « *Occidi possunt, flecti nequeunt* (61). » De tertio : *Latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII). Charitas enim latior oceano, et capacior ipso cœlo, hostes colligit ut hospites, et inimicos amplectitur ut amicos : quod nec cœlum, nec oceanus facere possunt. Vere thronus grandis fuit, quæ illum totum capere potuit « quem totus non capit orbis (61*), » sicut et gentilis

(61) S. Greg.
(61*) *Offic. Eccles.*

poeta Christianis versibus laudem ejus pulchre prosecutus est dicens :

Virginei tumuere sinus, intactaque mater
Arcana stupuit compleri viscera partu,
Auctorem paritura suum : mortalia corda
Artificem texere poli. Mundi reparator
Pars fuit humani generis, latuitque sub uno
Pectore, qui totum late complectitur orbem.
Et qui non terræ spatiis, non æquoris unda,
Non capitur cœlo, parvos confluxit in artus.

Sicut autem nihil charitate capacius, ita nihil fecundius pace, juxta illud : *Ecce ego declino in eos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium* (*Isa.* LXVI). Vere thronus grandis fuit, quæ et turris est, sicut de illa in laude sponsæ dicitur: *Collum tuum sicut turris eburnea* (*Cant.* VII). Scimus, quia collo mediante caput unitur corpori, et corpus capiti coaptatur. Collum quoque eminentissimum membrum est corporis, et per collum tanquam per fistulam trajicit sibi vitale stomachus alimentum. Quid ergo per collum exprimitur, nisi mediatrix nostra, felix Virgo Maria; quæ singulariter eminet in corpore, quod est Ecclesia, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, panem scilicet vitæ, qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo? Per Mariam enim factus est Christus caput et sponsus Ecclesiæ, quando Verbum caro factum de virginali procedens utero, tanquam sponsus de thalamo suo, eamdem sibi Ecclesiam connubio junxit stabili, propriamque dicavit. Pulchre autem collum istud turri comparatur eburneæ: turri propter altitudinem, fortitudinem, rectitudinem, gravitatem. In cujus altitudine sublimitas voti et celsitudo meriti, in fortitudine firmitas propositi et securitas humani refugii, in rectitudine desiderii sanctitas et intentionis puritas, in gravitate omnis morum maturitas designatur. Vere turris fuit Maria, sublimis et ardua voto, præcelsa merito, fortis in proposito, recta consilio, erecta desiderio. Vere turris eburnea, virginitate candida, mentis integritate solida, casto timore frigida, mundi contemptu nuda, zelo castitatis armata. Vere adhuc turris eburnea est, proposita cunctis in exemplum sanctimoniæ, circumposita singulis in præsidium pugnæ, superposita omnibus in spectaculum gloriæ, reposita universis legitime certantibus in præmium coronæ. Sane tale collum tali capiti superponi decebat, quod et per omnia conveniret. Quid ergo turri fortius, quid ebore pulchrius? Sicut ergo de capite legitur: *Dominus regnavit decorem induit: induit Dominus fortitudinem et præcinxit se virtute* (*Psal.* XCII) : sic etiam de collo : *Fortitudo et decor indumentum ejus* (*Prov.* XXXI). O pulcherrimum ædificium, quod et thronus et turris est : thronus eburneus, turris eburnea : sed thronus propter Deum, turris propter homines. Thronus ad suscipiendum judicem conversum ad clementiam, turris ad suscipiendum peccatorem conversum ad pœnitentiam. Thronus, qui Deum majestatis et immensum capiat, et lassum reficiat, et iratum mitiget : turris quæ homines confugientes ad se et protegat, et defendat, et salvet. Imitemur, obsecro dilectissimi, turris hujus gravitatem in actibus, candorem in effectibus, suavitatem in moribus, in cavendis excessibus sanctitatem. Sane si sciremus, quam inflexibilis est virga justitiæ, et quam indeclinabilis æquitas judicii, timeremus tam crebro facere jacturam innocentiæ, et ordinis transgressionem. Vidit enim sanctus quidam gravissimas inferri pœnas animabus defunctorum pro talibus excessibus, quos nos insipientes levissimos æstimamus : ut pro risu immoderato verbera gravissima, pro verbis otiosis in facie cædes fere usque ad oculorum excussionem, pro cogitationibus inutilibus, et nimium ex more vagis variam aeris inclementiam; pro gestu dissoluto vincula asperrima et plerumque ignea, pro signorum multitudine superflua, quibus ludicra et otiosa quæque contulissent ad invicem, digiti negligentium vel excoriabantur usque ad palmam, vel super incudes tunsionibus quassabantur. Qui autem vagationes inutiles, et sine necessitate extra claustrum vel cellam quæsierant, licet in ipsa vagatione ordinate se gessissent, tamen quia tædio silentii claustralis. et observantiæ regularis hoc fecerant, et hujusmodi solatia monasticæ quieti prætulerant, durissima de loco in locum jactatione, quasi lapides emissi de fundibulo, collisione omnium membrorum molestissime plectebantur. Sermonem impuritate aliqua, et irreligiositate, vel qualibet turpitudine sordentem, in viris præsertim sacri ordinis, sicut capitalia crimina puniebant. Fugiamus ergo, fratres, ad hujus turris eburneæ fortissimum et inexpugnabile refugium : amando quietem, vitando vagationem, ad omnem levitatem immobiles quasi turris, nullum membrum corporis sine causa movendo : sicut B. Bernardus (62) sanctum Malachiam commendat, quod nemo unquam, etiam si curiose intendit, vidit eum pedem manumve movere frustra. Hæc dicta sint pro his verbis : *Fecit Salomon thronum de ebore grandem* (*II Reg.* X). Reliquam descriptionis partem ad præsens intactam relinquimus.

SERMO XXIII.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM I.

Gaudent in cœlis animæ sanctorum (63). Gaudent, inquam, gaudio magno valde; quia hujus mundi reversæ post liminio recuperare meruerunt cœleste palatium, quasi aurum, prædium, et possessionem paternam. Enimvero illorum possessio generaliter in tribus consistit; in possessione cœlorum, in societate angelorum, et ipsius Reginæ angelorum gloriosæ genitricis Dei, et virginis Mariæ; postremo in beatissima visione Jesu Christi, Domini virtutum et Regis gloriæ. O quam rapidissimi voluptatum torrentes de singulis istorum velut gaudiorum fontibus oriuntur! Nam ut interim de duo-

(62) S. Bern. *in Vita S. Malach.*

(63) *Offic. Eccles.*

bus reliquis taceamus, quanta gaudiorum materia est vel sola cœlorum possessio! *Gaudent*, inquit, *in cœlis animæ sanctorum*. Quidni gaudeant, qui in cœlis jam habitant? Sed quibus cœlis? Qui sunt, vel quot sunt cœli? Judæi 7 cœlos esse dicunt. Adeo enim septenarium commendant, quod etiam 7 cœlos a principio creatos affirmant. Ethnici quoque philosophi illud notissimum cœlum, in quo stellæ fixæ sunt, ex singulis planetarum orbibus cœlos singulos fabricantur. Fuerunt, qui et mundos innumerabiles, et cœlos innumerabiles esse assererent. Quidam vero nonnisi unum esse, vel esse posse dixerunt. Tantum esse enim opus unius cœli, ut secundum fieri non potuerit. Quasi vero omnia magna opera singularia sint: cum videamus tot et tanta flumina et maria huc et illuc diffusa, tot terras latas et spatiosas, tot dracones immensæ longitudinis, tot cetos immensæ latitudinis, tot elephantos immensæ molis. Sed quid ad nos pertinet de Judæorum fabulis, vel philosophorum somniis? Plures cœlos esse, Scriptura veritatis manifeste asseruit, dicens, *Opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis; et omnes ut vestimentum veterascent* (*Psal.* CI.) Sed quot sint quæritur. Paulus ergo apostolus testis veracissimus in medium producatur, qui se dixit raptum fuisse usque ad tertium cœlum (*II Cor.* XII.) Tres igitur cœlos esse manifestissime asseruit. Plures autem quam tres esse, sicut non affimavit, sic nec negavit quidem. Et certe utrum plures sint, nescio: hoc unum scio, quod tres sunt. Nam salvo omni mystico intellectu, secundum quem hæc Pauli sententia solet exponi, etiam de tribus cœlis materialibus mihi ad litteram videtur posse intelligi. Sunt enim tres cœli, de quibus aperte loquitur Scriptura. Est cœlum aereum, est sidereum, est empyreum. Cœlum aereum terræ est proximum, et suis impletum volucribus. Cœlum sidereum a terra est remotum, et suis stellatum sideribus. Cœlum empyreum longe ab utroque est exaltatum, et suis ornatum beatis spiritibus. De primo habes: *Volucres cœli, et pisces maris* (*Dan.* III). De secundo: *Benedicite, stellæ cœli, Domino* (*ibid.*). De tertio: *Cœli, cœlorumque virtutes, ac beata seraphim* (64). Primum cœlum, quod est aereum, ad beatitudinem animarum non pertinet; quia et ipsum multum miseriis subjacet, et tempestatibus et procellis quatitur, juxta illud poeticum:

Fulminibus terræ propior succenditur aer.

(LUCAN. *Phars.* lib. II).

Denique cœlum illud non solis volucribus, sed etiam dæmonibus datum est ad habitandum: qui ibi positi sunt, non ad ornatum aeris, sicut mentiuntur philosophi; sed ibi usque ad diem judicii tanquam in carcere sunt inclusi. Porro ex duobus aliis cœlis, scilicet sidereo et empyreo, cum suis, ut ita dicam, appendiciis constituitur illa domus cœlestis, de qua scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII): ita tamen, quod hujus domus cœlum sidereum quasi pavimentum est, sive fundamentum; cœlum vero empyreum superior structura. Hæc autem domus multis in Scriptura sacra nominibus nuncupatur. Dicitur enim cœlum, terra, thalamus, desertum, patria, civitas, curia, cubiculum, templum. Cœlum dicitur a serenitate, terra a loci firmitate et bonorum omnium fertilitate, desertum a capacitate salvandorum omnium respectu multitudinis perditorum, patria a naturali soli dulcedine, quæ mentes ad se allicit, quasi solum omnium naturale, juxta illud:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

(OVID., *De Ponto*, lib. I).

Illam vero patriam concupiscunt, etiam qui illius cives non sunt, quia licet illa paucorum sit ex gratia, tamen esse omnium debuit ex natura. Deus enim Pater omnium creatione est, quamvis paucorum adoptione. Civitas appellatur a concordi civium multitudine in unam rempublicam coeunte; curia, ut ait Augustinus, quia ibi agitur cura de nobis; palatium, propter regalis illius ædificii structuram pernobilem; aula, propter personarum ibi assistentium magnam nobilitatem; regio a loci magnitudine; regnum a justitia quæ ibi maxime regnat; domus a sacra et stabili mansione cohabitantium, et a multitudine mansionum, juxta illud: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV). Non enim ibi militatur, tanquam in tabernaculo; sed habitatur, tanquam in domo. Atrium vero nuncupatur a solemni frequentia ibi collaudantium, et choros ducentium, juxta illud: *Atria ejus in hymnis confitemini illi* (*Psal.* XCIX), metonymice continens pro contento; thalamus, a maritali conjunctione Christi et Ecclesiæ; mons, ab eminentia et sublimitate; cubiculum, a summa et secretissima voluptate ibi quiescentium; templum, a sanctimonia ibi ministrantium Christo sedulitate infatigabili, et ab indefesso clamore laudes ibi canentium divinæ majestati. O templum sanctitatis! o cubile voluptatis; thalamus nuptiarum, atria ludentium! o domus Dei, regnum æternum, regio lucis! o aula nobilium, regale palatium! O angelorum curia, civitas gloriosa, patria dulcis, desertum fertile! o terra fluens lacte et melle, cœlum serenum, et sine nube! o mons excelsus valde, *mons coagulatus, mons pinguis*; *mons, in quo beneplacitum est Deo habitare* (*Psal.* LXVII); mons in quo præparatum est convivium pinguium, convivium vindemiæ; pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ! Igitur in nomine templi significatur sanctitas, quæ, ne tristis et molesta putaretur, ipsum templum vocatum est cubiculum, in quo significatur voluptas, quæ ne vulgaris putaretur, secreta et intima per

(64) *Offic. Eccles.*

thalamum designatur, juxta illud: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV). In atrio significatur solemnis jucunditas; nam atrium nil aliud est, quam platea. In plateis autem solent ludi celebrari. In domo stabilitas, in regno potentia, in regione abundantia et amplitudo, in aula generositas, in palatio pulchritudo, in curia ordinata dominatio, in civitate pax et concordia, in patria possessionis dulcedo, in deserto possidentium raritas pretiosa. Nam desertum dicitur, non propter locum incultum, sed propter stultam multitudinem ipsum deserentium. In terra firmitas beatitudinis, in cœlo serenitas claritatis, in monte sublimitas habitationis.

In illo templo non ministrant nisi sancti, in illo cubiculo non dormiunt nisi pudici, in illo thalamo non cubant nisi virgines, in illo atrio non ludunt nisi innocentes, in illa domo non habitant nisi unanimes, juxta illud: *Deus, qui inhabitare facis unius moris in domo* (*Psal.* LXVII). In illo regno non regnant nisi pauperes, juxta illud: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Et tamen in illa regione non sunt nisi negotiatores prædivites et præpotentes, juxta illud: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*, etc. (*Matth.* XIII). Item: *Deus potentes non abjicit, cum sit ipse potens* (*Job* XXXVI). In illa aula non assistunt, nisi regi Christo in humilitate servientes. Summa enim ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur. In illo palatio non regnabunt nisi spiritualibus mollitiis involuti, velut purpura verecundiæ, et bysso castitatis. *Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* XI). In illam curiam non intrabunt nisi quærentes et curantes non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi (*Philipp.* II); et quod aliis est utile magis quam quod sibi. In illa civitate non morantur nisi concordes et pacifici. Ad illam patriam non revertuntur, nisi gementes et flentes, quia incolatus suus prolongatus est (*Psal.* CXIX), et ideo repatriare festinantes, et ex toto animo concupiscentes. Hæc est enim loquela, quæ manifestos facit indigenas illius patriæ, hoc est eorum idioma, fletus et suspirium pro desiderio revertendi. Per illud desertum non deambulant, nisi desertores multitudinis, et amatores solitudinis, juxta illud Pythagoricum: *Per viam publicam ne ambules*; et illud evangelicum: *Domine, si pauci sunt, qui salvantur*, cui respondetur: *Contendite intrare per angustam portam* (*Luc.* XIII). Ac si dicatur: Discite paucos esse. In illo monte non requiescit, nisi *innocens manibus, et mundo corde* (*Psal.* XXIII); nisi de virtute in virtutem ascendens, nisi communem aliorum vitam transcendens.

In illo cœlo non gaudet, nisi qui conscientiam servat, nisi qui tenebras fugitat, ac etiam fugat, nisi qui lucem amat. Illud enim cœlum semper suo die fruitur, semper sole illustratur. Postremo illam terram non possident, nisi mites et mansueti.

A *Beati enim mites; quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V). Et item: *Mansueti hæreditabunt terram* (*Psal.* XXXVI). Sed quam terram? Non utique terram morientium, sed viventium, de qua dicitur: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI). Est enim terra mortuorum infernus, et est terra morientium iste mundus, vel corruptibile hominis corpus. Terra vero viventium est corpus immortale quod habituri sumus; vel cœlestis illa domus in qua habitaturi. Et vere beati, qui illam terram sunt possessuri. Quam terram? Non terram, quæ germinet spinas et tribulos (*Gen.* III); non terram quæ subjaceat maledicto, vel quæ percutiatur anathemate; non terram sterilem

B et infecundam, sed terram fertilem et opimam, quæ præ deliciis et divitiis devorat habitatores suos (*Num.* XIII); terram promissionis et possessionis; promissionis quantum ad nos, quibus adhuc promittitur, nondum datur; possessionis quantum ad illos a quibus jam possidetur, quæ est terra quæ fluit lacte et melle.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V). Quid enim? Si terra ista morientium maledicto subjacens, et percussa anathemate, et germinans spinas et tribulos illis, a quibus colitur, tot tamen et tanta voluptatum genera suis generat habitatoribus, quanto plura et majora credenda est illa terra viventium suis possessoribus generare? Si terra ista maledicta tantum delectat miseros

C mortales, suis vel florum coloribus, vel fructuum saporibus, vel odoribus specierum, vel suavitatibus diversorum concentuum, quanto magis terra illa omni benedictione repleta delectare credenda est beatos et immortales? Nunquid ibi deesse credendi sunt vel colores pulcherrimi, vel odores peregrini, vel sapores delicatissimi; vel suavissimi vocum concentus? Sed hæc, inquies, corporalia bona sunt. Plane spiritualia similia esse possunt. Nam et bona corporalia nulla corpora delectare, nisi animata, possunt. Inanimata enim ista non sentiunt. Porro si anima incarcerata in corpore suis delectationibus utitur, nunquid, relicto corpore, voluptatibus omnibus privatur? Quod si non potest gaudere, nisi in corpore, eadem ratione non potest dolere,

D nisi in corpore. Ergo non potest sentire nisi in corpore, nec vivere nisi in corpore. Sicut enim nullum gaudium sine sensu, sic etiam nullus dolor. Ubi enim nullus sensus, ibi plane nullus vivendi modus, nullumque vitæ genus; et generaliter nulla omnino vita. Quare omnino anima non vivit sine corpore, aut sentit sine corpore. Quod si de uno sensu conceditur, necessario et de omnibus. Relinquitur ergo, ut anima etiam extra corpus posita videre possit, et audire, et olfacere, et gustare, et tangere. Alioqui dicendum erit, et angelum et Deum nihil istorum facere, quæ corporea non sunt. Quid ergo, inquies? Habet ne spiritus incorporeus oculos et aures, et membra cætera? Respondeo, non. Ista quidem necessaria sunt corpori, ut per

hujusmodi membrorum instrumenta sensuum suorum exerceat officia. Sed non sunt necessaria spiritui, qui, quoniam simplex est, etiam sine istis sentire potest, sicut etiam sine istis vivere. Anima ergo ex se tota videt et audit, sicut ex se tota tangit. Non enim solus tangendi sensus generalis est per eam totam, sed et omnes alii sensus per eam totam exercentur. Non enim ex uno membro videt, et ex alio audit, cum membra non habeat, nec ex alia parte videt, et ex alia non videt, cum per partes divisa non sit; sed ipsa tota apta est ad videndum, ad audiendum, ad olfaciendum, ad gustandum, sicut et ad tangendum. Quod si cui mirum videtur, cogitet de ea, quod majus est: et istud quod minus est, mirum non videbitur. Si enim anima, dum in corpore est, tota est in singulis corporis partibus: B quid mirum est, si quando extra corpus est, tota est ipsa in singulis suis sensibus? Efficacius igitur sentit extra corpus, quam in corpore. Tunc enim quidquid sentit, ut vulgo dicitur, ad modum spiritus sentit. Tunc etiam quidquid sentit, de toto sentit, nihil de parte; cum nihil circa se habeat, unde facere valeat. Tunc ergo clarius videt, acutius audit, et validius odoratur, et intimius gustat, et fortius, et quodam modo pressius tangit. Et hinc est, quod vehementius gaudet aut dolet. Cum autem corpus suum receperit, non jam animale, sed spirituale; non grave, sed leve, non quod ei sit oneri, sed honori, istam sentiendi non perdet efficaciam, sed vehementius retinebit totam. Habet ergo, sicut C dixi, anima jam corpore exuta suos colores, odores, et sapores; aut sibi congruos, quibus delectetur; aut sibi contrarios, quibus crucietur: quod jam sicut per argumenta monstravimus, sic jam monstrabimus per exempla. Legimus ad multorum sanctorum cadavera multam de cœlo lucem effulsisse, multos adfuisse conventus cœlicos, multosque edidisse cantus dulcissimos, multisque suavissimis odoribus ex sua præsentia præsentes aspersisse. O quanta est in cœlis istorum omnium plenitudo, si tanta est in terris eorum prælibatio! Attestantur quoque philosophi, si tamen verum est eorum testimonium, cœlestis sphæræ motum suavissimum generare concentum. Sed quidquid sit de concentu cœli, indubitanter credo, solam vocem D unius angeli suaviorem esse, quam motum citatissimum firmamenti. Quæ sit autem vox angeli sciri non posse credo ab homine mortali, nisi forte qui cum Paulo raptus fuerit usque ad tertium cœlum, et ibi audierit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII).

O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! (*Baruch.* III.) Qualem namque putamus esse latitudinem regalis illius palatii, cujus pavimentum tam mirabiliter est cælatum, tot oculatum sideribus, illustratum fulgoribus, tanta sublevatum altitudine, discretum latitudine, porrectum longitudine, solidatum firmitudine, pulcherrime adornatum? O qui pulchras domos in terris

A quæritis, quare tam pulchram in cœlo contemnitis; cur in tam vilibus ædificiis divitias vestras insumitis? Denique qualiacunque sint, diruenda sunt, nec relinquetur in eis lapis super lapidem (*Matth.* XXIV). Ubi est domus David cedrina, Salomonis lapidea, Achab eburnea, Cosdroe argentea, Neronis aurea, Assueri gemmea? Ceciderunt omnes, nec adjicient ut resurgant. Quæ etsi possent reædificari necesse esset eas iterum dirui. Felix, qui ruituram et humilem domum commutavit in æternam angelorum! Iturus est enim omnis homo in domum æternitatis suæ (*Eccle.* XII); suæ enim, quam sibi acquisivit merito suo, vel bono bonam, vel malo malam. Pejor est autem mala et æterna, quam mala et ruitura, vel quam omnino nulla. Nihil enim malo immortali infelicius. Ideo felicem dixi, qui ruituram domum commutavit non in æternam simpliciter, sed in æternam et gloriosam. Sunt enim duæ domus æternæ; pessima et optima, infernus et paradisus: quarum prima tota subterranea est, secunda cœlestis. Nullum autem ædificium cœlo gloriosius, nullum durabilius, delectabilius nullum. Quid admiramini pulchra et caduca divitum ædificia? Illud potius inspicere et admirari debetis, quod illorum domus, quanto pulchriores sunt, tanto turpius ædificatæ sunt: quia tanto cum pluribus peccatis, et majoribus nequitiis, et crudelioribus rapinis. Minor quippe pars impensarum de proprio ædificantis est, altior de alieno. Sic enim divites didicerunt assuescere alieno, ut nec unam domunculam de suo sciant facere. De suo quippe pessimi, de alieno liberales sunt; liberalitate tamen tam ingrata, quam superba et mercenaria. Nihil enim gratis dant, et cum pauca præstent, pro magnis imputant, reputantes parva quantumcunque acceperint. Hoc autem in eis turpissimum est, quod cum non indigeant, tamen tanquam indigentes sint, satis improbe multa quasi ex amore rogant, plura timore impetrant, plurima extorquent, omnia vi auferunt. Ipsas ædificiorum materias impudenter petunt ab abbatiis, pecunias illis necessarias injustissime colligunt ab illis, quos super negotia sua constituunt, harpys, operas gratuitas inhumaniter exigunt a subjectis, et sic pulchra ædificia de alieno ædificantes, tamen ita gloriantur, quasi de suo ædificaverint. Miror tamen, si cui videatur ædificium pulchrum, quod non nescitur tam turpiter ædificatum. Quærendum est ab hujusmodi ædificatoribus, cur tantopere laborent in pulchris domibus ædificandis. Nunquid ut in aspectu earum delectentur? Quasi vero quidquam possit esse cœlo pulchrius, vel ornatius firmamento. Miser, si te delectat pulchritudo ædificii, cur non delectat pulchritudo cœli? Certe facilius, si velles, possideres cœlum, quam ædificares tibi palatium. Quippe in emptione cœli sola voluntas in pretio est: in ædificatione palatii necessaria magna facultas.

Verissime ergo dixit B. papa Gregorius: *Nihil vilius regno cœlorum, cum emitur: nihil carius,*

cum possidetur. Hoc regnum, hæc possessio principaliter et proprie pauperum est, illorum scilicet; qui nihil possidere cupiunt in hoc mundo: secundario vero divitum, qui in bonis operibus sunt divites, quibus pauperes sibi obligant, ut pro eis apud Deum intercessores fiant. O quam felix commutatio, suscipere pauperem in hoc tugurio per tempus modicum, et ab eo suscipi in cœlo in æternum! O quanta gloria, fieri pauperem pro te, Jesu bone: et mox apud te fieri patronum pro divite! Unde est illud in Evangelio: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI). *Beati* ergo *pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum; et beati mites, quia possidebunt terram.* (*Matth.* V). Nam et illi cœlum, cum possident, suis amicis possunt distribuere; et isti terram quam possident aliis communicare. O quam infelix et stultus dives, a cujus janua pauper excluditur! cum ipse excludendus sit a porta paradisi, nisi per pauperem quasi per ostiarium introducatur. Idcirco vero pauperes et quilibet perfecti nullam sibi faciunt in terris domum propriam, scientes sibi a Deo domum æternam in cœlis paratam, ut etiam docet Paulus. Unde et pauper canit: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* (*Psalm.* CXXI). Et item: *Replebimur in bonis domus tuæ* (*ibid.*). Propter hujus domus præparationem antiqui sancti ante diluvium, et multi post leguntur domos non habuisse, sed habitasse in tabernaculis et tentoriis, quæ sunt quasi domus mobiles, quæ huc et illuc possunt circumferri; per quod significabant se non habere in hoc mundo civitatem aut domum manentem, sed futuram inquirere. Unde et Christus non in domo, sed in diversorio natus est; ut ostenderet omnem suum discipulum hujus mundi non esse civem, sed peregrinum. Cui concinit illud Catonis apud Tullium [Ita e vita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura nobis diversorium, non habitandi dedit.] Primus fratricida Cain legitur civitatem ædificasse (*Genes.* IV), unde et intelligitur primus domum construxisse. Post diluvium autem turris Babylonica exstructa est.

Primum quidem hominis tegumentum fuit innocentia, secundum contexta ficuum folia, tertium tunica pellicea, quartum domus terrea, sextum lignea, ferrea, et lapidea: et sic paulatim proficiens ad materiam pretiosiorem horum tegumentorum, sive munimentorum. Primum potest dici naturæ; secundum culpæ, tertium miseriæ, quartum verecundiæ, quintum timoris, sextum et cætera quæ sequuntur, superbiæ. Homo enim, perdita innocentia, quasi naturali veste nudatus est, et munimento gloriæ spoliatus. Qui cum se nudum et inermem vidisset, cito de materia quæ primo occurrere potuit, tegimen simul et munimen sibi texuit qualecunque. Illud autem de foliis factum quasi solam celavit culpam, non fugavit miseriam.

A Quasi celavit, dico, non celavit; quia velut quodam præsagio illum fecit apparere tectum et munitum; qui et vere nudus erat, et ad omnes miserias expositus remanebat. Cum vero statuisset Deus punire hominem propter peccatum, in ipsa tamen pœna misertus illius est, propter infirmæ carnis incommodum; ut iam ex tunc impleret illud propheticum: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis* (*Habac.* III). Ideo fecit et tunicam pelliceam, qua et ejus nuditatem tegeret, et infirmitatem ex magna parte muniret. Processu vero temporis, cum cœpisset inter homines innocentia non solum exui, sed penitus exstingui, non sufficiente vestimento ad tegendam libidinem, cœpit domus ædificari ad turpitudinem protegendam, sicut B scriptum est: *Initium vitæ hominis aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem* (*Eccli.* XXIX), id est protegens contra turpium improbitatem. Turpitudo autem quantum ad oculos hominum, tam bene tegitur calamo quam auro: sed castitas contra mores turpium non tam bene tegitur feno quam ligno: et illa crescente malitia cœpit esse necessaria non tantum tectio libidini, sed protectio castitati, et tuitio iniquitati: et ita primum ex necessitate, deinde ex abundanti iniquitate et timore cœperunt proficere tuguria in palatia, sepes in mœnia, villæ in oppida, vici in civitates.

Porro sobrietatis antiquæ adhuc apud gentes quasC dam vestigia remanent. Scythæ quidam domus non habent, sed plaustris vehuntur: quæ coriis tecta sunt contra imbres et ardores: gymnosophistæ in Indiæ solitudinibus non solum sine domibus, sed etiam sine vestibus nudi philosophantur. Sallustius de gente Mundarum testatur quidem humiles domos habere, quæ ventri carinæ assimilentur. Et revera quanta insania est, unum hominem tantum laborare in laxitate magnarum domorum et corporalis multitudinis, qui tam parvo capitur corporis domicilio! Quid illi proderunt facta in corpore sumptuosa ædificia, quando ipsum corpus relinquet anima? Ut quid perditio hæc? potuerunt et debuerant ista relinqui, et impensæ dari pauperibus. Nostri autem divites, sicut de Megaræ civibus dictum est, vivunt, D quasi crastino morituri; ædificant, quasi semper victuri. O quam pessimum ordinem, id enim pessimum ædificare virtutes, quasi semper morituri simus; et vivere, quasi semper victuri. Sic enim consuleretur corporis sanitati, et impensis parceretur. Certe sufficiebat ruitura domus hospiti ruituro; sicut mortale corpus factum est homini morituro. Quanta est insania, ruiturum mox hominem sic ædificare, quasi semper victurus esset? *Præterit*, inquit Apostolus, *figura hujus mundi* (*I Cor.* VII): et tamen sic volunt homines habitare in hoc mundo, quasi nunquam præterituri. At hic dicet quis: Cur ergo vos Cistercienses, quanquam reliquistis omnia, sobrietatem et paupertatem professi estis, tam sumptuosa et superflua construitis ædificia? Poteratis,

imo debueratis ista dimittere; et expensas pauperibus erogare. Quasi vero pro pauperibus ista non fiant.

Fiunt enim non solum pro pauperibus præsentis temporis, sed etiam longe post futuris. Sed minus simplicia, inquit, fieri poterant. Quid si tam sumptuosa necessaria erant? Neque enim si quid sumptuosum, statim et superfluum. Denique quid in eis curiosum; quæ ibi aut picturæ, aut sculpturæ, aut nihil sustinentes columnæ? Imo quid in eis non necessarium? Magna enim sunt, ut ubertas sperata fructuum simul potius reponatur, quam sub multis ædibus et custodibus dispergatur. Lapidea sunt, ut ruinis et incendiis, et cæteris periculosis casibus facilius resistatur. Hæc autem dico de ædificiis tantum, quæ victualibus repositoria sunt, et mensuram congruam non excedunt : in quibus non solum monachorum, sed pauperum et peregrinorum victualia reponuntur. Cæterum hæc nostra, meticulosa licet, excusatio nil habitura est momenti, nil allatura patrocinii illis de professione nostra, qui quasi pugnantes cum divitiis, inexhaustis et occultis nummorum scaturiginibus, ædificant palatia pro hospitibus, mœnia pro muris, turres pro refectoriis, castra pro dormitoriis, templa pro capitulis, castella pro templis, villas pro grangiis. Sane merito a sæcularibus pro his excessibus subsannantur : quando poterat sine istis cœna fieri in refectorio, pauper recipi in hospitio, frumentum congregari in horreo, somnus capi in dormitorio, venia peti in capitulo, divinum officium in templo celebrari. Sed dicunt, non pro solis nobis hæc facimus, sed pro religiosis qui futuri sunt apud nos. Quasi vero non sufficiat diei malitia sua, nisi adjiciatur et sollicitudo de die non solum crastina, sed et post centum annos futura. Plane vivendum nobis est in nostro tempore, non in alieno. Satis magna est miseria, nos esse sollicitos de necessariis ætati nostræ sufficientibus; cur nobis imponimus onera futurorum? Satis magna charitas est, alterum alterius onera portare, quod solum de contemporaneis intelligi potest; neque enim alter est a me qui non est. Qui autem nondum est, non est.

Non ergo futurorum onera jubemur portare, sed solum præsentium, et nobiscum viventium : et utinam vel ista faceremus. Certe qui hoc faceret, teste Apostolo, legem impleret (*Galat.* VI). Quænam autem est charitas, non exaudire pauperem jam clamantem ad ostium, et exstruere ædificium clamaturo : nihil dare jam esurienti, et reservare eleemosynam nondum existenti ; qui tamen quando erit, forte de his quæ præparas nil habebit? Tu enim præsenti exemplo stultæ parcimoniæ aures successorum tuorum ad non exaudiendum clamantes instruis; et ungues avarorum acuis ad tua rapiendum. Denique si pauperes sumus, et volumus credi, cur nos facimus divites æstimari? Ista quippe tanta

A ædificia licet pauperibus a nobis pauperibus fiant : difficile tamen creduntur esse pauperes, tanta in ædificiis impendentes. Difficilius autem creduntur ista pauperibus fieri, quæ non tam profutura sunt pauperum alimoniæ, quam divitum rapinæ. Licet enim hæc ipsa ædificia tum propter inhabitantium religionem, tum ob divini cultus celebrationem vere sancta sint ; tamen quia nimis sumptuosa sunt, non tantam apud sæculares lucrantur reverentiam, quantam invidiam de nimia sumptuum quantitate. Certe templum Salomonis sanctum fuit et venerabile; tamen quia tam sumptuosæ facturæ fuit, et vasa tam concupiscibilia habuit, plus provocavit gentes ad suarum divitiarum rapinam, quam ad suarum cæremoniarum observantiam. Sed hæc
B dicta sint pro contemnendis magnis et pulchris ædificiis; quæ amatores suos multum impediunt ad obtinendam domum non manufactam æternam in cœlis, ubi modo gaudent animæ sanctorum. Gaudent, inquam, primo, sicut jam diximus, de sua triplici liberatione, deinde de sua triplici possessione : cujus prima pars est hujus æternæ domus jam evicta possessio. De qua hactenus dixisse sufficiat : quod superest, pro vitando tædio, sermoni alteri duximus assignandum.

SERMO XXIV.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM II.

Gaudent in cœlis animæ sanctorum (65). Vulgo dicitur : Qui de suo prandio aliquid reservat, inde
C melius est, quando cœnat. Scitis quod hac ipsa die anni præteriti de hac eadem antiphona specialis cantici dulcedine referta spirituale vobis prandium præparavi : et fortassis nec tam utile, nec tam acceptabile, quam oportuit, sed certe quantum utiliter a me parari potuit. Verumtamen in illo prandiolo minime vobis apponere volui illud minimum quod potui. Nam cum fere dimidium affatim suffecerit loco et tempori, totum apponere non utile judicavi. Illud quippe modicum, quod tunc fuit appositum, tam larga Domini benedictione multiplicatum est, ut ad instar illius refectionis evangelicæ, impletis convivantibus, fragmenta superfuerint (66). Quæ nunc juxta Domini præceptum, cum summa diligentia et gratiarum actione studui colligere : ut ex
D illis hodie cœnam vobis instruerem, præmisso prandio non minorem. Ad cujus cœnæ reverentiam, ne tanquam illotis manibus accedatis, pauca velut in ablutionem manuum censui perfundenda. *Gaudent in cœlis animæ sanctorum*, etc. Dixi vobis et jam audistis, quod duo cantica citharœdorum cælestium ex hac nobis antiphona resonarent; videlicet canticum viæ, et canticum patriæ, canticum exsilii, et canticum regni; canticum militantium pro cœlorum regno, et canticum regnantium jam in cœlo. Ex his duobus primum, quod est canticum viæ, quod semper naturaliter habet præcedere, necesse habui primum vobis explicare.

(65) *Offic. Eccl.*

(66) Alludit ad factum Christi, *Joan.* VI.

Sequitur ergo, ut de secundo, id est de cantico patriæ verbum meum redimam : quippe ad ejus redemptionem promissionis vinculo jam ligatus. Et certe quod cum rubore fateor, consultius esset me nihil promisisse. Nam cum, ut ait quidam sanctus (67), nemo possit ructare quod non gustaverit, et juxta quemdam alium (68), grandes materias ingenia parva non sufferant; quid de immortali gaudio sanctorum disserere poterit mortalis homo, et præcipue peccator levioris scientiæ, gravioris conscientiæ? Proinde recurrendum mihi est ad illud salutare consilium beati Benedicti (69), videlicet ut quod minus habet natura possibile, rogemus Deum, dignetur nobis suæ gratiæ adjutorium ministrare. Rogandus autem est non solum a me, sed et a vobis : quia non tam mihi loquor, quam vobis.

Denique ista dicitur fuisse consuetudo beati Augustini, ut quoties sermonem faceret ad populum, si difficilis locus incideret, ad impetrandum congruum transitum prius preces populi postularet. Et vos igitur in causa simili adauctis votorum clamoribus, invocate pro me illius clementem potentiam, et potentem clementiam, qui fecit surdos audire et mutos loqui : quatenus verbi sui clave potentissima linguæ meæ vinculum resolvat ad gratiam, et cordis vestri ostium aperiat ad intelligentiam; et nostræ simul omnium voluntatis ad obedientiam pessulum repellat. Alioqui frustra verbum de cœlesti gaudio vel audit vel loquitur, qui cœlestis regis imperio obedire dedignatur : juxta illam promissionem Domini comminatione mistam : *Si volueritis et audieritis me, bona terra comedetis. Quod si nolueritis* etc., *gladius devorabit vos. Os enim Domini locutum est* (*Isa.* I). Ubi manifeste ostenditur, quod refectionem bonorum cœlestium nemo melius, imo nemo aliter aut mercari aut mereri potest, nisi per obedientiam præceptorum. Alioqui a gladio verbi Dei devorabitur, id est sententia damnationis æternaliter involvetur, et massæ perditorum insolubiliter incorporabitur : ut jam non magis deinceps damnationem possit evadere, quam cibus incorporatus de corpore exire. Quod autem ait, *devorabit*, significat totalem corporis et animæ perditionem. Quia quod devoratur, integrum absorbetur, non particulatim mordetur : sicut devoratur halec a ceno, vel rana a lucio : sicut devorati sunt reprobi integraliter ab inferno. Optima autem ratio, quod *os Domini locutum est* : quasi diceret : Non os hominis, quod sæpe impune contemnitur; sed os Domini, cui dicere facere est : cujus maledictio damnatio est perpetua et benedictio salus æterna. Os autem Domini recte appellari potest quilibet catholicus prædicator, quia divini verbi est prolator. Unde et illi dicitur a Domino : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris* (*Jer.* XV). De talibus quoque dictum est : *Qui vos audit me*
A *audit; et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X). Ergo os Domini vobis loquitur, quando vobis loquimur : Nolite errare : non impune contemnemur, non frustra audiemur : aut de auditu nostro salvandi estis, aut damnandi de contemptu.

Gaudent in cœlis animæ sanctorum. Triplex est in cœlis animabus sanctorum materia gaudendi. Gaudent enim de liberatione sua, gaudent de possessione sua, gaudent de exspectatione sua. Gaudent de eo quod ereptæ sunt, de eo quod adeptæ sunt, de eo ad quod perventuras se certissime sciunt. Gaudent de malo quod jam non habent, de bono quod habituras se prævident. De singulis per ordinem videamus. Tria mala non habent animæ sanctorum corporibus exutæ, in quibus omnis humana
B miseria continetur. Jam enim peccatum nullum habent, jam dolorem nullum sustinent, jam periculum nullum timent. Jam solutæ sunt ab omni nexu culpæ, ab omni sensu pœnæ; a metu et periculo utriusque. His autem tribus malis nunquam carere poterant, dum in corporibus erant. Nam sine primo et tertio nemo vivit hominum, sine secundo nemo sanctorum. De primo habes : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). De tertio : *Qui stat videat ne cadat* (*I Cor.* X). Quod si omnes stantes cadere possunt, ergo omnes in periculo sunt. De secundo dixit Jesus discipulis suis : *Amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem*
C *gaudebit*, etc. (*Joan.* XVI). Hoc proprie sanctis dicitur, a quorum salutari et temporali tristitia iste mundus excipitur, et ideo excluditur ab eorum lætitia sempiterna. *Corpus* ergo *quod corrumpitur* et *aggravat animum et terrena inhabitatio*, quæ *sensum deprimit multa*, id est varia et mutabilia *cogitantem* (*Sap.* IX), probat nos sine peccato non esse, quia illud unum quod est necessarium, non semper cogitemus. Quod autem *in multis offendimus omnes* (*Jac.* III), et quod *dum sumus in corpore peregrinamur a Domino* (*II Cor.* V), demonstrant nos sine dolore esse non debere. Quod vero *Non est colluctatio nobis adversus carnem et sanguinem*, subaudi tantum, *sed* etiam *adversus principatus et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes* VI),
D significat nos sine periculo esse non posse : et de nobis semper timendum esse. *Beatus* enim *homo, qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Alioqui qui peccatum habet, et inde non dolet, nec principium habet justitiæ. Qui autem periculum suum videt, et inde non timet, nec principium habet sapientiæ. Nam porta justitiæ dolor est culpæ : et *initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX). Sicut autem peccatum justissima causa dolendi est, sic periculum causa timendi.

Hæc tria mala sanctos omnes militantes in corpore comitantia, significant tria Ecclesiæ sacra-

(67) S. Bernard.
(68) S. Hieron.
(69) In Prolog. Regul.

menta, ad eorum significationem simul et cautionem instituta, quæ sunt pedum ablutio, cineris impositio, aquæ benedictæ aspersio. Horum primum a Domino institutum est, duo sequentia ab Ecclesia. In ablutione pedum significatur, quod quandiu super terram vivimus, aliquid de pulvere peccati contrahimus, a quo sanari necesse habemus. Unde hæc institutio magis a monachis frequentatur, quam ab aliis; videlicet ad significandum, quod quamvis mundum reliquerint, quamvis omnibus renuntiaverint, quamvis communem aliorum vitam transcenderint, tamen dum in corpore sunt, sine omni peccato esse non possunt; et ideo si lavari volunt a Domino, oportet ut laventur alter ab altero; id est ut alter dimittat alteri, quod adversus eum habet : alioqui juxta parabolam de servo nequam (*Matth.* XVIII), sic et Pater cœlestis faciet illis, nisi remiserint unusquisque fratri suo de cordibus suis. Igitur hoc sacramentum ad tria institutum est : ad mysterium, ad remedium, ad exemplum. Ad significandum peccatum per sordes pedum, quæ vix a pedibus abluuntur. Ad fraternæ charitatis remedium per ablutionem mutuam; ad humilitatis exemplum nobis a Domino relictum, quod et in flexione genuum demonstratur. Hanc autem pedum ablutionem voco sacramentum, quod sacræ rei signum est. Significat enim duas virtutes maximas, primam et postremam, humilitatem et charitatem, quæ sunt omnium bonorum α et ω, principium et finis. Nam ab humilitate inchoatur omne bonum, in charitate consummatur. Idcirco et ista sacramentalis pedum ablutio non incongrue mandatum antonomastice appellatur, scilicet quasi mandatum mandatorum. Unde et cæterorum consummatio, post alia omnia a Domino traditum est, non solo verbo datum, sed exemplo ipsius commendatum. In quo quodammodo visibiliter expressa est divinæ majestatis humilitas, et pietas Patris. Hujus mandati dulcedinem et efficaciam optime noverat beatus ille Thomas Cantuariensis archiepiscopus, qui singulis noctibus XII fratribus flexis genibus propriis manibus pedes lavabat et tergebat; plorans per singulos; vel pro recompensatione talis obsequii preces a singulis expetebat. Quisquis autem lavat pedes alteri, vel lavatur ab altero, et non dimittit ex corde fratri veniam deprecanti, sic est inter fratres suos, sicut fuit Judas inter apostolos, quem nec ipsa magistri charitas et humilitas provocare potuit ad depositionem rancoris in animo præconcepti. Inde cineris impositione significatur, quale peccato stipendium debetur, videlicet necessitas moriendi et combustio ignis. Sicut enim lignum inutile debetur igni, sic peccatum combustioni. Et sicut ignis desinit necessario in cinerem, sic peccatum in mortem. Unde : *Stipendium peccati mors* (*Rom.* VI). Ideo peccatori cinis imponitur, ad habendam mortis memoriam, et ad revolvendum semper in pectore ig is gehennalis vindictam. Unde illi dicitur : Memento homo, quia cinis es, et in cinerem reverteris (*Job* XXXIV). Ideo etiam apud philosophos, prima, ut ait Basilius, definitio philosophiæ est meditatio mortis. Hujus sacramenti primum nobis exemplum dedit Job, qui pœnitentiam egit in favilla et cinere. Porro utilitatem memoriæ mortis brevissime et plenissime definivit, qui dixit (70) : « Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. » Ideo beatus Germanus Antissiodorensis episcopus, ut hanc memoriam jugiter haberet in corde, cinerem comedebat, et in cinere dormiebat : ut etiam ad litteram impleret illud Davidicum : *Cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI). Quid hic dicunt Christiani nostri sæculi, et præcipue sacerdotes et clerici, qui se non incinerant, sed balsamant; qui non plangunt, sed plaudunt; qui non in sacco et cilicio dormiunt, sed in purpura et bysso lasciviunt? O honor populi Christiani, ubi es?

In aspersione aquæ benedictæ significatur, semper nobis venire obvios invisibiles inimicos. Unde et ad primam intrantes ecclesiam, et post completorium exeuntes de illa nos aspergimus, significantes, quod sive vigilemus, sive dormiamus, semper et ubique adversarios nostros offendimus paratos ad nocendum. Quid hic dicent filii diffidentiæ, qui nec Deum timent, nec hominem reverentur : qui semper in stolida securitate sunt, quasi opera sanctorum habeant, qui tuta omnia putant, cum ubique hostes lateant in insidiis? O stulti et cæci filii sæculi, qui ponunt fortunæ mensam, fortunatos se arbitrantes, si semper paratum habeant ad caput œnophorum cum scypho, non urceolum aquæ benedictæ cum aspersorio : qui pericula proxima non vident; aut si vident, non timent, non cavent; periculose dormientes in mediis serpentibus, et perniciose cum hostibus fœdus ineuntes. Hinc est enim, quod illos incautos et securos toties mordet nunc hypnale luxuriæ, nunc prester superbiæ, nunc hemorrhois iracundiæ, nunc elationis pareas, nunc detractionis scorpio, nunc lethalis odii basiliscus. Contra morsus hujusmodi serpentium, contra assultus istorum hostium, data est nobis aquæ benedictæ aspersio, non solum in mysterium, sed etiam in adjutorium. Aquam enim benedictam valde timent dæmones; non quia aqua est, sed quia benedicta est; quia invocatio divini nominis super eam facta est, cum terribili memoria judicii super eos venturi. Magis autem timent virtutes ipsas, quæ per aquam benedictam significantur : in quarum significatione aqua ipsa exorcizatur. In aqua enim benedicta tria sunt, aqua, et sal, et invocatio divini nominis. Aqua significat timorem, sal discretionem, invocatio fidem vel orationem. Timor enim cupiditatis æstum refrigerat, discretio cum cæteris virtu-

(70) Hieron. ep. ad Cyprianum.

tibus saporem præstat, fides vel oratio impetrat. Aqua sine sale est timor sine discretione. Timor indiscretus est, quando magis timetur homo quam Deus; vel quando timetur sine spe. Timendum est enim in spe, et sperandum cum timore. Sed nec timor nec spes prodest, vel potest aliquid sine fide. Fides autem quidquid potest, in Dei nomine potest: et ideo duobus prædictis adjungitur divini nominis invocatio.

Hæc sunt arma potentia Deo, quibus resistendum est diabolo, nobis adhuc positis in agone, et in ambiguo certamine, dubia pendente victoria, et huc atque illuc spe inclinata. Sed jam istis armis animæ sanctorum corporibus exutæ non indigent, quæ periculum nullum timent. Merito ergo gaudent in cœlis, liberatæ non solum a malis omnibus, sed etiam a causis malorum. Emundata est in eis omnis macula, abstersa omnis molestia, exclusus omnis timor, omne periculum transcensum, avulsæ ab eis tentationes, nec potest in eos inimicus suæ malitiæ jacula contorquere. Unde dicunt Deo exsultantes: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (*Psal* LXV). Quod est dicere: O Domine, omne genus tentationis, te auxiliante, evasimus: aquam timoris et tribulationis et corruptionis, te navigante, tranavimus; ignem concupiscentiæ, et ignem pœnæ, te afflante, transilivimus: et educti sumus in refrigerium, id est in locum securissimum: ubi jam nec culpa maculet, nec pœna sauciet, nec periculum terreat, aut conturbet. Hoc triplex gaudium animarum de triplici liberatione Psalmista his verbis declarat: *Convertere, anima mea, in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu* (*Psal.* CXIV). Vox est animæ sanctæ de ergastulo carnis eductæ, quasi dicentis sibi: Anima mea, considera, mensura requiem tuam: tuam dico, non quam acquisisti merito tuo, sed quam meruisti ex Dei dono. Et hoc est, quod sequitur: *Quia Dominus benefecit tibi*: id est quia Dominus hanc requiem dedit tibi. Quam vero requiem dederit ei, declarat dicens: *Quia eripuit animam meam*, etc. Eripuit animam a morte, id est a peccato, quod est animæ causa moriendi: oculos a lacrymis, id est sensus ab omnibus molestiis, quæ sunt oculis causa languendi: pedes meos a lapsu, id est affectus meos a periculoso carnis lubricæ comitatu, quæ est affectui causa relabendi. Vel sic: Eripuit animam meam a morte, id est ab æterna damnatione; oculos meos a lacrymis, id est a pœnis purgatorii, quæ sic lavant delicta in futuro sæculo, sicut lacrymæ in præsenti, licet acrius: pedes meos a lapsu, id est ab omni periculo et relabendi metu. Et nos si volumus ad hoc primum gaudium animarum de triplici ereptione pervenire, oportet ut in præsenti enitamur eripi a morte peccatorum, a lacrymis dolorum, a periculo lapsuum. Quarum ereptionum prima acquiritur per confessionem et pœnitentiam, secunda per securitatem conscientiæ et patientiam, tertia per timorem et cautelam. Nam omnia in confessione lavantur, et pœnitentia liberat a morte. Illa est peccatorum ablutio, ista est prima mortuorum resurrectio. Porro secura mens quasi juge convivium; et patientia cuivis dolori remedium est. Duo enim sunt dolorum genera: est dolor cordis, est dolor corporis. A primo eripit secura conscientia, a secundo patientia. Secura vero conscientia in duobus consistit: in purgatione peccati de præterito, et firmitate propositi de futuro. Qui purgat peccata præterita, et non proponit et satagit, ut caveat futura, securus est a tergo, sed non ab ante. At qui habet firmum propositum de cavendis futuris, sed non dolet de perpetratis, quasi munitus et securus est a pectore, sed inermis a tergo relinquitur. Qui vero pro commissis conterit cor suum, et affligit corpus suum, et insuper ad cavenda futura firmum habet propositum: ex omni parte securus est. Patientia vero quasi murus ferreus est, cujusvis doloris gladio impenetrabilis. Qui autem timidus et cautus est, non facile periculum potest incurrere. Nullo autem modo melius cavere possumus periculum, quam fugiendo locum periculosum, scilicet mundum. Sed quomodo mundum fugere possumus, quandiu in mundo sumus? Audi quomodo: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Item audi alium modum fugiendi mundum: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (*I Joan.* II). Igitur tria sunt genera fugiendi mundum. Primi abrenuntiant mundanis rebus, sed non desideriis: secundi desideriis, sed non rebus: tertii rebus et desideriis. Primi mundum fugiunt corporaliter, secundi mentaliter, tertii dupliciter, id est mente et corpore. Primi sunt falsi claustrales, secundi boni sæculares, tertii boni claustrales. Primi ignem fugiunt, et in sinu suo ignem abscondunt: secundi pendulo gradu stant in sublimi, quasi funambuli: tertii via recta et regia incedunt exonerati et securi. Propter hanc duplicem fugam credo in Canticis canticorum secundum beatum Gregorium hoc verbum *fuge* bis esse positum, ubi dicitur. *Fuge, dilecte mi, fuge* (*Cant.* VIII). Quasi diceret: Fuge corde, fuge corpore: fuge interius, fuge exterius. Unde Philosophus: *Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum*. Et vox ad Arsenium: *Arseni, fuge homines et salvaberis*. Porro, ut ait Sapiens, dormitare non debet de fuga cogitans. Hoc dico propter quosdam mihi cognitos, qui fugere quidem jam ab olim proposuerunt; nescientes miseri, quod mors ex improviso adveniens nulli dat inducias fugiendi: teste illo Chrysaurio, qui moriens inducias vel usque mane petiit et repetiit, sed non accepit. Et hæc dicta sint de primo gaudio animarum sanctarum, quod habent ipsæ de liberatione sua. Jam ad secundum quod habent de possessione sua, stylus noster vertendus est:

sed quia jam hora præteriit, hoc in aliud tempus reservemus.

SERMO XXV.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM III.

Devota sanctorum fides, Invicta spes credentium, Perfecta Christi charitas, Mundi triumphat principem (71). Omnis rationalis creatura finaliter ad regnandum creata est, formaliter ad pugnandum. Dominus enim quasi vir pugnator, cujus nomen omnipotens, Dominus fortis et potens in prælio, creavit eam ad imaginem et similitudinem suam, ut pugnaret, et vinceret, et regnaret. Nam regnare non potest, nisi prius vicerit, nec vincere nisi pugnaverit. Sine pugna enim nulla victoria, sine victoria nulla corona. Non enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Hinc est, quod hoc nomen militia commune est omni rationali creaturæ, tam angelicæ quam humanæ. *Facta est*, inquit, *cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum* (*Luc.* II). Hoc de bonis angelis. De malis est illud: *Adoraverunt omnem militiam cœli* (*IV Reg.* XXI). Id est omnem aeriam potestatem. De hominibus est illud: *Militia est vita hominis super terram* (*Job* VII). Sive juxta aliam litteram, *tentatio*, quod ad eumdem sensum reducitur. Ubi enim tentatio, ibi impugnatio, ibi pugna, saltem ex parte impugnantis. Ubi pugna, ibi militia, id est servitus pugnæ. Militare enim est servire ad pugnandum. Est autem servitus bona, est et servitus mala. Nulla servitus melior, quam servire Deo, cui servire regnare est. Servit autem Deo, qui justitiæ servit, qui justitiam servare præcepit; servantibus eam præmia, non servantibus supplicia servat æterna. Nulla pejor servitus, nulla turpior, quam servitus peccati: cui servire perire est. *Anima* enim *quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Nulla miserior servitus, quam servire diabolo; cui servit omnis peccato serviens. Qui facit peccatum servus est peccati. A quo enim quis victus est, hujus et servus est. Hinc Deus dicitur Deus Sabaoth, id est militiarum, sive exercituum, quia illi militant et in cœlis omnes sancti beatorum spirituum ordines, et in terris omnes chori et acies electorum. Unde: *Quid videbis in Sunamite* [melius *Sulamite*] *nisi choros castrorum?* (*Cant.* VII.)

Duo sunt autem, quæ legitimum militem faciunt, tam corporalem, quam spiritualem, electio scilicet et sacramentum. Qui enim non electus seipsum militiæ ingerit, in se gladium provocat, quem propria temeritate usurpat: et ut ait auctor ille Romani maximus eloquii, non miles, sed sicarius recte nominatur. In scripturis enim antiquorum latrones et sicarii dicuntur, quicunque lege non præcipiente arma tractant. Arma namque quibus lex non utitur, legem impugnant. Cato militem non dicit, nisi qui sacramento ad militiam jam consecratus est. Unde filium suum monet in A epistola, ne prælium ineat. Negat enim jus esse cum hoste pugnare ei, qui miles non sit, id est electus et consecratus. Oportet enim militaturum prius eligi, deinde electum ad militiam sacramento astringi. Julianus Frontinus ait, Lucio Planco et Caio Varrone consulibus, milites primo jurejurando factos esse: antea enim sacramento tantummodo a tribunis cogebantur. Conceptio sacramenti, ut ait Vegetius, hæc est: Jurant milites per Deum Patrem, et Christum filium ejus, et Spiritum sanctum, et per majestatem principis, quæ secundum Deum humano generi diligenda est et colenda, se strenue facturos omnia, quæ præceperit princeps: nunquam se deserturos militiam, vel mortem recusaturos pro republica, cujus sunt milites. B Igitur legitima militia est, ut eam breviter describamus, juventutis electio voluntaria, et jurata servitus ad defensionem reipublicæ perpetuo suscepta. Hæc descriptio militiæ convenit tam angelis, quam hominibus. Omnes enim electi sunt in Christo ante mundi constitutionem; omnes etiam juvenes sunt, strenuitate magis officii, quam ætate corporali. Omnes etiam voluntarie serviunt, non coacte, libertatem arbitrii sui ad serviendum justitiæ per gratiam inclinantes. Eorum etiam servitus jurata est, id est inviolabili proposito confirmata. Inviolabili dico in angelis, ut violari non valeat: in hominibus, ut violari non debeat. Hanc servitutem juraverunt angeli sancti publice in C conspectu Dei, et ejus adversarii Satanæ; quando illo cum suis satellitibus contra Deum superbiente, et ab ejus justissimo et beatissimo famulatu et obsequio deficiente defectu spontaneo, et non coacto, firmiter ipsi in humilis obedientiæ proposito voluntarie perstiterunt; et mox in eadem feliciter a Deo remunerante confirmati sunt. Timuerunt enim, et territi purgati sunt. Hanc eamdem servitutem jurant omnes Christiani, cum baptismi sacramentum suscipiunt. Quomodo igitur princeps hujus mundi illis militibus habet fidem, quos videt domino suo, cui, ut cætera taceam, etiam sacramento militiæ alligati sunt, fidem debitam non servare? Non est, quo se vertat impius, qui hominem Deo præfert. Nequaquam fidem secundam ser- D vabit, qui primam fecit irritam. Defensio reipublicæ defensio est justitiæ. Respublica est res populi. Maxime autem res publica est, quæ toti populo communiter necessaria est, et ab omni populo communiter, et si fieri potest, æqualiter amanda. Quid tam necessarium omni populo, quam justitia? Hæc est res, qua omnibus in præsenti utendum est, in futuro fruendum. Utendum illa per exercitium virtutum, et per desiderium implendæ justitiæ: fruemur ea per satietatem impletæ. *Beati* enim *qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V). Vere ipsi, et ipsi soli. Justitia namque perpetuus cibus est, et immortalis,

(71) Hymn. Eccles.

et qui solus implere possit humanæ cupiditatis infernale barathrum, id est latam et profundam voraginem in immensum patentem. Hostes publici sunt hostes justitiæ, id est omnes dæmones impugnatores hominum, et omnes homines coadjutores dæmonum in peccato: qui omnes facti sunt in adjutorium filiis Lot.

Hæc servitus perpetuo suscipienda est, et nunquam deserenda; sicut non solum Ecclesiæ fidei professio; sed et ipsius particularis militiæ sacramenti conceptio docet, et ordinationis in militem solemnis consuetudo, quæ talis est. Eo die quo quis militans cingulo decoratur, ecclesiam solemniter adit, missam audit, gladioque superposito et allato, quasi celebri professione facta seipsum altaris obsequio devovet, et gladii, id est officii sui jugum Deo spondet famulatum. Isti ergo deinceps pro Ecclesia plurimum, contra eam nihil licet. Non enim minus facit quam monachus vel abbas, vel episcopus, qui schedulam offert. Igitur usus militiæ ordinatæ est tueri Ecclesiam, impugnare perfidiam, sacerdotium venerari, pauperum injurias propulsare, pacare provinciam, pro fratribus, ut sacramenti conceptio docet, fundere sanguinem, et si opus est animam ponere. Igitur hoc nomen *militia* in hominibus nomen est laboris pariter et honoris: in dæmonibus vero est nomen laboris tantum; in angelis sanctis honoris tantum. Horum namque militia nil aliud est, quam triumphus: quia sine labore militant, sine difficultate pugnant, sine lassitudine ministrant: quippe qui nullo gravantur corruptionis onere, et de Dei semper visione lætantur; quem videre vivere est, vigere, vincere et triumphare. *Factum est prælium*, inquit, *in cœlo; Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone; et draco pugnabat et angeli ejus et non valuerunt, nec inventus est eorum locus in cœlo* (*Apoc.* XII), scilicet ut possent expugnare electos, quamvis impugnare non cessent. Nam et si aliquando labuntur in culpam, hoc ipsum eis proficit ad cautelam. Bene ergo dictum est: *Militia est vita hominis super terram;* quia quandiu sumus in corpore, et peregrinamur a Domino, non possumus esse sine isto adversario. Fixum est, semel locutus est Deus ad serpentem. *Inimicitias ponam inter te et mulierem: et inter semen tuum et semen illius* (*Gen.* III). Inimicitiæ istæ immortales sunt discordiæ implacabiles. O quam vehementer erravit olim Carpocrates hæreticus! Catharorum, qui dicuntur Gnostici, dux, dicens omnem hominem qui ad perfectionem sui mysterii, seu potius sceleris pervenire volebat, non aliter effugere posse hujusmodi principes scilicet dæmones, vel declinare, nisi per quædam facinora, quæ ipse statuebat, solverentur. Hujus autem erroris tenebras prius sparserant quidam philosophi, quos Porphyrius Platonicus sequens dicebat, bonum Deum seu ingenium non posse inveniri in homine, nisi ante malus fuerit placatus. Idem tamen sibi ipsi contrarius cavendam esse dæmonum societatem testatur: nimirum inter vitium sacrilegæ curiositatis et philosophiæ professionem, cui contrariam esse hanc societatem sentit, alternantibus sententiis fluctuans. At audiendus sanctus Petrus dicens: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* V). Et Jacobus: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (*Jac.* IV). Resistite dicit, non autem, eum placate, ei consentite; nam si ei consenseritis, victi eritis. Cum ergo diabolus nobis semper implacabiliter adversetur, ei semper debemus resistere, et nunquam ejus voluntatem faciendo placare; quod est facere placentas reginæ cœli, ut est in Jeremia (*cap.* VII). Quanto enim magis sic eum placaverimus, tanto magis Deo displicebimus, et tanto graviora supplicia luemus. Sed quomodo ei resistemus? Resistite ei in fide, ait Petrus. Nihil fortius fide, per quam de diabolo triumphatur. Quæ *est victoria, quæ vincit mundum, nisi fides nostra? Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Jesus est Filius Dei?* (*I Joan.* V.) Sancti per hanc fidem vicerunt regna (*Hebr.* XI).

Devota sanctorum fides,
Invicta spes credentium,
Perfecta Christi charitas,
Mundi triumphat principem

Fides tamen sine operibus otiosa est. Fides autem otiosa nihil vincit, quia nihil agit. Imo non solum otiosa est, sed etiam mortua. Vita fidei est dilectio operans. Nunquam amor Dei est otiosus. Operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est. Fides autem sine dilectione operante otiosa et mortua ideo non vincit, quia nec pugnat: aut si pugnat, quasi aerem verberans, non quasi hostem vulnerans; nec se ab hoste liberans. Pugnant quasi aerem verberantes Pharisæi, qui dicunt, et non faciunt; delicati magistri, qui pleno ventre de jejuniis disputant; qui manus dantes impudicitiæ castitatem prædicant. Similiter pugnant auditores seduli verbi Dei, sed non factores strenui. In talibus fortis armatus custodit atrium suum; et ideo in pace sunt omnia quæ possidet; quia nullus ei resistit, quandiu peccator, qui ab eo per solum consensum prostratus est, non adjicit ut resurgat: quod si facere, fortior illo esset. Victorem a victo superari sæpe vidimus. Vulgo dicitur: Fortis est, qui prosternit; sed fortior est, qui resurgit. Unde beatus Hieronymus (72): *Nihil Christiano fortius, qui vincit diabolum; nil imbecillius, qui a carne superatur.* Unde Apostolus pugnam quæ est inter nos et diabolum luctam appellat, dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principatus et potestates tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Ab arte luctandi est illa perelegans comparatio Sapientis: « Quemadmodum, inquit, non magnus lu-

(72) Epist. ad Rustic.

ctator est, qui omnes nexus diducit, quorum rarus est usus; sed qui in uno aut in altero diligenter se exercuit: non enim refert, quam multa sciat, si sciat quantum victoriæ satis est: ita plus prodest, si pauca sapientiæ præcepta teneas, sed illa in promptu et in usu tibi sint, quam si multa didiceris, sed illa non habeas ad manum. » Nihil verius dici potuit. Enimvero diabolus nexus vitiorum contra virtutes luctantium ex seipso didicit, quia omnes invenit. Unde et mille nocendi artes habere dicitur. Verumtamen in tribus maxime se solet exercere: *In concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum et superbia vitæ* (*I Joan.* II). Omne quod in mundo est, id est quidquid a dilectoribus mundi diligitur, est hoc aut illud. Sunt enim in mundo multæ tribulationes et angustiæ, sed non diliguntur. Ecce quibus luctandi nexibus se exercet princeps mundi; luxuria, avaritia sive curiositate, superbia. Nam concupiscentia oculorum tam avaritiam quam curiositatem designat. Superbia in Genesi designatur per pectus serpentis, luxuria per ventrem secundum LXX qui, ubi habemus *supra pectus tuum gradieris*, dixerunt, *pectore et ventre repes* (*Gen.* III): curiositas sive avaritia significatur in eo, quod sequitur: *Terram comedes.* Nam qui terram manducat, profunda et tenebrosa penetrat: sic et curiosus. Et qui terram comedit, semper ei restat, quod manducare possit: sic et avarus nunquam impletur pecunia, sed

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. (OVID.)

Aliquando hæc omnia solo cupiditatis nomine designantur, ut cum dicit Apostolus: *Radix omnium malorum est cupiditas* (*I Tim.* VI): aliquando nomine superbiæ, ut cum dicitur: *Initium omnis peccati superbia* (*Eccl.* X). Unde Rabanus super Ecclesiasticum: « Cupiditas et superbia non duo mala sunt, sed unum; a quo omnia trahunt initium. » Tentator de his omnibus tentavit primum Adam, et vicit: tentavit secundum, et victus est. In primo nexu fortis est, in secundo fortior, in tertio fortissimus. De primo est illud: *Virtus ejus in lumbis ejus; et fortitudo ejus in umbiculo ventris ejus* (*Job* XL). Lumbi et umbilicus libidinosorum dicuntur esse diaboli, quia pro diabolo contra ipsos faciunt, et eorum animas nexu delectationis illicitæ prosternunt. Nihil illo Christiano imbecillius, qui sic a carne sua superatur. In illa lucta Antheus vincit Herculem, id est libido animum ad cætera fortem. O quanta fortitudo diaboli in hoc nexu luctandi! Hic enim nexus Samsones effeminat, Salomones infatuat, Hercules inflammat, Martes catenis ligat, Joves in boves mutat. Unde Hieronymus: « Nunquam in præterita castitate confidas. Nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone sapientior esse potes. » De secundo nexu avaritiæ est illud Apostoli: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes et in laqueum diaboli*, etc. Et mox: *Radix enim omnium malorum est cupiditas* (*I Tim.* VI). Magna valde virtus diaboli in hoc nexu, qui laqueus ejus est, et radix omnium malorum. Multi in primo nexu victores exstiterunt, qui in isto victi sunt. Hic nexus Judam laqueo suspendit, Achan lapidavit, Ananiam et Sapphiram verbi apostolici gladio peremit.

Avaritia duos dentes habet, quibus omnia devorat: immoderatiorem appetentiam alieni, et tenaciorem custodiam sui. Immoderatius appetit, qui quod deest, legem necessitatis et usus excedens, exposcit. Tenentur avidius, quæcunque usui subtrahunt. Cupiditas est, ut aiunt sancti, amor eorum, quæ quis amittere potest invitus. O quam late spargitur laqueus iste! quantos involvit et implicat nexus iste! hodie sic omnes post divitias currunt, ac si ibi laborum requies, dolorumque solatium inveniri possit; ac si naufragi de profundo facilius emergant, et evadant, si prægrandi sarcina onerentur. Quis ulcerosus spinas unquam congessit, ut super eas mollius quiesceret? Hic tamen laqueus maxime publicanos et officiales involvit, quorum omnium cœtus a maximo usque ad minimum, concussioni potius quam justitiæ vacat, et tam in populum debacchantur; ut quod reliquit unus, alii non morentur auferre: ac si ad hoc instituti sint, ut residuum locustæ comedat bruchus. Unde quoque plura in se coacervant officia, licet quod ab uno non accipit, ab alio trahat. Locusta bruchus est, antequam alas habeat, alis succrescentibus cum volitare cœperit vocatur athelebs, cum autem plene volaverit, iterum efficitur locusta. Sic in officialibus idem est bruchus et athelebs et locusta; quia propinquis et remotis nocet publicanus, id est minister publicus. Sic appellari potest omnis curiæ officialis. Hunc sic describit Laurentius Mediolanensis episcopus. Publicanus est caput rapinæ, lex violentiæ, prædo sine pudore, medicus exterminus, immanior furibus. Nam fur timens delinquit, hic autem confidenter: fur laqueos legis timet, hic quidquid fecerit legem vocat. Quis autem iniquior? Qui verbis justitiæ justitiam damnat, et armis innocentiæ spoliat, vulnerat, et occidit innocentes, hic lege legem perimit: et dum alios urget ad legem, exlex est. Nam sicut prætor etiam cum inique decernit, jus dicit, habito respectu non ad id quod facit, sed ad id quod facere debet: sic publici officiales etiam cum delinquunt, jus se dicunt implere. O quam venerabile esset prælatorum et principum nomen et officium! si tanta impleretur sollicitudine, quanta petitur ambitione. Certe diligerentur ut patres, timerentur ut Deus, colerentur ut sancti; si exactionibus parcerent, et projicerent ex animo, quidquid provenit ex calumnia, nec omnem quæstum pietatem æstimarent. Quis autem pecuniam vel, aureum, vel argenteum, sine sordidatione digitorum, tractavit diutius? At ex ea minus sordet manus, quam animus. Tertius nexus diaboli superbia est. Ipse quoque est rex super omnes filios superbiæ, ut ait Job (*cap.* XLI). Superbia est amor propriæ excellentiæ. Hanc sicut

et cupiditatem semper comitatur stultitia : quæ suadet adamari, et quæri, quod teneri non potest. Stultitia vero, ut ait Augustinus, est eorum quæ scienda sunt ignorantia vitiosa. De superbia nascitur ambitio, id est potentiæ et honoris cupiditas. Quem mihi dabis, qui non velit vel unum potentia anteire? Maxime vero in curiis potentum inveniri solent potestatum aucupes, et honorum proci. Invenitur plerumque et in claustris sub tunica pœnitentis regius animus. Ad Ezechiam regem olim nuntii regis Babylonis cum muneribus accesserunt, et Ezechias rex pius in adventu eorum lætatus est : *Et ostendit eis domum aromatum, et aurum, et argentum, et pigmenta varia, unguenta quoque et omnia quæ habere poterat in thesauris suis* (*IV Reg.* XX). Tunc imprudenter quisque exsultat, cum a nuntiis regis Babel, id est confusionis, sollicitatur : quia hi tanquam hostes suspecti habendi sunt et timendi, etiam cum dona ferunt (73). Qui ergo aromata bonorum operum, virtutis aurum, argentum eloquentiæ, orationum pigmenta ostentat, et si qua in thesauris bonæ conscientiæ sunt reposita; pro certo sciat, quod omnia quæ militare videntur ad gloriam, stipendium confusionis et mortis acceptura sunt. Quæcunque enim ostentationis gratia fiunt, proficiscuntur in mortem. Sicut mel voluptatis, ita et fermentum superbiæ adoleri prohibetur in sacrificio Domini. Igitur contra hos tres nexus vitiorum alii tres virtutum nobis perdiscendi sunt; per quos ab his absoluti et liberi evadamus. Contra nexum luxuriæ est illud Domini : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII). Contra secundum est illud : *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* V). Et illud : *Nolite cogitare de crastino* (*Matth.* VI). Et illud Apostoli : *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quin nec auferre quid possumus* (*I Tim.* VI). Contra tertium est illud : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI).

Præcingere lumbos est carnem macerare. Nam sine castigatione carnis nemo potest diu possidere vas corporis sui in sanctificatione et honore. Ideo maceratio carnis præcinctio lumborum dicitur, quia semper castitatis præambula est, sicut libido gulæ. Paupertas spiritus est amor voluntariæ paupertatis propter vitam æternam in corde conceptus, et opere susceptus. Humilitas cordis est amor propriæ subjectionis, nec dominationis alienæ appetens, juxta illud Petri : *Servi, subditi estote dominis* (*I Petr.* II). Beati qui subjectione continua gaudent, et alicui in vita præesse refugiunt. Primum pertinet ad sanctorum fidem devotam, secundum ad eorum spem invictam, tertium ad perfectam ipsorum charitatem. Fides devota est, quæ plus carnem macerat quam jubetur. Parum enim devotus est, qui non amplius jejunat, orat, aut laborat, quam ei præcipitur. Virgo Genovefa ab anno 15 bis tantum in hebdomada consensit solvere jejunium, Dominica scilicet, et quinta feria. A vino et omni liquore inebriante tota vita sua abstinuit. Quinquaginta annis sic vixit. Dehinc suadentibus episcopis piscem et lac edere cœpit, sed semper cum fletu. Devota fides ejus hanc ei injunxerat pœnitentiam. Beatus Arsenius dicebat sufficere monacho unam horam dormire. Publius monachus, ut in Vitis Patrum legitur, decem diebus continuis ad orationem stetit, et dæmonem familiarem, quem Julianus Apostata mittebat in Occidentem, transire non sivit. Noster legislator sanctus Benedictus nudum se projecit inter urticas et vepres : ubi diutissime et molestissime volutatus est, ut carnem scaberet male prurientem; sic devotio fidei semper plus facit, quam ei possit præcipi. Invicta spes sanctorum bona sempiterna firmiter et secure exspectans, et ardenter desiderans, omnia bona temporalia tam facile contemnit et deserit, quam pro nihilo ducit respectu æternorum, quorum desiderio jam inhæsit. Perfecta Christi charitas animam pro Christo sive pro fratribus ponit, et nil sibi intolerabile præter Christi carentiam reputat. Charitas patiens est, benigna est. Multi in carnis cruciatibus per defectum charitatis Dei omnia patientis elisi sunt, qui duobus primis assultibus luxuriæ vel avaritiæ elidi nequiverant. At *fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (*Cant.* VIII). Dura sicut infernus dicitur, quia omnia suffert, omnia sustinet. Omnia suffert, quæ crudeliter inferuntur; omnia sustinet, quæ fideliter promittuntur : *Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis* (*Eccli.* I). Primum, id est carnem macerare, pertinet ad virgines; secundum, id est omnia relinquere, ad sanctos confessores; tertium ad sanctos martyres, id est omnia pro Christo infatigabiliter tolerare. O quam devota fides fuit in sanctis virginibus, quæ sic carnis voluptatibus viriliter restiterunt! quam invicta spes fuit in sanctis confessoribus, cum sic mundum et omnia quæ mundi sunt, pro nihilo duxerunt! quam perfecta charitas fuit in sanctis martyribus, qui tantis vexati suppliciis, tam fortiter in agone certaminis perstiterunt. Sic ergo :

Devota sanctorum fides,
Invicta spes credentium,
Perfecta Christi charitas,
Mundi triumphat principem.

Ad quem triumphum nos perducat meritis et intercessionibus eorumdem sanctorum Deus, suorum militum sors, et corona, præmium, Jesus Christus Deus noster. Amen.

SERMO XXVI

In synodo Tolosana, in ecclesia S. Jacobi habitus.

Sacerdotes tui induantur justitiam (*Psal.* CXXXI). Prophetalis hæc admonitio, fratres charissimi, non solum nobis, qui sacerdotes Domini vocamur, ministri Dei nostri; sed et omni cœtui fidelium convenienter aptatur, quibus voce Principis apostolorum dicitur : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (*I*

(73) VIRG., *Æneid.* II, v. 49.

Petr. II). Genus electum dicti sunt populi fidelium, quos isti apostoli per Evangelium genuerunt in Christo, non solum illi, sed etiam ipse Christus, sicut dicit Jacobus : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis ; ut simus initium aliquod creaturæ ejus* (*Jac.* I). Genus, inquit, electum, non genus reprobum ; sicut illi quibus dictum est : *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere* (*Joan.* VIII). Genus electum, id est separatum a massa infidelium, juxta illud Cantici canticorum : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus* (*Cant.* V). Quod dupliciter intelligi potest : de capite nostro Christo, qui est Sponsus et Dilectus Ecclesiæ : et de singulis membris ejusdem capitis. Est enim Christus in sua persona dilectus a Patre, qui dicit de eo : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Luc.* III). Item a Spiritu sancto, qui super eo quievit, et eum unxit : a beata quoque genitrice Maria singulari amore ; ab universali Ecclesia, quæ hic Sponsum ipsum candidum vocat et rubicundum : candidum per divinam naturam, in qua ipse candor est lucis æternæ (*Sap.* VII), et splendor ac figura substantiæ Patris (*Hebr.* I) : rubicundum secundum humanam, in qua ipse ex purissimis sanguinibus virginis Mariæ conceptus est, ut ait Damascenus. Vel totum ad divinam naturam refertur : candidus et rubicundus, id est dulcis et rectus, misericors et justus, mitis ad justos, terribilis ad impios, sicut scriptum est : *Altissimus est patiens redditor* (*Eccli.* V). Ut enim ait beatus Gregorius, peccata nostra patitur et reddit.

In cujus rei significatione angelus, qui in resurrectione ejus apparuit, aspectum habebat fulgureum, et vestimentum niveum ; illum pro terrendis custodibus, istud pro mulieribus demulcendis. Vel certe utrumque ad ejus pertinet humanitatem : ut candidus dicatur, quia de Virgine natus : rubicundus, quia in cruce passus. Vel candidus justitia, qua nihil mundius : unde scriptum est : *Justus germinabit sicut lilium* (*Ose.* XIV) : rubicundus charitate, qua nihil ardentius, sicut scriptum est : *In dextera ejus ignea lex* (*Deut.* XXXIII). Electus ex millibus, id est electos omnes incomparabili sanctitate præcellens. Est enim Sanctus sanctorum, non a quolibet sanctificatus homine, sed alios ipse sanctificans, sicut scriptum est : *De plenitudine ejus omnes accepimus* (*Joan.* I). Electus ergo dicitur ex millibus, id est ex omnibus, tanquam solus impollutus, et segregatus a peccatoribus, qui peccatum non fecit. Si autem hoc de membris ejus accipiatur, sic intellige : Segregatus a massa pereuntium, qui multiplicati sunt super numerum. Sequitur : *Regale sacerdotium* (*I Petr.* II) : id est ad hoc electi, ut sitis regale sacerdotium, seu reges sacerdotalis sanctimoniæ, sicut et Christus, a quo Christiani dicimini, utriusque dignitatis apice sublimatus, et de utraque tribu, tam sacerdotali quam regia, secundum carnem natus, verum se justitiæ Regem, et animarum sanctorum Pontificem demonstravit. Nam ad astruendam regiam dignitatem Pilato interroganti, an rex esset, Regem se esse respondit, et in mundum venisse, ut testimonium perhiberet veritati. Regalia etiam in sua illusione gestavit insignia, sceptrum et diadema, et chlamydem : illud arundineum, istud spineum, hanc coccineam ; significantibus impiis, quamvis ignoranter, omne regnum hujus mundi caducum, et fragile brevitate temporis, pungitivum et triste molestia sollicitudinis. Porro regnum veritatis sive justitiæ, quod non est de hoc mundo, ut ait Dominus, per venerandæ crucis triumphalem titulum æterna stabilitate firmatum est inscriptione trilingui, et omnino indelebili, Pilato judice inscriptione tituli his verbis confirmata : *Quod scripsi, scripsi* (*Joan.* XIX). Porro sacerdotalis dignitas secundum ordinem Melchisedech, quæ multo melior est quam ordo Aaron, sive legalis, in eo confirmata est, quod Apostolus dicit : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, et per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa* (*Hebr.* IX). Ecce quomodo fuit sacerdos, et hostia. Sequitur in verbis Petri : *Gens sancta*, id est gens per gratiam baptismatis a peccatis abluta, et ad divinum cultum consecrata. Vel sancta, id est summe uncta. Unde et mox vocatur populus acquisitionis, id est populus, quem Christus sibi acquisivit : et hic ejus gratia vitam acquirit æternam. De prima acquisitione est illud : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (*Act.* XX). De secunda est illud : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Hoc autem regnum et sacerdotium clarius ostenditur in Apocalypsi his verbis : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos Deo nostro regnum et sacerdotes* (*Apoc.* I). In qua sententia quatuor notanda sunt ; auctor, opus, causa, modus. Auctor, Deus et homo : opus, ablutio a peccatis, et dignitatis duplicis regiæ et sacerdotalis collatio ; causa, dilectio ; modus, in sanguine suo. Auctoris divinitas gloriam, humanitas gratiam commendat. Illa nostros exaltat affectus, ista dilatat ; illa a nobis timorem exigit, hæc amorem. Opus, opus egregium, præcipuum, singulare, solique omnipotenti possibile. Nam quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? Nemo sane potest peccata dimittere, nisi is solus, qui peccare non potest. Non solum autem a peccatis nostris nos abluit ; sed etiam regnum et sacerdotes nos fecit. Regnum justitiæ, ut justitia, non peccatum regnet in nostro mortali corpore. Regnum dixit, non reges, ut exhibeamus membra nostra servire justitiæ in sanctificatione. Sed quoniam servire Deo regnare est : ideo etiam regnum istud active potest intelligi, ut regnemus ; sacerdotes, ut immolemus. Ut regnemus, id est regamus nosmetipsos regimine rationis : sacerdotes, ut immole-

mus nosmetipsos maceratione carnis : et hoc totum Deo, ut catholici, veram tenendo fidem ; non ut infideles, qui quæcunque immolant, dæmoniis immolant : nec ut hæretici, per apostasiam ethnicis pejores ; qui seipsos dæmoniis immolant, quoties per erroris sui blasphemiam docent verbo pariter et exemplo abstinere a cibis, quos Deus creavit. Simus ergo reges, ratione nos regendo : simus sacerdotes Dei, non diaboli, per abstinentiam in fide catholica nos ipsos immolando. De primo est illud philosophi : « Multos reges, si ratio te rexerit. » Et poeta :

Rex eris, aiunt,
Si recte facias.

De secundo est illud Apostoli : *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII). Causa autem hujus operis nulla alia fuit, quam dilectio. *Qui dilexit nos,* inquit, *et lavit nos a peccatis nostris; et fecit nos Deo nostro regnum, et sacerdotes* (*Apoc.* I). O dilectio sublimis, et dulcis, magna et fortis. Majorem hac dilectionem nemo habuit. Vere nimia fuit, a comparatione rei emptæ, et pretii soluti. *Empti,* inquit, *estis pretio magno* (*I Cor.* VI). Verum dixit, magno, verum quoque dixisset, nimio : sicut prius charitatem Patris non magnam, sed nimiam appellavit : non illam reprehendens, quod nimia ; sed quantum potest commendans eam de magnitudine. Sicut autem vere nimia charitas est Filium tradere, ut servus redimatur : sic nimium pretium fuit, ejusdem Filii innocentissimum sanguinem fundere, ut reus absolvatur. Unde Petrus : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati* (*I Petr.* I). Unde Psalmista mirabilem contractum hujus emptionis admirans, ait : *Domine, quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* (*Psal.* VIII.) Item : *Quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum?* (*Psal.* CXLIII.) Id est quia eum tanti putas, ut sanguinem tuum pro eo fundas? *Qui dilexit,* inquit, *nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (*Apoc.* I). Mira res, lavare in sanguine. Quid enim sanguine humano contaminatius? Unde alibi legitur : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit,* etc. (*Isa.* IV). Prius dixerat, *sordes,* postea repetivit, *sanguinem.* Sanguis enim sæpe peccatum significat in Scriptura. Igitur cum Christus lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, lavit nos a sanguine nostro in sanguine suo. O mirum fullonem, qui sanguinem sanguine lavat! O sapientia mirabilis candidatrix, quam admirabile lexivium in tuo sanguine procurasti! in quo caro tua fuit pro cinere, crux pro lignorum strue, charitas pro igne, aqua de latere, ut ablueret, sanguis ut dealbaret, animæ nostræ pro vestimentis lineis, corpora pro laneis. Unde in Apocalypsi : *Isti sunt, qui venerunt*

A *ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni* (*Apoc.* VII). O sanguinem virtutis eximiæ, mirabilis potentiæ, singularis efficaciæ ! Quid non poterit sanguis Creatoris omnium, si tantum potest sanguis quorumdam animalium ? Legimus tres sanguinis species potentissimas, sanguinem hirci, menstruatæ mulieris, et muricis. Primus scindit adamantem lapidem durissimum, secundus dissolvit bitumen gluten tenacissimum, tertium intingit purpuram colorem optimum. Sane nil minus ab his sanguis habere debuit illius Agni, qui tollit peccata mundi. Ideo in ejus effusione infernus crepuit, terra contremuit, sol expavit, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant,
B surrexerunt. Moraliter autem per hujus sanguinis virtutem toties adamas scinditur, quoties aliquis obstinatus vel obduratus peccator ad pœnitentiam emollitur ; toties bitumen dissolvitur, quoties inescatæ libidinis inveterata consuetudo relinquitur ; toties purpura tingitur, quoties in quibuslibet pro justitia tribulationibus usque ad mortem invincibilis patientia custoditur. Adamas scissus est in pœnitentia et conversione magorum, velut Cypriani et Dariæ ; bitumen dissolutum est in continentia fornicantium, ut Bonifacii et Pelagiæ ; purpura tincta in passione martyrum, velut Laurentii et nostri Thomæ. Hæc est virtus illius sanguinis, qui nostrorum abluit peccatorum sordes, et fecit nos
C Deo regnum et sacerdotes. Quibus nunc dicitur : *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Sacerdos dicitur, quasi sacrum dans. Quid vel quod sacrum? Utique primo sacrum exemplum, secundo sacrum verbum, tertio sacrum cibum, quarto sacrum judicium. Prius est enim facere, quam docere. *Ille,* inquit, *erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V). Ardens amore, lucens sermone; ardens vita, lucens doctrina ; ardens in conscientia, lucens fama. Prius describuntur in tunica sacerdotali malogranata, deinde tintinnabula. Prius dicitur apostolis : *Vos estis sal terræ;* deinde, *vos estis lux mundi* (*Matth.* V). Primus apostolorum Petrus, id est firmitas Dei, secundus Paulus, id est doctrina verbi. Ille siquidem privilegiatus fuit in operando, iste in docendo,
D unde et Doctor gentium vocatus est. Sicut autem prius est facere quam docere, ita prius est docere, quam communicare. Prius enim Christus Evangelium condidit, quam corpus suum in sacramentum dedit, significans neminem recte ordinari in sacerdotem, nisi qui jam potest ædificare subjectum sibi proximum per exhortationis competentem et congruum sermonem. Unde Apostolus ad Timotheum : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honori digni habeantur : maxime, qui laborant verbo et doctrina* (*I Tim.* V). Sicut autem prius est docere quam communicare, ita communicatio præcedit judicium, id est sacerdotalis ordinatio gradum honoris. Judicium namque proprie ad prælatos pertinet, id est ad archiepiscopos, episcopos, et summos judices.

Est autem quodlibet istorum sacrorum duplex. Sacrum namque exemplum est continentia, sive temperantia in prosperis, patientia in adversis. Unum sine altero non potest sufficere; quia prosperitas sine temperantia corrumpit, et adversitas sine patientia frangit. Sacrum quoque verbum debet omnis sacerdos dare dupliciter, id est orationis ad Deum, prædicationis ad populum, si forte curam suscepit aliorum. Sacrum similiter cibum dupliciter, id est ad altare communionem sacram, et refectionem pauperum quotidie ad mensam propriam. Simile judicium est de sacro judicio; quia debet absolvere pœnitentes et humiles: rebelles autem et contumaces ligare. Primum sacrum dandum est manu valida, secundum manu discreta, tertium manu munda, quartum manu extenta simul et excussa. Valida namque manu opus est, ne subditus succumbat tentationis onere, nec illiciendus blanditiis, nec periculis exterrendus. Hæc est enim, ut ait Augustinus (74) « duplex illa acies, quam producit adversus nos mundus. » Terret, ut frangat; blanditur, ut decipiat. Ergo non te teneat voluntas propria, non te terreat crudelitas aliena, et victus est mundus. Secundum sacrum manu discreta dandum est; quia nec semper orationi et silentio debet sacerdos incumbere, nec semper prædicare. Tempus tacendi, et tempus loquendi: tempus laboris, et tempus quietis. Unde beatus Benedictus in Regula (75) dicit, certis horis vacandum esse lectioni divinæ, certis horis labori manuum. Manu quoque discreta dandum est verbum populo; quia nec mysteriorum magna profunditas referenda est minus capacibus, nec capacibus abscondenda. Sunt enim quidam, qui ex ignorantia succos lacteos adultis offerunt, et ex arrogantia cibum solidissimum mammotrectis. Non sic ille, qui dicebat: *Sapientiam loquitur inter perfectos;* et iterum: *Tanquam parvulis lac potum vobis dedi, non escam* (*I Cor.* II). Sic utique danda est tritici mensura Dominici, ut perfectiores, qui exercitatos habent sensus, cibo reficiantur solido, et lacte parvuli nutriantur. Sacer autem cibus dandus est manu munda, ne vel sacra communio sumatur ad judicium, vel pauperum refectio rapina fiat in holocaustum. De primo: *Omnis qui de genere Aaron est, in quo est immunditia, non accedat ad ea quæ sanctificata sunt* (*Lev.* XXII). De secundo: *Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocaustum* (*Isa.* LXI). Unde Augustinus. Sic non sunt reficiendi pauperes per furtum, sicut non sunt quærendi filii per adulterium. Judicium vero ad hoc ut securum sit, oportet. ut detur manu extenta, id est sine acceptione personæ; et manu nihilominus excussa prorsus ab omni munere. *Sacerdotes*, inquit, *tui induantur justitiam.* Quod dicit *tui*, dictum est ad differentiam sacerdotum diaboli, qui olim dicti sunt sacerdotes idolorum, vel qui adhuc sunt episcopi hæreticorum, vel eorum electi. In quibus quamvis nulla inveniatur justitiæ veritas, multa tamen invenitur sanctitatis et veritatis similitudo palliata. Refert enim Hieronymus in libro *Contra Jovinianum*, Chenonem stoicum scripsisse de antiquis Ægypti sacerdotibus, quod miræ fuerint abstinentiæ in victu, continentiæ in concubitu, paupertatis in habitu, humilitatis in victu, gravitatis in incessu. Denique ex quo semel falsorum deorum cultui mancipati erant, nunquam postea parentes visitabant, nec etiam filios venire ante conspectum suum patiebantur. Semper a vino et carnibus abstinebant, nunquam mulieribus jungebantur: nec solum carnes horrebant, sed etiam ova et caseum. Quorum primum dicebant esse carnem liquidam, secundum sanguinem colore mutato. Super nudam humum jacebant, scabellum pro cervicali capiti suo supponentes.

Euripides sacerdotes Jovis in Creta dicit semper a certis abstinuisse cibis. Porphyrius in epistola ad Anelontem Ægyptium quærit non immerito, quid est, quod sacerdotes idolorum a contactu rei venereæ prohibentur: cum ad incertos quosque concubitus quemlibet ducere non vereantur: quid est, quod ab animalibus abstinere jubeantur, cum illorum sacrificia sanguine pecudum, et carnium nidoribus celebrentur. Ecce, inquit, tertiam quæstionem facio, cur annulos vetentur gestare in digitis, qui thesauros habere permittuntur in scriniis. Manifestum est igitur, quod sacerdotes idolorum non alio fine ista vetabantur facere, nisi ut ob eorum sanctitatem simulatam facilius eis crederetur. Plane eadem simulatio est in hæreticis nostri temporis. Electi enim abstinere videntur, et forte jubentur, ab esu carnium, et a concubitu mulierum: et tamen credentibus suis persuadere conantur, indifferentem esse omnem cum muliere concubitum; nec magis abstinendum esse a sorore, vel filia, vel matre, quam a propria uxore. O doctrina infernalis, e quibus tenebris emersisti? Patet ergo eosdem spiritus erroris, id est immundos dæmones nunc loqui in mundo per magistros hæreticorum, qui tunc loquebantur in Ægypto per sacerdotes idolorum. Propterea dicitur: *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI), quasi diceret, non simulationem justitiæ, sicut olim induti sunt sacerdotes falsitatis, et adhuc induuntur magistri erroris; sed ipsam justitiæ veritatem, qua vere debent indui sacerdotes veritatis: *Sacerdotes tui induantur justitiam.* O vestis pulcherrima et pretiosissima, vestis justitiæ quæ non solum simplex est vestimentum ad nuditatem tegendum, sed etiam duplex est ad frigus repellendum: ornatus etiam ad ornandum et honorandum, armatura quoque inexpugnabilis ad protegendum. Est enim vestis puerilis, ut alba; est virilis, ut penula; est regalis, ut purpura; vestis etiam militaris, ut lorica. Tegit ut alba, calefacit ut penula, ornat ut purpura, tegit et defendit ut lorica. Tegit quandiu servat innocentiam, vel perditam reparat per pœnitentiam. Nam proximus in-

(74) Serm. *De S. Vincentio.*

(75) C. 48.

nocentiæ gradus pœnitentia est. Calefacit, quando subvenit indigenti per misericordiam, juxta illud : *Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est* (*Job* XXXI). Ornat et honorat, quando omnia suffert per patientiam, omnia sustinet per longanimitatem. Defendit, et ex omni parte protegit, quando reddit unicuique quod suum est, communi utilitate servata. De prima veste est illud : *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet* (*Apoc.* XVI). Item : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). Primum tegumentum pertinet ad innocentes, secundum ad pœnitentes. De secundo, id est de calefactione est illud : *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis : domestici enim ejus vestiti sunt duplicibus* (*Prov.* XXXI). De tertio est, quod dicitur Christus gestasse spineam coronam, et purpureum vestimentum. Hic est ascensus ille purpureus, qui est in ferculo Salomonis. De quarto est illud Apostoli : *Induti loricam justitiæ* (*Ephes.* VI). Justitia in eo quod reddit cuique quod suum est, loricæ comparatur, totum corpus circumtegenti, et nihil intectum deserenti.

Tria debemus Deo, timorem, honorem, amorem. De duobus primis est illud : *Si ego Pater, ubi est honor meus : si Dominus, ubi timor meus?* (*Malac.* I.) De tertio est præceptum diligendi Deum ex toto corde, id est dulciter contra carnis illecebras; ex tota anima, id est sapienter contra errores; ex tota mente, perseveranter; ex omnibus viribus, fortiter contra molestias. Reddendum et proximo, quod suum est. Est autem ille triplex, superior, inferior, æqualis. Primo debes obedientiam et reverentiam; secundo disciplinam et benevolentiam; tertio quasi ubera, duo congratulationem in prosperis, et compassionem in adversis, juxta illud : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII). Diabolo autem nil omnino debemus, nisi pugnam, juxta illud : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (*Jac.* IV). Item : « Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente. » Tunc autem efficaciter contra eum pugnamus, quando, sicut ait Sixtus Pythagoricus, quasi quadrato agmine virtutum incedimus, ut ordinetur virtutum quaternarius, ut castrorum acies ordinata : videlicet in prima fronte procedat prudentia, fides contra ignorantiam et errores; juxta illud Prudentii :

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura fides.

Secundo loco ordinanda est temperantia, quasi in dextro cornu contra carnis illecebras, et mundi voluptates. Tertio in sinistro cornu ordinanda est fortitudo, contra omnes molestias et adversitates. Sunt autem quidam ad tolerandas adversitates satis fortes et strenui, ad respuendas voluptates nimis debiles et infirmi. David, qui Goliam prostraverat, ad unum Bethsabee aspectum prostratus est. Judas etiam Machabæus, qui Bacchidis dextrum cornu prostraverat, a sinistro cornu

A contritus est (*I Mac.* IX). Porro a tergo debet ordinari justitia, contra vanas glorias et elationes. Acies namque superbiæ prima expugnat, postrema expugnatur; juxta illud :

Cum bene pugnaris, cum cuncta subacta putaris,
Quæ magis infestat, vincenda superbia restat.

Sic resistendum est diabolo, sic pugnandum cum serpente antiquo. Nobis autem debemus quatuor : rosam, lilium, ignem et gladium. Rosam verecundiæ, lilium pudicitiæ, ignem fervoris, gladium macerationis, qui a propheta dictus est gladius occisionis magnæ. Gladius occisionis parvæ est, quando mala consuetudo relinquitur; et mala actio quamvis rarior solito retinetur. Gladius magnæ occisionis est, de quo dicit idem propheta : *Duplicetur ac triplicetur gladius* (*Ezech.* XXI). B Duplicatur, quando consuetudo mala, et actio prava relinquitur. Triplicatur autem, quando etiam radix originaria malæ voluntatis truncatur. Tunc vere sacerdotes Dei sumus, quando tali gladio corpus nostrum et animam mactamus.

SERMO XXVII.

IN DEDICATIONE.

Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III).

Intonuit, fratres, apostolicæ tubæ clangor terribilis, clamor salutaris. Paveant et caveant quicunque audierint : *Si quis templum Dei violaverit disperdet illum Deus*, etc. Non tacebo; quoniam C vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii. Si quis hujus buccinæ sonitum audierit et se de cætero non observaverit, sanguis illius super caput ejus erit. *Si quis templum*, etc. Unde dicit glossula interlinearis : Cavete vobis non est vox apostolorum ut vox hominum cæterorum, et inimici nostri sunt judices, sicut de quodam apostolo testatur inimicus dicens : Vox ejus quasi tuba vehemens est. Sane congruit hoc testimonium Paulo tubicinanti in aures omnium : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Siquidem et ipse Paulus Bartholomæus erat interpretatione, non persona vel nomine. Erat enim filius suspendentis aquas, id est Dei, adoptivus Domini nostri Jesu Christi, qui D constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum, judex justus, fortis et patiens : qui non irascitur per singulos dies, nec cito profert sententiam contra delinquentes : sed altissimus patiens redditor vindictas in extremo reservat examine, quasi aquas suspensas in nube. Erit autem, et sine dubio erit, cum aquæ quæ suspenduntur, ruptis cœli nubibus et apertis undique cataractis cœlestibus super impios effundentur. Quando *pluet super peccatores laqueos : ignis et sulphur, et spiritus procellarum partes* videlicet *calicis eorum* (*Psal.* X); quando pluet Dominus a Domino ignem et sulphur super totam Pentapolim, id est super omnes quinque sensibus carnis suæ deditos, templi Dominici corruptores. Unde Psalmista : *Nisi conversi fueritis,*

gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et A *paravit illum* (*Psal.* VII). Idem enim per arcam in nubibus tensam, quod per aquas designatur suspensas. Nam rubeus color cœlestis arcus illam generalem et igneam pluviam non solum prætendit, sed etiam suspendit de quo dicit poeta :

Communis mundo pluet rogus.

Ab hujus ergo ignei diluvii inundatione suspensa nos interim præmuniens, et præmonens Paulus tanquam filius suspendentis aquas, tubali voce tonat et fulgurat dicens : *Si quis templum Dei*, etc. O vere tuba vehemens, vox sic vehementer exterrens. Sed quid dico tuba, certo tonitruum est. Nam ut doctissimus ait Hieronymus : Singula Pauli verba non tam verba, quam tonitrua dicenda sunt, et vere tonitrua. Nam et cœlestia sunt, et B terribilia. Non est quod filii Zebedæi rectius appellentur Boanerges, hoc est *filii tonitrui*, quam Paulus noster raptus ad cœlum tertium, hoc est ad cœlestem paradisum, ubi audivit verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui : tanquam tonitrua, quæ non licet scribi, juxta illud Apocalypsis : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere* (*Apoc.* X). Tonitruum dicitur, quasi terrens sonus. Et quid ista comminatione terribilius : *Disperdet illum Deus?* Timent homines hominum minas, hominum corruptibilium, mortalium, infirmorum et impotentium, qui, postquam corpus occiderint, non habent amplius quid faciant : quorum omnis potentatus brevis vita morte corporis, et C momento temporis limitatur. Quanto magis timendæ sunt Dei omnipotentis minæ, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam : cujus potestas interminabilis, cujus majestas incorruptibilis, cujus virtus insuperabilis, cujus justitia inflexibilis , cujus in judicio furor implacabilis, terror intolerabilis, vindicta immortalis! *Ita dico vobis*, ait ipse de seipso, *hunc timete* (*Luc.* XII). Tonat ergo nobis Paulus de cœlo suo, quando tubicinat de gutture suo, implens illud propheticum : *In gutture tuo sit tuba*. Tubam nimirum habet in gutture, cui timor Domini sapit in mente. Tubam habet in gutture, qui timet humile et cavet, quod alios timere et cavere docet. Tubam habet in gutture, qui servat quod aliis imperat; quod jubet, D implet; quod præcipit, custodit; quod loquitur, operatur. Tubam habebat Paulus in gutture, quando non solum alios excitabat ad pugnam, sed et ipse cum aliis et præ aliis pugnabat, dicens : *Sic curro, non quasi in incertum : sed castigo corpus meum, ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX). Non a summis labris verba ipsa veniebant, sed ab imo gutturis. Habebant voces istæ, sicut ait philosophus, fundamentum. Non erant hæ voces, quales illorum, de quibus ait Veritas : *Alligant onera gravia et importabilia in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere* (*Matth.* XXIII). Non est tuba eorum in gutture ipsorum, qui dicunt et non faciunt, non enim sapit illis quod dicunt. Hujusmodi tuba vocem quidem dat aliquam, sed prorsus incertam : *Quod si incertam*, ait Apostolus, *det tuba vocem, quis parabit se ad bellum?* (*I Cor.* IX.) Quid autem incertius, quam vox vitam remordens, quam verbum vitæ non conveniens, quam unus ædificans et alius destruens, quam unus orans et alius maledicens? Cujus opera respiciet Dominus, cujus voces exaudiet Deus? Quod si etiam hujusmodi voces quamvis incertæ, tamen audiendæ sunt, juxta certissimum testimonium Veritatis dicentis : *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite* (*Matth.* XXIII), ergo auditoribus verbi Dei et non factoribus væ semel, et væ iterum, et væ tertio a somnolentia, a pigritia, ab insania! A somnolentia, quos a somno peccati tonitrui tanti fragor non excitat : a pigritia, quos ad bellum Domini tam certa vox tubæ non præparat : ab insania, quos a facie gladii sagittarius iste non fugat, juxta id quod de diabolo scriptum est. *Non fugabit eum sagittarius, in stipulam versi sunt lapides fundæ illi* (*Job* XLI). De talibus scriptum est : *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis* (*Deut.* XXXII). Id est non solum sententias comminatorias et terribiles illis proferam, ut terreantur : sed etiam peremptorias et capitales de illis feram, ut conterantur. His autem, fratres charissimi, vobis dico litteratis, in ablutionem manuum vestrarum præeffusis, libanda est eodem pane quem vobis apposui, sed fracto diminutius edentula parvulorum esuries, quibus maxime tenetur omnis doctor ecclesiasticus, ut frangat eis panem Dominicum : quippe cujus dentes necessarii non sunt eruditioribus ad frangendum : *Si quis templum Dei violaverit, quod estis vos* a tempore baptismi, ut ait Glossa interlinearis, et verum dicit. Tunc enim primum templum Dei sanctum esse incipimus, cum Spiritus sanctus Dei, qui quælibet sancta sanctificat, in nobis incipit habitare, et nos quodammodo dedicare; sicut enim omne templum materiale prius ædificatur, quam sanctificatur, et ante constituitur quam conservetur, sic necesse est omnem prius hominem nasci corporaliter, quam spiritualiter renascatur. Naturalia quippe substrata sunt gratuitis, et semper necessario antecedunt. Non enim prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Nemo sanctus concipitur, nemo nascitur Christianus. Unde Hieronymus : Fiunt, non nascuntur Christiani. Altissimo namque consilio creator omnium Deus nihil a prima creatione sanctificari voluit, sed hanc secundam gratiam alteri tempori reservavit. Noluit enim dona sua cuncta simul tribuere, sed maluit ea per partes et tempora dispensare : ut dona sua gratiora efficeret, et charitatem suam in nobis amplius commendaret, juxta illud Sapientis : « Quod gratum voles effici, rarum effice. » Hinc est quod in canone missæ, ubi dicimus (76) : *Per quem hæc om-*

(76) Verba canonis missæ.

nia, Domine, semper bona creas, sanctificas, etc. Ad hoc verbum *creas* non facimus signum crucis, sed ad tria sequentia, signantes utique quod sola creatio quamvis opus sit Trinitatis ter sanctæ, nihil tamen ex se ipsa sanctificat, sed omnem sanctificandi gratiam virtuti sanctæ crucis et passionis Dominicæ sacramento reservat. Igitur in nativitate carnali ædificamur in domum, in regeneratione spirituali dedicamur in templum, sed dedicatione temporali non æterna, conditionali, non absoluta. Quam conditionem, id est promissionem fidei, nisi quisque integram inviolatamque servaverit, peribit. Ut enim vulgo dicitur, pactum legem vincit; et ideo qui pactum baptismalem non servat, a baptismi gratia seipsum alienat. Quæ gratia facit quidem non imputari peccata præterita, sed non facit penitus amputari futura. Aufert ad tempus omnem injustitiam, sed nondum confert omnem justitiam. Paradisi januam confestim aperit baptizato, non continuo intromittit. Remittitur per eam omnis iniquitas, ut sanctificemur gratis per gratiæ donum; sed retinetur cum ea carnis infirmitas, ut exerceamur adhuc ad meritum. Unde Hieronymus super illum locum (77). *Non neophytum* : «Quos videmus, inquit, hodie pro summa justitia eligi. Si enim baptismus statim justum faceret, nequaquam Apostolus neophytum refutaret, sed baptismus vetera peccata concedit, novas virtutes non tribuit; dimittit e carcere, et dimisso, si laboraverit, præmia pollicetur.» Unde miror, quomodo nonnulli litterati quærere soleant, quare Deus hominem mox ut baptizatus est ad immortalitatem non transfert. Cum sciant nec ipsum Adam antequam peccaret, talem factum fuisse, ut mori non posset, et ut sine probatione in convictum angelorum reciperetur. Itaque volunt illi, plus dari ei qui in peccato natus est, et nullum bonum postea fecit, quam patri ejus, qui sine peccato natus est, et postea deceptus in peccatum cecidit; sed tamen postquam intellexit peccatum suum, statim pœnituit, quod utique summæ illi justitiæ, quæ Deus est, non convenit. Certum est enim, Deum summam esse justitiam, et summam bonitatem. Ad summam vero justitiam pertinet, ut potius accipiat præmium qui illud jam meruit, quam qui necdum meruit. Qui enim baptizatus est, nihil adhuc meruit, et tamen multa supra meritum et etiam contra meritum jam gratis accepit. Justius est ergo, ut exspectetur de cætero ejus aliquod meritum, quam ut ei sine ullo merito statim summum præmium conferatur. Similiter magis congruit summæ bonitati duo magna tribuere, quam unum solum. At duo magna bona sunt meritum vitæ æternæ, et æternitas vitæ. Plus ergo illi datur, cui datur meritum cum præmio, quam cui datur præmium sine merito. Homini quidem, qui de duplici natura compactus est, conditor suus duo bona ab initio præparavit, unum visibile, alterum invisibile; unum corporale, alterum spiritale; unum transitorium, alterum æternum; unum carni mortali, alterum spiritui immortali. Carni ad solatium, spiritui ad gaudium. Unum statim dedit, alterum promisit. Primum ut gratis possideretur, secundum ut meritis quæreretur. Visibile gratis dedit, invisibile quærendum proposuit; ut ex dono gratuito probaretur excellentia promissionis, et fidelitas promittentis. Si enim tale et tantum est, quod gratis dedit, quale et quantum est, pro quo servitium quærit? Rursum si tanta bonitas illi inerat, ut nihil meritis tam multa daret, quomodo malitia illi inesse poterit, ut bene meritos sibi servientes non remuneret? Homo creatus continuo constitutus est dominus mundi; serviens fideliter, constituendus erat dominus cœli. Idcirco autem, ut dixi, non omnia simul dedit, quia plus erat summæ bonitati, et meritum dare et præmium, quam sine merito præmium solum. Pro temporalibus autem et transitoriis non quæsivit tunc servitium, ne dignitas humanæ conditionis ad vilitatem deduceretur, si pro eis quæ illi subjecta fuerant servire cogeretur. Propter hoc et Jesus factus est homo, ut interim, nunc ad tempus quibusdam indigeret, quatenus per hoc indigentiam suam agnosceret, et ut intelligeret quia bonum quod ipse dat, sic sufficiens non erat, nisi et illud quoque bonum habere mereretur, a quo erat. Hoc autem ipsum, quod sufficiens sibi bonum non fuit, bonum illi fuit. Magna quippe dignitas hominis fuit, quod ita factus est, ut nullum ei bonum præter summum sufficeret. Et rursum magna liberalitas fuit, quod is tanto arbitrio suo dimissus est, ut ad ipsum summum bonum cogi non posset, idcirco quæritur a petente baptismum : «Vis baptizari?» Quasi dicatur ei illud beati Jacobi : Non est disciplinæ nostræ, ut aliquis invitus convertatur. Sicut te non potuit cogere diabolus ut subjicereris ei, sic ego te non cogam ut subjiciaris mihi. Hoc idem signat pulsatio episcopi ad ostium clausum ecclesiæ dedicandæ : ac si aperte dicat : *Ecce ego sto ad ostium et pulso. Si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum* (*Apoc.* III). Ego nulli violentiam infero; quia coacta servitia non admitto. Fur quoque qui prius intravit, licet effractarius sit, circuire potest, suadere et illicere potest, cogere omnino non potest; nec intrare nisi ei aperiatur; quantumlibet clamet aut pulset. Idcirco exigitur ab eo qui baptizari desiderat abrenuntiatio diaboli, et fides in Deum, quæ per dilectionem operatur. Quod nemo faciet nisi voluerit, quia, ut ait Augustinus (78), ire ad Ecclesiam, interesse mysteriis, potest quis non volens; jejunare, vigilare, laborare potest nolens; credere omnino non potest, nisi volens. O suavis et dulcis conditio, in qua nihil grave, nihil difficile a me exigitur. Nihil nisi salutare, et jucundum, et utile, et quod facere debueram etiam

(77) Hieron. *in I Tim.* III.

(78) Tract. 26, *in Joan.*

non rogatus. Non tamen hoc non adjutus ab alio potuissem : nam natura humana quæ per seipsam cecidit, sine divino adjutorio non resurgit. Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei, id est gratia ejus qui peccata remittit ; propter quam ab omnibus jure semper est glorificandus. Abrenuntiare diabolo est peccatum quodlibet exsecrari et abjurare, nihil scienter agere, dicere, vel appetere, quod conscientiam reprehendat. Quidquid enim fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. Et notandum, quod omnibus operibus diaboli jubemur abrenuntiare, non duobus aut tribus, aut medietati, aut majori, sed generaliter omnibus ; quia nulla communicatio Christi ad Belial (*II Cor.* vi), neque justitiæ ad iniquitatem ; *modicum enim fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* v), et qui offendit in uno fit omnium reus, et multa bona perdit (*Jac.* ii). Omnia vero opera diaboli sub duobus generibus continentur, id est flagitio et facinore. Unde ipse diabolus immundus spiritus appellatur propter flagitia ; malignus et nequam propter facinora. Non sufficit abrenuntiare operibus, nisi abrenuntietur et omnibus pompis ejus, id est amori cujuslibet gloriæ sæcularis et temporalis, sive sit in divitiis, sive in honore, sive in laude, aut in qualibet placendi dote. Has duas abrenuntiationes significat Ecclesia dedicanda, in eo quod est munda et vacua. Similiter anima baptizandi mundatur per abrenuntiationem diabolicorum operum : vacuatur autem per abrenuntiationem sæcularium pomparum. Hæc duo abjurat novitius in die consecrationis et dedicationis suæ, id est professionis : propriam videlicet voluntatem, quæ est radix omnium malorum operum : et proprietatem, sub quo nomine omnis pompa sæculi continetur. Per primam abrenuntiationem emundatur ab omnibus immunditiis, et per secundam vacuatur ab omnibus impedimentis. Quod vero omnis abrenuntians diabolo suscitat Leviathan adversum se, qui prius in se dormiebat, tanquam in umbra et secreto calami, et locis humentibus, per amorem vanitatis, et desiderium voluptatis ; idcirco baptizandum armat sacerdos adversus eum, signans eum oleo sanctificato in pectore, et inter scapulas ; ut ante et retro armis salutaribus muniatur. In pectore signatur ut non cedat turpiter, sed fortiter resistat, sicut scriptum est : *Resistite diabolo, et fugit a vobis* (*Jac.* iv).

Habet enim se diabolus ad modum crocodili, qui fugientem insequitur, insequentem fugit ; contra audacem timidus, contra timidum audax. Porro inter scapulas signatur baptizandus, ut sciat ferre loricam justitiæ, ut tollat super se jugum Christi suave, et onus leve, charitatem, quæ patiens est, ut eum qui mala irrogat portet : benigna est, ut etiam quem portat amet. In patientia crucem, in benignitate oleum sanctificatum intellige. Igitur in pectore signatur baptizandus oleo sanctificato, ut sciat hilariter bene facere ; inter scapulas, ut sciat gau-

A denter mala tolerare. In his duabus crucibus omnis justitia continetur. Hæc sunt duo ligna, de quibus noster pontifex pontem nobis construxit, per quem transiremus a morte in vitam. Neuter sine altero sufficit. Nam in sola patientia anima possidetur, sed patientia propter injustitiam nullam apud Deum gratiam promeretur. Unde Petrus : *Quæ est enim gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si patienter benefacientes suffertis, hæc est gratia apud Deum* (*I Petr.* ii). Post hæc quæritur a baptizando, utrum credat in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus, et in Spiritum sanctum, id est in eum qui omnia potest, et in eum qui omnia scit, et in eum qui omne malum odit, et omne bonum diligit. Quibus tribus valde contrarius

B est diabolus, qui omnino nihil potest, nihil scit, et nullum bonum diligit, sed omne malum. Qui nihil est, nihil omnino potest, diabolo autem dicitur : *Nihili factus est* (*Ezech.* xxviii). Diabolus nullum bonum potest facere, quia nec potest velle. Multa tamen bona facit ignorans, aut invitus : quæ non illi imputanda sunt, sed ei, a quo bona cuncta procedunt ; qui per suam sapientiam etiam malis diaboli novit bene uti. Sicut enim medicus ad extrahendum sanguinem superfluum et noxium ab homine, utitur plerumque sanguisuga ; sic divina pietas ad subtrahendum nobis noxium carnale desiderium, utitur inimici nostri nequitia. Et sicut sanguisuga non curat de salute hominis, sed de potu sanguinis, sic diabolus non curat de curatione peccatoris, sed

C gaudet tantum de afflictione. Nullum ergo bonum potest diabolus ; nullum quoque malum, nisi permissus. Quidquid autem ex alterius pendet arbitrio, non ejus est qui deorsum facit, sed ejus, qui desursum permittit. Qui autem nec bonum nec malum facere potest, nihil omnino potest. Ideo sacerdos insufflat in faciem pueri, ut ostendat eum nihil amplius posse pulvere, vel pluma, vel palea. Nam diabolus est pulvis sibi non cohærens, arefactus penitus a gratia Dei, projectus a facie terræ viventium vento inflationis propriæ, et turbine indignationis divinæ. Pluma est etiam, quia superbia ei actus ; palea, quia æterno igne urendus. O quam facile est contra tam infirmum pugnare adversa-

D rium, maxime illi, cui Deus omnipotens suffragatur. Item diabolus nihil scit. Omnis enim sapientia in more Domini esse definitur, qui omne malum cavere facit. Diabolus ergo qui factus est, ut nullum timeat, nec ipsum Deum, omni sapientia vacuus est, et fatuus, et insulsus. Ideo in secundo catechismo ponitur sal benedictum in ore pueri, ut per sal timoris Domini sciat expellere suggestiones fetidas dæmonis insulsi. Hoc est sal fœderis Domini, quod in omni sacrificio ponendum est, juxta illud Job : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti* (*Job* ix). Simus ergo semper memores hujus salis, quod in inferiori palatio magni Regis comedimus. Væ illis, qui omnes terras sciunt, et salis hujus memoriam perdiderunt : Ser-

vus enim *sciens voluntatem domini sui et non faciens eam, vapulabit multis* (*Luc.* XII). Propterea nihil infelicius diabolo, qui optime novit voluntatem Domini, et tamen semper contrarium agit, non invitus nec ignorans; sed ex malitia malo adhæret, et abhorret a bono. Sicut enim bufo non potest pati odorem bonum vineæ florentis, et sus non potest non diligere fœtorem sterquilinii : sic Satanas, quamvis habeat aureum circulum discretionis in naribus suis, tamen rostrum electionis semper infigere delectatur in sterquilinio peccatorum. Ideo in tertio catechismo sacerdos aures et nares baptizandi saliva sua cum signo crucis inungit, ut sciat appetitus odore reprobare malum, et eligere bonum : non sicut ille miserrimus, qui seipsum judicat, in eo quod probat, juxta illud poeticum :

. . . . . *Video meliora, proboque,*
Deteriora sequor. . . . . .
(OVID.)

Hæc ergo interrogatio : « Credis in Deum Patrem omnipotentem, » etc , quasi probatio quædam est ejus interrogationis, in qua quæsitum fuerat : « Abrenuntias Satanæ, et omnibus operibus ejus? etc. » Nemo enim potest his duobus dominis tam contrariis servire. Abrenuntiat ergo diabolo, qui semper timet Dei summam potentiam, quæ nos creavit. Et qui credit diabolum nihil posse, abrenuntiat omnibus operibus ejus : qui semper honorat Dei sapientiam, quæ nos redemit; et qui credit diabolum nihil scire, id est nullam utilem scientiam habere, abrenuntiat omnibus pompis ejus. Qui semper diligit Dei justitiam, quæ nos in filios adoptavit; credit etiam diabolum nihil boni posse alicui conferre. Et hoc est credere in Deum Patrem, et in Jesum Christum, et Spiritum sanctum. Quod autem subditur : « Credis in S. Ecclesiam, » sic est intelligendum : Credis unam esse Ecclesiam per totum mundum diffusam, per fidem in dilectione operantem, æterno et inseparabili connubio Deo conjunctam? Ipse enim dixit : *Sponsabo te mihi in fide; et sponsabo te mihi in justitia* (*Ose.* II). Quasi diceret : Sponsam meam te faciam; sed hoc dabis mihi dotis nomine, fidem et justitiam. Sed quoniam nec hoc dare poterat Ecclesia sponso suo, nisi acciperet prius ab eo, subjungit : *Sponsabo te mihi in misericordia et miserationibus* (*ibid.*). In misericordia, remittendo peccata; in miserationibus, conferendo merita. Est ergo sensus :

Credis in sanctam Ecclesiam, id est credis neminem posse salvari, nisi in unitate corporis Ecclesiæ fideliter permanentem ? Beatus Augustinus apponit præpositionem *in*, nos autem solemus dicere : *Credis sanctam Ecclesiam?* Unitas autem Ecclesiæ quadripertita est ; in fide contra hæreses, in charitate adversus schismata, in sacramentorum communione, in Spiritus sancti vegetatione. Sanctorum vero communio tria comprehendit, sacramentorum communicationem, Spiritus sancti participationem, orationum communitatem. Cum ergo

A dicitur baptizando : « Credis sanctorum communionem, » sensus est, credis orationum et bonorum communicationem mutuam inter fideles. Sicut autem respondens « credo, » significat se abrenuntiare operibus Satanæ; sic declarat se pompis ejus abrenuntiare, quando interrogatus affirmat se credere remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Hæ sunt enim pompæ Christiani, pompis diaboli valde contrariæ. Omnis enim ambitio, omnis gloria Christiani in his consistit. Prorsus nil aliud ambiri debet, quia nil majus aut melius possideri potest. Ecce qualis est conditio, sub qua quilibet fidelium se meminit baptizatum, et in templum Dei dedicatum. Quam conditionem qui non servaverit, peribit : qui vero servaverit, sicut

B modo ungitur ad conflictum contra hostem pugnaturus; sic in secunda dedicatione sua ungitur ad fomentum et refrigerium, tanquam peregrinus de laboriosa via regrediens, et ex itinere fatigatus : ungendus et in tertia ad regnum, sine fine cum Christo regnaturus. In hujus rei typum primo unctus est David in Bethleem, in medio fratrum suorum : secundo in Hebron super Judam solum : tertio in Jerusalem super Israel universum. In Bethleem ungitur, qui verum cibum animæ justitiam esurit. In Hebron ubi Abraham sepultus est, qui jam in pace dormit, et sepultus in sinu Abrahæ, singulariter in spe requiescit recipiendæ duplicis stolæ, stola prima et candida jam indutus.

C Ungitur in Jerusalem, qui jam de proximo pacem æternam conspicit, qui jam tenet quod speravit. In medio fratrum suorum ungitur, qui adhuc in fraterna versatur acie. Super solum Judam ungitur, qui jam convertitur in requiem suam, et super ereptione sua confitetur Domino, illud Davidicum canens : *Convertere, anima mea, in requiem tuam,* etc. (*Psal.* CXIV.) Super Israel universum ungitur, qui jam cœtibus angelicis aggregatus gloriam humanitatis Christi videt oculis glorificati corporis, et gloriam divinitatis oculis mundi cordis. Prima dedicatio violari potest, secunda et tertia inviolabiles sunt : quia ab omnibus adversis et periculis eximuntur. In prima datur impunitas a peccatis

D præteritis, in secunda immunitas ab omnibus periculis; in tertia saturitas in omnibus bonis. Sed aliis omissis, de prima quod incepimus exsequamur.

Dedicare est novitatem alicujus domus in usum sanctum et celeberrimum deputare. In baptismo novi efficimur, quando veterem hominem cum suis actibus exuentes, induimus novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Ad hos usus sanctitatis et justitiæ, pacis et sanctimoniæ, nostræ domus novitas consecratur. In cujus rei significationem baptizatus mox vestibus albis induitur, et oleo sacro in vertice inungitur, ac si ei voce Salomonis dicatur : *Omni tempore vestimenta tua sint candida, et oleum de capite tuo non deficiat* (*Eccle.* IX) ; id est corpus tuum plenum sit sanctimoniæ munditia , et pacis suavitas de mente

non pereat. Quod præceptum si bene custodieris, in futuro stola immortalitatis et gloriæ indueris; quod tibi præfigurat nova vestis candida: et oleo lætitiæ inungeris, et honore regni donaberis, quod tibi præsignat sacra capitis inunctio. Sed quid faciemus, quid dicemus de minis illis terribilibus, quas intentat Paulus dicens: *Si quis violaverit templum hoc, disperdet eum Deus* (*I Cor.* III). Et quis est, qui templum Dei post dedicationem primam non violarit, nisi qui possit cum Paulo dicere: *Nihil mihi conscius sum* (*I Cor.* IV), et cum beatus Job: *Non me reprehendit conscientia mea in tota vita mea?* (*Job* XXVII.) Tam beatæ vocis pretiosa raritas quotocuique contingit? Quid ergo? Peribunt omnes alii? Absit! Nam tenemus certam promissionem Dei dicentis: *Cum averterit se impius ab impietate sua*, etc., *ipse animam suam vivificabit* (*Ezech.* XVIII). Et beatus Joannes: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Deum Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joann.* II). Et Paulus ipse illi, qui templum Dei violaverat, et turpitudinem patris sui revelaverat, ob pœnitentiam quæ secuta fuerat, peccatum in persona Christi donavit. Ubi est ergo, o beate Apostole, quod generaliter prius intonueras: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus?* Ecce huic violatori promittis veniam. Non ergo si quis templum Dei violaverit, et postea pœnituerit, disperdet illum Deus. Quare? Quia restauravit quod violaverat: ideoque nec dicitur violasse. Unde Dominus de impio ad justitiam converso: *Omnium*, inquit, *iniquitatum ejus non recordabor* (*Hebr.* II). Sic igitur sunt omnes iniquitates impii pœnitentiam agentis quasi nunquam fuerint. Unde iterum dicit: *Convertimini, et agite pœnitentiam, et non erit vobis in ruinam iniquitas* (*Ezech.* XVIII). Certe si non erit in ruinam, non erit: quia non potest esse et non esse in ruinam. Iterum: *Ego sum, qui deleo iniquitates vestras* (*Isa.* XLIII). Quod scriptum erat, postquam deletum est, non est. Unde Ambrosius (79) super illum locum: *Talis est via meretricis* etc. (*Prov.* XXX). Dicit non sum operata malum. Non dicit soluta sum, dimissa sum, lota sum, sed fidenter loquitur: Non sum operata malum. Non sum quæ fueram: *Alia facta per te, qui vertis impium, et non erit.* Item Hieronymus super Osee (80): *Hoc interest inter conjugium hominis, et conjugium Dei, homo ex virgine facit matrem, Deus ex corrupta virginem.* Multa dicuntur non quæ sunt, sed quæ fuerunt, ut Simon leprosus dicebatur, postquam curatus fuerat. Et virga Aaron devoravit virgas magorum, id est dracones. Sic in Zacharia: *Quid est bonum ejus, et quid pulchrum ejus? Nonne frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* (*Zach.* IX.) In his virginibus non solum carnis corruptio, sed et omnis memoria, et omne vestigium corruptionis perit. Ideo dicebat Apostolus: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*I Cor.* II). O quanti in eis erant, qui templum Dei violaverant, sed quasi non fecisse dicuntur, postquam per pœnitentiam sunt mutati. Quia ergo nostra dedicatio multis periculis exponitur, et frequenter ab hostium insidiis et violentiis violatur; Deus noster misericors et miserator et justus suspendit ad tempus ultionis judicium; ut si forte restauratum fuerit per pœnitentiam quod violatum est per culpam, non inferatur ad vindictam, quod comminatum est ad cautelam. Hanc autem restaurationem pœnitentiæ significat usus sanctus et celeberrimus Ecclesiæ dedicatæ. Duo namque sunt opera, quæ maxime in Ecclesia celebrantur, orationes et oblationes. Et audite causam pulcherrimam, quare. Propter iniquitates nostras irascitur nobis Deus, quia summe bonus est, et omne malum odit. Propter justitiam suam nobis peccantibus adversatur, quia summe justus est, et nullum malum impunitum relinquit. Quia ergo nobis irascitur, oratione deprecandus est: quia nobis adversatur, oblatione placandus. Hæc sunt duo potentissima suffragia, quæ in causis sæcularibus requiruntur, eloquens advocatus, et procurator magnificus. Primus captat favorem judicis, secundus placat furorem indignantis. Advocati vicem supplet oratio, procuratoris oblatio. Nomine autem oblationis etiam sacrificia comprehendo. Omne namque sacrificium offertur; sed non omnis oblatio sacrificatur. Sacrificium proprie ad animata pertinet; oblatio proprie ad inanimata, et tamen unum pro altero in Levitico ponitur.

Duobus autem modis solet placari judex, munere, et ultione. De primo habes: *Munus absconditum avertet iram, et donum in sinu indignationem maximam* (*Prov.* XXI). Item: *Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatium ei facit* (*Psal.* CV). De secundo: *Stetit Phinees et placavit, et cessavit quassatio* (*ibid.* XVIII). Et Apostolus: *Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* II). Oblatio ergo hic significat jejunium et eleemosynam. Jejunium pro sacrificio vel ultione, eleemosynam pro dono vel munere. Oratio est omnis sancta cordis affectio in Deum, mente aut etiam voce expressa. Eleemosyna est omnis benevolentia seu beneficentia in adjutorium proximi propter Deum collata. Jejunium est omnis voluntaria corporis castigatio, in ultionem peccati propter Deum assumpta. Oratio ergo, jejunium, et eleemosyna efficacissima sunt, et potentia ad placandum Deum. Felix ille debitor et sapiens, qui tam magna redimit tam parvo pretio. Hæc sunt tria illa Magorum munera; aurum eleemosynæ, thus orationis, myrrha jejunii; semper ad templum Dominici corporis, quod nos sumus, deferenda: quia hæc semper a fidelibus actitanda sunt. Sed videte, fratres, ne seducamini, præsentantes hæc munera sine pace et sanctimonia: qui

(79) Lib. *de Salom.* in fine.

(80) *In c.* II *Osee.*

sunt illi duo usus celeberrimi, de quibus prius A locuti sumus: et ad quos specialiter nostra domus dedicata est a Filio Virginis acceptati. Nullo enim pretio possunt peccata redimi, nec ipso Christi sanguine, nisi relinquantur. Nam ut ait Salomon: *Non acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima* (*Prov.* VI). Et Job: *Non credat frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit* (*Job* XV). Unde Gregorius: *Quia ita eleemosynam tribuit, ut culpam non dimittat, animam non redimit, quam a vitiis non compescit.* Jejunare quoque a cibo, nisi jejunetur et a vitio, nihil omnino prodest, juxta illud Isaiæ: *Quare jejunavimus, et non aspexisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti?* (*Isa.* LVIII.) Audite quare: *Quia in die jejunii vestri invenitur vestra voluntas. Ecce ad lites et contentiones jejunatis: et percutitis pugno impie* (*ibid*). Nonne hoc est jejunium quod elegi? *Dissolve colligationes iniquitatis, solve fasciculos deprimentes* (*ibid.*). Ecce hic aperte dicit, quod nec corporis castigatio, nec eleemosynæ largitio aliquid prodest; nisi prius peccata relinquantur. Quisquis ergo a peccato non abstinens, in jejunio, vel eleemosyna, vel oratione confidit; similis est Judæis, qui in verbis mendacii confidebant, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est (*Jer.* VII). Hoc dicebant illi vane confidentes in externo ornatu parietum, in inani strepitu verbosarum orationum, in legali ritu sacrificiorum: quasi dicerent prophetis: Frustra nobis vaticinamini, templum istud destruendum esse: non enim destruetur, quia templum Domini sanctum est, in quo tantæ fiunt quotidie orationes a populo; non destruetur, quia templum Domini est etiam gentilibus reverendum, et solum est, in quo quotidie offeruntur sacrificia.

Reliqua hujus sermonis desunt, pauca ut apparet.

SERMO XXVIII.

DE POTESTATE ET PROBITATE ECCLESIÆ.

Grave jugum super filios Adam, gravem miseriam conditionis humanæ recognoscens Apostolus humiliter in seipso, et deplorans eam: *Scio*, inquit, *quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII). Et paulo post: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*ibid.*). Et infra: *Sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest* (*Rom.* VIII). Hic quæritur, quare non potest? Respondeo, quia originaliter in Adam maledicta est: *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* VII), ait Deus ad Adam. Hæc maledictio terræ, fuit etiam maledictio carnis humanæ, quæ de terra sumpta est, in omni posteritate Adæ. Quam maledictionem inflixit ei Deus misericors et justus, misericorditer et juste; ut dum caro concupisceret adversus spiritum, eumdem spiritum erudiret ad bellum. Propter hoc enim bellum ingemiscebat Apostolus, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Ac si apertius dicat: Donec exeam de corpore mortis hujus, non sum inventurus a labore requiem; quia nec habiturus cum carne mea pacem. Si ergo terra nostra per primæ transgressionis humiliandæ superbiam, cum simus inutiles, illam operantibus tantum spinas et tribulos germinare non cessat; quid, putatis, factura est, si per negligentiam nostram inculta remanserit, et eam non fuerimus operati? Plane quod ait Salomon: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urtica, operuerant superficiem ejus spinæ* (*Prov.* XXIV). Urtica dicitur ab urendo, juxta illud:

Hortos talpa fodit, digitos urtica perurit.

Urticæ sunt prurientia carnis desideria, quæ dum B corporales delicias sensibus contrectant corporis, et ad blandos voluptatis aculeos male fornicantem carnis pruriginem scalpendo, quasi mentis humanæ digitos urticarum mole suarum superflua contrectatione perurit. Huic pruritui optime satisfecit noster ille gratia Benedictus et nomine, qui inflammante diabolo, nova et insolita carnis prurigine a suis cogitationibus scalpente, maluit carnem suam spinis et vepribus, quam animam carnis delectationibus ulcerari. Spinæ sunt mundanarum curarum pungentes sollicitudines hujus mundi, quæ pungunt et lacerant, discerpunt et cruentant.

Sed miseri, quorum sensus ad amorem obdulcantur, punctiones suas non sentiunt: et ideo cruentari non dolent, sed sub sentibus esse deliciås computant; et semen verbi Dei in suis cordibus suf- C focant; sterilem pascunt, et viduæ non benefaciunt: et sic in carne sua seminantes spinas modo seminant, ignem in judicio collecturi. Ecce qualis est fructus terræ, quæ non colitur, sed deserta in desertum redigitur. Ad hoc periculum de terra Ecclesiæ submovendum, magnus ille Pater familias mane sæculi usque ad nostrum vespere non cessat mittere operarios in vineam suam, qui spinas et vepres in eis succrescentes, mox ut oriri cœperint, radicitus amputare festinent. Hoc est enim, quod Jeremiæ dicitur, in persona omnium cultorum vineæ Domini: *Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et ædifices, et plantes* (*Jer.* I). Omnis prælatus ecclesiasti- D cus super gentes et regna a Domino constituitur; quia multitudini sæcularium, et potestati regum ac principum a Domino præfertur. Sic enim Dominus ab initio ordinavit, ut omnis dignitas sæcularis, et mundana potestas ecclesiasticæ dignitati subjecta sit, et ab ea tanquam a superiore inferior, et a potiore indignior regatur. Major est enim qui benedicit, quam qui benedicitur; quia qui benedicit, vicem Creatoris obtinet, qui in principio mundi creaturis animantibus benedixit, dicens: *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I). Non benedicitur autem sacerdos a principe, sed princeps a sacerdote: sicut summus sacerdos Dei Melchisedech summum patriarcham Abraham, virum sanctissimum benedixit. Denique non solum apud Judæos et Christianos, sed apud

ethnicos id moris et juris semper legitur exstitisse, ut cunctis honorum gradibus summum sacerdotium præferretur. Augustus Cæsar, imperatorum maximus, tandiu sacrorum pontificibus subjectus fuit, donec ipse a senatu vestalis pontifex creatus fuit; ne quis illo honoratior haberetur. Plutarchus philosophus, Trajani principis institutor et doctor, dicit rempublicam esse veiut quoddam corpus divini muneris beneficio animatum, quod summæ motu æquitatis agitur, et rationis moderamine gubernatur. Caput hujus corporis princeps est. Qui autem divino cultui et religioni præsunt, tanquam ejusdem corporis anima suscipiendi et honorandi sunt. Hinc manifeste colligitur, quod quantum præcellit anima corpori, tantum sacerdos regi. Audiant igitur reges terræ, et mundi principes, et omnes sæculi potestates; et æquis auribus audiant, quod sic ordinavit Dominus, ut illis præsideant sacerdotes: *Ecce*, inquit, *constitui te hodie super gentes et regna.* Audiant autem sacerdotes et prælati, ad quod constituti sint: *ut evellas et destruas*, etc. Ut evellas malum quod radicatum est; destruas malum quod jam constructum est; disperdas malum quod jam aggregatum est; dissipes malum quod fortiter munitum est. Radicatio pertinet ad voluptatis propositum, constructio ad operis effectum, congregatio ad consuetudinis usum, munitio ad obstinationis duritiam defendentem peccatum suum, vel de eo gloriantem, vel alios corrumpentem per exemplum. Ait ergo: *Constitui te, ut evellas* vitium, quod jam radices fixit; *et destruas* quod mali operis perpetratio jam construxit, *et disperdas* quod per pravam consuetudinem jam inolevit. Mala voluntas bona voluntate evellitur, malum opus opere bono destruitur, mala consuetudo bona consuetudine superatur et disperditur, mala vitiorum pertinacia bona virtutis perseverantia dissipatur. Doce igitur et prædica, quod mala male radicata evellit contritio, male constructa destruit confessio, male congregata disperdit satisfactio, male munita dissipat perseverantiæ fortitudo. Hæ sunt quatuor partes pœnitentiæ, sine quibus non fit reversio de malo ad bonum, de diabolo ad Deum. Et fortassis hæc sunt quatuor *Revertere*, quibus revocatur Sunamitis in Cantico canticorum (cap. VI). Primo enim revertimur ad cor per considerationem et contritionem, quasi de agresti quodam loco, et de eremi solitudine ad domum, quam Jacob vir simplex dicitur habitasse. Secundo revertimur de corde ad os per confessionem, quasi de domo ad templum, ut ibi confiteamur Deo, benedicamus Dominum, et gloriam demus ei, nosmetipsos accusando, et eum justificando; quia scriptum est: *Et in templo ejus omnes dicent gloriam* (*Psal.* XXVIII). Item: *Ore confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). *Os meum annuntiabit justitiam tuam* (*Psal.* LXX). Tertio revertimur de ore ad corpus, de sermone ad opus per satisfactionem, quasi de templo ad agrum; ut quod ore promisimus, opere A compleamus, et reddamus vota nostra, quæ distinxerunt labia nostra (*Psal.* LXV). De hoc agro scriptum est: *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam* (*Prov.* XXIV). Vel quasi de templo ad bellum, ut contra carnis vitia fortiter pugnemus. Unde: *Ascendere feci fetorem castrorum vestrorum in nares vestras, et non estis reversi ad me* (*Joel.* II). Fetor castrorum est fetor corporum in luxuria nutritorum, et infamia criminosorum. Quarto revertimur de corpore ad mortem, per satisfactionis et cautelæ perseverantiam, quasi de labore ad requiem, de opere ad mercedem, de bello ad pacem, de castris ad civitatem.

De prima reversione scriptum est: *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isa.* XXVI). De secunda in Evangelio: B *Reversus dixit: Surgam, et ibo ad patrem meum; et dicam ei: Pater, peccavi in cœlum et coram te* (*Luc.* XV). De tertia: *Si revertamini et quiescatis, salvi eritis* (*Isa.* XXX). De quarta: *Virgo Israel, revertere in civitates tuas* (*Jer.* XXXI). Sicut una Ecclesia, et plures Ecclesiæ, sic una cœlestis civitas, et plures civitates; propter plures sanctorum ordines. De omnibus pariter est illud: *Quatuor animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis* (*Ezech.* I). Nihil velocius fulgure coruscante. Sic sunt omnes istæ reversiones. Velox consideratio velocem contritionem generat, velox contritio velocem confessionem, velox confessio velocem satisfactionem, velox satisfactio velocem perseverantiam; quæ etsi fortassis longa sit in multitudine, C brevis tamen reputanda est mentis humilitate in comparatione præmii sine fine percipiendi, juxta illud: *Videbantur ei pauci dies, præ amoris magnitudine* (*Gen.* XXIX). Et illud: *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis* (*II Cor.* IV). Sequitur:

Ut ædifices et plantes. Ædifices quidem aurum et argentum, et lapidem pretiosum multum. Naturale repereris fundamentum, animum paratum et dispositum ad bonum suscipiendum. Hæc materia non timet ignem. Ligna, fenum, stipula ideo ædificanda non sunt, quia per ignem transire habent, et in igne perire. Hæc sunt venialia. Mortalia enim pec- D cata non sunt lignum, fenum, stipula; sed plumbum, æs et ferrum: et hujusmodi peccata fundamentum fidei non solum deturpant, sed etiam destruunt. Est enim duplex impietas, id est infidelitas, non credendi, et non obediendi. Unde Samuel: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare: et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV). Et Apostolus: *Qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, hic fidem negavit, et est infidelis deterior* (*I Tim.* V). Lignum hoc loco significat quamdam cordis rigiditatem, fenum carnis mollitiem, quia *omnis caro fenum* (*Isa.* XL), stipula animi levitatem. Lignum ædificat, qui ad dimittendum rancorem animi rigidior est, ad miserendum durior, parcior ad dandum; dimittit tamen, et mise-

retur, et dat, sed tardius et difficilius quam debet. Nam qui omnino dimittit, non ædificat lignum, sed ferrum. Non enim venialiter peccat, sed mortaliter. Fenum ædificat, qui ad corpus castigandum pigrior est, ad fovendum pronior. Stipulam ædificat, qui ad silentii gravitatem inexercitatior est, ad risum et otiosa verba facilior et promptior. Aurum autem ædificat, qui Deum et proximum perfecte diligit, cujus perfecta charitas foras timorem mittit: cujus fides probatur per tentationem sicut per ignem aurum, qui tentatus et probatus potest dicere cum beato Laurentio: *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas* (*Psal.* XVI). Aurum quilibet ædificat, cui datur sermo sapientiæ de divinis ad instructionem fidei, et ædificationem morum. Argentum ædificat, cui datur sermo scientiæ de terrenis, ad solertem providentiam mundanorum in utilitatem proximi. Melius autem argentum ædificat, qui castitate nitet; qui casta Dei eloquia caste servat, et caste docet; qui in laudibus Dei, in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, nocturnis ac diurnis officiis, cantando et psallendo se strenue exercet. Lapides pretiosi nitidi sunt et solidi. Nitor eorum puritatem conscientiæ significat: soliditas patientiæ firmitatem. Lapides igitur pretiosos ædificat, qui omni custodia servat cor suum; nec conscientiæ puritatem amittit in prosperis, nec patientiæ firmitatem in adversis. Sed hic oritur non contemnenda quæstio; nam si ligna, fenum, stipula peccata venialia significant, sine quibus vita præsens non ducitur: cur non dicuntur similiter sancti ædificare ligna, fenum, stipulam, sicut cæteri; cum sine talibus vitam non ducant? Sed verbum ædificandi multitudinem venialium significat. Non enim ex unico ligno vel stipula ædificium construitur, sed ex plurimis simul adunatis. Sancti autem et perfecti, quia etiam venialia quantum possunt cavent: ideo non contrahunt ex illis tantam multitudinem, ut ædificium possit appellari. Item justi quotidianas offensas quotidianis bonorum operum sacrificiis redimunt, et ideo de ipsis offensis ædificium nullum construunt. Quia autem multa bona opera congregant, ideo aurum, argentum et lapides pretiosos ædificant. *Ædifices*, inquit, *et plantes*: in terra scilicet cordis et corporis parata, purgata, et impinguata. Ibi planta fidei, germina et plantaria virtutum, ut sit in domo Domini hortus deliciarum in suavi jucunditate communiter viventium; hortus nucum in duritia et austeritate pœnitentium; hortus aromatum in ferventi cogitatione Deum amantium: lilium convallium in nitenti castitate humilium: paradisus pomorum omnium in dulcedine spiritus æterna prælibantium, et spirantium bonæ opinionis odorem. Sicut enim plantavit Deus paradisum voluptatis ab initio, in quo posuit hominem, qui ibi habitaret et deliciaretur: sic homo in se debet plantare hortum voluptatis, in quo Deus tanquam in deliciis assidue versetur. Sic enim ait: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII). Et in Apocalypsi (cap. III) dicitur pulsare ostium, ut introeat et cœnet cum homine. Quid est autem, quod pro deliciis ducit habitare nobiscum? Audi Zachariam: *Quid bonum ejus, quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* (*Zach.* IX). Frumentum electorum Christus est, qui se frumentum appellat: vinum germinans virgines Spiritus sanctus: qui germinat virgines, cum infundit cordibus amorem castitatis, sanctimoniæ et puritatis. Frumentum dicitur a fruendo. Quomodo autem electi fruuntur Christo? Per charitatem fraternitatis: si eam sibi invicem casto impendant amore. Nec enim possunt frui frumento, nisi fruendo et hoc vino, quod de Christo vite procedit. *Cum venerit*, inquit, *Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (*Joan.* XIV). etc. De frumento panis conficitur: de charitate fructus panis generatur. Unde: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit* (*Joan.* VI). De cœlo nihil descendit mortuum, nihil insulsum, nihil insipidum. Pax sine sanctimonia panis est, sed panis mortuus, insulsus, insipidus; panis de mundo, non de cœlo. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis* (*Joan.* XIV). Mundus dat pacem sine sale, non sic ego; sed dico vobis: *Habete sal in vobis; et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX). Non potest ergo frumentum electorum esse sine vino, quod germinat virgines. Nam si sine illo sit, erit frumentum reproborum, non electorum. Paulus ad Philemonem: *Ego te fruar in Domino* (*Phil.*, 20). Non sic fruuntur se invicem, de quibus scriptum est: Magna inter molles concordia. O quam pulchra est casta generatio cum charitate! Hæc est bonum Dei, hæc pulchrum Dei, casta charitas, et chara castitas. *Factus est in pace locus ejus* (*Psal.* LXXV); sed et in sanctimonia similiter. Deus auctor pacis et amator dicitur. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum* (*Lev.* XI). *Tu autem in sancto habitas, laus Israel* (*Psal.* XXI). Et iterum: *Deus, in sancto via tua* (*Psal.* LXXVI). *Deus meus, impolluta via ejus* (*Psal.* XVII). Nil placitum sine pace. Ideo *Pacem habete*, ait Apostolus, et *Deus pacis et dilectionis erit vobiscum* (*I Cor.* XIII). Sed de qua pace loqueretur aperuit, quando ait: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII). Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, quæ est Deus, non Deus dissensionis, sed pacis. Exhibiturus est *sibi Deus Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam* flagitii aut facinoris, *vel aliquid hujusmodi* (*Ephes.* V).

Igitur deliciæ Dei nil aliud sunt, quam munditia corporum, et pax animorum. Ille igitur prælatus sive prædicator plantat Deo hortum voluptatis et deliciarum, qui verbo et exemplo pacem et sanctimoniam plantat in cordibus et corporibus auditorum. Ecce hoc est opus evangelistæ; ecce quare mittuntur ad nos toties legati a latere domini papæ: ut scilicet evellant et destruant, et ædificent et plantent. Sed quid est, quod propheta quarta tristia, et

duo tantum læta subjungit : nisi quod quotidie iniquitatis abundante diluvio, et refrigescente magis charitate multorum, duplex labor jam necessarius est in rescindendis vitiis, quam in virtutibus inserendis? Repleta est terra iniquitate : non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra : maledictum et mendacium, homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Unde hoc? nisi quia juxta poetam :

Neglectis urenda filix innascitur agris.
(Hor. *Sat.*, I, 3, 37.)

Non possunt autem virtutes plantari vel inseri, nisi ubi prius vitia fuerint exstirpata. Unde Boetius, *De consolatione* (III, 1) :

Qui serere ingenuum volet agrum
Liberat arva prius fruticibus,
Falce rubos filicemque resecat, etc

Nonne hoc et Scriptura? *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Et iterum : *Quiescite agere perverse, discite bene facere* (*Isa.* I). *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII). *Qui diligitis Dominum, odite malum* (*Psal.* XCVI); id est ab hoc gradu dilectionis incipite. Primus enim gradus dilectionis Dei est odium peccati; qui gradus in tres partes dividitur : in pœnitentiam peccati præteriti, in eradicationem præsentis, id est renascentis, in declinationem futuri. Horum autem omnium nihil potest fieri sine sarculo disciplinæ, de quo dicit Isaias : *Omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum et veprium* (*Isa.* VII). Sarculus iste disciplina est : ad quam pulchre nos invitat Paulus : *In disciplina*, inquit, *perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis est autem filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis; cujus participes facti sunt omnes; ergo adulteri et non filii estis* (*Hebr.* XII), etc. Ex his verbis Apostoli potest disciplina sic describi. Disciplina est paternæ correptionis filialis susceptio; quæ consistit in duobus, in discreta et naturali dispositione præsidentium, et voluntaria et humili obedientia subjectorum. De quibus est elegans illa Plauti sententia : *Duo sunt genera potestatum, unum quod jubet, alterum quod obsecundat; sic reguntur omnia.* Et addit : *Præclarior illa majorum : sed minorum sæpe major est gratia : itaque et invidia et sumptu evitatis, sperate ab inferioribus.* Ecce vir eloquentissimus obedientiam et subjectionem potestatem appellat; revera potestas est, et maxima. Multo enim potentius est obedire et subjici, quam imperare et dominari. Tanto utique potentius, quanto difficilius est facere, quam dicere. Nihil enim dicto facilius. Ideo omnis sapiens, omnis vere Christianus magis ambire solet ad humile subjectionis obsequium, quam ad sublimem prælationis gradum; quia revera potentiorem facit humilis subjectio, quam sublimis prælatio. Pulchre igitur nos sperare jubet ab inferioribus, ubi major quies,

A major gratia; minor sumptus, et minor invidia. Beatus Cyprianus disciplinam sic describit : Disciplina est ordinata morum correctio, et major præcedentium regularum observatio : « Hæc est, inquit, tunica Christi; qui extra istam est, alienus est a corpore Christi (81). » Non scindamus eam, sed sortiamur cujus sit, id est non solvamus quidquam de mandatis Domini, nec de mandatis præpositorum Ecclesiæ ab eo constitutorum, quibus ipse dicit : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X). Hinc est quod idem beatus martyr ultimum et pessimum abusionis gaudum dicit esse plebem sine disciplina. Quid est autem plebs sine disciplina, nisi plebs, quæ majorum imperio regi se non patitur; sed infrenis et erronea per devia B raptatur; cum dimissa propriæ voluntati, velut quoddam animal agreste et indomitum, libertate noxia per campos licentiæ præceps et vagabunda discurrit? Unde scriptum est : *Vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pullus onagri se liberum natum putat* (*Job* XI). Talis erat Durio ille tribunus plebis, quem Lucius Flaccus et collega ejus censores senatu moverunt; quod legem de coercendis sumptibus datam abrogaverat his verbis : « Arcti freni nobis injecti sunt, Quirites, nullomodo perpetiendum; alligati et constricti avaro vinculo servitutis. Lex enim data est, quæ nos frugi esse juberet. Abrogemus istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium, et nobis quid opus est libertate, si volentibus perire non licet? » O hominem mille C mortibus dignum non modo a senatus ordine, sed ab omni humano genere submovendum! Nolite, fratres, nolite, obsecro, esse de talibus. Nolite esse sine disciplina, ut filii Belial, id est absque jugo; qui juxta Jeremiam (cap. II) fregerunt jugum obedientiæ, et ruperunt vincula disciplinæ, et dixerunt : Non serviemus; quin potius, ut ait Psalmista : *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus et pereatis de via justa* (*Psal.* II). Apprehendite disciplinam, tanquam spirituale præsidium, tanquam refugium singulare. Apprehendite apprehendentem. *Apprehendi te*, inquit, *ab extremis terræ; et a longinquis ejus vocavi te* (*Isa.* XLI). Extrema terræ, sunt majora crimina; longinqua, minora. Longius a Deo D sunt qui in extremis terræ, quam qui in longinquis; et plus est apprehendere, quam vocare. Apprehendimur manu, vocamur præcepto, apprehendimur flagello; ubi abundavit peccatum, superabundat gratia. Quid ergo est apprehensio disciplinæ, nisi jucundissimus complexus sapientiæ? *Quia*, inquit, *vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret* (*Prov.* I). Augustinus ad Docelinum : « Sapientia quos primo alligaverit, et exercitatoriis quibusdam laboribus edomuerit, solvet postea, liberatisque post donabit ad fruendum : et quos primo temporalibus nexibus erudierit, post æternis amplexibus alligabit, quo vinculo nec jucun-

(81) Cyprian., tract. *De XII abus.*

lius nec solidius quidquam cogitari potest. Prima hæc aliquantulum dura esse confiteor : illa vero ultima nec dura dixerim, quia jucundissima ; nec fragilia, quia firmissima. Quid ergo, nisi quod dici non potest sed tantum credi et sperari, et amari potest? Vincula vero hujus mundi asperitatem habent, nunquam jucunditatem nisi falsam, certum dolorem, incertam voluptatem ; durum laborem, incertam quietem ; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. » Et addit : « Hisne tu inseris et manus, et collum, et pedes, cum terrenis honoribus subjugari affectas : quo non modo invitatus, sed nec compulsus ire debuisti? » Ecce Augustinus Plauto consentiens prælationem jugum appellat, subjectionem et disciplinam libertatem feliciter ligantem. Apprehendite ergo disciplinam, id est suscipite sapientiam pulsantem ad ostium, et dicentem: *Ecce ego sto ad ostium* (*Apoc.* III), etc. O deliciarum delicias! habere Deum socium et comitem, hospitem et convivam. Nolite ei auferre delicias suas : ne ipse vobis auferat vestras. Deliciæ ejus esse vobiscum. Erit autem vobiscum, si disciplinam apprehenderitis : *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias; neque declines, cum ab eo corripieris : quem enim diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi* (*Prov.* III). O quam deliciose habitat pater cum filio! Quid sit autem apprehendere disciplinam, breviter insinuat Apostolus dicens : *Obedite præpositis vestris, et subjacete illis* (*Hebr.* XIII), in his, quæ de vobis disponunt. Ecce præpositus missus a domino papa, legatus iste novus, qui novum ad nos attulit disciplinæ sarculum, novas et multas edidit regulas præceptorum ; sed de multitudine regularum nequaquam causabitur, qui spinarum suarum multitudinem resecari æquanimiter patietur. Siquidem in omnibus nobis increverunt multa non solum superflua, sed etiam nociva, quæ omnia resecanda sunt, si fructum afferre volumus ; nec resecari possunt omnia unius præcepti falce, sed plurium. Alioqui quid prodest, unam spinam resecare, et multas relinquere?

Quid te exempta juvat spinis de pluribus una?

(Ovid.)

Una sæpe scintilla contempta magnum excitavit incendium. Una spina neglecta magnum aliquoties excrevit in spinetum. Unde Isaias : *Succensa est quasi ignis, et succendetur in densitate saltus* (*Isa.* IX). Spinam et veprem singulariter dixit, subjungit in plurali sensu de densitate saltus ; aperte innuens, quod neglectus unius spinæ silvescit aliquoties in condensum saltum nequitiæ. Igitur æquo animo toleremus vitiorum nostrorum non novam multitudinem nova præceptorum multitudine resecari. Nam ad exhibendam legato huic debitam reverentiam, et præceptis ejus obedientiam, multum nos inter cætera inducere debet ipsius modestia præceptoris. Non pompatice incedit, non sectatur avaritiam, non currit post munera, non nostra quærit, sed nos. In summa non est, ut multi : id est non abit post aurum, nec sperat in thesauris pecuniæ : amator est justitiæ, zelator animarum, pecuniæ contemptor, illud poeticum memoriter retinens :

Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge Deo.

Et illud Senecæ : « Nemo alius Deo dignior est, quam qui opes contemnit. » Nunc igitur hortor ut audiatis humiliter et devote, quæ præcepta vobis transmisit in salutem animarum, et obedientes sitis secundum meum consilium. Quod vobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster.

HELINANDI

FRIGIDI MONTIS MONACHI

FLORES

A VINCENTIO BELLOVACENSI COLLECTI.

(D. TISSIER, *Bibl. Patr. Cist.*, VII, 306.)

MONITUM.

Flores Helinandi ad tria capita pertinent. Primum est *De cognitione sui*; secundum, *De bono regimine principis*; tertium, egressum e cœnobio novitium revocare tentat per epistolam seu librum qui inscribi solet : *De reparatione lapsi*, a Vincentio Bellovacensi in capita divisum, sed a nobis hic priori formæ restitutum.

PRÆFATIO VINCENTII BELLOVACENSIS.

His temporibus in territorio Belvacensi fuit Helinandus monachus Frigidimontis, vir religiosus, et facundia disertus; qui et illos versus De morte *in vulgari nostro, qui publice leguntur, tam eleganter et utiliter, ut luce clarius patet, composuit; et etiam* Chronicam *diligenter ab initio mundi usque ad tempus suum in maximo quodam volumine digessit. Et hoc quidem opus dissipatum est et dispersum, ut nusquam totum reperiatur. Fertur enim quod idem Helinandus cuidam familiari suo, scilicet bonæ memoriæ domino Garino Silvanectensi episcopo, quosdam ejusdem operis quaterniones accommodaverit; sicque sive per oblivionem, sive per negligentiam, sive alia de causa penitus amiserit. De hoc tamen opere, prout invenire potui, in hoc quoque nostro opere multa per diversa loca inserui. Hic autem etiam quædam ejusdem operis notabilia, quæ nusquam sunt superius posita inserere volui, et etiam de quibusdam aliis ejus scriptis, unde flores excerpsi. Scripsit enim, ut legitur, epistolam, cujus titulus est,* De reparatione lapsi, *missam scilicet ad Galterum clericum, qui fuerat novicius in ordine Cisterciensi, et canonicus in ordine Præmonstratensi, et tandem quasi liberum se a voto existimans, eo quod minime fuisset professus, rediens ad sæcularem vitam, duxit uxorem, nomine Rixendam. Super quibus rogatus Helinandus, a Guillelmo scilicet fratre ejusdem Galteri, socio et conclaustrali ipsius Helinandi, scripsit Epistolam ad eumdem Galterum sub ejusdem Guillelmi persona, ita ut ipsius esse videatur. Scripsit etiam idem Helinandus sermones aliquos peroptimos. Hæc sunt autem quæ de præfatis ejus opusculis excerpsi, et in unum hic apposui.*

DE COGNITIONE SUI.

CAPUT PRIMUM.

Monentur visitatores seipsos visitare et examinare.

In Chronicis, libro VIII, errores philosophorum de ingressu animarum ad corpora, et regressu a corporibus, et de locis inferorum latius exposui, ut melius intellecti caveantur. Itaque de oraculo Apollonis, de quo Macrobius errorem suum nititur confirmare, scilicet de cœlo descendit *gnothi seauton* (82), sermonem in conventu fratrum edidisse me memini in hunc modum. Legitur in libro Job, cap. V : *Visitans speciem tuam, non peccabis*. Sermo opportunus est optimus. Quid est sermo opportunus? Sermo opportunus est tempori et loco accommodatus, et personæ, juxta illud Sap. : « Nihil tam cognitum sapientiæ, quam vocis et temporibus sermones aptare. » Tempus de quo loquimur, tempus visitationis est, Locus in quo congregamur ad hoc institutus est. Personæ ad quas loquimur visitatores sunt, et visitandi. O tu quisquis es visitator aliorum, si temetipsum prius visitaveris, postea visitando proximum non peccabis, nam in teipso poteris legere quomodo aliorum debeas errata judicare. Et revera quid justius, quid convenientius, quam ut spiritales medici, qui spiritualiter infirmantes visitant, prius seipsos visitare audeant, et de statu suo interiore digitos discretionis interrogent, vena que pulsatiles affectionum pulsent, ne forte contingat illis nondum visitatis et jam visitantibus, id est, nondum

(82) Γνῶθι σεαυτόν Chilonis dictum in templo Apollinis exsculptum ex Plin., lib. VII.

correctis, et jam alios corripientibus, audire hoc proverbium ab infirmis submurmurantibus : *Medice, cura teipsum* (*Luc.* IV).

CAPUT II.

De illo Apollinis oraculo gnothi seauton, id est nosce teipsum.

Olim apud Delphos scriptum fuisse legitur in vetustissimo tripode Apollinis famosissimum oraculum, datum consulenti, quomodo ad beatitudinem perveniret, *gnothi seauton*, id est : *Nosce teipsum*. Hujus autem sententiæ non est credendum Apollinem fuisse auctorem, vel inventorem, sed potius furem. Furatus est enim eam de præsenti loco. Idem est enim, noscere seipsum, quod speciem suam visitare. Aut certe de illo loco Cantici canticorum : *Nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres, egredere, et abi*, etc. (*Cant.* I.) Hanc autem sententiam, vel potius hoc furtum Apollinis satyricus noster Juvenalis divinam et cœlestem sententiam appellat, propter summam utilitatem quæ in illa continetur. Ait enim :

Illum ego jure
Despiciam, qui scit, quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus, hic tamen idem
Ignoret quantum ferrata distet ab arca
Sacculus : e cœlo descendit, γνῶθι σεαυτόν.

(JUVENAL., *Sat.* XIV.)

Quod est dicere : Stulta scientia est, et insipiens sapientia supervacua noscere, necessariis ignoratis. Quid enim prodest homini scire metiri mundum, et nescire seipsum? et absque hac scientia nihil mortalibus est utile, nihil hominibus salutare. Hæc in primis necessaria est, et si sola sit sufficit. Docet enim hominem timere Deum, cavere peccatum, diligere proximum, et terrena despicere, et amare cœlestia. Dico enim mendacissimum spiritum hoc respondisse, non docendi studio, sed fallendi animo. Sic enim putavit se persuadere posse hominibus, ut crederent se ortos ex deorum genere, quos fuisse homines audiebant, ut ita provocarent illos ad contentionem mutuam, et ambitionem honoris, dominandique libidinem sub velamine libertatis. Denique sapientes Græciæ de hoc oraculo consulti a regibus, nihil aliud respondebant, nisi quod homini cognoscendum erat se esse de genere deorum. Hinc et Macrobius super somnium Scipionis animas dicit de cœlo lapsas in corpora, et hanc esse animæ perfectam sapientiam, dum corpore utitur, si unde orta sit, recognoscat. Sic enim putat eam virtutes ipsas conscientia nobilitatis induere, quibus post corpus evecta, eo unde descenderat reportetur. Sed hæc expositio omnem peccandi licentiam vulgo suggerebat secundum civilem theologiam : quando illos videbantur imitari, quorum infinita flagitia et facinora repræsentari in theatris audiebant. Cæterum dæmones plerumque proferunt veritatem, et bene consulunt hominibus, non sponte, sed inviti, necessitate coacti : videlicet optantibus superioribus, sanctorum scilicet, vel angelorum, vel Dei : sicut legimus de illo dæmone in dæmoniaco habitante, quem beata Brigida interrogavit dicens : Dic mihi verbum Domini. Cui dæmon per obsessum continuo respondit, audiente populo : Brigida, time Deum, et timeberis ab omnibus. Ama Deum, et amaberis ab omnibus. Nunquid diabolus timoris et amoris Dei potest fieri voluntarius prædicator? Sed coactus hæc dicebat, et invitus. Similiter quoties in Evangeliis et sanctorum legendis legitur diabolum aliquod verbum protulisse salutis, coactus hoc fecisse credendus est. Nec solum in Scripturis sanctis, sed etiam in historiis gentium leguntur talia. Sic ergo credendum est Apollinem respondisse, non sponte, sed invite, quod sciebat hominibus futurum utile : aut certe sponte protulisse dictum ambiguum, quod non putabat in bonam partem, id est in argumentum humilitatis accipiendum.

CAPUT III.

De cognitione exterioris hominis.

Sed etiam videamus utilitatem sermonis prophetici, et vere divini, et non Delphici. *Visitans*, inquit, *speciem tuam, non peccabis* (*Job* V). Duplex est enim hominis species : quia duplex est ipse homo, juxta testimonium Apostoli dicentis : *Etsi is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV). Exterior enim homo corpus, interior vero animus est. In exteriori autem specie quatuor visitanda sunt, id est frequentius meditanda; vilitas scilicet materiæ, dignitas formæ, pœnalitas vitæ, necessitas ruinæ. De prima est illud : *Formavit Deus hominem de limo terræ* (*Gen.* II). De secunda est illud :

Pronaque cum spectant animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit : cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

(OVID.)

De tertia : *Homo ad laborem nascitur* (*Job* V). De quarta : *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III). Hinc est illud distichum :

Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori?

Quæ latius explicat satyricus Persius dicens :

Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, et unde.

Hæc autem consideratio quadripertitum parit fructum : vilitatem sui, et desiderium cœlestis regni, charitatem proximi, timorem judicii. Primum de vilitate materiæ procedit, secundum de dignitate formæ, tertium de pœnalitate vitæ, quartum de necessitate ruinæ. *Homo* siquidem *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (*Job* XIV), et corporis et animæ. Idcirco oculos ad cœlum erectos habemus, ut contempta terra cœlum desideremus, et ut Deum præ omnibus diligamus, qui nos in tam eleganti forma composuit : et inter cætera etiam animalia sic humanam speciem nobi-

litavit. Ideirco Plato egit naturæ gratias, quod homo natus esset. Erant aliquando fratres simul in auditorio colloquentes : cumque quidam ad socios diceret, se nihil aspicere, unde non ædificaretur (83), quidam satis promptus ad loquendum respondit : Quid tibi, quæso, confert ædificationis visio bufonis? Et ille statim inquit : Certe multum : quia cum nihil meruissem, quare me Deus magis formaret hominem quam bufonem : quotiescunque bufonem video, hoc beneficium Dei gratuitum ad mentem refero, et ei gratias ago, quod mihi nihil merito tam exsecrabilem formam non tribuit, sed speciem pulcherrimam, et figuram regiam mihi dedit. Deinde hoc mihi confert bufonis visio, quod quoties video eum forma tam horridum, natura tam sævum, gressu tam pigrum, veneno tam noxium, homini tam inimicum; valde formido, ne assimilatus illi in moribus, pectore et ventre repens, aliquando, quod avertat a me Deus! tradar hujusmodi pessimis vermibus devorandus; non his terrenis, qui cito conteruntur, sed his terribilibus in gehenna, et de gehenna viventibus, qui nunquam moriuntur. Hoc sapientissimo fratris responso confusus objurgator obticuit. Sola igitur humanæ formæ dignitas, ut cætera in hominem divina beneficia taceantur, magna est in nobis divinæ dilectionis occasio : pœnalitas autem vitæ, quæ omnibus communis est, magnam causam continet fraternæ charitatis. Nam, ut diserte ait quidam, cum calamitas sit querela, et felicitas sit superbia, nisi mutuo miseri essemus, olim alius alii esset fastidio. Stultissimus autem est, cui mortis necessitas timorem judicii non infert, cum scriptum sit : *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium* (*Hebr.* IX). Hæc de exteriori specie dicta sunt : nunc de interiori videamus.

CAPUT IV.

De cognitione interioris hominis, quantum ad speciem naturalem.

Interioris autem hominis species duplex est, naturalis scilicet et arbitraria. Naturalis generalis est omnium : arbitraria propria singulorum. Naturalis attenditur secundum conditionem, arbitraria secundum voluntatem. In naturali quatuor attendenda sunt; quod anima rationalis est, quod immortalis, quod invisibilis, quod illocalis. Prima consideratio hominem prohibet a luxuria, secunda ab avaritia, tertia a jactantia, quarta ab invidia, et a qualibet fratris injuria. Inter omnia monstra hujus mundi nihil mihi videtur esse monstruosius, quam quod in quibusdam humanis corporibus brutos videmus animos, et affectus præcellere bestiales. Aristoteles enim et Salustius homines gulæ et libidini deditos, non inter homines, sed inter animalia censent numerandos. Quid hic dicunt homines Christiani nomine, et vita jumentini, qui in suo stercore computrescunt? Rationis autem triplex

A officium est, discernere, reprobare, eligere. Discernere inter contraria, reprobare pejora, eligere meliora. Primum officium naturaliter habent dæmones, secundo et tertio privantur, non naturaliter quidem sed voluntarie. Ideo dæmonibus, non hominibus connumerandi sunt, qui scienter eligentes mala, et respuentes bona, illo se prophetico pallio maledictionis obvolvunt : *Væ, qui dicunt malum bonum*, et converso (*Isa.* V), etc. Secunda consideratio, ut supra diximus, nos abstinere docet ab avaritia. Nihil enim longius a ratione, quam hominem, qui animo immortalis est, eodem animo mortalia immortaliter concupiscere, cum omnino necesse sit concupita in proximo a concupiscente relinqui. Tertia enim consideratio persuadere nobis debet, fugiendum esse jactantiam, et omnem

B elationem, et laudis amorem. Nam quod animus noster invisibilis est, magno argumento nobis est, omnia recte facta vel dicta nobis invisibiliter, quantum in nobis est, et in abscondito esse facienda vel dicenda : ut Pater noster qui videt in abscondito, reddat nobis. Alioquin grandis revera abusio est, et fere magicis adæquanda vestigiis, auctorem absconditum et invisibilem in suis recte factis vel dictis per jactantiæ vitium ad humanos oculos foras expompari. Huic vitio efficacissimum et celerrimum remedium est, si mens nostra frequentius visitet mala sua, quam bona. Quarta vero visitatio, id est consideratio interioris hominis, scilicet quomodo anima illocaliter totum corpus vege-

C tet, seque singulis illius partibus totam donet, nullam a sentiendi munere relinquens expertem; nonne mirabilis quædam est ad fraternam invitatio et persuasio charitatem? Sic enim Apostolus pulcherrimo demonstravit exemplo, omne corpus quantalibet congregatione uno et eodem spiritu debere vegetari, cum dixit : *Si patitur membrum, compatiuntur omnia* (*I Cor.* XII), etc. Quid hic dicent detractores et invidi : qui omnem fratris honorem, suam inhonorationem reputant, suæ demptum existimantes gloriæ, quidquid cesserit alienæ : cum potius a contrario existimare debuerant suæ gloriæ additum, quidquid alienæ cessisset? *Quid*, inquit Moyses, *æmularis pro me? Quis det*

D *ut omnes prophetent* (*Num.* XI). O infelicissimos omnium mortalium, qui de sola proximorum prosperantur miseria, et quibus sola fratrum prosperitas adversatur! Hic est ille oculus nequam, et ut Esopo vel Aniano credas, videbis qui sibi alterum oculum velit erui, dum proximus ejus privetur utroque.

CAPUT V.

De cognitione ejusdem hominis quantum ad speciem arbitrariam.

Hæc de naturali specie interioris hominis diximus, nunc de alia quam vocabimus arbitrariam, videamus. Hæc siquidem species in hominis arbi-

(83) Iste erat frater S. Bernardi, de quo Exord. Magn.

tris constituitur, idcirco et arbitraria nuncupatur, quia scilicet, ut superius dictum est, secundum arbitrii voluntatem attenditur. Itaque pulchritudo hujus consistit in duobus : videlicet in volendo quod Deum velle scimus ; et in nolendo quod ipsum nolle non dubitamus. Nam, ut ait quidam sanctus, voluntas Dei regula est, ad quam utique voluntatem nostram corrigere ac regere debeamus. Denique pulchritudo animæ sanctitas est ; sanctitas autem est affectio sancta, et in sancto proposito constans ac firma : hæc autem gemina, videlicet odium et amor sanctus : odium mali, et desiderium boni. Et malum quidem nihil est nisi peccatum, et peccati occasio : bonum vero nihil est, nisi Deus, et Dei imitatio. Primaque duo semper fugienda sunt, secunda vero amplectenda : in his enim duabus affectionibus consistit cordis munditia. Unde dicitur : *Oculi tui*, inquit, *columbarum* (*Cant.* I). Columba siquidem avis est valde timorosa, et nimis amorosa. Hinc est illud poetæ :

. . *Timidissima turba columbæ*.

(Ovid., *Met.* I, 506.)

Duo igitur oculi columbarum nihil aliud sunt quam sanctus timor, et sanctus amor. « Hæc de illo sermone nostra excerpta sufficiant, ad probandum quod Apollinis oraculum male a Macrobio, et aliis quibusdam philosophis sit intellectum (84). »

CAPUT VI.

De septem similitudinibus animæ ad Deum : et primo de tribus primis.

De hoc eodem oraculo epistolam quamdam olim ad Drogonem Noviomensem canonicum scripsisse me memini, cujus partem in hoc loco inserere curavi. Cognitio hominis in eisdem consistit, in quibus et compositio : compositio autem in duobus, vel potius ex duobus, ex anima scilicet et corpore. Cognitio vero animæ habetur ex suo exemplari, ad cujus imaginem et similitudinem facta est. Ut ergo convincamus Apollinem fallacem, prius est cognoscendus Deus, quam homo. Naturaliter enim prius est idea quam idos, sigillum quam sigillatum, exemplar quam opus. Deus spiritus est, et anima similiter ; Deus simplex est, et anima ; Deus immortalis est, et anima ; invisibilis est Deus, invisibilis et anima. Deus unus est in substantia et trinus in personis ; anima est una in essentia et trina in potentiis : Deus substantialiter totus est ubique ; anima non quidem ubique, sed in corpore suo per singulas partes tota diffunditur : postremo Deus rationalis est vel potius ratio ; anima similiter est rationalis. Ecce habes septem similitudines animæ ad Deum, quarum primæ sex etiam brutorum animabus conveniunt ; non enim spiritus brutorum, sicut quidam mentiuntur, corporeus est, quantum sit mortalis, sed incorporeus. Sola autem septima similitudo animæ appropriatur humanæ, omni quidem, sed non soli. Verumtamen primarum proprietatum cognitio multum ei utilitatis affert : per hoc enim quod anima humana cognoscit se esse spiritum, cognoscere potest, et aliam vitam spirituum a vita carnis separatam. Per hoc etiam cognoscere potest, se magis secundum spiritum, quam secundum carnem debere ambulare, juxta illud : *Spiritu ambulate* (*Galat.* V), etc. In hoc autem quod simplex est, demonstratur ei quod simpliciter ambulare debet, et omnem fugere simulationem. Per hoc quod immortalis est, cognoscere potest mortalia fugienda sibi gaudia, et immortalia semper appetenda : et eadem ratione mortalia non debere supplicia metui, sed immortalia.

CAPUT VII.

De quatuor ultimis.

Per hoc autem, quod invisibilis est, cognoscere potest quod omne bonum quod agit in hoc sæculo, quantum in se, debet facere in abscondito. Per hoc quod una est in substantia, scire debet quoniam ei semper retinenda est una, et eadem innocentiæ et justitiæ forma : quia *stultus ut luna mutatur*. (*Eccli.* XXVII.) Per hoc autem quod trina est in potentiis, innuitur ei ut singularem non appetat potestatem, sed et alius altior intellectus in hoc ternario demonstratur. Ternarius enim primus numerus est habens ligaturam. Nam binarius qui sine medio est, sine vinculo est, et ipse divisionem significat. Ternarius autem, qui medium habet, concordiæ et conjunctionis est signum. Est enim primus imparium numerorum, et primus totus impar, unde quasi totus concordia est. Nam qualibet ejus pars inter duas reliquas media est. Quare non immerito significat individuam Trinitatis substantiam et operationem inseparabilem, et indissolubilem charitatem. Et quoniam omnis numerus impar vinculo quodam mediationis ligatus est, per imparem numerum pacem et concordiam puto significasse vatem Mantuanum, cum dixit :

Numero Deus impare gaudet.

Quod idem est ac si diceret : Deus pacem diligit ac dilectionem, quia ipse pax et dilectio est. Igitur anima per tres suas potentias sibi tam firmiter, tam naturaliter cohærentes, admonetur omnem divisionem et schisma fugere, et servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Per hoc autem quod membris omnibus se totam ex æquo communicat, admonetur homo omni suo proximo, id est omni homini debitum humanitatis obsequium pro suis viribus communicare debere, juxta illud : *Omni petenti te tribue* (*Luc.* VI). Postremo vero rationalis est anima, sicut et Deus, nisi quod Deus non tam rationalis dicendus est, quam etiam ipsa ratio ; unde Seneca : « Deus, inquit, totus est ratio. » Per hanc autem similitudinem admonetur homo non appetenda fugere, vel fugienda non appetere ; sed inter utraque rationis oculo discernere, et de discretis meliora eligere. Inutiliter enim præcedit discretio in-

(84) Verba Vincentii.

ter bonum et malum, vel bonum et melius, vel A malum et pejus, nisi melioris electio et pejoris reprobatio subsequatur. Sic et inaniter voluntas eligit, quod prius eligendum ratio non probavit. Electionem autem sine discretione habent jumenta, et discretionem sine electione habent dæmonia. Hoc est enim in infernum descendere viventem, id est peccare scientem, hoc est apertis oculis cadere, sicut Balaam cadebat (*Num.* XXIV), et ille qui dicebat :

Video meliora proboque,
Deteriora sequor. (OVID.)

Denique sicut in Trinitate quæ Deus est, duæ personæ procedunt ab una : sic in trinitate potentiarum animæ irascibilitas et concupiscibilitas semper a ratione debent procedere, ut nihil fugiat illa, ni- B hil appetat ista, nisi quod ratio fugiendum et appetendum dictaverit. Nam sine ratione nihil aliud est ista vel illa, quam furor et insania. Igitur quod est chamus asino, frenum equo, auriga currui, domitor leoni, hoc ratio iræ et amori; proinde necesse est ferri utrumque in præcipitium; nisi utrique præbeat ratio ducatum. Et hæc ad præsens dicta sint de cognitione interioris hominis : nunc de exteriori videamus

CAPUT VIII.

De cognitione humani corporis.

Corporis humani cognitio in duobus est, in materia scilicet et forma. Complexionem autem medicis relinquo. Materia enim de luto vel de cœno C est, de cœlo vero forma. Unde quidam ait : *De cœlo ista possideo* (*II Mach.* VII). Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. Formato igitur homine jussit illius formam in cœlo respicere, ut sciret formatorem suum in cœlo habitare. Ex his autem duobus trahit homo necessitatem duplicem : de forma, ut sanctus sit; de materia, ut humilis. Licet enim forma humana inter omnes formas animalium ab ipsa mundi creatione semper excelluerit, tamen ex incarnatione Verbi, et forma hominis a Deo assumpti, longe majorem dignitatis excellentiam acquisivit. Neque enim frustra istam charitatem, qua dilexit nos Deus, nimiam appellavit Apostolus, sed pro certo intellexit, quod tantum beneficium sicut nulla mundanæ justitiæ magnitudo D promereri poterat, sic nulla æstimare ponderatio vel æstimatio ponderare. Melius enim æstimat devotio nostra quam ratiocinatio; gratiarum actio, quam disputatio; faciliusque comparat illud paupertas spiritus, quam quilibet divitiarum acervus. Ante incarnationem Verbi similis erat Deo sola forma interior, sed ab incarnatione Verbi facta est forma Dei, ipsa quoque hominis forma exterior. Igitur ad omnem serpentis suggestionem cogitare debemus hujus formæ duplicis unicam dignitatem : et mox pudebit nos vel turpe aliquid cogitasse. Dignior est enim forma utraque, ut tam turpi vesti conformetur. Sane vero de utraque dici potest, imo etiam dici debet, verbum illud egregium :

Non faciat mores tam bona forma malos.

Alioquin quid passurum putas supplicii, qui dehonestaverit formam Dei? Potest autem humani corporis cognitio alia colligi ratione. Tria quippe in humano corpore consideranda sunt : origo sordida, vita misera, mors necessaria, id est necessitate contingens. Homo enim noster exterior de immundo semine conceptus est, ad laborem natus, velit nolit moriturus. Clamat nobis certissima mors, et hora mortis incertissima, mortem semper ad omnium pendere oculos, et ideo semper habendam ab omnibus præ oculis, semperque meditandam, sicut scriptum est in Ecclesiastico : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII). In hujus autem meditatione Plato et Pythagoras, et Basilius noster Christianorum philosophus, sapientiam posuerunt.

CAPUT IX.

Adhuc de miseria ejusdem.

Ad hæc tria potest illa referri definitio hominis a quodam sapienti responsa quærenti, quid est homo? « Vile, inquit, sperma, vas stercorum, esca vermium. » Vile sperma fuit in conceptu, vas stercorum est in reliquo vitæ cursu, esca vermium est in occasu. Ego autem dico, quod non solum post mortem, sed etiam ante mortem esca vermium est omnis homo. Quamvis enim vestem mutet et remutet, non tamen omnimodis carere potest morsibus tinearum, vel pulicum, aut hujusmodi. Quid autem profuit Neroni, quod nullam vestem bis induit, aut Hilarioni quid obfuit, quod cilicium non mutavit? Locus iste fabulam exposcit. Audi ergo non fabulam, sed rem gestam de tuo Helinando. Philippus episcopus Belvacensis apud nos aliquando hospitatus est, non ut quidam, devorationis causa, sed devotionis. Jam enim ordinis nostri communis hospitalitas plures invenit, qui eam devorent; quam singularis sanctitas, qui eam honorent. Præcepit autem mihi præfatus episcopus, ut eum facerem missam matutinalem audire. Ad quem cum die crastina prima jam cantata venissem, inveni eum adhuc dormientem, et nemo vel de familia, vel de suis familiaribus eum excitare præsumebat. Ego autem accessi propius, et excitavi eum quasi jocando dicens : Jamdiu est quod passeres surrexerunt ad benedicendum Domino, et adhuc nostri pontifices stertunt in cubili suo. Ad quam vocem expergefactus ille et confusus, indignatus adversum me, quod tam libere eum arguissem, subsstomachans ait : Vade hinc, miser, et interfice pediculos tuos. Ego autem motum illius convertens in jocum, continuo respondi : Vide tu, pater, ne interficiant te vermes tui, ego enim jam vermes meos interfeci. Scito ergo hanc esse differentiam inter vermes divitum, et vermes pauperum; quod vermes divitum divites occidunt, vermes autem pauperum a pauperibus occiduntur. Lege Machabæorum, et Josephi, et Actuum apostolorum historias, et invenies reges potentissimos Antiochum, et Herodem

Agrippam a vermibus consumptos. Qua ratione simul et auctoritate oppressus, ille statim obmutuit.

CAPUT X.

Adhuc de cognitione hominis, et animabus post mortem apparentibus.

Sed et de cognitione hominis hæc ad præsens dicta sufficiant. Quæ tibi, frater, ideo descripsi, ne putares veram cognitionem hominis haberi posse ex subdola spiritus immundi sententia, sed de sola Spiritus sancti doctrina salutari. Si autem de eadem cognitione perfectiorem tractatum cupis agnoscere, lege Moralia beati Gregorii de ipso sancti Spiritus ore profusa, teste Petro Diacono, qui columbam vidit ad aurem beati Gregorii verba quæ scriberet suggerentem. Lege quoque pulcherrimum librum B B. Bernardi *De consideratione* ad Eugenium papam, ex cujus nobilissimo stylo, et sententiis fere plusquam humanis poteris agnoscere, non solum quid sit homo, sed etiam quid sit Deus; poterisque intelligere auctorem hujus libri sapientiorem fuisse ipso Apolline, eloquentiorem Demosthene, subtiliorem Aristotele, moraliorem Socrate, discretiorem Platone. Hæc dicta sunt pro eo quod Macrobius ad probandum animas e cœlo lapsas inducit auctoritatem responsi Delphici *gnothi seauton*. Et hanc esse hominis agnitionem sui dicit. Sed exordia prima respexit, ut conscientia nobilis suæ originis virtutes induat, quibus eo unde descenderat reascendat. Eodem loco accipienda est Virgilii auctoritas de heroibus, quos apud inferos relegavit, quos dicit C nosce solum suum, et sua sidera : qui etiam res leviores, quas vivi exercuerant, eos post mortem exercere testatur dicens :

Quæ gratia currum,
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Hæc autem falsitas opinionis, vel opinio falsitatis, inde, nisi fallor, sumpsit initium, quod animæ defunctorum suorum peccatorum pœnas lugentes multis apparere solent in eo habitu, in quo prius vixerant : id est rustici in rusticano, milites in militari, sicut vulgus asserere solet de familia Hellequini, de qua Henricus Aurelianensis episcopus nostri Belvacensis episcopi frater referre solebat D rem valde mirabilem, quam ipse audierat ab illo qui viderat, scilicet Joanne Aurelianensis Ecclesiæ canonico. Dicebat enim Joannes iste loquens de hac re ad præfatum episcopum :

CAPUT XI.

Exemplum ad hæc de familia Hellequini.

Burchardus archidiaconus, cognomento de Pisaco, iturus erat Romam. Rogavit autem me, ut quemdam clericum Natalem nomine, domus meæ economum, ei socium darem, tantulus erat in rei familiaris custodia, bonus dispensator, et prudens, et fidelis, quod rarissime in dispensatoribus invenitur. Volebat ergo Burchardus hunc habere socium itineris sui, non tam ideo quod eum diligeret, quam quia A pecuniæ suæ, ut avarissimus, valde timeret. Ego autem tam nobili personæ, et archidiacono meo non potui negare. Præcepi ergo Natali clerico, ut cum eo iret, et ei tanquam mihi, in omnibus obediret : quod ille invitus annuit, timens mores Burchardi, cujus avaritiam non ignorabat. Inieramus autem ego et Natalis fœdus quoddam secretissimum quod uter e duobus nobis prius moreretur, intra 30 dies, si posset ad socium suum rediret, nihil ei apparitione sua terroris incutiens, sed blande illum commonefaciens, et de statu suo certificans. Cum autem jam prope Romam essent, accidit quadam die ut præfatus Burchardus cum Natali clerico rationem poneret de quotidianis expensis, et de magna summa minutatim singulos nummos, et obolos exigeret, quo et in quos usus abissent. Natalis autem qui tam minutas rationes reddere mihi non consueverat, quippe cui ego tanquam mihi credebam, iratus adversus virum nobilem sordidissimæ providentiæ, cum in reddenda ratione deficeret, se (quod auditu quoque horrendum est!) dæmonibus commendavit. Eodem autem die cum quamdam aquam transvadarent idem Burchardus et Natalis, idem Natalis submersus est. Sequenti vero nocte proxima cum in lecto meo quiescerem vigilans, et coram me lumen fulgeret in lampade, quia semper nocte consuevi tenebras horrescere, ecce Natalis clericus ante me astitit, cappa indutus pluviali, sicut mihi videbatur, pulcherrima, coloris plumbei. Ego autem nihil omnino territus, et eum optime recognoscens, cœpi quasi gratulans de tam maturo ejus reditu transalpino ei dicere : Natalis, bene veneritis : nunquid jam rediit archidiaconus? Non, inquit, domine, sed ego solus redii juxta constitutum. Mortuus enim sum. Nolite ergo timere, ego nullum timorem vobis inferam ; sed precor, ut succurratis mihi ; ego enim in magnis tormentis sum. Cur, inquam? Satis enim honeste vixistis apud me. Domine, inquit, verum est. Bene quidem mihi esset, nisi hodie subita præventus ira, me dæmonibus commendassem. Rogo autem vos, ut quoscunque poteritis, moneatis, ut hoc nunquam faciant. Qui enim se commendat dæmonibus, dat eis potestatem super se, sicut ego miserrimus feci : unde potestatem habuerunt, ut me statim submergerent, et propter hoc solum torqueor. Nam bene confessus eram de omnibus peccatis meis, et in nullum recideram. Tunc ego : Quomodo tam pulchram cappam habetis, si in tormentis estis? Domine, inquit, hæc cappa, quæ tam pulchra vobis videtur, ponderosior et gravior est mihi, quam turris Parmensis, si mihi superposita esset. Pulchritudo autem ista spes est veniæ quam habeo propter confessionem, quam feci : si tamen mihi succurratur. Cui ego : Certe, inquam, ego vobis succurram, quantuncunque potero; sed obsecro ut dicatis mihi, si vos estis deputati in illa militia quam dicunt Hellequini. Et ille : Non, domine. Illa militia jam non vadit, sed nuper ire desiit, quia pœnitentiam suam peregit. Corrupte autem dictus est a

vulgo Hellequinus, pro Karlequinus. Fuit enim A Carolus quintus, qui peccatorum suorum longam egit pœnitentiam, et nuper tandem per intercessionem beati Dionysii liberatus est; sed rogo vos ut misereamini mei; et hoc dicens cum fletu, evanuit.

CAPUT XII.

Iterum aliud exemplum ad idem.

Hæc idcirco dixi, ut per hoc elucescat, unde sumpsit exordium Virgilianus error de animabus defunctorum, quos heroas appellat, dicens eos habere eamdem curam equorum, et curruum, et armorum post mortem, quam habuerant dum vivebant. De qua re certissimum referebat exemplum patruus meus Hellebaudus, Henrici quondam Remensis archiepiscopi cubicularius. Dicebat enim: Domi- B nus meus archiepiscopus mittebat me apud Atrebatum. Cum autem circa meridiem apud quoddam nemus appropinquassemus, ego et famulus meus, qui me præcedebat celerius equitans, ut mihi pararet hospitium, audivit ille tumultum magnum in nemore, quasi multiplices et varios equorum fremitus, armorum sonitus, et velut voces multitudinis impetu proruentis in bellum. Expavefactus ergo ipse et equus ejus continuo reversus est ad me. A quo cum quærerem, quare reverteretur, respondit: Equus meus non fuste nec calcaribus etiam cogi potest, ut procedat. Et ego etiam ipse adeo territus sum, ut omnino procedere non audeam. Mira enim vidi et audivi. Nemus enim istud defunctorum animabus et dæmonibus plenum C est. Audivi autem illos clamare et dicere: Jam habemus præpositum de Arca: in proximo autem habebimus archiepiscopum Remensem. Ad quod ego respondi: Signum crucis nostris frontibus imprimamus, et securi procedamus. Cum ergo processissem, et ad nemus pervenissem, jam umbræ processerant, et tamen voces quasdam confusas audivi, et fragores armorum, et equorum fremitus; sed nec umbras videre, nec voces intelligere potui. Cum autem redissemus, jam archiepiscopum invenimus in extremis, nec post has voces 15 diebus supervixit. Unde conjicitur, eum ab illis spiritibus raptum, a quibus auditum fuerat rapiendum. Hinc apparet, quales equi sint illi, super quos aliquando D defunctorum animæ videntur equitare. Sunt enim dæmones se in equos transformantes, quorum sessores sunt animæ miserrimæ peccatis oneratæ, tanquam armis quibusdam et clypeis onustatæ (sed revera propriis sceleribus informis talibus onustatæ). Juxta illud propheticum: *Descenderunt in infernum cum armis suis* (*Ezech.* XXXII), id est cum membris suis, quæ fecerunt arma iniquitatis peccato, nolentes ea facere arma justitiæ Deo. Certum est autem equum animal esse superbum, et contumax, contentionis et belli cupidum, ferventem ad coitum, et in libidine præpotentem. Dæmones igitur in equos transformati, significant sessores suos se hujusmodi sceleribus oblectasse.

CAPUT XIII.

Adhuc de eodem.

Talis equus erat ille, quem monstravit carbonarius comiti cuidam Nivernensi. Erat enim carbonarius iste vir pauper in sæculo, sed dives in Deo, religiosus et timens Deum. Ob quod etiam familiaris erat præfato comiti. Hic nocte quadam cum vigilaret et custodiret fossam suam carbonificam incensam acriter; ecce quædam femina nuda currens apparuit, et post eam eques quidam equo nigro insidens, evaginato gladio velociter equitans, ut fugientem apprehenderet mulierem: quæ dum fugiens fossam circumiret, compressa est ab eo, et perfossa gladio, et facta est quasi mortua. Quam ille projecit in ignem et exustam rursus extraxit, et posuit ante se super equum, et abiit. Hæc autem visio pluribus noctibus ostensa est illi. Cum ergo quadam die de hujusmodi visione tam frequenti nimis anxius cogitaret, sic cogitabundus et tristis obviavit comiti. Miratus comes traxit eum in partem, et secrete requisivit ab eo, quid haberet, dicens: Si quis tibi fecit injuriam, et malitiam aliquam intulit, ne celaveris a me, ego enim te bene vindicabo; si in egestate es, ego tibi subveniam. Qui respondit: Nihil necesse habeo, de nullo conqueror, sed hæc et hæc toties vidi, et utinam vos vidissetis. Certe, inquit comes ei, tecum vadam, et videbo visionem hanc magnam. Igitur comes confessus omnia peccata sua, mutat habitum, et assumit secum carbonarium, abiitque cum eo solus in silvam. Et cum vigilarent circa mediam noctem, audiunt quemdam buccinantem fortiter, et signavit se per totum. Et ecce misera mulier illa accurrens nuda, sicut prius, cœpit fugiens fossam circuire: quam eques ille insequens et comprehendens, gladio peremit, et in ignem projecit, et iterum resumpsit: qua super equum ante se posita cum se fugere vellet, comes adjuravit eum in nomine Domini, ut staret, et diceret ei, quis esset, et cur hoc faceret. Tunc ille subsistens, ait: Ego sum vester ille miles, et hæc est illa mulier nobilis, uxor illius militis, quem pro amore meo interfecit, ut licentius ac frequentius meo concubitu frueretur. Et in hoc peccato ambo mortui sumus: nisi quod, heu sero! in hac ipsa morte pœnituimus. Tale autem nunc tormentum patitur, quod singulis noctibus a me interficitur et comburitur. Tantum enim dolorem patitur in ictu gladii, quo eam ferio, quam nullus unquam in morte sua passus est, et multo majorem in combustione. Ad hæc comes: Quis est ille equus, super quem sedes? Diabolus, inquit, quidam est, qui nos ineffabili vexatione torquet. Possetne vobis, ait, aliquis succurrere? Posset, inquit, si vos feceritis in cunctis congregationibus, quæ vobis subjectæ sunt, orare pro nobis, et a presbyteris celebrare missas, et psalmos a clericis decantari. Talis erat equus, super quem ascendit infelix ille Matisconensis, de quo refert Petrus abbas Cluniacensis in libro *Miraculorum*, quod cum

die quadam solemni ille Matiscone in proprio palatio resideret, multis militibus diversi ordinis stipatus; repente ignotus homo insidens equo per ostium palatii ingressus cunctis videntibus et admirantibus usque ad ipsum pervenit, dicens se velle ei colloqui, imperans ei ut surgeret, et se sequeretur. Qui invisibili potentiæ non valens resistere, surrexit et usque ad ostium domus processit : ubi equum paratum invenit, quem jussus statim ascendit; cujus habenas ille accipiens, qui propter illum venerat, velocissimo cursu per aera cunctis videntibus ferre cœpit. Ille autem miserabiliter clamans, Succurrite, cives, succurrite, totam civitatem commovit. Omnes autem currentem eum per aera conspexerunt, quandiu naturali oculorum acie potuerunt : sicque tandem subtractus visibus hominum, factus est æternus socius dæmonum.

DE BONO REGIMINE PRINCIPIS.

CAPUT XIV.

De constituendo rege, et primo de moribus ejus.

Eum, inquit (*Deut.* XVII), *constitues regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum*. Quæritur, cur Deo displicuerit populus, quando sub Samuele regem sibi desideraverat fieri, cum hoc inveniatur permissum. Ad quod dicendum est, quod ideo displicuit, quia non præcepit, ut hoc fieret, sed desiderantibus permisit hoc facere. *Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos*, quorum numerositate sit subditis onerosus. Equos multiplicare, est plures, quam necessitas exigat, vanæ gloriæ causa, vel erroris alterius congregare. Multo minus ergo licet ei multiplicare canes, aut volucres rapaces, aut bestias truces, et quælibet portenta naturæ. De histrionibus autem et mimis, scurris, et lenonibus, meretricibus, et hujusmodi prodigiis hominum, quæ princeps potius exterminare, quam fovere debet, non erat in lege mentio facienda. Sequitur : *Nec reducet populum in Ægyptum*, id est inferiores non corrumpat exemplo : quia

Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Sequitur : *Nec habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus*. Cum in aliis plures uxores esse unius licitum fuerit, ut in Abraham, et Jacob, gratia propagandæ prolis, et fidelem populum dilatandi; in regibus perpetuo obtinet, ut una unius sit. Multo minus igitur licet ei fornicari, vel adulterari, vel quælibet stupra committere. Quomodo enim hæc crimina puniet in aliis, eisdem subjectus? Sequitur : *Nec habebit auri et argenti immensa pondera*. Quid ergo hic dicunt, qui Domino prohibente aurum et argentum sibi thesaurizant; quæstum ex calumnia facientes, et quærentes abundantiam singularem de multorum inopia, et de rapinis divitias, beatitudinem de calamitate? Non enim habebit divitias, quas nomine possidet alieno : et sibi privata erant fiscalia, quæ publica confitetur. Non est autem mirum, si regi non licet habere privata fiscalia, cum nec ipse suus sit, sed subditorum.

CAPUT XV.

De studio ejus, et sapientia.

Postquam autem, inquit (*Deut.* XVII), *sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine*. Igitur princeps, juris non debet esse ignarus, licet multis privilegiis gaudeat; nec prætextu militiæ legem Domini permittitur ignorare. Sed et princeps Christianissimus legibus suis indicit : « Nec dedignetur princeps sacros canones imitari. Inutilis enim est omnis constitutio principis, si non est ecclesiasticæ disciplinæ conformis. » Sequitur : *Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ*. Necessaria est ergo principi peritia litterarum, cui quotidie legem Domini legere præcipitur. Qua enim die legem non legerit, non ei dies vitæ est, sed dies mortis. Hinc est quod in litteris, quas rex Romanorum misisse legitur ad regem Francorum, hortatur eum, ut liberos suos liberalibus disciplinis instrui faceret; adjecitque inter cætera : « Rex illitteratus est quasi asinus coronatus. » Quod si forte illitteratus est, certe litterarum consiliis eum regi necesse est. Hinc est quod exemplar legis sacerdotibus Leviticæ tribus jubetur assumere, id est a catholicis viris et litteratis. Plato enim, ut Boetius testis est, respublicas fore beatas dixit, si eas aut sapientes regerent, aut earum rectores sapientiæ studerent. Sapientia enim ipsa dicit : *Per me reges regnant, et conditores legum justa decernunt* (*Prov.* VIII). Gentiles enim sapientiam quasi Deum colebant, sine cujus Dei nutu nihil faciendum credebant. Unde et antiqui philosophi imaginem sapientiæ pro foribus omnium templorum pingi cum hac circumscriptione censuerunt, « Usus me genuit, peperit memoria, Sophiam me vocant Graii, vos sapientiam. » Et hæc iterum scribi jusserunt : « Ego odi homines ignavos operæ et philosophicæ scientiæ. » Est autem sapientia rerum divinarum et humanarum princeps, et gerendorum evitandorumque scientia, huic autem insistere, philosophari est. De humilitate ejus ac pietate sequitur : *Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos*. Quod præcipue necessarium est, sæpius replicat; nunquam enim humilitas satis videtur commendata principibus, quia difficillimum est, ut gradus honoris non pariat tumorem in animo ipsius

præsidentis. Tarquinium enim a regno superbia dejecit. In jure autem Romano cautum est, ut qui jus reddit, se facilem in adeundo præbeat, contemni tamen non patiatur. Principes sicut medici nunquam debent gravibus uti remediis, nisi cum levium beneficio desiderata sanitas desperatur (unde Lucius : « Principem sævum moribus esse non oportet et qui moderatiora consilia sequatur [85],)» et vicem gerere medicorum, qui morbos curant, nunc ex inanitione in repletis, nunc refectione in vacuis. Et dolorem etiam sedant nunc cauterio, nunc fomentis. Si enim citharœdi aliique fidicines multa diligentia procurent, quomodo oberrantis chordæ compescant vitium, et aliis concordem reddant; quanta sollicitudine oportet principem moderari, ut subditos reddat quasi unanimes, et unius moris habitantes in domo? Certum est autem, tutius chordas remitti amplius, quam intentius protendi, remissarum namque intensio artificis opera convalescit. Quæ autem semel rupta est, nullo artificio reparatur.

Sit piger ad pœnam princeps, ad munera velox :
Et doleat quoties cogitur esse ferox. (OVID.)

Quorum alterum justitiæ est, alterum pietatis; de quibus Salomon ait : *Misericordia et veritas non te deserant. Circumda eas gutturi tuo, et describe eas in tabulas cordis tui. Et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus* (*Prov.* III). Gratia nempe debetur misericordiæ, disciplina vero justitiæ. Qui sine prima est, omnibus odibilis est; qui vero sine secunda, omnibus contemptibilis. Plutarchus etiam librum scripsit *De magistratuum moderatione*. Plato (inquit) cum subditos opprimunt magistratus : « Perinde est illud, ac si caput corporis intumescat, ut a membris aut omnino, aut sine ingenti molestia ferri non possit. » Idem : « Cum in subditos potestas sævit, idem est ac si pupillum tutor persequatur, vel eum suo mucrone jugules, qui tibi ad defensionem suam gladium dedit. » Unde Claudianus :

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.
Tu licet extremos late dominere per Indos.
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent.
Si metuis, si parva cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia jura tenebis,
Cum poteris rex esse tui, proclivior usus
In pejora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebris effrena favet, tunc vivere caste
Asperius, cum prompta Venus, tunc durius iræ
Consulitur, cum pœna patet, sed comprime motus.
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

CAPUT XVI.

De ipsius æquitate.

Sequitur : *Nec declinet in partem dexteram, sive in sinistram* (*Deut.* XVII). Declinare in dexteram, est non Dei gratiæ, sed sibi retribuere velle quod rectum est. Vel declinare in dexteram vel in sinistram, est peccare propter eorum veritatem quæ fugiuntur. Vel etiam ad dexteram declinare, est virtutibus ipsis vehementer insistere, et in virtutis operibus, quæ in modo consistit, modum excedere. Unde Juvenalis :

Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam.

Et philosophus : « Cave quod nimium est, quia si hæc ipsa cautela modestiam deserit, eo ipso a virtute recedit. » Omnis autem vehementia saluti inimica est, et excessus omnis in culpa, bonarumque rerum consuetudo nimia pessima est. Unde Salomon : *Noli nimium esse justus* (*Eccle.* VII). Quid ergo nimium prodest, si regina virtutum nimietate sui obest? Nimia quoque humilitas maxima pars superbiæ est. Item ad sinistram declinat, qui in subditorum culpis puniendis nimis pronus est ad vindictam. Ad dexteram vero, qui mansuetudini nimis indulget. Iterum non declinet in dexteram vel sinistram partem. Æquitas enim cui judex obsequium debet, amoris dexteram vel odii sinistram nescit. Juste eum exsequi, est nec durius æquo, nec remissius in assertione, vel executione justitiæ, nihil aliud quam justitiam quærere. Munera tamen curiales licenter accipiant, dummodo non extorqueant impudenter. Pudorem abjicit qui rogat, bis etiam emit. Ad rei namque vel spei pretium verecundiam vendit. Munus vero injustæ petitionis notam non habet, quod devotio liberalitatis obtulit, non improbitas precantis extorsit. Ita tamen ut iniquorum munera non acceptet, ne aut ingratus sit, si eos non foveat accepto munere; aut si faverit, injustus habeatur. Ratio enim habenda est et causæ et personæ : ut nec a turpi, nec turpiter accipiatur. Nam plerumque a manu, a causa, a tempore, a loco vel modo splendent munera vel sordescunt.

CAPUT XVII.

De præmio regalis justitiæ in ipso, et in hærede.

Sequitur : *Ut longo tempore regnet, ipse et filius ejus super Israel* (*Deut.* XVII.) De virtute namque parentum sæpe protenditur successio filiorum, et succedentium felicitas ex descendentium iniquitate præscinditur, juxta illud : *Injusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt* (*Psal.* XXXVI.) Item regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos. Injustitia, ut Stoicis placet, est mentis habitus, qui a regione morum exterminat æquitatem. Justitia est non nocere, et ex humanitatis officio nocentes prohibere. Nocere est injuria nocentes, non impedire. Injustitia contumelia est, quando tumorem mentis in læsione alterius manifesta operis sequela comitatur. Dolus, ut Acquilius definit, est cum aliud agitur, et aliud simulatur. Malus autem, quando fit in intentione nocendi, et quasi in insidiis nocet. Dolus igitur quia ex timore est, adversatur fortitudini, contumelia vero prudentiæ,

(85) Seneca.

quæ dicit sibiipsi : *Utquid superbis, terra et cinis ?* (*Eccli.* x.) Injuriam temperantia non admittit, nolens inferre alii, quod sibi nollet ab alio irrogari. Injustitiam justitia excludit, faciens aliis, quod sibi vellet fieri bene et honeste. Quod autem addit *diversos*, puto ad omnia communiter referendum; non solum ad vitiorum diversas species, sed etiam ad diversas personas, et ad omnes modos, quibus a quocunque hæc vitia committuntur. Princeps enim tenetur pro omnibus, et omnium etiam auctor videtur esse; quia, cum omnia possit corrigere, eorum merito particeps est, quæ noluit, cum potuit, emendare. Cum enim potestas publica sit, omnium vires exhaurit, et ne in se deficiat, incolumitatem omnium debet procurare membrorum. Sicut autem *potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* vi), si a justitia deflexerint : sic et justitiæ præmiis fruentur abundantius, si recte exercuerint potentatum; et tantam in futuro præ subditis habebunt gloriam, quanta virtute eos in magna delinquendi licentia præcesserunt. Unde dicitur : *Potuit transgredi, et non est transgressus* (*Eccli.* xxxi). Ad justitiam namque reputatur principibus, etiam cum temperant ab injuriis : et facultas delinquendi est eis materia meritorum. Declinare autem a malo in eis magnum est; etiam si magna bona faciunt, dum tamen subditos indulgentia sua non perimant. Patri ergo succedit filius, si patris justitiam imitatur. Charitas autem minime servatur, cum amorem, qui patriæ et parentibus præcipue debetur, pater transfundit in filios, et filialis affectus paterni pectoris cellam solus exhaurit. At hodie vitia liberorum saluti reipublicæ præferuntur; licet salutem populi liberis omnibus oporteat anteferri. In libro enim Regnum latenter Saul arguitur, quod in voto isto de diurno jejunio pepercit Jonathæ, contra ipsius religionis votum, cujus prævaricatione populi corruerunt (*I Reg.* xiv) : et Heli etiam, licet in se sanctus esset, quia filiis pepercit, periit (*I Reg.* iv). Ut autem de cæteris taceam, quantum rempublicam dilexit Deus Pater, qui propter eam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum?

CAPUT XVIII.

De quatuor principi necessariis, et corpore reipublicæ.

Quatuor autem principibus inculcare Plutarchus nititur : scilicet reverentiam Dei, cultum sui, disciplinam officialium, et potestatem affectuum, et protectionem subditorum. Nam qualis debeat esse princeps, eleganter descripsit, in libro pulcherrimo, qui inscribitur: *Institutio Trajani;* cujus principium superius in loco suo posuimus. « Denique tu, ait, quidvis, rectissime geres, si non recesseris a teipso : si primo te composueris ad virtutem, recte procedent universa. Politicæ enim constitutionis majores tibi vires exclusi, cui si obtemperas, Plutarchum vivendi habes auctorem. Alioquin præsentem epistolam testem invoco, quia in perniciem A imperii non pergis, auctore Plutarcho. » Sequuntur postea politicæ constitutionis capitula. Est itaque respublica, ut Plutarcho placet, corpus quoddam, quod divini muneris beneficio animatur, et nutu summæ æquitatis agitur, et regitur quodam moderamine rationis. Quæ enim ad religionem pertinent, vicem animæ obtinent. Princeps caput hujus corporis viri subjectus Deo, et his qui vices Dei agunt in terris. Cordis autem locum senatus obtinet. Oculorum, aurium, et linguæ officia sibi vindicant judices, et præsides provinciarum : officiales et milites manibus coaptantur : qui semper assistunt principi, lateribus assimilantur; quæstores et commentarienses, non illi qui carceribus præsunt, sed comites rerum privatarum, ventris et intestinorum B ferunt imaginem; pedes agricolæ sunt. Ex his ergo quartuor illa sunt, quæ Plutarchus principibus inculcare conatur, reverentiam Dei scilicet, et cætera supradicta.

CAPUT XIX.

De reverentia Dei et cultu sui.

Miro autem modo Deus intelligentiam sui sic infundit, ut subtrahat; sic subtrahit, ut infundat. In multis enim multipliciter lucet. Est autem a majestate mirabilis, a sapientia venerabilis, amabilis a bonitate. Et hic est funiculus triplex, inter Creatorem scilicet et creaturam, qui facile non rumpitur; sed ut timeatur, honoretur, et diligatur. Colitur autem dupliciter, affectu mentis, et exhi- C bitione corporis. Reverentia quæ corporaliter exhibetur, aut in personis consistit, aut in rebus. In personis, aut a natura aut ab officio, aut a moribus, aut a conditione, aut a fortuna. Natura, ut parentes, cognati et affines. Officium est debitum exsequendi, quæ unicuique ex institutis, aut moribus agenda sunt, quorum agendorum alia ad publicum, alia ad suum cujusque pertinent statum. Nam officiorum quædam publica, quædam dicuntur privata. Privata enim tot sunt, quot sunt personæ. Publica aut a divino aut ab humano jure descendunt. Publico officio tanta debetur reverentia, quanta est eminentia cujuslibet magistratus. Mos est mentis habitus, ex quo singulorum operum assiduitas manat. Hic virtutes et vitia æque complectitur. Unde D bonos et malos mores dicimus ratos sive morigeros a bono, morosos a malo nominamus. Conditio est status personæ fortuitus, quo aut in adversis, aut in prosperis degitur. In his autem qui divina jura ministrant, Deus præ cæteris aut honoratur, aut spernitur, cum illorum honorem et contemptum proprium reputet dicens : *Qui vos spernit, me spernit, et qui vos recipit, me recipit* (*Luc.* x). Reverentia quæ in rebus consistit, aut in corporalibus est, aut ædibus, et locis sacris, aut sacrificiis; aut in spiritualibus, ut sunt jura, quæ sacris rebus competunt, quæ temerare sacrilegium est morte expiandum. Rerum autem sacrarum immunitates convellere, insurgere in Deum est. Cultus sui maxime in temperantia consistit. Marcum Catonem eodem

vino quo remiges contentum fuisse tradunt. Caius A Curius Sabinorum victor nolens agros suos ex senatusconsulto ampliari, gregalium portione contentus fuit; malum civem dicens esse, cui non satis esset id quod cæteris civibus.

CAPUT XX.

De officialium disciplina.

Sequitur de potestate et officialium disciplina. Nihil iniquo divitis consiliario perniciosius. Unde in Proverbiis : *Omni custodia conserva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV). Est igitur providendum potestati, ne consiliarii indigeant, neve aliena immoderatius concupiscant. Nihil est sceleratius quam amare pecuniam, etc. Non solum in corde, id est in consiliario, sed etiam in ventre et intestinis reipublicæ, id est quæstoribus, B et commentariensibus hæc ratio servanda est. In lateribus quoque, id est illis, qui semper principi assistunt. Nam a convictu mores mutantur. Et *qui tangit picem, inquinabitur ab ea* (*Eccli.* XIII), uvaque conspecta vel contacta livorem ducit ab uva (Juv.). Ita quidam legati apostolicæ sedis in provinciis debacchantur, ac si ad Ecclesiam flagellandum egressus sit Satanas a facie Domini, acceptores personarum, et quasi quidam bonorum mallei. Inde Juvenalis :

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Episcoporum nomen et officium venerabile esset, si tanta impleretur sollicitudine, quanta interdum appetitur ambitione : et diligerentur ut C patres, timerentur ut domini, colerentur ut sancti, si exactionibus parcerent, et projicerent ex animo quidquid provenit ex calumnia, nec omnem quæstum pietatem putarent. In domibus prælatorum et principum omnia hodie venalia sunt : frustra apud curiales de testimonio conscientiæ, de venustate morum, de torrente eloquentiæ, nisi pretio interveniente confidis.

Ipse licet venias musis comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras.

Ego etiam credo me vidisse ostiarios cerbero duriores. Apud inferos tamen, cerberus, ut aiunt, unus est. Sed quot sunt diversicula curiarum, tot cerberi. Tota enim familia aut mordet, aut latrat. Vetus Proverbium est : « Vacuæ manus temeraria D petitio est. » Apud advocatos quoque et ipsum silentium venale est. Hoc fortassis a Demosthene acceperunt, qui cum Aristodium auctorem fabularum interrogasset, quantum mercedis, ut ageret, accepisset, et respondisset, talentum. At ego, ait Demosthenes, plus accepi, ut tacerem. Causidicorum lingua damnifica est, nisi eam, ut dici solet, funibus argenteis vincias. Nihil autem, ut ait Seneca, venali misericordia inopius. Injustum prorsus est misericordiam vendere, sive justitiam. In lege vero scriptum est : *Juste quod justum est exsequeris* (*Deut.* XVI). Lege quoque Julia repetendarum tenetur, qui cum haberet aliquam potestatem, ad judicandum vel determinandum, pecuniam acceperit, quo magis ad minus quid ex officio faceret. Hæc verba legis sunt; iterumque omnes cognitores aut judices a pecuniis et patrociniis manus abstineant. Neque enim alienum jurgium suam putent prædam. Plebiscito etiam continetur, ne quis præsidum munus, donumve caperet, nisi esculentum, poculumve; et id quidem inter dies proximos porrigatur, sed nec exenia producenda sunt ad munerum qualitatem. De talium muneribus, ait epistola Severi imperatoris : « Vetus proverbium est, nec omnia, nec semper, nec ab omnibus. Nam valde inhumanum est a nemine accipere, passim vilissimum, per omnia avarissimum. »

CAPUT XXI.

De publicis exactoribus, et eorum violentia.

Egregie autem de talibus ait Laurentius Mediolanensis episcopus, ubi publicos exactores describit : Publicanus, inquit, est caput rapinæ, lex violentiæ, prædo sine pudore, medicus exterminii, immanior furibus; nam fur timens delinquit, hic autem confidenter. Fur laqueos legis timet, hic quidquid fecerit, legem vocat. Quis eo iniquior, qui verbo justitiæ justitiam damnat, et armis innocentiæ spoliat, vulnerat, occidit innocentes? Lege utique legem perimit, et dum alios urget ad legem, ex lege dejicit. Publicanorum autem a maximo usque ad minimum cœtus concussioni potius quam justitiæ vacat : et ita in populum debacchantur, ut quod reliquit unus, alii non auferre; tanquam ad hoc constituti sunt, ut residuum locustæ comedat bruchus. Officiali Cæsaris nisi in omnibus acquieveris, Cæsari contradicis. Et quidquid dictet, nisi sit sic, et nisi sic stet, est in personam regis, contraque coronam; quidquid dixerit ita obtinet, ac si inveniatur in actis; et cum alias habita moderatione inculpatæ tutelæ vim vi repellere liceat, concutientibus officialibus, spoliantibus, torquentibus, mutire non licet. Hæc autem omnia in principem redundant. Singuli quippe tenentur ad singula, principi vero onera incumbunt universa. Princeps autem legis nexibus dicitur absolutus, non quia ei iniqua liceat; sed quia is esse debet, qui non timore pœnæ, sed amore justitiæ æquitatem colat. Nam in negotiis publicis nil ei velle licet nisi quod lex aut æquitas persuadet, aut ratio communis utilitatis inducit.

CAPUT XXII.

De æquitate judicii.

Æquitas autem juris, ut periti asserunt, est rerum convenientia, quæ cuncta coæquiparat ratione, et in paribus causis paria jura desiderat. Lex vero ejus interpres est. Quidquid autem æquum est, ita demum justum est, si est voluntarium. In nulla re hodie tantum offendunt hujus sæculi potestates, sicut in judiciis, non attendentes quod scriptum est : *In quo judicio judicaveritis, de vobis judicabitur* (*Matth.* VII). Et illud quod supra posuimus : *Juste quod justum est exsequeris* (*Deut.* XVI), id est sine acceptione personarum vel munerum, mox

ut tibi liquebit de causa, justam de utraque parte proferes sententiam. Nam dum causa anceps est, protelanda est sententia, quia festinata judicia pariunt pœnitentiam. Si ergo in judicando periculum vitari non potest, nihil est utilius, quam differre. Si autem alterutrius litigantium periclitatur utilitas, et rei difficultas moram non exigit, iniquissimum est judicium protelari. Ipso autem jure cautum est, ut sacrorum Evangeliorum Scripturæ terribiles ante sedem judicis deponantur; ibique ab initio usque ad finem permaneant, nec amoveantur; nisi sententia recitata; quo totius consistorii latitudo Dei ipsius repleta præsentia, omnibus ad sacrosanctas Scripturas metum incutiat, et reverentiam; et ab inquisitione veritatis omnis iniquitas propulsetur. Ut autem dicitur in libro codicis secundo, procliviora sunt jura ad defendendum, quam ad impugnandum; faciliusque ad exceptionem, quam ad actionem trahunt. Unde cum non omnes ad accusationem admittantur, omnes ad defensionem admittuntur; nisi aliquis absens damnandus est.

CAPUT XXIII.

De militum electione, et eorum officio.

Vidimus de membris cæteris reipublicæ; nunc de militibus videamus, qui manus appellantur. Nullus, ut ait Vegetius Renatus, quem oporteat vel meliora scire, quam principem. Christianus princeps milites magis a fide et moribus, quam a viribus debet eligere. Nostri autem milites hodie sic ad bella; quasi ad nuptias, dealbati procedunt. In castris sermo illis est de conviviis, in convivio de armis. Duo sunt, quæ faciunt militem, tam corporalem quam spiritualem; electio et sacramentum. Longa pax militem incuriosius legit. Lucio Flacco et Caio Varrone consulibus, milites primo jurejurando facti sunt. Antea enim sacramento tantum modo a tribunis rogabantur. Conceptio sacramenti teste Vegetio hæc est. Jurant milites per Deum, et Christum ejus, et Spiritum sanctum, et per majestatem principis, quæ secundum Deum humano generi diligenda est et colenda, se strenue facturos omnia, quæ præceperit princeps, nunquam deserturos militiam, vel mortem recusaturos pro republica, cujus sunt conscripti militiæ. Cato militem non dicit, nisi eum qui sacramento ad militiam jam consecratus est. Miles igitur sicut laboris, ita et honoris est. Nemo enim sibi honorem sumat, nisi qui vocatur a Domino (*Hebr.* v). Qui non electus seipsum militiæ ingerit, in se gladium provocat, quem propria temeritate usurpat. Usus autem ordinatæ militiæ est tueri Ecclesiam, impugnare perfidiam, et sacerdotium venerari, pauperum propulsare injurias, pacare provinciam, pro fratribus (ut sacramenti docet conceptio) fundere sanguinem. Miror autem quomodo princeps illis habet fidem, quod videt Deo suo, cui, ut cætera taceam, et sacramento militiæ alligati sunt, fidem debitam non servare. Nequaquam fidem servabit secundam, qui primam irritam facit. Denique consecratio militis hæc est. Consuetudo A solemnis est, ut ea die quâ quis militari cingulo decoratur, Ecclesiam solemniter adeat, gladioque super altari posito, et oblato quasi celebri professione facta, seipsum altaris obsequio devoveat, et gladii, scilicet officii sui jugem Deo spondeat famulatum. Eis ergo pro Ecclesia plurimum, contra Ecclesiam licet nihil. Aut enim plus, aut non minus in sua professione faciunt, quam episcopi et abbates, qui schedulam offerunt. In quibusdam etiam locis moris est, militem in crastinum consecrandum, totam noctem præcedentem pervigilem in orationibus ducere, et nec jacendi, nec sedendi habere licentiam; nisi forte repentinæ infirmitatis necessitas coegerit, sed tota nocte stantem orare.

CAPUT XXIV.

B *Quod obedire debent principi, sed magis Deo.*

Primum hominium Deo debetur, cujus est homo creatione et redemptione. Secundum autem homini, salvo tamen dominio Dei, qui ab omnibus hominibus suis exigit innocentiam. Cum periculo ergo innocentiæ nemo cuiquam debet fidem, nec abbati monachus, nec patri filius, domino servus, nec marito uxor. Est igitur principis providere in primis, ne miles suus perdat innocentiam pro defensione reipublicæ; sine qua respublica salva esse non potest. Solus enim ille princeps est bonus, est et judex incorruptus, cujus sententia ex contemplatione assidua imago est æquitatis. Est enim publicæ æquitatis vindex, et æquitatis servus, et in C eo personam publicam gerit; quod omnium injurias et damna corrigit, et omnia crimina media æquitate punit; cujus officium est illis, qui nimirum possunt plurimum prodesse, et qui nocere desiderant, plurimum adversari. Unde et in sacra Scriptura columbæ gladius appellatur (*Jer.* XLVI), quia sine felle rixatur, sine iracundia ferit; et cum dimicat, amaritudinem nullam recipit. Nam, ut ait Cicero orator egregius, sicut lex persequitur culpas sine odio personarum, ita princeps facere debet. David vir sanguinum dictus est, non propter bella, ut ait Augustinus, sed propter Uriam. Nam nec Samuel, nec Elias, nec Phinees vir sanguinum appellatus est, cum quilibet eorum sanguinem fuderit. Pulchre autem secundum Stoicos lictor dicitur, D quasi legis ictor; quia ad ejus spectat officium ferire, quem lex judicat feriendum. Unde et antiquitus illi, cujus manu judex innocens nocentem puniit, cum gladius immineret, dicebatur: Obtempera legis arbitrio, vel legem imple, ut vel sic mansuetudo verborum puniendi rei tristitiam mitigaret. Cum ergo milites sint manus corporis publicæ potestatis, illius principis manus sanguine plenæ sunt, cujus officiales et milites vel innocentium sanguinem fundunt, vel innocentes opprimunt. Hujus ergo principis oratio nunquam exaudienda est, eleemosyna Deo nunquam acceptanda.

CAPUT XXV.

De mutuo affectu principis et subditorum.

Ultimum eorum, quæ Plutarchus habere jubet

principem, est amor subditorum. Codrus enim Atheniensium rex pro victoria populi sui seipsum morti tradidit. Nam mutato regis habitu sarmenta colligens, castra hostium ingressus, a milite quem facile in jurgio percusserat interfectus est. Unde et illud poeticum :

. . . . *et jurgia Codri.*
(Virg.)

Decius dux Romanorum se pro suis exercitibus morti devovisse, percelebre est. Julius etiam Cæsar dicere solitus erat : Dux qui non laborat ut militibus charus sit, militem nescit amare, nescit humilitatem ducis in exercitu, et adversus hostem debere esse. Idem etiam pistorem in vincula conjecit, quia sibi meliorem panem quam cæteris militibus in mensa superposuerat. Alexander militem suum Macedonem senio confectum nimio frigore obstupefactum, ipse in sublimi et propinqua igni sede sedens cum animadvertisset, statim descendit, et in suis manibus corpus frigore duplicatum in suam imposuit sedem. Plato cum vidisset Dionysium tyrannum Siciliæ corporis sui circumseptum custodibus : « Quod tantum malum, inquit, fecisti, ut a tam multis custodibus necesse habeas custodiri ? » Principem enim sic oportet vincere obsequiis omnium affectus, ut quisque subditus pro eo periculis imminentibus caput opponat. Sic etiam urgente natura pro capite cætera se solent membra opponere. Unde Claudianus:

Non sic excubiæ, non circumstantia tela,
Quam tutatur amor : non extorquebis amari.
Hæc alterna fides, hæc simplex gratia donat.

Hucusque dictum sit de institutione regum et principum ; qualiter se habere debeant, vel domi vel militiæ, non solum secundum leges divinas, sed etiam humanas ; quæ eatenus valent, quatenus a divinis non discrepant. Alioquin falsum est quod in lege scriptum est : *Quod principi placet, legis habet vigorem.* Nullas enim leges credunt quidam civilibus præferendas : sed has Anacharsis Scytha telis araneis comparavit, quæ muscas et culices detinent, et volatilia grandiora transmittunt.

HELINANDI AD GALTERUM CLERICUM
EPISTOLA

Scripta nomine Guillelmi, fratris ejusdem Galteri. Inscribitur autem : *Liber de reparatione lapsi.*

—

Ob lamentationes, et væ, ne carmine nihil ad te (86); carmen enim illis debetur, quibus bonum est confiteri Domino, et psallere nomini Domini altissimi. Carmen illis debetur, quorum in cordibus cantatur Domino, psallitur spiritu, mente jubilatur : et quorum operatio Christo citharizat, et organizat cogitatio, psalterizat oratio, devotio lyrizat. Nihil enim tibi et carmini. Non est enim tibi cantare canticum Domini in terra aliena. Nihil tibi et *ave*, qui non mutas nomen Evæ ; nihil tibi et *salve*, qui non salvas commendata, dum mandata non servas, dum te non paras ad judicium, non comparas auxilium advocati tui Christi, sed Salvatori tuo crucem reparas secundam, mortisque tibi præparas secundæ cruciatum. Nihil tibi, et *vale*, qui non vivis nisi male, qui valere non affectas, dum detrectas pœnitere. Tu ergo, anima mea, fratri meo exspectanti et reexspectanti modicum in sæculo, nimium in peccato, manda et remanda lamentationes et væ. Perlustrata namque cum omni sollicitudine materiæ præsentis tota multitudine, nil invenire potui, quod mitterem pro carmine ; sed plenus amaritudine, plenus anxietudine, quod scripsi, scripsi. Salus non sano missa nugatoria est, missa vero invito superflua. Denique quid prodest alicui salus ulla destinata, cui nulla salus grata ? Plane frustra salutatur, a quo salus non optatur.

Quis dabit aquam capiti meo et oculis meis fontem lacrymarum, ut copiose lugeam dignum mei fratris interitum ? (*Jer.* IX.) Justus es, Domine, etiamsi disputem tecum. Verumtamen etiam juste loquar ad te, non tanquam tecum disputans, sed tanquam tecum computans, quæ mecum supputo, et fratri meo imputo. Adhuc enim frater meus mendicat siliquas porcorum in regione illa, in qua fames oritur, nec moritur ; ubi egestas incipit, nec desinit ; nec recordatur infelix, quanti non solum filii, sed et mercenarii in domo patris sui abundent panibus (*Luc.* XV). Ipse vero nec dolore concutitur, nec rubore confunditur, quod et fame pereat, et siti torreat, et labore fatigetur, et servitute prematur. O quam facili transitu hæc omnia transiret, duobus tantum passibus a tam gravi exsilio resiliret ; quorum primo reverteretur ad se, ad te vero, Pater, altero converteretur ! Jussisti autem mihi, ut non solum eum, sed et quemlibet proximum meum diligam, quantum meipsum. Sed quis mihi proximior fratre meo ? Nusquam ego totus adsum, ubi abest frater meus, dimidium scilicet animæ meæ. Nonne, Domine, te jubes diligi in tota anima ? Quomodo ergo

(86) Alludit ad librum in quo erant lamentationes, carmen et væ apud Ezech. II.

tota anima te diliget, nisi utraque ejus medietas te A diligat? Non enim bene diligeris ad medietatem. Ut ergo te totus diligam, fac oro ut te diligam, et frater meus. Si vis ut sequar te, sequatur, obsecro, et frater meus : neque enim dimidius sequi te potero. Ut me totum salvum facias, salvum fac et fratrem meum, qui totum hominem salvum fecisti in Sabbato. Quippe nil facis ad medietatem, sed quidquid facis perficis. Alioquin non diceretur id operibus tuis quod universa essent valde bona. Et in Deuteronomio : *Dei perfecta sunt opera* (*Deuter.* XXXII), etc.

Ob lamentationem et væ. Lamentatio de præsenti est; carmen et væ de futuro. Væ tibi proposui, ut ab eo fugeres; lamentationes proposui, ut ad eas confugeres. Carmen vero nec posui, ut remota B omnis lætæ rei memoria, nulli transitorio decori cor tuum apponeres, sed quandiu te super flumina Babylonis sedere cognosceres, fleres, plorares, gemeres, et in ejus salicibus organa suspenderes (*Psal.* CXXXVI), et te totum penitus medullitus exponeres dolori. Nulla tibi, nulla de carmine mentio fiet, donec illud impleas præceptum : exite de Babylone, fugite a Chaldæis. Sed jam loquar ad te. Ipsa lamentatio, scilicet quæ hactenus locuta est pro te : *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris* (*Isa.* XIV), qui jubilabas Domino cum matutinis astris, quando in cœtu novitiorum, in fletu monachorum, in metu conversorum, in conspectu angelorum psallebas Altissimo. Quomodo attractiva illa cauda draconis cum sua tertia parte stel- C larum te etiam secum traxit, cui Deus dederat lucem sapientiæ, splendorem scientiæ, jubar intellectus; ut cum stellis stantibus luceres, si velles, in perpetuas æternitates? Non parco tibi, frater amantissime, ut mihi et tibi parcat Deus. Cecidisti : nunquid qui cecidit, non adjiciet ut resurgat? (*Isa.* XXIV.) *Septies in die cadit justus et resurgit* (*Prov.* XXIV), id est quotiescunque cadit, toties resurgit. Tu qui cadis tota die, recidis quotidie, cur non resurgis vel uno die?

Quod autem ordinem nostrum accusas intolerabilis duritiæ, profecto non ordinis, sed accusantis est vitium. Neque enim ita durus est, ut sit inaccessibilis, aut importabilis contra naturam; alio- D qui nec ordo esset; sed tu fluidus es et enervis. Præterea, quid magis secundum naturam, quam ordinate vivere? At nulla vita ordinatior quam nostra. Ibi enim *omnia in numero, et pondere, et mensura disponuntur* (*Sap.* XI). Ibi cibus, et quies, et somnus ad sufficientiam naturalem indulgetur. Jejunia vero, labores et vigiliæ, a nemine supra vires extorquentur; sed omnia mensurate fiunt. Simplici enim victu et vestitu vita sustentatur, natura fovetur, conservatur sanitas. Denique quid naturalius, quid sanius, illo cibi et potus genere, ad cujus appetitum sola natura et coquus est et medicus? Quis pane triticeo et leguminibus bene coctis famem non expellat?

Jejunus raro stomachus vulgaria temnit.
(HORAT., II *Sat.*, 2, 38.)

Anima saturata calcabit favum, anima vero esuriens et amarum pro dulci habebit. Probabile est, ait Seneca, quod natura desiderat, ad supervacua sudatur. Taceo, quod ad conservandam sanitatem nihil efficacius quam cibi et potus identitas conservata. Varia enim fercula variarum sunt naturarum. Omnis autem talis varietas parit humorum repugnantiam, et omnis humorum repugnantia repugnat sanitati. Unde elegantissime et prudentissime respondit quidam de nostris adolescentibus Belvacensi episcopo eum interroganti, unde contingeret, quod sanior et pulchrior esset in claustro, quam solebat esse in sæculo. Quia, inquit, uniformiter vivo et decenter. De quorum primo habeo ut sanus sim, de secundo ut pulcher sim. In sæculo autem vivebam tam deformiter quam multiformiter; de quorum primo turpitudo nascitur, etiam corporalis, de secundo ægritudo. Perrexitque episcopus quærere, dicens : « Quid ergo comedisti hodie? Satis, inquit, quid heri? Similiter satis. Non quæro, inquit, de quantitate; sed de qualitate: quid comedisti heri, quid hodie? » — « Heri, inquit, comedi pisa et olera, hodie olera et pisa; cras autem comedam pisa cum oleribus, post cras olera cum pisis. » Vide ergo quam pulchro circuitu eamdem sententiam circumduxit, ut variis modis ostenderet eadem se semper uti diæta, quæ præstet corpori sanitatem et pulchritudinem. Explosa igitur est omnis difficultatis accusatio, quam contra ordinem induxisti, et impossibilitatis excusatio, quam pro parte adduxisti. Neque enim ordo tam difficilis est, ut infirmos non recipiat, cum et illis satisfaciat et accurate et delicate : neque tu tam infirmus aut debilis es, ut ad illum portandum nequaquam sufficias : cum ego non deficiam, te et infirmior, et debilior. Et ut de me taceam, quantos tibi possum ostendere, qui de vita delicatissima ad hunc ordinem, quem appellas durissimum et difficillimum se transtulerunt, nec tamen adhuc ab eo resilierunt, quamvis et ætate juniores te sint, et natura teneriores, et debiliores viribus? Et ut de tot millibus unum excipiam, unum tibi excipio, qui certe solus sufficit ad omnium exemplum : ipse quidem spectaculum factus est, et angelis, et hominibus levitate miraculi, qui prius eis spectaculum fuerat miraculo levitatis; dum non scena, non circus, non theatrum, non amphitheatrum, non amphicircus, non forum, non platea, non gymnasium, non arena sine eo resonabat.

Nosti Helinandum, si quis novit hominem, si tamen hominem. Neque enim tam natus erat homo ad laborem, quam avis ad volandum (*Job* VII), circumiens terram, et perambulans eam, quærens quem devoraret (*I Petr.* V), aut adulando, aut objurgando. Ecce in claustro clausus est, cui totus mundus solebat esse non solum quasi claustrum, sed etiam quasi carcer. Quomodo ergo non potes,

quod ipse potest, cujus mutatio dextræ Excelsi (*Psal.* LXXVI), quantum stuporem intulit sæculo, pudoremque diabolo, tantum ipsi Domino contulit honorem? Neque etenim ipse tam levis fuerat, quam ipsa levitas. Unde et tanta levitas, tam leviter mutata, apud plerosque nihil aliud putatur quam levitas. Hinc est, quod jam quinquennis ejus conversatio vix facit alicui fidem de futuro. Nimirum quantum in se ipso experimentum dedit inconstantiæ, tantum perseveraturæ constantiæ nunc debilitat argumentum. Erubesce igitur, miserrime, te saltem non sequi istum præcedentem, juniorem, infirmiorem, debiliorem, delicatiorem. Quis enim attendens unde iste surrexerit, surgere non possit?

Itaque surge, et noli *declinare in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis* (*Psal.* CXL), attribuens naturæ, quod est mentis impuræ; necessitati, quod est voluntatis; difficiliorem faciens ordinem, quam sit; te molliorem, quam esse debeas; infirmiorem, quam esse possis. Nemo enim tantam infirmitatem potest incurrere, ut rigor ordinis ei de misericordia condescendens, et de charitate compatiens, congruam solatii non suppetat medicinam. Si jejunare præ infirmitate non potest, manducare non solum permittetur, sed etiam cogetur. Si laborare non sufficit, quies ei non deficit. Si vigiliis gravatur, somno recreatur. Infirmus es? Noli refugere: non portabis ordinem, sed ordo te. Fallunt autem plerique, et non tam fallunt quam falluntur, pusillanimitate animi dicentes se non posse, quod possent, si tentarent: sed ante judicant quam discutiant; et ideo in limine primo deficiunt, et ante tubam tremor occupat artus. Solent autem hujusmodi pusillanimes dicere: Hodie jejunavi, et jam caput doleo; si ergo cras jejunavero, phreneticus fiam, aut lethargicus, aut melancholicus, aut epilepticus, aut maniacus, aut dæmoniacus. Plane non sequitur:

Debile principium melior fortuna sequetur.

Multæ res intentatæ difficiles habent aditus, usus autem faciles. Dicit ergo infirmus noster: Hodie jejunavi et ideo caput jam doleo. Mentiris plane, imo quia non jejunasti nisi uno tantum die. Non enim ideo caput doles, quia vel semel jejunasti, sed quia jejunare non consuevisti. Denique quid scis, an ex jejunio hoc tibi accidit? Heri forte tale quid immoderate comedisti vel bibisti, quod naturaliter caput aggravat. Non ergo omnia aut ad præceptorum difficultatem, aut virium impossibilitatem referenda sunt. Surge igitur, frater: non enim est impossibile surgere, quamvis sit difficile; tam difficile, quam facile est cadere. Facilius est, ait Aristoteles, destruere, quam astruere.

...*Facilis*, ait poeta, *descensus Averni*,
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor est....

(VIRGIL., *Æneid.* VI.)

Non dixit, hoc impossibile est, sed *Hoc*, inquit, *opus, hic labor est*, id est possibile est, etsi difficile sit: possibile est, si adhibeatur opus, præbeantur opera, labor adhibeatur. Festina igitur ut resurgas, nam si resurgere est hodie difficile cras erit difficilius.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

(OVID., *Rem. amor.*, 94.)

Omne autem tempus, quod morte adjicitur, additur et casui. Quanto jacebis diutius, tanto cades profundius. Ipsum namque jacere est cadere. Cadere fateor, humanum est: sed resurgere nihilominus humanum est, juxta illud: *Nunquid qui cecidit non resurget?* (*Psal.* XL.) Id est, nonne qui potuit cadere, potest resurgere? Non resurgere ergo nullomodo humanum est dicendum, sed diabolicum; cujus tota vita ruina est.

Notanda igitur in hoc loco quadripartita varietas. Quatuor enim sunt, scilicet stare, cadere, surgere et non resurgere. Horum duo media hominis sunt. Homo enim cadit et surgit; et iterum recidit, et iterum resurgit, stare vero absque casu solius angeli est; non resurgere vero solius diaboli est. Qui ergo stat, et non cadit, angelus est; qui vero cadit et surgit, homo est; qui autem cadit, et post casum non surgit, non quia non potest, sed quia non vult, profecto diabolus est, etiamsi homo sit. Unde et de tali homine dictum est: *Et unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI). Unde et dicitur ad homines: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana* (*I Cor.* X). Ubi plane diabolica removetur, quæ scilicet triplex est, supra se, infra se, et contra se. Supra se tentatur quis, quando effertur ultra se. Infra se tentatur quis, quando vivere appetit inferius, et sordidius, et vilius, quam naturæ suæ dignitas exposcit. Tentatio contra se est, quando aliquis scienter peccat, etiam ad mortem, et tamen postea non pœnitet, aut desperans, aut minus sperans, aut nec sperans, nec desperans; sed incredulus ad sperandum et ad timendum, id est nec misericordiam credens profuturam, nec damnationem obfuturam; qui neutram credit futuram: sed omne judicium putat defuturum, dicens cum Epicuro: « Nihil post mortem, et mors ipsa nihil. » Quatuor enim tuæ calamitatis gradus superius enumeraveram: te scilicet non stetisse, cecidisse, jacere, non resurgere. Quod non stetisti, levitatis fuit; quod cecidisti infirmitatis, quod jaces voluptatis est, quod non te resurgis consuetudinis. Levitas impellit, infirmitas prosternit, perimit voluptas, sepelit consuetudo. Primo fuisti arundo vento agitata, secundo folium cadens ab arbore, tertio factus es paralyticus grabato assutus. Nam quæ est differentia inter mortuum et semper jacentem? Quarto, Lazarus in sepulcro quatriduanus fetens obvolutus linteis tumulatus. Arundo fuisti, quando ad levissimum serpentis sibilum te inclinasti. Folium fuisti, quando spiritu habente potestatem ascendente super te, locum tuum dimisisti. Paralysis autem est dissolutio, nihilque magis hominem dissolvit, quam volu-

mus. His tribus gradibus, scilicet levitati, infirmitati, voluptati consuetudinem adjungens, te fecisti quatriduanum, tumulatus es, et oppressus, obstinatione. Hæc est enim tumba, quæ supponitur cadaveribus animorum mortuorum.

Valde ergo timeo, ne nimium speres, cum tamen non habeas plures rationes nimium sperandi, quam desperandi. Nam sicut maledictus Cain qui desperavit, ita maledictus omnis qui peccat in spe. Sed Christiani Dei misericordiam frequentius experti, quam ejus iram, id est vindictam, cujus modo non est tempus, facilius inclinatur animus in hanc dexteram, quam in illam sinistram; quasi Deus plus habeat misericordiæ quam justitiæ, cum ipse sit utraque, id est misericordia et justitia, nec possit esse major seipso. Si ergo cogitas Deum esse multum misericordem, cogita illum tantum esse justum, juxta illud: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* c). Hæc cogitatio pariet tibi timorem, qui est initium sapientiæ, clavis justitiæ, quæ sola clavis reserat animarum sepulcra. Ipse est enim angelus, qui revolvit lapidem ab ostio monumenti; cujus *aspectus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix* (*Matth.* XXVIII). Aspectus timoris est cogitare et intelligere terribilia. Hæc sunt maxime quatuor, quæ semper ponenda sunt ante oculos mentis nostræ: Judicii veritas, judicis severitas, tormentorum æternitas, et enormitas peccatorum. Hæc quatuor sollicite considerata faciunt animum considerantis sicut fulgur, id est, ardentem et rubentem, hoc est dolentem et prudentem. Iterum ista quatuor sollicite considerata faciunt, ut vestimenta considerantis sint sicut nix: quia cum peccator attente considerat quid mereatur, si non pœniteat, statim induit saccum pœnitentiæ, rigentem algore continentiæ, et renitentem candore castitatis; quæ scilicet candor et rigor sunt duæ nivis proprietates. Non enim dixit et vestimenta ejus sicut lana alba, aut sicut lac, sed *sicut nix*, inquit, profecto significare volens, quia si pœnitentia amara est, et constringens, et rigida; candida tamen est, et cito resolvitur, quia brevis est, quanticunque sit temporis. Clamat tibi Jesus voce magna: *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI), exeundum enim tibi est adhuc ligato. Quilibet enim sic sepultus ad confessionem, consuetudinem etiam secum affert, sed non obstinationem. Alioquin nec ad confessionem veniret. Quomodo ergo te solvemus ab his vinculis? Recurrendum est enim ad consuetudinis originem, quæ primo radicanda est, ut exstirpata penitus ejus radice, rami ejus non repullulent. Ait enim Augustinus in libro *Confess.* ex voluntate sit libido, et dum servitur libidini, consuetudo fit perversa; et dum consuetudini non resistitur, fit tunc necessitas; quæ sunt quasi quædam ansulæ sibimet innexæ, catenam facientes, unde peccator constringitur. De hac catena, vel de hoc funiculo dicitur apud Isaiam: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis* (*Isa.* V), id est peccatum peccato additis, quasi filum filo ad faciendum funem. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur. Prima tortio hujus funiculi fit ex illis duobus filis, scilicet perversa voluntate, et libidine. Et est in hoc funiculo triplex libido bis tortum filum. Tertia vero fit ex consuetudine et necessitate. Quid est perversa voluntas? Perversus animi motus ad appetendum aliquid præter Deum, propter seipsum; et ex hoc perverso motu jam ex pœna peccati meretur, ut illud sibi libeat, id est placeat, ad quod appetendum se perverse movit, et ita sequitur libido secundum peccatum et pœna primi. Libido namque dicitur a libendo, id est, placendo. At quæcunque nobis placent blanda quadam sui violentia usum sui facile nobis extorquent. Nam quæ libenter facimus, si possumus facimus, et frequenter: imo si possemus, nunquam non faceremus. Sic ergo ex libidine est consuetudo, quia qui hunc cibum comedunt, adhuc esurient. Nunquam enim porcorum siliquis venter humanus poterit expleri. Quare vero ex consuetudine nascatur necessitas, manifestum est; quia videlicet consuetudo est altera natura. O violentia consuetudinis, quanta est tua potentia, quæ de libertate facis servitutem, de morbo complexionem, de voluntate necessitatem, de casualibus naturalia, de contingentibus impossibilia! Vis ergo evadere hunc funiculum tam subtiliter quam velociter? Recurre ergo ad primum nodum, qui fit ex perversa voluntate, et libidine, et securus esto, quod isto dissoluto dissolventur alii qui sequuntur: quia cessante causa necesse est cessare effectum: nempe hic consistit tota vis hujus funiculi. In aliis quidem novissimus nodus primo solvendus est, et novissime primus, hic autem e contrario. Avertantur igitur a sensibus corporeis res ipsos sensus allicientes, et facile avertetur ab animo perversa affectio: quæ si aversa fuerit, statim libido aversa erit. Unde Seneca: « Id agendum est, inquit, ut irritamenta vitiorum quam longissime profugiamus. » Quis enim juxta prostibulum vivat continenter? Quis tabernæ proximus vivat abstinenter? Quis inter forensia turgia silenter? Imo quis in sæculo vivat sapienter? Qui enim socius est stulto, efficitur et similis (*Prov.* XIII). *Qui picem tetigerit, nonne inquinabitur ab ea?* (*Eccli.* XIII.) Qui flammæ se injecerit, nunquid non inflammabitur? Vis ergo exstinguere libidinem? Pone inimicitias inter te et mulierem: sufficiat tibi deceptam a serpente, te hactenus decepisse. Noli dare sanguisugæ sanguinem ad sugendum, sed avelle eam a cute, velit nolit etiam semiplenam. Vis exstinguere libidinem? Amove ligna ab igne, etsi stridet incendium. Quæ sunt, inquis, ligna, quæ non sunt struenda in ignem hujus hominis rixosi? Innumerabilia enim sunt, pauca tamen ex eis, in quibus et cætera possis recognoscere, dinumerabo. Ista sunt ergo:

Otia, segnitior somnus, caro, femina, vinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.

De primo habes

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis.

Et Lucanus :

. . . *Variam dant otia mentem.*

Et quidam de nostris : *In desideriis est omnis otiosus*. Et Regula illa Benedicti ait : *Otiositas inimica est animæ*. Et quidam de Patribus : « Nunquam inveniat te diabolus otiosum. » De secunda habes :

Quæritur, Ægistus quare sit factus adulter :
Impromptu causa est, desidiosus erat.
(Ov., *Rem. am.* 161.)

De tertio est illud apud Catonis Ethicam :

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Denique illa duo prima semper istud tertium comitantur. Nemo enim potest esse somnolentus, quin sit et otiosus et desidiosus. De quarto ait Apostolus : *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum*, etc. (*Rom.* XIV; *Joan.* VI.) De quinto quia infinita sunt exempla, sufficiat ponere solam mulieris etymologiam : « Mulier, inquit Varro, dicitur a mollitie, quasi mollier. » Istud mollier intelligendum est dupliciter, id est active et passive, tanquam si diceretur mollibilis, id est facilis ad molliendum; ut et cito molliat, et cito molliatur. Nolo autem te ignorare, quod malleus similiter dicitur a molliendo, eo quod ferrum molliat. « Ferreas mentes, ait Hieronymus, ipsa libido domat. » Et Claudianus :

Ferrea lascivis mollescunt corda sagittis.

Vides ergo, quomodo conveniant rationes etymologiarum cum rationibus naturarum. Quid non mollit malleus? Quem non mollit mulier? Igitur mulier est malleus. Vere ipsa est malleus universæ terræ, per quem diabolus et mollit et malleat universum mundum. Quomodo non cavisti tibi ab hoc malleo? Nonne ille est malleus, qui tibi massam corporis usque ad plumbeas exterminavit laminas, imo etiam qui assidue cudendo super te suam de te fecit incudem? Si ergo vis fugere ab hoc malleo, exi de fornace ferrea Babylonis, nisi forte, quod absit, hujus tam magni et tam gravis mallei tunsiones assiduas non formidas, qui contra proprietates aliorum malleorum nihil glutinare potest, solidare nihil novit; sed cuncta confringit, et omnia comminuit, dissolvit universa. Redi ergo, redi ad crucem Domini bajulandum : et noli partem tuam ponere cum Pilato, qui *malleator* interpretatur. Transeamus autem ad cætera vitiorum irritamenta. De vino, quod posui post feminam, est illud vinum, in quo est luxuria. Et poeta :

Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Unde eleganter ait Hieronymus (87) : « Vinum in adolescentia bibere est oleum addere camino, et gladium veneno. » De prosperitate legis apud Ovidium :

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Non facile est æqua commoda mente capi.

(87) Hieron., *De virginit.* et in c. V *ad Ephes.*

A Unde Augustinus de Salomone (88) : « Secundæ res, quæ sapientium animos fatigant, plus obfuerunt Salomoni, quam profuit ipsa sapientia, etiam tunc laudabilis, etiam nunc longe lateque memorabilis. » Et ipse Salomon in Proverbiis ait : *Prosperitas stultorum perdet illos* (*Prov.* I). Unde Juvenalis :

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, et turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles.

Sicut autem prosperitas attrahit ad peccatum, sic plerumque adversitas retrahit a peccato. Unde Gregorius : « Aliquando nos mundus retrahit a Deo, nunc tantis adversitatibus plenus est, ut nos mittat ad Deum. Ecce enim Dominus, sicut promiserat per

B prophetam, sepivit vias tuas spinis, ut semitas tuas non invenires, et post amatores tuos non curreres (*Ose.* II). Quomodo ergo non dicis : vadam, et revertar ad virum meum priorem, quia mihi bene erat tunc melius quam nunc? Quare non convenis diabolum de conventione, quam tecum iniit, et de fœdere quod tecum percussit; et proponis ei hanc disjunctam : Aut mihi da divitias et voluptates, quas mihi pepigisti te daturum, si tibi servirem : aut ibo ad talem Dominum, qui mihi eas dabit, et hoc non solum ad satietatem, sed etiam ad cumulum? » O quam convenientissime hæc ei proponeres! Ista enim promittit non solum tibi, sed cuilibet ejus dominio submittere se volenti, juxta illud : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*

C (*Matth.* IV). Ecce qui cadens adorasti, et adorans eum cecidisti. Aliter enim non adoratur, nisi cadendo, cui non servitur, nisi peccando. At quod tibi promiserat non dedit, mentitus est enim. Quid, putabas eum posse verum dicere? Nonne ipse mendax est, ab initio in veritate non stetit? (*Joan.* VIII.) Quomodo hujus domini fœdifragi exactoris sævissimi intolerabilem toleras servitutem? Miror tamen vehementer, unde suppetant servitutis expensæ.

Non habet unde suum paupertas pascat amorem :
Non habet unde tuum pascas, furibunde, furorem.

Considera enim, quod ex quo huic domino servire cœpisti, nunquam tibi prospere cessit, omnis paupertas successit, et adversitas, accessit calamitas, infelicitas quoque modum excessit. Nunc collige

D breviter, quam infelix ei servias :

Pauper, egenus, inops, pallens, exsanguis, inanis :
Ære, cibo, requie, frigore, peste, fame.

O onerosa servitus! o amara subjectio! servire et egere, famulari et tribulari, humiliari et conculcari. Deus bone, quid amarius, quid onerosius paupertate plena peccatis! Audi ergo consilium meum. Falle illum qui te fefellit : mentire ei qui mentitus est tibi. Desine ei servire, qui non solum sicut promiserat tibi non servit, sed etiam contra te servit. Sic ars deludatur arte. Sequitur de ludo : in quo nomine intelligo omnem jocum. Est autem omnis jocus fomes libidinis; unde et Venus dicitur jocosa;

(88) Lib. XVII *De civit.*, c. 20.

de qua sic ludit ille suus familiaris :

Non solet in mœstos illa venire choros. (Ovid.)

Post ludum etiam posui carmina ; in quo nomine omne melos musicum comprehendo; sive fiat instrumento, sive humana voce. Unde Isaias : *Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis* (*Isa.* v). Quomodo enim opus Domini, id est veritatis respiciatur, a quibus tot opera vanitatis non solum aspiciuntur, sed etiam exercentur! Et Ovidius :

Multis pro forma vox sua blanda fuit.

Aiunt physici, nihil potentius ad enervandum animum, quam lenocinium melodiæ. Unde et quidam dæmones illa capiuntur; sicut dicitur de Saule arreptitio, et David citharista : quod videlicet ille melius habebat, quando ipse psallebat : et Apollini Delphico inventi sunt ludi musici, et ille optimus medicus et theologus, et poeta, et citharista Orpheus suam libidinem citharizando prosecutus est usque ad infernum. In ejus iterum rei argumentum accipe quod difficile invenitur aliquis levis vocis, et gravis vitæ; quippe cum vocis levitas cantum desideret, at vitæ gravitas planctum. Vidi infinitos tam viros quam feminas tanto pejoris vitæ, quanto melioris vocis. Sed ut nostris parcam temporibus, Nero producatur in medium : de quo refert Suetonius in libro *De vita Cæsarum*, quod adeo delectabatur in cantando, ut nec repentino motu terræ ante cantare desisteret, quam incœpta finiret. Refert etiam eum multoties supinum jacere solere, et pectori suo laminam plumbeam superponere; causa videlicet vocis conservandæ, et abstinere a pomis, et a cibis officientibus, et nunquam aliquem advocare, nisi aut per alium, aut voce submissa. Unde dictum est illud apud Juvenalem :

Vox blanda, et nequam digitos habet.

Ecce invenimus hominem vocis blandissimæ, et vitæ pessimæ : et quoniam exemplorum superabundat copia, pergamus ad alia. Sequitur de forma, quam semper duo pericula comitantur : et illa eadem, quæ vocem blandam, id est superbia et lascivia. Unde Ovidius in libro Fastorum :

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam

Et Juvenalis :

. . . . *Rara est concordia formæ*
Atque pudicitiæ.

Et iterum Ovidius :

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Nec damno dona naturæ, sed curiositatem et vanitatem : quas individuas, et quasi naturales secum ducunt comites. Sequitur de puero, quem etiam peccati fomitem appellavi ; scilicet ea consideratione, qua et mulierem. Quantum enim periculi sexus affert in muliere, tantum ætas in puero. De illa ait Varro : « Mulier, quasi mollier ; » de isto Naso : « Puero est ætas mollis. » De illa Virgilius :

. . . *Varium et mutabile semper*
Femina.

De isto Horatius :

A *Cereus in vitium flecti.* . . .

Periculosa enim est ætas pueri, periculosiorque societas, periculosissima vero familiaritas. Unde legitur in *Vitis Patrum* : Non habendam esse cum femina et puero familiaritatem : ubi additur, vel hæretico. Hæc ergo omnia sunt irritamenta vitiorum, incitamenta voluptatis, tormenta castitatis. Hoc oleo, hac pice, hac stupa, hac naphta, his malleolis, his sarmentis incenditur fornax Babylonis. Vis ergo fugere voluptatis incendium? Fuge hoc omne genus fomitis. Sed quo fugies a facie istorum? Totum circumspice mundum; ubique diabolus hamum peccati aliquo fomite delectationis inescat. Fugiendus est ergo mundus, ut ejus concupiscentiæ fugiantur. Alioqui si in
B mundo remanere volueris, nec abscissis manibus, nec truncatis pedibus, nec effossis oculis, eo quod scandalizaverint te, scandalo non carebis. Relinquitur etiam aliquid et auribus et naribus, quod eas scandalizet, et per eas animum.

Igitur quandoquidem nec sine membris officialibus possumus vivere, nec illis scandalizantibus bene vivere ; necessario quærendus est locus, non tam corporibus, quam moribus salubris : ubi corporeorum sensuum non carentes officiis, illorum scandalis careamus. Et quis locus ad hoc idoneus, nisi claustrum, ubi pax includitur, honestas clauditur, excluditur voluptas, secluditur libido? De quo loco scriptum est : *Melius est sedere in an-*
C *gulo domus, quam cum muliere litigiosa* (*Prov.* xxi). Angulus est concors cohabitatio claustralium, in quam ipsi claustrale de diversis hominum generibus tanquam de diversis parietibus concurrentes, et habitantes in domo unius moris et unitatis, sectantes unitatem spiritus in vinculo pacis, felici discunt experientia, *quam bonum et jucundum sit habitare fratres in unum* (*Psal.* cxxxii). Mulier enim litigiosa, vel omnis ad litteram mulier est, vel ipsa caro, vel vita muliebris, vel societas cum amatoribus mollis et muliebris vitæ. Quodlibet enim istorum semper rixam movet viris spiritualibus. O quam convenienter Rixandis, ut dicitur, appellata est illa captiva muliercula, quæ te captivum trahit? Ipsa enim est diabolus, qui dicitur
D Rixoaldus, qui semper rixam alit. Nam et hoc nomen legitur esse proprium cujusdam dæmonis.

Fuge ergo, frater dilectissime, fuge rixam, quam tibi movet Rixoaldus iste per illam Rixandam, et redi ad claustrum tuum, locum pacis et quietis, amatorem silentii, rixæque persecutorem. Redi, frater, redi a mundano circuitu, in quo impii ambulant, quem semper leo rugiens circuit, quærens quem devoret : ad claustralem tetragonum, ubi mirabiliter fabricante prudentia, columnæ justitiæ super bases fortitudinis, cæmento temperantiæ firmissime solidatæ, spei epistilia infatigabiliter sustinentes, et per intervalla discretionis seriatis disposita charitatis latera, seu latitudinem in humilitatis angulos, scilicet angustias linealiter com-

summantes, et ab eisdem incipientes, vitæ ordinatissimæ pulcherrimam stabiliunt quadraturam, arridente in medio tetragoni ad cumulum decoris prato divinarum Scripturarum, medicinalibus, et immarcescibilibus jucundarum sententiarum flosculis plenissime referto. Redi ergo, frater, redi de fornace ferrea ad claustri refrigerium; ut in loco amœnissimo, sub Domino humanissimo, Jesu Christo piissimo, voluptuose transigas præsentis hujus miseriæ calamitatem.

Sed dicis: Nunquid non est alia vita quæ ducit ad Deum, quam claustralis? Est plane, sed non tibi. Antequam enim hanc elegisses, plures tibi aliæ patebant. Quando autem de pluribus hanc vitam tibi elegisti, de omnibus unam fecisti. Quid ergo, inquis, nunquid soli claustrales salvantur, aut omnes pereunt sæculares? Sane neutrum. Sed isti soli facile salvantur, illi omnes difficile. Cur hoc, nisi quia tutior est ab incendio remotus ab igne, quam proximus igni? Frater, non tibi persuadeat malesuada cogitatio, te quod vovisti non debere reddere; quia videlicet non sub sancto Benedicto probationis annum perfecisti; nec sub sancto Augustino saltem dimidiasti dies tuos, sed dixisti in dimidio dierum tuorum, vadam ad portas inferi (*Isa.* XXXVIII). Interroga conscientiam tuam. Nescis, cum quo mercatore contractum iniisti: cum eo scilicet, qui nescit fallere, quia justissimus est; cujus non est posse falli, quia sapientissimus est; cui nemo potest resistere, quia fortissimus est; quem nemo potest corrumpere, quia optimus est. Prius enim contraxeras cum diabolo, quando ei a teipso venundatus eras sub peccato. Tunc vero contraxisti cum Domino, miro modo distrahens ei, quod ante distractionem suum erat, et tuum post futurum. Nemo autem suus erit, id est sui juris, donec ei se vendiderit, a quo jam redemptus est. Vis scire qualis fuerit ille contractus inter te et Dominum? Distraxisti teipsum Domino, subtrahens te sæculo, retrahens te peccato, abstrahens te ab inferno, extrahens te a luto, contrahens te in claustro; trahens post te diabolum, attrahens ad te Dominum, et ab ipso postea ad cœlum pertrahendus. Porro in hujus distractionis, id est venditionis pretium æternam beatitudinem tibi Dominus confirmavit hac conditione scilicet ut ei perseverares. An modicum tibi videbatur pretium, quod eras accepturus? Sed *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII).

Quare ergo, frater, contractum istum tibi saluberrimum, utilissimum et jucundissimum fide non persequeris? Quod si negare volueris, testes contra te, velis nolis, erunt, quicunque capitulo illi tunc affuerunt. Non nego me, inquis, vovisse; sed nunquid voluisse taliter est vovisse solemniter, et non magis simpliciter? Nullo modo. Si enim distinguitur inter vota simplicia et solemnia, votum illud simpliciter fit, quod vel fit in silentio, quando scilicet deliberatio suis finibus contenta est, id est non prorumpit foras in vocem; aut si prorumpit, nullo præsente, vel paucis præsentibus, et hoc extra ecclesiam, et habitu pristino nondum mutato. Tale votum dicitur simpliciter factum, vel simpliciter prolatum, vel simplex solum. Illud autem dicitur solemne, quod fit coram multis; aut si coram paucis, sed gravibus personis, et in ecclesia, aut in manus presbyteri etiam extra ecclesiam, vel super reliquias. Vel, ut brevius dicam, duo sunt quæ faciunt maxime votum solemne, loci sanctitas, et personæ auctoritas; auctoritatem hic appello ordinis dignitatem. Solemniter autem vovetur in omni ecclesia, etiam sine presbytero, si tantummodo adsunt aliqui, quorum testimonio vacillare non permittatur sexus aut infirmitas, aut ætas, aut infamia. Solemniter autem vovetur coram omni presbytero, etiam extra omnem ecclesiam. Tu autem vovisti coram multis et gravibus personis, id est conventu copiosissimo et religiosissimo, et coram etiam abbate et ecclesia, quia in capitulo. Neque enim capitulum non est pars ecclesiæ; aut quod in capitulo fit, in ecclesia non fit: cum in toto corpore ecclesiæ, præter illum locum, ubi altare constituitur, nullus locus sit sanctior capitulo, nullus reverentia dignior, nullus diabolo remotior, nullus Deo proximior: ibi enim perdit diabolus, quidquid alibi lucratur; ibi Deo restaurat obedientia, quidquid alibi subtraxit illi negligentia, vel contemptus. Vides igitur quod quæcunque cooperantur ad votum solemne, in illo voto concurrunt, quod fecisti novitius in ordine Cisterciensi; nondum enim venio ad illud votum, quod fecisti in ordine Præmonstratensi. Tempore autem beati Benedicti alia consuetudo erat recipiendi, et probandi novitios, quam modo. Tunc enim novitii neque mutabant habitum proprium, neque tonsuram monachi accipiebant, donec monachi fiebant: id quod adhuc præcipitur in canonibus. Unde miror, qua fronte nostri temporis abbates hanc consuetudinem ausi fuerint immutare. Sed arbitror, quod ad terrorem incutiendum, et pudorem. Magis enim verecundatur aliquis reverti ad sæculum sæculari habitu cum crine deposito, quam si nullum istorum reliquisset. Quod autem novitii non mutabant habitum suum tempore beati Benedicti, antequam deberent fieri monachi, probo ex textu illius regulæ. In illo enim capitulo, quod sic intitulatur: *De disciplina suscipiendorum fratrum*, sic in fine legitur: « Mox exuatur in oratorio rebus propriis, quibus vestitus est, et induatur rebus monasterii. » Et subsequenter: « Illa vero vestimenta quibus exutus est, reponantur in vestiario, ut si quando, suadente diabolo, consenserit ut egrediatur de monasterio, quod absit, tunc exutus rebus monasterii projiciatur. » Libere ergo tunc poterat dici novitio: *Liber discede*, quando nec mutato habitu pristino, nec tonsura suscepta,

nullo voto tenebatur apud Ecclesiam, sed tantum apud Deum. Quod enim ibi dictum est, *Liber discede*, subaudiendum est, quantum ad nos; quantum autem ad Deum, liber non discedebat. Plures autem scandalizat claustralis refuga cum dimissione habitus, quam ex fractione professionis. Frangendo enim professionem illos solos scandalizat, quibus se professione conjunxerat. Dimittendo vero habitum, illos omnes scandalizat, a quibus se disjunxerat ejus susceptione: totum ergo sæculum. Quid tibi nunc animi, frater, plus nomine quam re: quid tibi nunc animi? Si enim consolatio abscondita est ab oculis Christi, quia inter fratres infernus divisurus est, quanto magis abscondenda est ab oculis ipsorum fratrum, ne forte inter eos non dividat! Obsecro ergo te, frater dilectissime, *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto* (*Luc.* I), ut collabores mecum, ne infernus dividat inter nos. Cur enim nati ex uno carnali utero, et ex uno spirituali renati, uno inferno dimidiamur? Vel etiam, ut melius dicam, ne dividat inter nos et Christum, quia ejus pretioso sanguine redempti sumus (89).

Expliciunt Flores Helinandi, viri boni, religiosi, honesti, et sancti, ac vita præcipui. (*Verba sunt Vincentii Belvac. in Spec. Histo. lib.* XXIX, *c.* 148.)

(89) Videtur deesse finis, cum auctor significet se acturum de voto apud Præmonstratenses emisso a Galtero, cui scribit, de quo tamen nihil omnino dicit.

SANCTORUM

GEREONIS, VICTORIS, CASSII ET FLORENTII

THEBÆORUM MARTYRUM

PASSIO

AB HELINANDO SCRIPTA.

(*Acta Sanctorum Bolland.*, Octobris tom. V, die 10, Bruxellis, 1852, p. 14, ex codice Musæi proprii signato P. M. S 159, cum ms. Audomarensi et editione Surii collato.)

PROLOGUS.

Qua ratione de martyribus, hic propositis, tractaturus sit auctor, exponit.

1. Thebæorum martyrum sacratissimam legionem (90) hodierna die festivis attollere laudibus admonemur, in qua pretiosissima sanctæ illius sodalitatis pignora, Gereonem, Victorem, Cassium et Florentium, cum eorum sociis veneramur. Neque enim secernuntur in gaudio retributionis, qui nullo modo dissenserant gloriosæ constantia passionis.

2. Nam quamvis non uno die, nec eodem loco martyrii gloriam susciperent, tamen secundum Apostolum, erat illis unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia Deus in sæcula benedictus (91): cui simul omnes uno consilio, una devotione, felici perseverantia adhærebant, implentes actu Psalmistæ verba, dicentis: « Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam (92). » In qua constanter et unanimiter summam charitatem, quæ Deus est, corde credentes ad justitiam, ore autem confitentes ad salutem, hanc apostolicam constantiam sedulo voluntate et moribus meditabantur: Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an augustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius (93)? Subsequentes etiam certam fiduciæ suæ causam: Sed in his omnibus, inquiunt, superamus propter eum, qui dilexit nos (94).

3. Nec moveat quemquam, quod in hac nostræ Thebaidis serie gesta beatorum martyrum et sacrosancta pro fide Christi certamina plena ratione secundum morem historias texentium non persolvimus: cum id nobis sit hoc sermone propositum, ut nobiscum pariter ad spiritale gaudium corda provocemus auditorum: quatenus supernorum accensi desiderio, plus appetant per charitatem ædificantem ad martyrum societatem proficere. quam

(90) De hac apud nos potissimum jam actum ad XXII Septembris diem, qua S. Mauritius ejusque socii, Agauni martyrium passi; in Mrl. Rom. hodierno signantur.

(91) *Ephes.* IV, 5, 6.
(92) *Psal.* LXXII, 28.
(93) *Rom.* VIII, 35.
(94) *Ibid.* 37.

per scientiam inflantem ab æterni gaudii delectatione dicere.

4. Sed quia mos est humani ingenii tarditati, ut ab exteriorum cognitione quærat, quod arcano cordis imprimatur, quasi aliter ad rationem, nisi per sensibilium et imaginabilium rerum ducatum, non possit assurgere, ut hoc sit, quod Apostolus dicit, Non prius, quod spiritale est sed animale : deinde quod spiritale (95). Moveamus et nos, secundum quod audivimus, quasi historiam, non quidem ex ordine singula complectentem, sed summatim quædam necessariora chronographiæ more perstringentem de sanctissimis hujus legionis angelicæ tyronibus, Gereone videlicet, Victore, Cassio, Florentio et eorum sociis, universo orbi terrarum merito venerandis, qui sua, ut ita dicam, mortis victoria, securitatis et pacis successus jucundissimos comparaverunt.

5. Hos insignes triumphatores mirabilis et provida omnipotentis Dei dispensatio post victoriosissimam beati Mauritii passionem, adeo, quantum humanæ datur indagationi conjicere, spe gaudentes, in tribulatione patientes, mora, qua voluit, reservavit, ut, quo plus in lacrymis seminarent, eo jucundius fructum perennis lætitiæ meterent, et, quanto latius exempla suscepti pro Christi nomine laboris in confessione ipsius extenderent, tanto plures ad imitationem suæ constantiæ et magnanimitatis accenderent : cum tamen ipsi corda sursum habentes apostolico illo ferverent desiderio, quo dicit : Cupio dissolvi et esse cum Christo, multo enim melius est (96). Nam in brevi post patratum eorum martyrium paucissimi in ea, qua passi sunt, provincia remanserunt, qui non hoc ipsum ardenter expeterent, quod in eis dudum obstinatis pectoribus exhorrerent, quasi arcta ipsa via prius non esset commeabilis, quæ tot fuisset præcedentium trita vestigiis.

CAPUT I.

Sanctorum in fide constantia ac martyrium.

6. Igitur dum Incarnationis Dominicæ annus fere primus post ducentesimum et nonagesimum verteretur, Diocletianus imperator trigesimus tertius ab Octaviano Augusto primo, cujus imperii anno quadragesimo secundo singularis eadem nativitas per Mariam perpetuam virginem administrata est, Maximianum, cognomento Herculium, primo cæsarem, deinde consortem sibi totius regni fecit, et Augusti nomine et potentia secum pariter sublimavit (97). Quorum sævitia tanta contra Christianos incanduit, ut ille in Oriente, iste in Occidente circumquaque ecclesias Dei vastarent, nemini de grege Domini parcerent, nomenque Christianum funditus exstirpare studerent. Sed divino nutu, quomodo tunc laboratum fuerit in semine, postea factum est manifestum in germine.

7. Hæc enim persecutio, a Nerone decima, cæteris immanior et diuturnior fuisse perhibetur, ita ut usque ad decem annos, in incepta crudelitate permanens, extenderetur. Quam mox subsecuta est ruina vehemens et perpetua destructio idolorum, cum per totum orbem pax ecclesiis Dei reddita, ipsos etiam, quos dudum inimicos asperrimos pertulit, jugo fidei catholicæ subdidit, in morem decimæ Ægyptiacæ plagæ, quæ, sicut primogenitorum omnium subita morte sævissima, ita et ultima, populum Domini non solum liberum abire permitti, verum etiam auctum pecunia, ut festinaret, vehementissime compelli fecit. Cujus rei gratia si quid post hanc Christianorum persecutionem exemplatum fuerit, in antiquis ecclesiarum ædificiis apud nos adhuc cernere licet.

8. Cum ergo in Galliis perniciosus tumultus contra Romanum imperium excrevisset (98), Maximianus apud Italiam collecto exercitu, Thebæos milites, Mauritium, Gereonem, Victorem, aliosque ejusdem ordinis viros, jam sacramentis veræ fidei et salutaris baptismatis per Hierosolymitanum antistitem (99) initiatos, in auxilium accersivit. Qui protinus, ut erant militari virtute exercitati præceptis imperatoriis obsequentes, singuli cum suis sequacibus armis bellicis instructi, consilio divino muniti, sese in eamdem expeditionem unanimiter contulerunt. Deinde colloquium expetentes beati Marcellini Romani pontificis, qui post beatum Petrum apostolum vicesimus octavus, ante S. Sylvestrum, ejusdem sedis præsulem, quartus, navim sanctæ Ecclesiæ in mediis tempestuosi mundi jactatam fluctibus gubernabat : ab eo quomodo sub armis Romanæ militiæ, Christianæ religionis conservanda esset innocentia, didicerunt (100), ejusque doctrinæ perspicuam veritatem usque ad finem boni certaminis invicta fidei justitia servaverunt.

9. O beatus et sacer ille conventus expeditorum

(95) *I Cor.* xv, 46.

(96) Ita fere ad Philip. cap. 1, ỳ. 23.

(97) Serius hic, quam patiatur veritas, Maximiani Herculii differuntur initia ; neque enim anno demum 291, sed jam inde ab anno 285 cæsar, ac deinde anno 286 augustus fuit creatus. Adi ad utrumque hunc annum in Criticis Pagium.

(98) De tumultu, a Bagaudis, Æliano et Amando ducibus, in Galliis anno, ut plerisque placet, 286 excitato, sermonem hic fieri, ex iis, quæ num. 10 sequuntur, fit perspicuum. Cæterum de Bagaudis videsis Operis nostri tom. 6 Septembris pag. 346 et seq. in Annotatis ad lit. b.

(99) Hunc fuisse Zabdam, censent nonnulli ; ast rectene, an secus, statues ex iis, quæ Operis nostri tom. proxime laudato pag. 347 in Annotat. ad lit. c, itemque tom. 2 Octobris in Comment., SS. Tyrsi, aliorumque MM. Trevirensium Actis præmisso, num. 108 sunt dicta.

(100) Si, ut infra biographus noster dilucide tradit, bello adversus Bagaudas, quod anno 285 aut certe non serius, quam anno 286 fuit confectum, in Galliis exorto, SS. Mauritius, « Gereon, Cassius, Florentius, Victor » eorumque socii martyrium sint passi, nequit sane, quod hic de Marcellino, Romano pontifice, abs illis consulto memorat, veritati esse consonum, cum hic ante annum 296 S. Petri cathedram haud occuparit

in procinctu militum, qui bellum quidem extrinsecus per obedientiam, pacem intrinsecus per innocentiam cogitabant; qui ad expugnandos Romanæ pacis inimicos arma ferebant, ad resistendum contra præmeditatas injurias, non ferri, sed fidei arma firmissima præparabant. Nam hanc suam Domino generaliter dicavere concordiam, ut contra hostes publicos edictis imperatoriis obedirent; contra susceptæ fidei religionem, imperatorem nullum agnoscerent, plusque vellent pro Christo vitam temporalem perdere, quam vitam æternam, Christum, Deum negando, temporaliter vivere. Nimirum unctione sancti Spiritus edocti, recolebant verba Veritatis, quæ de suis discipulis ad Patrem loquitur, dicens: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (1). Optabant simul anhelanti desiderio citius in se perfectum iri orationem illam Domini dicentis: *Pater, volo ut ubi ego sum, ibi sit et minister meus.*

10. Deinde Maximianus Augustus (2), coadunato exercitu, permisto tamen fidelium et infidelium cœtu, festinus Alpium juga transgrediens, Galliæ appropinquabat, soloque adventu suo Amando et Æliando ducibus tumultus memorati perterritis, seditionis illius tempestatem pertinaciter excitatam, facile sine sui exercitus damno sedabat (3). Comperto vero quod Carausius quidam nobilis, insidias contra Romani fines imperii moliretur (4), qui tamen procurator constitutus erat provinciæ, quæ est juxta Oceanum, ubi Franci, jam secundo a sedibus suis expulsi, juxta Gallorum et Saxonum confinia consederunt, misit illuc per Rheni fluminis alveum partem sui exercitus (5), cujus militari virtute nefarius cassaretur inceptus.

11. In quo itinere præcipuos belli dominici duces, Gereonem, Victorem, Cassium et Florentium A felices turmæ Christianorum militum sequebantur. Interea Maximianus, ferocissimus Christiani nominis persecutor, et tali tantoque agmine indignissimus ductor, statuto juxta radicem Alpium zeli idolo, in loco quem dicunt Octodorum (6), præcepit, ut omnis exercitus viritim festina celebritate concurreret, et a supplicatione diis, ut fatebatur, immortalibus agenda, communique lætitia se nemo, velut alterius sectator religionis, exciperet (7). Jam vero Gereonium præcesserat agmen, et fidissimi comitatus societatem præsentia corporali reliquit. Unde factum est, ut nuntium scelestissimi sacrilegii non audiret, seseque cum sanctissimis suis corporibus nostræ perpetuæ jucunditati servaret.

B 12. Ventum est ad locum constituti flagitii, ubi, dum copiosus Romanæ virtutis exercitus quasi pro religione surdis et mutis idolis inclinaretur, S. Mauritius cum sua legione non adfuit, quia interim, ut commilitones suos ad futura certamina roboraret, in locum spiritualis exercitii secessit. Quod dum rex avidus bonorum exitii, referente præcone, resciret, et persuasionibus callidis aciem divinam flectere non valeret, præcepit eam semel et iterum decimari (8), et si adhuc, qui remanerent, mori quam cedere mallent, omnem illam beatissimam legionem, ubicunque fuisset dispersa, missis militibus, statuit trucidari, hoc sane lictorum laborem pretio comparans, ut, quo quis plu- C res occideret, eo amplioribus spoliis se ditatum fuisse gauderet.

13. Hæc primum apud Agauni oppidum, ubi maxima multitudo sancti resedit exercitus, agebantur. Inde præcedentium secuti vestigia repererunt primarios milites Cassium et Florentium cum septem aliis similis constantiæ viris, juxta Veronam civitatem (9) in ripa Rheni fluminis consedentes, aliosque cum eis quamplurimos, ejusdem

(1) *Joan.* XVII, 3.

(2) Maximianus hic recte, si bellum adversus Bagaudas anno 286 fuerit confectum, vocatur « Augustus; » at non itidem, nisi forte per anticipationem, si jam inde ab anno 285 istud acciderit; neque enim tum augustus, sed cæsar duntaxat erat Maximianus.

(3) Solo adventantis Maximiani timore domitos fuisse Ælianum et Amandum, hic indicare videtur noster biographus; ast id non sine præliis, utut levibus, factum, Eutropius in Breviario lib. IX docet.

(4) Carausii rebellionem non serius, quam cum Maximiani in Bagaudas seu Ælianum et Amandum expeditio jam staret parata, evenisse, hic indicatur, sed perperam, cum hæc illam, uti in Comment. prævio num. 77 ex Eutropio docui, uno alterove anno præcesserit.

(5) Fuisse sane a Maximiano, cum in Alpibus adhuc consisteret, aliquot militum ac proin et Thebæorum turmas in Galliam, ut terrarum tractum, Rheno vicinum, contra hostes tutarentur, præmissas, a vero neutiquam abhorret.

(6) Quo loco Octodorum, itemque Agaunum S. Mauritii, eorumque, qui cum eo martyrium subierunt, palæstra, situm fuerit, apud nos tom. 6 Septembris in Comment., SS. Mauritii ejusque sociorum Actis præv., num. 1 et 2 exponitur.

(7) S. Mauritium ejusque socios ac dein etiam sanctos nostros, quod huic Maximiani præcepto obtemperare nollent, fuisse occisos, narrationis, quæ hic sequitur, serie indicatur, idque ipsum etiam quantum ad Mauritium ejusque socios, Agauni necatos, in interpolatis horum Actis, apud nos tom. 6 Septembris pag. 345, 346, 348 et 349 recusis, D diserte asseritur; verum in antiquioribus, quæ eidem Operis nostri tomo pag. 342 et seq. exstant inserta, S. Mauritii sociorumque Agaunensium MM. Actis a S. Eucherio, Lugdunensi episcopo, conscriptis, alia plane, ob quam hi martyrio fuerint affecti, num. 3 allegatur causa, videlicet quod, « cum . . . . . sicut et cæteri militum, ad pertrahenda » (duo apud Ruinartium codices habent « dilaniandam ») Christianorum multitudinem destinarentur, soli credulitatis ministerium detrectare ausi sint, atque hujuscemodi præceptis se obtemperaturos, « negarint. »

(8) Decimationem apud Romanos in militum seditiosorum suppliciis usitatam fuisse, ex Polybio, Julio Capitolino, Livio ac aliis Baronius in suis in Mt. Rom. hodiernum Notis ad XXII Septembris diem ostendit. Eum itaque consulat, qui de re isthac plura desiderat.

(9) Hic per Veronam, non Hollandiæ civitatem homonymam, haud procul Alcmaria olim sitam mo-

agminis, sed non ejusdem intentionis (10), satellites. Hos autem cum cognovissent de Orientali fuisse præsidio, sævientes contra eos, de professione fidei sciscitati sunt. Cumque illi nec voluntate cordis, nec sententia responsionis a superioribus discreparent, submissis capitibus, in eodem loco pro Christi nomine peremptí sunt.

14. Mox ad beatum Gereonem ejusque socios trecentos decem et octo, cum illo pariter fide veritatis armatos, persecutor nescio velocius, an fama pervenerit. Progressi tamen paululum ante subsequentes carnifices in campis Agrippinæ magnæ civitatis martyrii gloriam, sese invicem cohortantes, præstolati sunt. Quibus continuo supervenientes hi, qui missi erant a judice, nullam in eis defensionis causam vel a proposito deficiendi voluntatem, sed constantissimam nominis Christi invenerunt confessionem. Ibi beatus Gereon, dux et martyr egregius, cum illis Regis æterni vernaculis, edomitis omnibus, quæ ad hujus vitæ delectationem possent allicere, semetipsum spontaneus obtulit hostiam vivam Deo. Insani vero tortores, sanctorum ibidem corpora cruentantes, per campi illius planitiem traxerunt et in puteum quemdam magnum projecerunt (11). Monstratur autem usque hodie in loco, ubi S. Gereon trucidatus est, sanguinis ipsius spectaculum (12) et ipse locus, Ad Martyres, ab incolis acceptum servat vocabulum.

15. Hæc itaque dum agerentur, cohors illa, quæ beatum Victorem comitabatur, ad locum, cui destinata erat, properans, pervenit ad oppidum Francorum, quod ex majorum suorum sedibus Trojam sive Xantum nuncupabant (13), ibique cum duce suo castra in pratis virentibus posuit. Nec minus audaces illi cruentique milites affuerunt, et perempto illic fortissimo Christi milite Victore cum trecentis triginta martyribus, sancta eorum corpora in locis palustribus submerserunt.

16. Tandem optatis locupletati spoliis, cum exercitu reliquo, quia Carausius ille fugiens, sese in Britanniam transtulit, per viam, qua venerant, læti pro scelere regressi sunt. Eodem vero tempore de Mauritania, quæ est pars Africæ, finitimisque regionibus milites ab imperatore propter frequentes Gallorum tumultus evocati, in Galliam venerunt; quorum ibi simul trecenti sexaginta (14) pro fide catholica trucidati cum beato Gereone ejusque sociis beatorum corporum quietem et venerationem perpetuam delegerunt.

CAPUT II.

Ecclesia in S. Gereonis sociorumque ejus honorem exstructa miraculisque illustrata.

17. Post hæc Maximianus Augustus reversus in Italiam, suadente Diocletiano, ut cum ipso se transferret in otium, licet invitus, purpuram simul imperiumque, sed non tyrannidis usum deposuit (15),

doque excisam, sed Bonnam significari, in Commentario prævio num. 7 et 8 contra Miræum ostendi, ibidem etiam num. 10 adjectis quæ isthanc Germaniæ civitatem « Veronæ » quoque nomine sec. XI venisse, evincunt; iis autem addi adhuc potest inscriptio, a Gelenio de Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib. 3, syntagmate XII, pag. 363 adducta; in hac enim, in qua Volcmarus, ab anno 966 ad annum usque 969 Coloniensium archiepiscopus, laudatur, Bonna etiam vocatur « Verona; » quod sane, si, ut apparet, inscriptio illa vel vivente adhuc Volcmaro vel haud diu post ejus obitum fuerit confecta, sec. etiam X « Veronæ » nomine Bonnam venisse, argumento erit

(10) Hinc apparet, haud omnes, qui cum « SS. Cassio et Florentio » a Maximiano in Galliam fuerant præmissi, exstitisse Thebæos.

(11) Ita saltem Gregorii Turonensis ætate de quinquaginta, quos hic lib. 1 de Gloria Martyrum cap. 62 memorat, legionis Thebææ militibus credebatur, uti ibidem apud scriptorem illum licet videre.

(12) Hic verosimiliter designatur columna, SS. Thebæorum ac Maurorum, ut aiunt, sanguine conspersa, de qua Gelenius de Magnitud. Coloniæ pag. 260 sic scribit : « Tradunt prætereа, columnam ex theatro internecino SS. Thebæorum et Maurorum Martyrum superesse partem, eorumque sanguine conspersam, quæ in superiore parte laminam habet hac inscriptione visendam.

Adde fidem, fuit hic pridem fusus cruor idem,
Ad lapidem si dem me male, punit idem.

Verum, si « S. Gereon » in Theatro habuerit palæstram, qua ratione verum esse potest, fuisse illum, ut narrationis Helinandææ series indicat, in campo aperto necatum?

(13) Oppidum, de quo hic sermo instituitur, primo « Vetera, » dein « Bertinum » ac denique a « S. Victore » ejusque sociis, ibidem passis ac cultis, « Sancti » seu « Sanctum » vocatum fuit, postea interim id, cum posterioris hujus appellationis ratio haud sat haberetur comperta, nonnullis etiam ac nominatim hic Helinando, qui Trojanam Francorum originem credebant, idemque oppidum a Trojanis conditum, præpostero nimiæ antiquitatis amore abrepti volebant, « Xanthum » ac « Trojam Minorem » appellantibus.

(14) Apud Surium legitur « quinquaginta; » sed Ms. Audomarense, Petrus de Natalibus ac Mombritianum Passionis Sanctorum nostrorum compendium etiam habet « sexaginta; » cum autem id ita sit, ac 360 Mauri in S. Annonis Vita, in Comment. prævio plus semel laudata, etiam numerentur, codicis nostri lectioni hic standum videtur.

(15) Haud diu post Sanctorum nostrorum martyrium imperio et purpuræ nuntium remisisse Maximianum, hic indicari videtur; ast id verum esse non potest, si, ut supra tota narrationis serie pariter indicatur, Sancti nostri pro fide occubuerint, instante adversus Bagaudas bello. Id enim, ut supra docui, non serius quam anno 286, ac proin diu ante annum 305, quo Maximianus ac Diocletianus, uti modo inter eruditos convenit, imperio et purpuræ nuntium remisere, fuit confectum. Nec Maximianus, qui, quamvis post annum 286 sæpius e Galliis, post iteratas ibidem moras, in Italiam fuerit profectus, imperio ibidem, uti iterum hic indicatur, sed Nicomediæ in Bithynia nuntium remisit, tyrannidis adhuc usum, deposito imperio, retinuisse recte hic asseritur. Etsi enim S. Victoris Massiliensis, e quibus id utcunque probari posset, Acta, Massiliæ Sanctum hunc Maximiani jussu, cum hic illuc, quod anno 310 factum, vitæ simul et crimi-

et vice sua Constantium virum mitissimum, Italiæ, Africæ et Galliis Augustum esse constituit; Galerio vero cæteræ provinciæ delegatæ sunt. Sed Constantius Galliis Hispaniisque contentus, has magna mansuetudine gubernabat, et ecclesias Dei nullis molestiis infestabat (16). Cumque ipse, adhuc Maximiano vivente, in Britannia diem obiret, Constantino, filio suo, Christianæ religionis cultori præcipuo, provincias easdem regendas reliquit (17).

18. Qui, confortatus in imperio, dum regni Romani monarchiam per bella maxima obtinuisset (18), beatissimæ Helenæ matri suæ, honorandi et sublimandi sanctorum Martyrum sepulturas jus et potestatem, ipse per omnem pene terram eodem studio occupatus, contradidit (19). Cujus Deo dignæ matronæ in beati Gereonis monasterio (20) adhuc plurima servantur insignia, et, qualis ipsa fuerit, testantur ibidem apud ejus memoriam crebro repetita miracula.

19. Fecit sane inter plurima spectabilia suæ devotionis opera, super ejusdem sancti Martyris et sociorum ejus corpora, ubi etiam supra memorati sancti (21) Martyres ad singulare mœrentium et infirmantium refrigerium pausant, insignem neminique prorsus vel sententia sermonis explicabilem, vel arte operis imitabilem structuræ mirificæ et sublimis ecclesiam, quam ita metallorum fulgore et artificii varietate decoravit, muris etiam validis excelsisque firmavit, ut nihil supra per omnes illas regiones vel fuisse vel futurum esse, celebri sermone feratur.

20. Præter quod ligneam aliquam, vel quæ tam facile senio vel negligentiæ cedat, materiam habuisse negatur, cum marmoreæ soliditatis ibi tanta copia fuerit, ut opus totum columnarum illius generis firmitudine et pulchritudine fulciretur; aurei vero fulgoris in ea tantum emicuit, ut musiva foris et intus fulgens elegantia, nomen, Ad Aureos sanctos, ab incolis sortiretur (22). Quæ, quia per se summo rerum omnium Auctori placere non potuit, ut adhuc amplius et dignius resplenderet, plurimis idoneis laudis divinæ præconibus et ministris sibi congruentibus adornata est (23).

21. Igitur sanctus Maternus, Trevirorum episcopus, Agrippinæ Coloniæ ecclesiam primus pastor dignis gubernaculis ordinavit (24), cujus vitam multis claruisse virtutibus, gestorum ejus scripta commemorant. Hujus sedis antistes nobis cognitorum tertius, S. Severini confessoris Christi successor, nomine Evergisilus (25), quadam die, dum capitis dolore nimium cruciatus, ad memoriam beatorum martyrum Gereonis et sociorum ejus oratum accederet, et adhuc in sancti illius thesauri

nibus modum positurus accessisset, pro fide fuisse necatum, memoriæ prodant, iis tamen hac in re haud standum, uti, quæ Cuperus in Commentario, Sancti illius Actis prævio, num. 24 adducit, satis ostendunt.

(16) Qua ratione hæc de Constantio intelligenda sint, in Opere nostro loco non uno, ac inprimis ad IV Octobris diem in Commentario, SS. Tyrsi et sociorum MM. Actis prævio, num. 94 exponitur.

(17) Qui id, quod Pagius in Criticis anno 306 innectit, Constantio Chloro jam morbo, quo e vivis excessit, laborante, acciderit, Lactantius de Mortibus persecutorum cap. 24 narrat.

(18) Vocem hanc inter et proxime sequentem ponitur apud Surium: « Legibus Christianæ religionis per beatum Sylvestrum Papam initiatus; » ex hisce autem verbis, quæ tamen, cum in codice nostro non legantur, Helinandi fortassis non sunt, Constantini Magni per Sylvestrum Papam baptisma admisisse auctor videtur; ast, an Constantinus baptismate vere fuerit a S. Sylvestro initiatus, de et cap. 2 historicus de Sancto illo imperatore Commentarius, ad XXI, quo is in nonnullis Fastis sacris memoratur, Maii diem Operi nostro insertus atque a Papebrochio contextus.

(19) De S. Helena ad XVIII, quo hæc Mrt. Rom. hodierno inscribitur, Augusti diem actum apud nos jam est; anne autem, quod hic de potestate sanctorum Martyrum corpora elevandi, quam huic sanctæ matri suæ Constantinus Magnus impertierit, ac ipsemet per omnem terrarum orbem exercuerit, narratur, veritati certo consonet, statues ex iis, quæ ibidem in Comment., Actis S. Helenæ prævio, itemque in historico, quem ad lit. præced. laudavi, de Constantino Magno Comment. disputata sunt.

(20) Collegiata « S. Gereonis » Coloniæ ecclesia, aut, si mavis, canonicorum, quod huic addictum est, collegium olim, ut Gelenius de Colon. Agrippinensis Magnitudine syntagm. 2, § 1, ac Galliæ Christ. auctæ Scriptores tom. III, col. 722 docent, exstitit monasterium; hincque haud dubie sic etiam hic vocatur; id autem a S. Helena conditum fuisse, minime probant, de quibus hic sermo fit, insignia, utpote quæ ibidem possint non citius, quam jam aliquot post S. Helenæ ætatem sæculis elapsis, fuisse locata.

(21) Vocem hanc inter et proxime sequentem in Ms. Audomarensi et apud Surium ponitur « Mauri. »

(22) De nomine quo vocata fuerit Coloniensis « S. Gereonis » ecclesia seu basilica, Gregorius Turonensis lib. 1 de Gloria Mart. cap. 62 sic scribit: « Sanctos Aureos ipsam basilicam incolæ vocitare voluerunt. »

(23) Id, quod hic refertur, nec a quo factum fuerit, adjungitur, a Gelenio S. Helenæ attribuitur, sed sine ullo vade antiquo.

(24) De S. Materno, Trevirensi episcopo, ad diem, quo Mrl. Romano hodierno exstat insertus, XIV Septembris actum apud nos jam est, liquetque ex ibidem dictis, vera esse, quæ de illo hic memorat Helinandus.

(25) Inter S. Maternum et S. Severinum Coloniæ Agrippinæ sedit Euphratas; ut S. Evergislus, qui S. Severino in sedem Coloniensem proxime successit, non tertius, sed quartus fuerit hujus sedis antistes; ast hic illum « cognitorum sibi tertium » Helinandus fortassis vocat, quod Euphratas, veluti Ariana hæresi infectus, de episcopatu, ut nonnulli volunt, fuerit dejectus. Adi Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. III, col. 622 et seq. Porro Coloniensis, de quo hic agitur, antistes in Ms. nostro Audomarensi et a Surio, plerisque etiam aliis, quæ de illo loquuntur, monumentis litterariis consentientibus, vocatur « Evergisilus; » verum cum hic in codice nostro appelletur « Evergisilus, » quid ni factum esse queat, ut etiam « Eberegisilus, » modico dumtaxat inter utrumque hoc nomen discrimine intercedente, a Gregorio Turonensi lib. I *De gloria mart.* cap. 62 fuerit nuncupatus?

indicium fastigium nullum excelleret (26), versiculum in laudem sanctorum dici solitum, Exsultabunt sancti in gloria, ingrediens ecclesiam, inchoavit: cui protinus ex illo venerabili sanctorum corporum aditu responsum est: Lætabuntur in cubilibus suis. Quod cum pontifex stupefactus audiret, laudem Deo repente cum omnibus, qui aderant, conclamavit, et appropians, de loci illius pulvere capiti suo salutare remedium apposuit, et, consignato cum summa reverentia loco recessit (27).

22. Talia quidem plurima veridica relatione commemorari possent, si promissi compendii studia non arcerent. Non enim exinde erant, vel ibi sunt rara virtutum opera sed pene quotidiana, quorum multitudinem simul et magnitudinem admiratur, quisquis ejusdem ecclesiæ cultori cuilibet religioso colloquitur. Nam quicumque fide non dormitante qualemlibet ibi medelam expostulat, ipsam illic sanitatem voti compos semper adesse non dubitat. Similia suorum meritorum indicia SS. Victor, Cassius et Florentius cum suis commilitonibus crebro dare non desinunt, quæ nemo utique verbis, nedum scriptis, ad plenum exsequitur. In locis tamen suis, ubi mirabiliter frequentantur, uberius etiam sermonibus et fidis testimoniis celebrantur, quamvis ea, quæ vulgantur per singulos actitari, recte debeant meritis omnium simul adscribi.

23. Sancta vero Coloniensis ecclesia per suffragia sanctorum Martyrum, quorum corpora in suo gremio meruit fovenda suscipere, non desinit usque hodie fidem inviolatam excolere, quam a Materno, primo suo episcopo, se meminit suscepisse. Apud

(26) Ita, ni fallor, indicatur tum nullum adhuc e terra prominens monumentum, quod, quo templi Gereonæi loco « S. Gereon » ejusque Socii jacerent sepulti, indicaret, in templo illo exstitisse.

(27) Hisce Helinandi de S. Evergislo hic narratis respondet, quæ hujus biographus commemorat; ita tamen, ut postremum e duobus miraculis, quæ idem biographus dilucide refert, dumtaxat obscure ab Helinando proponatur. Ast, an vere omnia et singula, quæ ab Helinando et S. Evergisli biographo narrantur, adjuncta postremum istud miraculum comitata etiam fuere? Id, si laudato biographo et Helinando sit standum, S. Evergislo, Coloniæ Agrippinæ in « S. Gereonis » ecclesia existenti, evenerit; contra autem, si iis, quæ Gregorius Turonensis lib. I *De gloria mart.*, cap. 62, scribit, fides adhibenda sit, miraculum illud S. Evergislo, non Coloniæ Agrippinæ, sed in villa, civitati huic vicina, versanti, acciderit, nec pulvere, quem ipsemet, ut præfatus biographus ait, e Coloniensi « S. Gereonis » templo acceperit, sed quem inde acceptum diaconus ad illum attulerit, S. Evergislus capitis dolore prodigiose fuerit sanatus. Ast quid hic jam faciamus? Cum Gregorius, utpote sæculi VI scriptor, Helinando ac S. Evergisli biographo, quorum posterior verosimillime non citius, quam sæc. IX, prior sec. demum XIII floruit, multo sit antiquior, fueritque adeo a sæc. V, quo verosimillime, miraculum istud evenit, multo minus, quam illi, remotus, enimvero Gregorio hic potius, quam duobus istis scriptoribus est standum. Hinc porro, cum primum e duobus, quæ, ut dictum, S. Evergisli biographus et Helinandus narranti, miraculis S. Evergislo certe, ut consideranti patebit, non alibi, quam in Coloniensi « S. Gereonis » templo obvenisse queat, consectarium jam fit, ut id non tunc, cum capitis dolore S. Evergislus prodigiose fuit sanatus, sed vel ante, vel post, contra ac Helinandus et laudatus biographus docent, evenerit. Id verosimillime observarit Gelenius. Ita scilicet apparet, quod in sua, quam « De Coloniæ Agrippinensis magnitudine » inscripsit, lucubratione lib. III, syntagm. 2, § 1, sic scribat: « Ex horum » (miraculorum, quibus illustrata fuit « S. Gereonis » ejusque Sociorum Ecclesia) « numero est illud, quod B. Evergislo episcopo obvenit . . . ., qui cum acribus capitis seu cephalalgiæ doloribus conflictaretur, pulvere ad SS. hujus loci monumenta collecto eos sopivit, teste B. Gregorio Turonensi lib. I *Mir.*, cap. 62. Et angelorum præsidium Evergislus ibidem alias agnovit, quando hæc limina adiens venerabundus versu psalmi 148 Sanctos salutans, « Exsultabunt sancti in gloria, » angelos audivit responsantes: « Lætabuntur in cubilibus suis. » Porro Fisenus in ecclesiæ Leodiensis Historia ad annum 450, num. 38, hunc Helinandi locum commentans, de S. Evergislo sic scribit: « Sanctiora civitatis (Coloniensis) loca cum supplicabundus aliquando VI Id. Oct. lustraret, S. Gereonis ædem ingressus, beatos martyres e genibus salutabat, recitato hoc versu: « Exsultabunt Sancti in gloria: » statim vox hæc divinitus reddita est, ingenti multitudinis adstantis admiratione: « Lætabuntur in cubilibus suis; » simulque se divinitus edoceri sensit, ibi sanctorum Martyrum esse conditorium, unde vox prodire visa erat; et illum ipsum martyrii diem esse. Utrumque ad eam ætatem incognitum erat. » Ita ille; verum quis determinatus esse queat templi Gereonæi locus, quo sanctorum Martyrum esse conditorium, S. Evergislus divinitus didicerit? Gregorii Turonensis ætate in ecclesiæ Gereonææ medio puteum aut, ut verosimilius apparet, putei saltem, in quem, ut tum fama ferebat, quinquaginta martyres Thebæi post martyrium fuerant conjecti, partem adhuc exstitisse superstitem, e scriptoris illius verbis docemur; verum ibi Sanctorum illorum quinquaginta corpora fuisse adhuc S. Evergisli ætate condita, vero reddit absimile primorum Christianorum erga martyres veneratio, qua fuerit verosimillime, ne dicam indubie, factum, ut Thebæorum corpora, quæ in puteum fuerant conjecta, ex hoc haud diu post martyrium extraxerint, unaque cum aliis aliorum nostrorum Martyrum, cum « S. Gereone » occisorum, corporibus sepultura, ut decebat, honesta donarint. Ac id quidem in putei illius circuitu seu vicinia eo ipso loco, quo modo Gereonæum templum conspicitur, fuisse tum a Christianis factum, a vero etiam neutiquam abhorret; ast, etsi res ita habeat, omnia tamen illa corpora ibidem haud separatim ac sparsim, sed uno eodemque loco aggesta ac veluti uno tumulo conclusa fuisse, nemo facile credet, qui considerarit, quæ de Martyrum corporibus, quorum unum « S. Gereonis » a plerisque fuit creditum, Coloniæ Agrippinæ in Gereonæa ecclesia a S. Norberto inventis, Rudolphus, Trudonopolitanus abbas, in Epistola, ad postumæ Sanctorum nostrorum gloriæ calcem huc transferenda, memoriæ prodit. Quod cum ita sit, quid per locum, qui veluti commune « S. Gereonis » ejusque sociorum conditorium revelari, et a S. Evergislo summa cum reverentia consignari potuerit, hic Helinandus et Fisenus verbis supra huc transcriptis significatum velint, haud satis perspicio, certeque a S. Evergislo « S. Gereonis » corpus, contra ac posterior hic scriptor ibidem etiam in margine notat, haud fuisse inventum, vel ex eo liquet, quod id ante annum 1121, uti ex infra dicendis patescet, haud fuerit repertum.

quam consuetudo celebris inolevit, ut beatos martyres, Gereonem, Victorem, Cassium et Florentium, eorumque socios, trino martyrio coronatos, ternis locis venerabiliter conditos, una die, id est sexto Idus Octobris, festivitate congrua venerentur, cum tamen dubium sit, utrum uno die, an duobus, eorum martyrium compleretur, quia Verona, supremus memorati martyrii locus, non minus viginti sex millibus ab elegantissima sancti Victoris basilica distans, aliter hoc uno die, nisi per festinum nimii furoris impetum, fieri posse, maxime propter moras in locis singulis necessarias, credere vetat (28).

24. Hujus itaque diei gaudia, fratres, ita modo celebremus annua, ut fiant nobis illorum intercessione continua; sic illorum gloriæ gratulemur, ut, quoscunque possumus, nobiscum pariter doctrinæ A verbis et bonorum operum exemplis in charitate non ficta lucremur. Ut enim per quemdam mundi hujus sapientem dictum est, amicos quoslibet eadem velle, et eadem nolle, ea demum firma amicitia est et si nos sancti Martyres, patroni nostri, in ea voluntate, qua ipsi fuerunt, ad se clamantes et de se loquentes invenerint, profecto nos non ut alienos, sed ut proprios et domesticos respicere non dedignabuntur, causamque nostram sua dilectione, qua perpetuo flagrare non desinunt, suam arbitrabuntur. Ita fiet, ut et in præsenti sæculo necessariis non destituamur auxiliis, et in futuro sempiternis eorum jungamur consortiis, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto Deus vivit et regnat in sæcula sæ- B culorum. Amen.

(28) Quod ad viginti sex millia seu milliaria, quibus hic Helinandus Veronæ seu e supra dictis Bonnæ a « S. Victoris » ecclesia seu Sanctensi oppido distantiam metitur, spectat, leucas Gallicas per millia, de quibus loquitur, verosimillime intelligit. Utut sit, de Germanicis equidem, cum Bonnam inter et Coloniam Agrippinam quatuor ad Summum aut etiam duntaxat tres leucæ Germanicæ communes, ac fere tantummodo duodecim postremam hanc civitatem inter et oppidum Sanctense intercedant, interpretandus non est.

HELINANDI

FRIGIDI MONTIS MONACHI

CHRONICON.

LIBER QUADRAGESIMUS QUINTUS *.

(29) *Anno Christi* 634. Romani et Saraceni vario C eventu confligunt. Oswaldus et Oswinus successores Edwini a Cendwala perimuntur, apostatæ facti. Dagobertus Sclavos bello devincit. 635. Severinus papa obiit IV Nonas Augusti, et cessavit episcopatus mensibus 4, diebus 24. Post quem LXXIV sedit Joannes hujus nominis quartus, natione Dalmata, ex Patre Venantio scholastico, anno 1, mensibus 9, diebus 28. Hic misit multas pecunias per Istriam et Dalmatiam, ad captivos redimendos : fecit ecclesiam sanctis martyribus Venantio, Anastasio et Mauro et aliis, quorum reliquias de Dalmatiis adduci fecit. Fecit episcopos 18. Post Ebubeher regnavit Haumar annis 12. Saracenis Syriam incursantibus, Heraclius crucem Domini ab Jerusalem Constantinopolim transtulit. Oswaldus filius Edelfridi regis regno Nordanimbrorum suscepto Cendwalam regem Britonum peremit; et quia fidem Christi firmiter tenuit, super omnes Britanniæ reges eminuit. Hic apud Scotos Christianus factus est, et quatuor linguarum gentes, Pictos, Scotos, Britones, Anglos, sub ditione accepit. Octo annis regnavit. Eo tempore cultus idolorum in Anglia ad cineres torpuit. Aidanus episcopus, sancti Colum-

* Deest initium. « In autographo enim auctoris, apud cœnobitas Frigidi Montis asservato, inquit D. Tissier (*Biblioth. Patr. Cisterc.*, VII, 73), hæc ultima pars inchoatur a quaternione 79 et desinit in 84; desunt itaque 78 et solum supersunt 6. » — De variis fontibus e quibus hausit Helinandus, vide *Patr.*, t. CLX, a col. 120.

(29) In hac ultima parte Chronicorum Helinandi, quam edidimus, solet ipse Sigebertum ducem sequi, ejusque verba refert, et quasi sua facit. Quando autem iis sua addit, hanc vocem in autographo præponit, *Auctor*. Quia tamen dubium sæpe est, D quousque verba sua extendat Helinandus, et an continuet sermonem; vel novum textum Sigeberti inchoet, ideo frequentissime voculam illam *Auctor*, alioqui etiam importunam, omisi. Quando tamen illam necessariam judicavi, apposui.

bani discipulus, a Scotia veniens, apud Anglos claret sanctitate et doctrina. Hic quando verbum faciebat ad populum Scotica lingua, si deerat interpres, ipse rex Oswaldus indutus veste regia, interpretis officio fungebatur. Idem ipse rex cibos sibi propter pauperes subtrahebat

Dagobertus Vascones bello devicit. 636. Joannes papa obiit 3 Idus Octobris, et cessavit episcopatus mense 1, diebus 10. Post quem LXXV, sedit Theodorus, natione Græcus, ex patre Theodoro episcopo de civitate Jerosolyma, annis 6, mensibus 5, diebus 25. Fuit amator pauperum, largus et benignus super omnes, et multum misericors. Hujus tempore Mauritius cartularius interfectus est a militibus Isachii; cujus caput positum est in stipite in loco Ravennatis ad exemplum. Non multo post defunctus est Isachius, pro quo missus est Theodorus patricius exarchus ad regendam Italiam. Tunc venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Constantinopolitanus patriarcha, ad limina apostolorum; et obtulit libellum, in quo condemnabat, quæ a se vel a suis decessoribus scripta erant contra fidem catholicam : quem papa Theodorus in sedem restituit; qui, postea reversus ad vomitum et condemnatus ab eodem Theodoro, reversus est in Orientem. Tunc levata sunt corpora sanctorum Primi et Feliciani de arenario via Numentana, et posita in ecclesiam Beati Stephani. Fecit et oratorium sancto Eupillo martyri, deposuit Paulum Constantinopolitanum hæreticum. Fecit episcopos 46. Saraceni capta Damasco Phenicem et Ægyptum occupant. 637. Florebant in Francia hoc tempore tres fratres, Ado, Rado, Dado, qui et Audoenus; qui singuli singula cœnobia fundaverunt : ex quibus Dado erat referendarius Dagoberti regis. Referendarius autem dicebatur, ad quem publicæ conscriptiones referebantur, ut per eum regis annulo signarentur. Hos ad hoc animarat Eligius aurifex, jamdudum in aula regis Lotharii clarus; qui etiam ex dono Dagoberti regis Solemniacum monasterium construxit : ubi sanctus Remaclus ab Aquitania veniens, se in Christi tyrocinio sub eo exercendum dedit. Sanctus autem Audoenus intra Briegensem saltum cœnobium construxit, quod Resbatis dicitur; in quo sancta Aurea claruit, quam sanctus Eligius monasterio virginum Parisius a se constructo præfecit.

638. Saraceni Jerusalem biennio a se obsessam capiunt; sanctus Amandus Tungrensi episcopatu post habito, verbi instat officio. Sub hoc sanctus Laudoaldus floruit; qui filium Apri viri illustris Lambertum a puero imbuens, in viam Dei induxit. Romaricus abbas, et Goerricus Metensium episcopus clarent. 639. Saraceni Syriam occupant. Judæi in Hispania Christiani efficiuntur. Sisebutus enim Visigothorum rex gloriosissimus plurimas in Hispania provincias, et multas militiæ urbes sibi bellando subjecit, et Judæos in suo regno ad fidem Christi convertit. Saraceni Antiochiam capiunt.

640. Dagobertus filium suum Sigibertum Austrasiis regem mittit, sub tutela Pipini et Chuniberti episcopi. Sanctus Arnulphus ex majore domus Metensis episcopus, et ex episcopo solitarius dormit in Christo. Hic Arnulphus, ait Petrus Damianus, pater Pipini fuit et avus Caroli Magni. Hic non procul a Flandria in Lotharingia ducatum tenebat. Qui, cum uxoris et filiorum affectus postponens, eremum peteret, contigit ut per fluvium Mosellam transitum haberet. Ad cujus pontis medium veniens, ubi fluvius profundior est, ibi annulum suum sub hac fœderis conjunctione projecit. Cum ego, inquit, annulum hunc reperero, tunc ego procul dubio confidam me esse peccatorum meorum nexibus absolutum. Quo facto, eremum petiit, ubi non parvo tempore mundo mortuus, Deo vixit. Interea defuncto Metensi episcopo, electus est; dumque esu carnium abstineret, sicut in eremo consueverat, piscis ei præsentatus est; quem cocus exenterans annulum reperit, quem lætabundus domino suo obtulit. Quem ille statim recognovit. Est autem bidui iter a ponte in quem annulus projectus fuerat, usque ad locum in quo piscis episcopo præsentatus est. Tum vir Dei magis tremefactus, et arbitratus se Deo amplius debitorem, quo magis ejus bonitatem experiebatur; eligens sibi successorem, rursus eremum petiit : ibique defunctus est. Hujus filius Clodulphus post Metensis episcopus, sanctitatem patris imitatus est. Doda, mater ipsius Cleodulphi, Treviris inclusa est. Eadbaldo Anglorum rege mortuo, qui regnavit annis 25, Combertus filius ejus, ex Emma filia regis Francorum susceptus regnat annis 24, vel secundum alios 25. Qui religiosus in Deum, pius in patriam, justus in omnes, omnia templa et sacella deorum complanavit ad solum; præcepitque per omne regnum quadragesimale jejunium observari. Hujus filia Etagota apud Kalam monasterium Galliarum sanctimonialis et sancte vixit. 641. Saracenis Persæ iterum confligunt et vincuntur; et Hormisda rege eorum fugato Saraceni totam Persidem sibi subjugant.

642. Heraclius imperator moritur, post quem Constantinus filius ejus imperat; qui quarto mense imperii sui, a Martina noverca sua et Pyrrho patriarcha, veneno extinctus est; et Martina cum filio suo Heraclona imperium arripit. Sub quibus Cyrus Alexandriæ, Sergius et Pyrrhus regiæ urbis episcopi, hæresim instaurantes, unam operationem in Christo divinitatis et humanitatis, statuunt. Beda statim post Heraclium ponit Heracleonem, cum matre sua Martina : post hos Constantinum fratrem Heraclii, quem dicit regnasse mensibus 7. Sub his autem Paulum Pyrrhi successorem aperta persecutione catholicos partim carceribus, partim exsiliis, partim verberibus affecisse. Post Constantinum dicit idem Beda Constantinum filium ejus regnasse annis 28. Sisebodo Visigothorum rege mortuo, Suliulam regnat annis 2. Dagobertus

Saxonibus contra Winidos sibi auxiliantibus annuum tributum quingentarum marcharum eis indulget. Heraclonas, abscisso naso, et mater ejus, abscissa lingua, exsiliantur : post quos Constans qui etiam Constantinus filius Constantini regnat annis 26. 643. Oswaldus rex a Penda Merciorum rege perimitur. Hujus dextera multarum eleemosynarum largitrix cum brachio et cute et nervis incorrupta jacet, toto reliquo corpore in cineres dissoluto. Excitata rebellione a Penda rege Merciorum, ipse Oswaldus fraternam salutem in pectore gerens, pro animabus fidelium suorum Deo supplicabat. Hujus defuncti brachia cum manibus et capite insatiabilis victoris ira desecta, et stipiti appensa sunt; brachium cum manibus, adhuc inviolata durant. Quæ a fratre Oswio apud urbem Banbamberch compo- B sita in scrinio, monstratur pro miraculo. Caput Lindisfarni humatum a fratre, nunc Dunelmi esse dicitur, inter brachia sancti Cuthberti. Ossa reliqui corporis cum regina Ostricula uxor Regebredi regis Merciorum, filia regis Oswii charitate patrui ducta, Bardonio monasterio suo, quod est in regione Merciorum, non longe a Lincolnia civitate inferre vellet, expulerunt eam monachi, invidentes mortuo quietem ossium, quia super eos bellico jure regnum acceperat. Sed, nocte intempesta, per lucernam de cœlo super reliquias emissam, ultro petierunt, quam ante rejecerant. Ibi ex cadenti sanguine revixit cespes, quo sanatus est sonipes, et quem affixum sinuosis anfractibus ignis inta- C bundus effugit. Pulviculus lavaturæ reliquiarum ejus mentis impotes sanat. Stipes qui innocentem cruorem susceperat, lotura sua sanitatem tribuit desperatis. Hujus filius Oswinus regnavit post eum annis 27. Judicael rex Britonum gratiam Dagoberti sibi redimit.

644. Haudmar Ammiras templum suum in Jerusalem ædificat : et quia structura nullomodo consistere poterat, suggestione Judæorum crucem desuper montem Oliveti tolli imperat : et tunc structura stare potuit. In Hispaniis Suitilan ob crudelitatem suam a Visigothis reprobato, Sisenandus per auxilium Dagoberti sublimatus in regem, regnat annis 20. 645. Dagobertus rex moritur in villa Espinensi, pago Parisiensi; sepultusque est in basilica D Sancti Dionysii. In quibusdam chronicis dicitur, quod Dagobertus obiit anno Domini 641. De quo per visionem cuidam revelatum est, quod anima ejus ad judicium, et multis sanctis contra eam de exspoliatione ecclesiarum suarum reclamantibus, cum eum mali angeli vellent ad pœnas inferni rapere, interventu sancti Dionysii, cui maxime devotus fuerat, liberata est. Post quem Clodovæus filius ejus regnat annis 17. Sigeberto fratre ejus jam regnante in Austria. Hujus Clodovæi major domus fuit Hercanoaldus. Hic Clodovæus habuit uxorem de genere Saxonum, Bactildem nomine. 646. Sanctus Remaclus fit Trajectensium episcopus. Rodoaldus, frater Ittæ et avunculus sanctæ A Gertrudis, archiepiscopus Trevirensis, sanctitate et doctrina claret in eadem urbe; soror ejus Severa abbatissa. Post Rotharith apud Longobardos regnat filius ejus Rodoaldus annis 5. Pipinus major domus moritur : cui succedit filius ejus Grimoaldus in aula Sigeberti regis. 647. Persa quidam simulans se velle adorare Haudmar, infixo in ventrem ejus gladio perimit eum : post quem Hothmen regnat annis 10.

648. Theodorus papa obiit 2 Idus Maii; et cessavit episcopatus mensibus 5, diebus 18. Post quem sedit 76 Martinus de civitate Tuderrina provinciæ Thusciæ, annis 6, mense 1, diebus 27. Saraceni Africam occupant. Sigebertus rex Radulpho Thuringorum duci bello concurrit. Sanctus Furseus in Hibernia claruit : qui pro Christo peregrinatus in Gallia, a Clodovæo rege Dagoberti filio honorifice susceptus, Latiniacum cœnobium fundavit. Quem non multo post fratres sui Foillanus et Vultanus pari voto peregrinationis secuti, per Gallias claruerunt. Ex quibus Foillanus dono Gertrudis virginis Fossense monasterium postea fundavit, ubi etiam martyrio coronatus quiescit. Hic Furseius aliquando infirmatus cum se tenebrarum caligine circumdari vidisset : quatuor manus desuper ad se extensas conspexit, tenentes illum per brachia, pennis subvolantes : erant enim sub pennis. Tertium quoque angelum vidit armatum scuto candido, fulgore, gladio ac claritate præcipuum. Hi tres canebant, uno incipiente : *Ibunt sancti de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion* (*Psal.* VIII). Eratque in carmine elevatio, et ad finem positio. Audiebat quoque aliud quasi ignotum canticum multorum millium angelorum, unde pauca vix poterat intelligere. Exierunt autem obviam Christo. Tunc unus ex supernis jussit armato præcedentique angelo ad corpus reducere virum, suamque secum debere deferre sollicitudinem. Illis ergo redeuntibus, tunc primum Furseius se exutum a corpore agnoscens, nolebat reverti, nec ab eis separari. Cui angelus respondit : Ad te completa prædicta sollicitudine revertemur. A vespertina hora usque ad gallorum cantum mortuus fuerat. Reviviscens autem, statim petiit et accepit sanctam communionem, vixitque infirmus illo die et altero. Media vero nocte tertia feria manibus in oratione protensis mortuus est : viditque tres illos angelos, duos a lateribus, tertium armatum ad caput. Levantibus illum angelis, audivit unum dæmoniorum dicentem : Antecedamus, et bella ante faciem ejus commoveamus. Tunc cœpit diabolus subtilissime accusare, dicens, scriptum est : *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, digni sunt morte* (*Rom.* I). Iste toties consensit quoties non restitit. Angelus : Restitit cum potuit, et cum resistendum putavit. Diabolus : Otiosos sermones sæpe protulit. Angelus : Nisi principalia protuleris crimina, propter minima non peribit. Diabolus : Scriptum est : *Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet*

vobis peccata vestra (*Matth.* XVIII). Angelus. Ubi se vindicavit? Diabolus. Non est scriptum, si vindicetis, sed si non remiseritis de cordibus vestris. Angelus. Judicemur ante Dominum. Diabolus. Scriptum est: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*ibid.*). Hoc iste non implevit. Angelus. Ubi superbivit? Diabolus. Non est scriptum, non superbiatis, sed: *nisi conversi fueritis*, etc. Angelus, Judicemur ante Dominum. Diabolus confusus recessit. Tunc dixit ei Angelus: Respice mundum. Et respiciens vidit quatuor ignes in aere aliquibus spatiis a se distantes, mendacii, cupiditatis, dissensionis, impietatis et fraudis. Unusquisque accendit alium. Cum ergo timeret Furseius ab illis ignibus, ait angelus: Quod non accendisti, non ardebit in te. Tunc Angelus divisit flammam in duos muros, et vidit Furseius ex adverso quatuor dæmonia, quorum unus dixit: *Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis* (*Luc.* XII). Angelus. Quid de voluntate Domini sui non fecit? Dæmon. Dona iniquorum recepit. Angelus. Credidit quod egissent pœnitentiam. Dæmon. Ante debuit probare pœnitentiam et perseverantiam, et sic suscipere. Et adjecit: Omne delictum, quod non purgatur super terram, in cœlo dixit Deus vindicandum. Hic homo non purgavit se de hoc, nec hic vindictam recipit. Angelus. Quandiu speratur pœnitentia, hominem comitatur Dei gratia. Dæmon. Non est hic locus pœnitentiæ. Angelus. Nescitis occulta Dei judicia: fortassis erit. Dæmon. Scriptum est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Rom.* XIII). Angelus. Vir iste in proximos suos operatus est bona. Dæmon. Non sufficit homini, nisi sicut semetipsum eos dilexerit. Angelus. Fructus dilectionis est, bona operari. Dæmon. Sed verbum diligendo non implevit. Angelus. Judicemur ante Dominum. Dæmon. Promisit se sæculo abrenuntiare, et contra præceptum Apostoli dilexit mundum. Angelus. Non sibi soli dilexit ea quæ mundi sunt, sed omnibus indigentibus. Dæmon. Qualicunque modo diligatur, contra præceptum Apostoli est, et contra sponsionem in baptismo. Angelus. Judicemur ante Dominum. Dæmon. Scriptum est: *Nisi annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III). Hoc iste non fecit. Angelus. De hoc tempore scriptum est: *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus pessimum est* (*Prov.* XI). Quando enim auditores despiciunt verbum, lingua doctoris præpeditur, dum videt quod audita prædicatio despicitur. Dæmon. Iste tamen usque ad mortem annuntiare debet veritatem. Angelus. Judicemur ante Dominum. Victis dæmonibus angeli clamabant: Nullus labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis acquiritur. Post hæc Furseius vidit duos episcopos Beatium et Medanum loquentes cum eo, et credebat eos mortuos; cumque delectarentur in audiendo cœlestia carmina, ait ad angelum: Magnum est gaudium, hæc auscultare. Cui angelus: Hoc auditu pro mysterio dispensationis humanæ sæpe privamur; ne quod annuntiando laboramus, dæmonia corrumpendo humana corda dissipent. Tunc vidit illos duos præsules quasi a summo cœli exire, et sibi præcipere redire ad sæculum. Cum autem transiret per ante ignes præfatos, vir unus de igne prosiliens, dæmonibus illum projicientibus super humerum ejus, maxillam suam maxillæ ejus imprimens incendit. Hic erat vir, qui moriens vestimentum suum illi donaverat. Cui Angelus: Quod incendisti, hoc arsit in te, quamvis propter animam ejus liberandam suscepisses. Prædica ergo, quod nil substantiæ peccatoris in peccatis suis mortui suscipiendum est, nec corpus ejus in sancto sepeliendum est loco. Deinde vidit in pectore suum corpus aperiri, et sic revixit. Prædicavit populis Gothorum per decem annos, prædicans in Hibernia cum paucis fratribus, per Britanniam in Saxoniam transvectus, et a rege Sigeberto honorifice susceptus: ubi ei monasterium ædificavit, quod commendavit fratri suo Foillano, et ipse profectus est ad Vultanum eremitam fratrem suum, cum quo faciens annum unum, ad Galliam perrexit. Ibi susceptus est a Clodovæo rege et patricio, et monasterium construxit in loco qui dicitur Latiniacus.

649. Eligius Noviomensis episcopus, et Odoenus Rothomagensis clarent, et Philibertus de Herio insula, et Richarius Pontivensis, et Geremarus Flaviacensis abbates, et Angadrisma secus Belvacum, et Ansegisus filius sancti Arnulphi, cui Begga soror Grimoaldi nupserat. Horum Richarius natus est in villa Crintula provinciæ Pontivæ, qui de rustico factus est vir religione notissimus. Conversus est ad magnam religionem per Caidocum sacerdotem, quem de Hibernia venientem hospitio suscepit. Vescebatur pane hordeaceo cinere commisto, et aqua lacrymis temperata: leprosos balneis fovebat, et eadem post ipsos intrabat. Prædicavit in Britannia. Equo quo utebatur diabolus immisit insaniam, quo per orationem ejus sanato et relicto, deinceps asello usus est. Floruit temporibus Dagoberti regis et filiorum ejus. Obiit VI Kalendas Maii. Vitam vero beati Eligii scripsit sanctus Audoenus. Hic Eligius natus est in territorio Lemovicæ urbis villa Catalasensi, quæ distat a præfata urbe circiter sex millibus. Pater ejus Eucherius, mater vero Terrigia dicta est. In cujus alvo cum ille adhuc esset, vidit mater ejus in visione aquilam valde pulchram supra suum volitare fetum, ac se tertio inclamantem, sibique nescio quid pollicentem. Traditus est puer viro honorabili Albano fabro aurifici, qui in urbe Lemovica publicam monetæ fiscalis gerebat officinam. Post aliquot annos relicta patria Franciam adiit; et factus est notus cuidam thesaurario regis Clotharii, Bolboni nomine. A quo rege accepto auro et gemmis ad unius sellæ opificium, Eligius inde perfecit duas. Quarum unam perfectam prius obtulit regi, deinde alteram dicens: Quod ex auro superfuerat, ne perderetur huic operi aptavi. Ex

hoc factus est honorabilis in palatio regis. Erat autem statura prolixus, facie rubicundus, cæsarie formosus, crine circillatus, angelici vultus, simplicis et prudentis aspectus. Aurato et gemmato imprimis habitu nitens, zonas habens comptas ex auro et gemmis, lineas metallo rutilas, botas [*forte* hocas] sarcburum auro opertas, vestimenta omnia pretiosa, pleraque holoserica; ob ostentationem fugiendam intrinsecus ad carnem cilicium. Quæ omnia postea in egentium necessitatibus consumpsit; deinde vilibus vestibus usus est, funiculo cinctus, plerumque propter pauperes etiam exspoliatus: cui rex tunc dabat proprium vestimentum et cingulum: quia sicut animam suam, ita illum diligebat. Unde et illi fecerat mansionem suæ subjunctam. Rex quoque Dagobertus pulcher et inclytus, cui in cunctis retro Francorum regibus nullus similis fuit, ita diligebat illum, ut frequenter se ab optimatibus subtrahens, Eligium solus frequentaret: a quo quidquid Eligius postulabat, sine dilatione impetrabat; et omnia expendebat in egenos, et captivos, et debiles. A tempore autem Brunichildis reginæ usque ad tempora Dagoberti Simoniaca pestis in Gallia viguit: pro qua auferenda tunc sollicite invigilabant Eligius et Audoenus. Tunc electus est Eligius Ecclesiæ Noviomagensi post Acatium ejusdem urbis antistitem: cum quo pariter electus est Audoenus sodalis ejus ad Ecclesiam Rothomagensem. Præfuit autem Eligius Viromandensi metropoli, Tornacensi quoque quondam regali civitati, Noviomagensi quoque et Flandrensi, Gandensi, et Corturiacensi: et in uno die consecrati sunt ipse et Audoenus a Deodato Mettamensi episcopo, tertio anno Clodovei Junioris, die Dominico, ante letaniam. Habebat autem Eligius sequestratum statutum locum, in quo certis quibusque diebus egenos ac debiles intromittens, devote illis serviebat, squalentia capita illis lavans, ac deformem cæsariem manu propria radens, potum singulis ac cibum præbens, nudos vestitos dimittens. Quibus exeuntibus, alios, si adessent, intromittebat: quos similiter refovebat. Quod si plurima turba conflueret aliquando, cunctis similiter faciebat. Singulis autem diebus duodecim sic reficiebat, ipso cum eis hora congrua convescente, ita tamen, ut prius singulis aquam manibus funderet, vinum et panem manu propria præberet. Ædificavit in Noviomo monasterium ancillarum Christi. Corpus sancti Quintini revelavit per eum Dominus. Sed antequam fieret episcopus, erat in palatio regis Mauritius quidam, habitu religiosus, et cantor laudatus; et ob hoc mente tumidus, corde protervus, actione dissipatus. Qui cœpit jactare se inventurum corpus hujus pretiosi martyris: sed mox ut terram sarculo sarrire cœpit, manubrium fossorii manui ejus inhæsit: qui opus cœptum relinquens, sequenti die e manibus suis vermibus ebullientibus miserabiliter exspiravit. Hujus sancti martyris corpus cum invenisset Eligius, immenso lumine, et inenarrabili

A odore percussus, vix subsistere potuit. Nam globus splendoris qui tumulo ad ictum ferientis processit, cunctorum astantium obtutibus retusis, partem maximam regionis illius in diei claritatem mutavit. Erat autem media nox, obscura valde et caliginosa. Ex hujus sancti martyris maxilla Eligius dentem pro languentium medela abstulit: et de radice dentis quantitas sanguinis exivit. Clavos quoque miræ magnitudinis in cerebro ejus et cæteris artubus infixos, pro reliquiis abstraxit, et sibi delegavit. Deinde holoserico pretiosissimo corpus martyris obvolutum, cum summa diligentia circa altare transposuit. Tumbam quoque ex auro et argento et gemmis desuper miro opere fabricavit. Ecclesiam quoque, quæ videbatur exigua, amplifice decoravit.

B Post hæc grandi labore atque instantia invenit in territorio Medenatense in loco salcisno sanctum martyrem Piatonem. Cui similiter clavos prolixos e corpore ablatos populus in argumentum monstravit. Suessionis quoque invenit sanctos martyres germanos Crispinum et Crispinianum: quos ex quadam crypta prolatos mirifice composuit. Sed et in Belvacensi municipio beatum martyrem Lucianum, quondam collegam sancti Quintini, inventum similiter transtulit atque composuit. Apud Parisius cæcum illuminavit in ponte. Rursus apud Parisius custos Sanctæ Columbæ nuntiavit ei, ecclesiam suam omni ornatu suo nocte a furibus fuisse spoliatam. Tunc Eligius pergens ad oratorium Sanctæ Columbæ, ait: Audi, sancta Columba, quæ dico.

C Novit Redemptor meus, nisi cito ornamenta tabernaculi hujus furata reduxeris, spinis allatis faciam januam hanc ita obserari ut nunquam tibi in hoc loco veneratio præbeatur ab hodie. Quo dicto discessit. Sequenti die custos maturius surgens invenit omnia vela, usque ad minimam pallam, sicut prius fuerant, restituta. Præterea obtinuit apud regem, ut omnia damnatorum corpora, ubicunque invenire potuisset, sive per villas, sive per civitates, licentiam haberet de bargis et rotis et laqueis deponere et sepelire: delegavitque ex collegiis suis vespillones, qui huic curæ insisterent. Igitur cum esset in comitatu regis in partibus Austriæ apud urbem Strato-burgo, invenit

D hominem ipso die vitam laqueo finisse, et cui dum sepultura a comitibus pararetur, ipse accessit propius, et cœpit palpare corpus, a summis usque ad ima mulcendo. Cumque sensisset adesse animam, urbane virtutem facti a se repellens, dixit: O quam grande scelus, nisi Dominus adjuvisset, perpetrare poteramus! ut corpus hoc humo tegeremus, cum anima ejus in ipso sit. Quem resuscitatum jussit vestiri, et repausari. Quo audito, insectatores ejus iterum eum ad mortem petebant: quem vix ab eorum manibus eripuit; et se ab ejus collegio subtraxit, propter vitandam gloriam; et chartam securitatis apud regem impetravit pro eo. Hæc sunt autem sepulcra, quæ auro et argento et gemmis fabricavit: Germani, Severini, Piatonis, Antici,

Luciani, Genovefæ, Columbæ, Maximiani et Juliani, A et præcipue beati Martini Turonis: Dagoberto rege impensas præbente; necnon et tumbam sancti Brictionis, et aliam ubi corpus beati Martini dudum jacuerat; et mausoleum sancti Dionysii martyris Parisius civitate, et tugurium super ipsum marmoreum miro opere auro et gemmis, cryptamque, et species de fronte, et axes in circuitu throni altaris auro operuit: et posuit in eis poma aurea rotundilia atque gemmata; lectorium etiam et ostia diligenter operuit de metallo argenti. Sed et tectum throni altaris axibus argenteis operuit. Fecit quoque ripam in loco anterioris tumuli, et altare extrinsecus ad pedes sancti martyris fabricavit, quod pene singulare est in Galliis ornamentum, et in magna omnium admiratione usque in hodiernum B diem. In eadem ecclesia sancti Dionysii sepultus est rex Dagobertus sub arcu in latere dextro.

650. Itta, relicta Pipini, monitu sancti Amandi se et sua Deo devovens, monasterium Nivellense fundavit: eique filiam suam Gertrudem Deo dignam virginem præfecit. Authbertus Cameracensis episcopus claret. (651.) Sigebertus rex de prosperitate prolis desperans, duodecim monasteria hinc inde Deo construxit. In quibus Stabulaus et Malmundarium eminebant; cooperante sibi in his majore domus Grimoaldo, et Trajectensium episcopo Remaclo; qui non multo post pertæsus sæcularium tumultuum, in ipso Stabulaus monachicæ vitæ assumpsit habitum. Florebat tunc sanctus Landelinus, qui et Morasus, ab Authberto Cameracensi C episcopo ex prædone conversus ad Christum, et a beato Martino papa ad prædicandum ordinatus, fundator cœnobiorum Lobiensis Alnei, Vallaris, atque Crespiniensis, ubi corpus ejus requiescit cum discipulis suis Adeleno et Domitiano. Florebat etiam tunc Gislenus Cellensis, Madelganus dux, qui et Vincentius Altimontensis, et Sonogoensis, ejusque conjux Waldetrudis Castrilocensis, sororque Waldetrudis Aldegundis Melbodiensis; Trudo etiam Hasbaniensis in tyronem Christi adolescebat. Præter hos etiam multi de Anglia et Scotia in Galliis peregrinantes, scilicet Erto, Bertuinus, Eloquius. Cœnobium Floriacense a Leodeboldo abbate fundatur; ubi non multo post corpus D sancti Benedicti ab Agilulfo monacho a castro Cassino delatum transportatur. Corpus vero sororis ejus sanctæ Scholasticæ Cenomanis transfertur. Post Rodoaldum Longobardis regnat Ariperth annis novem. (652.) Constantinus imperator a Paulo episcopo Constantinopolitano deceptus, nec unam, nec duas voluntates aut operationes in Christo diffinit esse confitendas: quasi nihil velle, aut operari credendus sit Christus. Ob hoc ipse Paulus episcopus altare sedis apostolicæ, quod erat sacratum in domo Placidiæ subvertit. Martinus ergo congregata Romæ synodo episcoporum 105, anathematizat hæreticos. Cirum Alexandrinum, Sergium, Pirrhum, et Paulum Constantinopolitanos (653.) Sigebertus rex Hildebertum filium Grimoaldi adoptat in filium et in regnum. Constantinus imperator Olympio exarcho ad Italiam misso, impugnat Ecclesiam Dei. Judocus Britonum regis filius spreto mundo et regno, peregrinus et eremita in pago Pontivo requiescit in Christo.

654. Ignis de cœlo cecidit, et timor magnus super homines venit: pestilentia gravissima tribus æstivis mensibus; cunctis visibiliter apparentibus bono et malo angelo noctu civitatem circumeuntibus: et quoties jussu boni angeli malus angelus venabulo, quod manu ferre videbatur, ostium cujusque domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die interibant. Hoc tempore Sanctus Foillanus Fossensis martyrizatur.

655. Saraceni, capta Rhodo, famosum ejus colossum everterunt: ex cujus ære nongenti cameli onerati sunt. Hoc est unum de septem miraculis mundi. Quomodo enim vel tanta moles ærea fundi potuit, vel fusa levari?

656. Constantinus imperator, Saracenis navali pugna congressus, ignominiose vincitur. Sigebertus rex Austrasiorum moritur: Dagoberto filio suo admodum parvulo fidei Grimoaldi commendato; ut in regnum ejus auxilio promoveretur. Post Oswaldum regem, primus Anglorum miraculis claruit, regnavit apud Bernicios frater ejus Wius, et Oswinus filius Ostiti apud Deiros: qui tandem ab Oswino interfectus est, cum bello abstinens suburbanum clanculo concessisset, vir largus, et in Deum devotus. Postea idem Osvius rex Nordanimbrorum facto Deo cæli voto Pendæ Merciorum regi concurrit cum exercitu non multo, et inter nimiam Merciorum stragem ipsum regem Pendam perimit, gentemque Merciorum ad Christum converti fecit; Pictos quoque regno Anglorum subdidit. Ex quo tempore omnibus pene Anglis imperavit, Christianitatem auxit per Angilbertum et Wilfridum episcopos: postremo per Theodorum archiepiscopum. Multa servis Dei construxit habitacula: quorum præcipuum monasterium tunc feminarum, nunc monachorum, ab Eboraco triginta millibus in boreali parte situm, antiquo vocabulo Sceneshalh modo Witebi nuncupatur. Quod ab insignis religionis femina Hilda cœptum, Edelfreda ejusdem regis filia multum provexit

657. Olympius patricius et exarchus missus a Constantino imperatore in Italiam, ut Martinum papam interficeret, vel adduceret Constantinopolim, præcepit spatario suo, ut interficeret eum ad missam, dum communionem sibi porrigeret. Sed Dominus excæcavit spatarium, et non vidit eum, quando communionem dedit Olympio, vel pacem; quod ipse spatarius postea jurejurando asseruit. Igitur ex necessitate coactus est Olympius cum Martino concordare. Postea ivit cum exercitu contra Saracenos in Siciliam: et peccato faciente, major interitus Romano exercitui provenit; qui postea totus morbo interiit. Grimoaldus majordomus domino

suo Dagoberto Sigeberti filio attonso, et per Didonem Pictaviensem episcopum in Scotiam directo, Hildebertum filium suum facit Austrasiorum regem. Hothmen ammira Saracenorum perempto, Muhamas, ex ammireo ammiras factus, regnat annis viginti quinque. (658.) Franci dolentes super infidelitate Grimoaldi contra filium Sigeberti captum eum Parisius miserunt in carcerem. Nam præsentantes eum judicio Clodovei, Clodoveus vinculatum eum in carcere amara morte fecit consumi, filiumque suum juniorem Hildricum regem fecit Austrasiorum. Obiit Itta mater sanctæ Gertrudis. Theodardo episcopo martyrizato, sanctus Lambertus filius Apri comitis episcopatum Trajectensem illustrat gloria nobilitatis, gratia sanctitatis, Atrebati dum corpus sancti Vedasti transfertur ab Authberto Cameracensi episcopo, præsentibus Lamberto Tungrensi, et Audomaro Tarasconensi, aliisque sanctis episcopis et abbatibus, Audomarus, qui præ senio cæcus erat, dum precibus præsentium episcoporum, et meritis sancti Vedasti illuminatus esset, ægre ferens liberatum esse a cæcitate, quam pro salute sua sibi a Deo immissam esse gaudebat, rursus ad votum suum excæcatus est. In quibusdam chronicis legitur, Clodoveum regem hoc anno esse mortuum. (659.) Post Olympium directus est Theodorus exarchus, cognomento Calliopa, cum Theodoro imperiali cubiculario: qui tulerunt Martinum papam de ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, Constantinopolim: qui missus est Chersonam in exsilium, ubi vitam finivit decimo quinto Kalendas Octobris. Fecit episcopos triginta tres. Post quem sedit septuagesimus septimus Eugenius, primus hujus nominis, natione Romanus, de regione prima Aventinense, clericus a cunabulis, annis duobus, mensibus novem, diebus viginti quatuor; benignus, mitis, mansuetus, affabilis omnibus, et sanctitate præclarior. Constantinus imperator Sclaviam sibi subigit.

660. Muhamas, Saracenorum ammiras, cum Constantino imperatore firmat pactum, ut Saraceni Romanis solvant tributum per singulos dies numismata mille, et servum et equum. Clodoveus rex corpus sancti Dionysii Parisiensis discooperiens minus religiose, licet cupide, os brachii ejus fregit et rapuit, moxque in amentiam perpetuam incidit. Ariperth Longobardorum rege defuncto, Gobertus et Bertarith filii ejus annum agunt non tam in regno componendo, quam de regno contendendo. Eugenius papa eleemosynam in die transitus sui pauperibus, et clero, et familiæ presbyterii in integro erogari præcipit. Fecit episcopos viginti unum. Obiit quarto Nonas Junii, et cessavit episcopatus mense uno, diebus viginti octo. (661.) Post quem septuagesimus octavus sedit Vitalianus, natione Signiensis provinciæ a Campania, annis quatuordecim, mensibus sex. Huc Vitaliano nuper ordinato, ut ait Beda, Constantinus imperator misit beato Petro Evangelia aurea gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata. Ipse vero post aliquos annos, id est per Indictionem sextam Romam veniens, obtulit super altare Sancti Petri pallium auro textile. Obiit sanctus Amandus Elnonensis.

Sic enim legitur in titulo de morte ejus: Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi sexcentesimo sexagesimo primo, indictione quarta, epacta quintadecima, concurrente quarto termino duodecimo Kalendas Aprilis, Pascha quinto Kalendas Aprilis, luna vicesima prima, octavo Idus Februarii, die Dominica, luna prima, obiit sanctus Amandus annorum circiter nonaginta, qui natus fuit anno Domini 571, Nonis Maii mensis, in provincia Agritanorum, in pago præfatæ regionis, vocabulo Herbatilico ex patre Sereno, genitrice Amantia, anno septimo, quo Justiniani successor Canus minor cum Sophia conjuge in republica arcem imperii tenebat. Quo videlicet tempore Joannes pontifex Romanæ Ecclesiæ in ordine pontificum sexagesimus tertius cathedram ejusdem urbis anno sui præsulatus octavo gubernabat. In ordinatione beati Gregorii papæ sanctus Amandus vicesimum secundum ætatis agebat annum. In obitu vero ipsius papæ trigesimum quintum; qui fuit annus a Nativitate Domini sexcentesimus quintus, regni autem Phocæ annus secundus, sicut Beda refert in chronicis. Fuit autem idem sanctus Amandus Martino papæ familiarissimus. Defunctus est tertio anno pontificatus Vitaliani papæ, octavo Idus Februarii. Exstat ad hunc S. Amandum Epistola decretalis Martini papæ, in qua significatur eumdem Amandum voluisse pastorale obsequium deponere, pro eorum inobedientia, qui presbyteri seu diaconi post suas ordinationes in lapsum inquinabantur: a qua voluntate illum dehortatur idem beatissimus papa, persuadens eum ad patientiam, et commonens, ut nullam eis in delicto compassionem exhibeat, sed lapsos omnes ab officio deponat, et eos in jugem pœnitentiam mittat. Si enim, inquit, tales quærimus ad sacros ordines promovendos, quos nulla ruga, nullum vitæ contagium ab ordinibus sacris præpediat, quanto magis si post ordinationem suam in lapsum ceciderit, et prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnimodo prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare? Sitque hujusmodi semper juxta sacrorum canonum statuta in hac vita depositus; ut ab illo qui mentis interna scrutatur, nullamque de ovibus errare congaudet, dum aspexerit sinceram pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum. Ipse sanctus monasterium, quod dicitur Blandinium, in castro Gandavo construxit: et aliud quod vocatur Martianas, et aliud, cui ipse Lochosa nomen imposuit, seu Rotnace, quod est præfato monasterio pene contiguum: cellulam quoque, quæ nuncupatur Barisiacus; quem locum cum adjacentibus sibi appendiciis Childericus rex et Brunichildis regina illi visi sunt condonasse: ad postremum Elnonæ cœnobio ædificato, ipse ibi-

dem cum suis usque ad diem obitus sui Christo feliciter militavit.

Hic patriam parentesque relinquens in Ora insula, quæ a littore Oceani maris quadraginta distat millibus, transacta jam adolescentia receptus est. In qua per orationem immanem serpentem fugavit. Post hæc Turonis ad S. Martinum perrexit: et ibi comam capitis sui abscindens, clericatus honore functus est. Post hæc percepta benedictione ab abbate loci illius et fratribus, Bituricas perrexit ad Austregisilum: a quo et ab ejus archidiacono Sulpitio receptus est, et cellula ei juxta ecclesiam in superiori muro civitatis constructa est. In qua cilicio tectus et cinere, hordeaceo pane et aqua modica contentus, fere quindecim annis vixit.

Post hæc incidit ei cogitatio, ut limina visitaret apostolorum; quod et fecit assumpto secum uno tantum comite. Ubi per diem sancta loca circuibat, nocte ad sancti Petri revertebatur ecclesiam. Ibi quadam die cunctis egressis substitit ex devotione, tota nocte cupiens vigilare: quem unus ex custodibus inventum contemptibiliter affectum injuriis ejecit extra ecclesiam. Sedente autem eo in exstasi mentis ante fores ecclesiæ, sanctus ei Petrus apparuit; monens eum in Gallias ad prædicationem redire. Rediens, coactus est a rege et episcopis, episcopus fieri. Captivos vel pueros transmarinos dato pretio redimebat. Spirituali quoque lavacro eos regenerans, litteris affatim imbui præcipiebat; præmissaque libertate per diversas ecclesias relinquebat. Plures ex eis episcopos vel presbyteros, seu honorificos abbates fuisse, audivimus. Rediens a Roma secundo ascensa nave pervenit ad Centumcellensem locum: ubi dum quadam nocte solus, ut solebat, oraret, immundus spiritus unum e famulis apprehensa manu trahebat ad mare, volens eum ibi demergere. Qui cum traheretur clamabat, dicens: Christe, adjuva me; Christe, adjuva me. Cui malignus spiritus insultando respondit. Qualis Christus? et dum puer, qui trahebatur taceret, ait sanctus Amandus: Dic illi, fili: Christus Filius Dei vivi, crucifixus. Statim ad hanc vocem inimicus ut fumus evanuit. Nec multo post navigante eo per medium pelagus, et dicente ad nautas verbum Domini, apparuit piscis miræ magnitudinis. Nautæ vero misso rete in pelagus, eumdem piscem ceperunt. Cumque epularentur et exsultarent, orta est tempestas valida: cucurrerunt nautæ ad servum Dei; qui jussit eos confidere. Cui in puppi residenti sanctus Petrus apparuit, dicens: Noli timere, non peribis; nec qui tecum sunt. Ad quod verbum mox tempestas sedata est. Gaudanenses, qui tunc adhuc idololatræ erant, convertit. Ubi cum propter inediam et sterilitatem loci comites illius solum ibi reliquissent; alimentum sibi labore manuum acquirebat, instans prædicationis officio. Quidam comes ex genere Francorum, nomine Dortho, in urbe Tornaco resederat, ad dirimendas lites. Et ecce ei præsentatus est reus quidam, quem omnis turba acclamaverat

A esse dignum morte; fuit quidam multis plagis cæsus, et jam corpore semivivus. Qui decrevit eum patibulo debere affigi; sed Amandus superveniens postulavit, ut ei vitam concedere dignaretur. At ille noluit, sed jussit eum suspendi; qui suspensus spiritum exhalavit. Sanctus autem Amandus perrexit ad patibulum, et depositum de ligno ad suum cubiculum deferri jussit; et fratribus e cella egressis super defuncti corpus incubuit, et orando cum lacrymis illum resuscitavit; totoque ejus corpore et cicatricibus ita carnem carni restituit, ut de plagis, quas ante pertulerat, nullum indicium appareret; et sic eum ad propriam domum remittens, parentibus restituit incolumem. Per quod miraculum convertit ad Christum. Post hæc transito Danubio, in Sclaviam prædicare perrexit, spe martyrii; et paucis ibi conversis, ad proprias oves reversus est. Rex Dagobertus amori mulierum plusquam oportebat deditus, omnique spurcitia libidinis inflammatus, sobolem minime videbatur habere: pro qua Dominum sedulo precabatur, et tandem exauditus est. Qua percepta, sanctum perquiri fecit Amandum, quem prius de regno suo expelli jusserat, quia eum pro capitalibus criminibus arguebat; quod nullus episcoporum audebat facere. Qui venit ad regem in villa, cui nomen Clepiaco. Rex illius pedibus prostratus, veniam deprecatur; quem ille citius elevans a terra, clementer indulsit. Ad quem rex: Pœnitet me valde, quod stulte egerim adversum te; sed precor, ne memineris injuriæ meæ. Dedit mihi Dominus filium, non meis meritis; quem precor ut sacro fonte digneris abluere, et in filium tibi spiritualem suscipere. Quod ille vehementer abnuens, sciens scriptum, militantem Deo non oportere implicari negotiis sæcularibus, et quietum atque remotum palatia non debere frequentare regia, ex conspectu regis abscessit. Statimque rex misit ad eum virum illustrem Dodonem, et cum eo venerabilem virum Eligium, qui tunc in palatio regis sub sæculari degebant habitu: qui persuaserunt ei precibus regis annuere. Moxque puerum dierum quadraginta catechumenum fecit: cumque finita oratione nemo ex circumstantibus respondisset: Amen; aperuit Dominus os pueri, et cunctis audientibus clara voce respondit: Amen, et statim baptizavit eum, dans et nomen Sigebertus. Post hæc ordinatus est Trajectensium episcopus: et per triennium vicos et castella circuiens, verbum Domini instanter prædicabat. Sed multi, quod dictu nefas est! sacerdotes et levitæ prædicationem ejus respuebant; qui secundum Evangelium pulverem de pedibus super eos excutiens, ad alia properabat loca: parvamque reperiens insulam, cui nomen est Canelaus, juxta Scaldum fluvium, aliquantis diebus ibidem cum fratribus habitavit. Sed verbi Dei contemptores per biennium ingens attrivit plaga: ita ut eversæ domus et agri in solitudinem verterentur, et vici et castra destruerentur; nullusque pene in his regionibus remaneret, qui Amandum contem-

pserat prædicantem. Post hæc prædicavit in Vasconia. Cujus prædicationem quidam mimilogus spernens, et ei detrahens, arreptus a dæmone, propriis se cœpit manibus laniare : coactus publice confiteri, quod ob injuriam quam servo Dei intulerat, hæc patiebatur : et in ipso tormento spiritum exhalavit. Post hæc susceptus est hospitio in quadam civitate ab episcopo illius civitatis. Cui dum ipse episcopus more hospitalitatis aquam in manibus funderet, secretius præcepit ministro, ut eamdem aquam in sacrario Ecclesiæ custodiret. De qua postea cæcus quidam admonitione ipsius episcopi oculos abluens, visum recepit. In pago Belvacensi, in loco, cui vocabulum est Rossoton, secus Oronnam fluvium, mulierem cæcam sanavit, quæ auguria et idola semper coluerat, et adorabat arborem dæmoni dedicatam. Præpositum monasterii sui inobedientem, et ob hoc paralyticum factum, benedicendo calicem vini, et fragmen panis, et ei mittendo jubendoque, ut inde partem sumeret, sanitati restituit. Muntinolus quidam Ozidinsis urbis antistes, moleste ferens quod locum acceperat a rege ad construendum cœnobium, invidiæ facibus accensus, missis agilibus viris... ut eum injuriis affectum a loco ejicerent, aut eum in eodem loco punirent. Qui venientes ad eum, simulate dixerunt ei, quod deberent ei ostendere locum aptum ad monasterium construendum, et ideo iret cum illis. Quorum fallacia, revelante Deo, illum non latuit. Tandem pervenerunt ad supercilium montis, ubi eum capite truncare disposuerant : et subito orta est tempestas pluviæ et grandinis, et ita omnem montis illius locum obtexerunt nubes, ut apparitores illi amisso lumine nil penitus viderent; spemque vitæ jam nullam habentes, prostrati ejus pedibus veniam postulabant, ut eos vivos sineret abire. Qui orans, lumen eis reddidit, et exterritos ad propria remisit. Sepultus est iste sanctus in cœnobio, quod ipse ædificavit : cui ex nomine fluvioli ibi decurrentis Elnonis vocabulum est : quem locum Dagobertus rex illi dedit. Eodem anno, quo sanctus Amandus mortuus est, Constantinus imperator Theodosium fratrem suum occidit : et Grimoaldus dux Taurinatium Godebertum filium regis Ariperti dolo peremit, et ejus regnum arripuit; sororemque Godeberti uxorem duxit, et regnavit annis 9. Sanctus Nivardus Remensis archiepiscopus, et Reolus successor ejus, et Bercharius martyr, qui fuit primus abbas Autvillarnensium; sancta etiam Bertha martyr et abbatissa, sanctitate florent in Gallia.

662. Constantinus imperator Italiam petit, multasque Longobardorum urbes capit, Beneventum obsidet; ibique Grimoaldus rex exercitum ejus graviter atterit. Clodoveus rex Francorum furibundus obit. Hic habuit ex Bathilde regina tres filios, Lotharium, Childericum, Theodericum. Post quem regnavit Lotharius annis quatuor. Hujus Lotharii major domus fuit post Erchanoaldum Ebroinus. Ab hinc Francorum regibus a solita fortitudine et

A scientia degenerantibus, per majores domus disponebatur regni potentia, regibusque solo nomine regnantibus; quibus moris erat, principari quidem secundum genus, et nihil aliud agere, vel disponere, quam irrationabiliter edere et bibere, domique morari; et in Kalendis Maii præsidere coram tota gente, et salutare et salutari; et obsequia et dona accipere, et rependere, et sic secum usque ad alium Maium permanere. Eo tempore Bathildis regina, Lotharii mater, Corbeiæ et Calæ monasteria Deo construxit. Hæc de transmarinis partibus deprædata in Franciam adducta est, et vili pretio vendita, redempta est a venerabili viro Hircanoaldo, qui tunc palatium gubernabat. Fuit autem de claro sanguine Saxonum, aspectu decora, vultu hi-
B laris, incessu gravis, pudica, sobria, prudens et cauta, humilis et gratiosa : adeoque placuit prædicto principi, ut loco pincernæ eam constitueret. In qua etiam dignitate omnibus senioribus in domo domini sui ita humiliter obsequebatur, ut eorum calceamenta detraheret et detergeret, et aquam ad lavandum afferret, et vestimenta eorum festinanter pararet, absque omni murmure et adulatione, bono et pio animo. Mortua vero uxore Hircanoaldi, voluit idem princeps eam ducere. Quo comperto illa latenter et studiose se subtraxit ab ejus conspectibus. Nam cum vocaretur ad principis cubiculum, illa ut sagax puella secreto se abscondit in angulo domatis; et super se jecit pannos vilissimos, ita ut nemo putaret illic aliquem latere potuisse. Ea igi-
C tur non inventa, princeps duxit alteram. Tunc illa iterum quæsita inventa est, sed a principe non contacta. Postea per Dei gratiam facta est uxor Clodovei regis filii Dagoberti, et merito. Erat enim et ipsa de sanguine regio. Faciebat autem eleemosynas multas ecclesiis et pauperibus, per manum Genesii abbatis, quem rex ei in adjutorium dedit, qui tunc erat assiduus in palatio; qui postea factus est Lugdunensis episcopus. Ex hac regina genuit Clodovæus Clotharium, qui post eum regnavit. Tunc temporis Parisiensis episcopus erat Crodebertus, vir venerabilis, et apud Rothomagum sanctus Audoenus. Ex eo tempore Burgundiones et Franci in pace uniti sunt; qui antea dissidebant. Hæc regina
D pestem Simoniacam a Francia exstirpavit : et impiissimas exactiones publicas cessare fecit; quæ adeo populum gravabant, ut multi filios suos magis optarent mori, quam vivere. Construxit cœnobium sanctimonalium in pago Parisiaco, nomine Kalam (*Chelle*), in insula Maternæ fluminis; et eidem cœnobio dedit monimentum regiæ chartæ, sigillo suo, et filiorum regum signatæ. In qua charta per invocationem sanctæ Trinitatis interminata est et per diem tremendi judicii ut nemo per succedentia tempora rector quilibet ejusdem loci quidquam de his villis, quas in usus diversos ejusdem cœnobii habitantium contulerat, subtraheret, aut beneficiario exinde haberet. Quod qui fecisset, pœnis infernalibus cum Juda nequissimo et cupidissimo tradere-

tur sine fine puniendus. Hujus monasterii primam matrem constituit Bertilam religiosam valde famulam Christi, quam de monasterio Jothro evocavit. Ædificavit etiam in pago Ambianensi monasterium Corbeiæ; quod villis et prædiis magnifice instruxit. In quo primum patrem instituit Theudofredum virum venerabilem, quem de monasterio Luxovio vocavit; qui postea factus est episcopus. Philiberto viro sanctissimo abbati monasterii Gemmatici, silvam magnam ex fisco regio concessit, ad monasterium construendum. Laigobertho abbati Turdionensis monasterii dedit villam unam cum multis talentis auri et argenti; ipsum quoque regale cingulum, quo cingebatur. Monasteriis Fontenellæ et Logio plurimum beneficia dedit. Luxovio et reliquis Burgundiæ monasteriis villas plurimas, et pecuniam innumerabilem contulit. Jotro monasterio, unde sacras virgines cum Bertila ad Kalam accersivit, dedit Villam novam in pago Virmandensi, cum multis aliis beneficiis. Monasterio sanctæ Faræ, villam unam cum multis aliis muneribus. Immunitates concessit ecclesiis præcipuis, id est Sancti Dionysii, Sancti Germani, Sancti Medardi, Sancti Petri Fossarensis, Sancti Petri Latiniacensis, Sancti Amandi, Sancti Martini. Captivos homines vendere prohibuit; et præcepit per singulas urbes Francorum, ut nullus in regno Francorum captivum hominem in aliud regnum transmitteret. Multos captivos redemit, multos relaxavit, multos in monasterio transmisit. Viros et puellas de gente sua, quas ipsa nutrierat, regularem vitam ducere instituit. Basilicas SS. apostolorum Petri et Pauli Romæ multis muneribus honoravit. Romanis reclusis et pauperibus multa dona direxit.

Orta tandem contentione inter Francorum proceres pro superbia Sigebranni episcopi, pro qua et ipse occisus est, desideratum meruit adimplere propositum; deductaque a quibusdam senioribus regni proceribus ad monasterium Kalam, religionis ibi habitum suscepit. In hebdomada sua ministrabat in officio coquinæ, sicut et cæteræ sorores, et munditias faciebat, etiam plusquam cæteræ sorores, inquinamenta stercorum propriis manibus mundans. Incidit tandem in iliacam passionem; de qua tamen auxilio Dei et medicorum sanata est. Appropinquante autem obitu suo, visio ei præclara ostensa est. Scala ei videbatur erecta stare ante altare beatæ Dei genitricis Mariæ, cujus cacumen cœlos attingebat, et per ejusdem gradus se comitantibus sanctis angelis secreta cœlestia penetrare. Habebat autem quamdam filiolam, quam ex fonte sacro susceperat, pro qua Dominum exoravit, ut ante se moreretur; quod et factum est, cujus mortem ipsa statim secuta est. In exitu autem animæ ejus a corpore, divinus splendor in ipsius corpusculo clarissime coruscavit; visus est a circumstantibus angelorum chorus ei obviam advenisse, et cum eis fidelissimus amicus ejus Genesius episcopus; visique sunt angeli animam ejus remigio

A alarum et manibus elevatam in cœlum portasse. Monasterium vero Kalæ primo construxit Clotildis regina uxor Clodovæi magni, quem sanctus Remigius baptizavit: et construxit illud in honore sancti Georgii. Sed quia ambitus Ecclesiæ illius strictior erat, et magno sanctimonialium gregi non sufficiens, eam Bathildis regina everti fecit, et ampliorem construi. Præfata quoque Clotildis neptis Gondobaldi regis, non solum virum suum, sed et multos Francorum proceres ad fidem Christi adduxit, et Ecclesiam Sancti Petri Fossatensis cœnobii construxit. Uxor quoque Childeberti regis Ultrogocles nutrix fuit orphanorum, consolatrix pupillorum, sustentatrix pauperum, et fidelium monachorum adjutrix. Sed et Radegundis regina uxor
B antiquioris Clotharii regis, ut supra dictum est, relicto marito vivo sacrum velamen suscepit.

663. Constantinus imperator imperium a Constantinopoli in urbem Romam transferre nititur; sed a Constantinopolitanis ei resistitur.

664. Constantinus Romam venit; et omnia quæ erant in ære ad ornatum civitatis deposuit; et discooperuit ecclesiam Sanctæ Mariæ ad Martyres, quæ erat operta tegulis æreis; quæ omnia misit Constantinopolim. Qui dum reverteretur, tales afflictiones imposuit populo Calabriæ et Siciliæ, Africæ et Sardiniæ, per diagrapha seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales nunquam a sæculo fuerunt, ut alicui spes vitæ non remaneret. Sed et vasa sacrata, et cimelia sanctarum ec-
C clesiarum auferens, nil dimisit. In Anglia inter Anglos et Scotos magna de observatione Paschæ fit disceptatio, mediante Oswui rege glorioso, qui etiam assensit Anglis Pascha celebrantibus more Romano. Obiit sancta Gertrudis Nivellensis Sisevando rege Visigothorum mortuo, regnat Chintilam annis sexdecim. (665.) Erchombertus rex Anglorum obit, post quem regnat Egebertus filius ejus annis 9 vel 8. Hic Egbertus filios patrui sui Elbertum et Egelbritum, aut interemit, ut dicitur, aut interimi æquanimiter passus est.

666. Obiit S. Eligius Noviomensis episcopus. Lotharius rex Francorum puer moritur: post quem frater ejus Theodericus in regem ab Ebroino sub-
D limatur. Frater autem ejus Hildericus regnabat in Austrasia. (667.) Theodoricus rex propter insolentiam Ebroini a Francis repudiatur; et frater ejus Hildericus rex Austriæ a cunctis ad regnandum evocatur. Porro Theodericus et Ebroinus tonsurantur: et Theodericus Parisius in cœnobio S. Dionysii, Ebroinus in Luxovio relegantur. Hilderici major domus erat Vulfoaldus. Hic in parochia Virdunensi super Mosam cœnobium Sancti Michaelis archangeli fundavit.

668. Theodorus archiepiscopus, et Adrianus in Anglia florent, viri docti, et qui omnem litteraturam imis medullis imbiberant: a Vitaliano papa in Angliam directi. (669.) Constantinus imperator, qui et Constans, omnibus suis exosus, Syracusis

occiditur a suis in balneo, 15 die mensis Julii, indictione 12, cujus filius Constantinus post eum imperat annis 17. (670.) Mizius quidam in Sicilia tyrannidem meditatus, mox exstinctus est. Vitalianus papa fecit episcopos 97, et obiit VI Kalend. Februarii; et cessavit episcopatus mensibus 2, diebus 13. Post quem septuagesimus nonus sedit Adeodatus, natione Romanus, ex monachis, annis 4, mensibus 2, diebus 5. Fuit benignissimus et mitissimus, ita ut omnes homines a majore usque ad minimum libenter susciperet; et quod unusquisque postulabat, impetrabat. Tunc Mezetius in Sicilia arripuit sibi regnum : cujus caput latum est Constantinopolim. Oswi Nordanimbrorum rege defuncto, Egfridus filius ejus regnat annis 15. Hic erat minor filius ejus legitime susceptus, Edeltridæ uxoris sanctissimæ meritis, quam suis commendatior; in hoc tamen prædicandus, quod eidem reginæ vacare volenti serenus indulsit; quod beatum Eadbertum in episcopum plorando promeruit. Beatum tamen Vilfridum exsulare fecit. Hibernienses, genus hominum innocens, et genuina simplicitate nihil unquam mali moliens, vasta clade protrivit. Imperium autem Merciorum amisit, fugatus in bello ab eorum rege Ethelredo, Pendæ filio. Grimoaldus rex Longobardorum, cum nono die post phlebotomiam', arrepto arcu, columbam percutere nisus esset, vena brachii ejus rupta est; et superponentibus ei medicis venenata medicamina defunctus est. Post quem Tharith, filius Aripert regis, divinitus a peregrinatione revocatus, et a Longobardis in regnum relocatus, regnavit annis 17. Hoc tempore claruit sanctus Præjectus Arvernensis episcopus et civis; martyrizatus a proceribus ejusdem urbis, in ultionem Hectoris Massiliensium patricii, ab Hilderico Francorum rege perempti, propter injustitias Arvernensi Ecclesiæ ab eo illatas. In territorio Cameracensi virgo Dei Maxelendis pro voto virginitatis servando Harduinum amatorem suum fugiens, ab eodem martyrizatur; qui mox excæcatus, post triennium ab ea illuminatus est. (671.) Constantinus imperator fratres suos habens suspectos, ne sibi conregnarent, nasos eorum abscidit. Hoc tempore quidam in Britannia a morte resurgens, multa quæ vidit de locis pœnarum et igne purgatorio enarravit, de quo Beda sermonem facit. Erat paterfamilias in regione Nordanuim, quæ vocatur Incuneningum, qui primo noctis tempore defunctus diluculo revixit, et observantes se in fugam convertit. Uxor tamen ejus, quamvis nimis pavida esset, mansit. Cui ille : Noli timere. Surrexi a morte, qua tenebar : et permissum est mihi iterum apud homines vivere : sed multo aliter vivendum est mihi a modo quam prius. Statimque surgens abiit ad oratorium villæ, et usque ad diem oravit; et tunc divisit substantiam suam in tres partes, e quibus unam conjugi, alteram filiis tradidit, tertiam statim pauperibus. Non multo post ad monasterium Maltos pervenit, quod Tuido flu-

A mine circumcingitur, accepta tonsura secretam mansionem ab abbate accepit et ibi usque ad mortem in mirabili conversatione permansit. Narrabat autem hæc : « Quidam lucidus aspectu, et clarus veste me ducebat. Incedebamus taciti contra solis ortum solstitialem : devenimus autem ad vallem latissimam, longissimam, profundissimam, quæ erat a læva nostra, et habebat unum latus flammis ferventibus nimium terribile, aliud autem ferventi grandine et frigore nivium omnia perflante nimis horrendum; utrumque plenum animabus quæ vicissim hinc inde jactabantur cum impetu. Nam cum unum sufferre non possent, in aliud transiliebant : et cogitabam intra me quod infernus esset. Ductor autem meus cogitationi meæ respondens : B Non, inquit, ut putas, hic est infernus. Et cum progrederemur, vidi loca tenebris ita densis repleta, ut nihil omnino viderem, præter speciem et vestem ductoris mei : et ecce crebri flammarum globi ascendentes de puteo, et rursus decidentes in eumdem. Et statim ductor meus disparuit, et me solum reliquit. Erant autem fastigia flammarum plena spiritibus hominum instar favillarum cum fumo ascendentium et relabentium, et fetor intolerabilis cum illis ebulliebat. Interea turba dæmonum cachinnans et insultans, quinque animas hominum educebat in tenebras. E quibus unus attonsus erat ut clericus, quidam laicus, quædam femina : et descendunt cum eis in medium baratri ardentis. C Quidam autem spiritus de abysso illa ascendentes, afflantes ignem putidum oculis et naribus, et ore, forcipibus igneis quos portabant, minitabantur comprehendere me; sed tamen me tangere non poterant : et ecce quasi fulgor stellæ micantis inter tenebras, post me apparuit. Hic erat ductor meus, qui mox eos fugavit : qui conversus ad dexteram cœpit me ducere ad ortum solis brumalem; et mox in lucem serenam eductus, vidi murum permaximum, cujus longitudinis et altitudinis quasi nullus terminus videbatur : in quo nulla janua, vel fenestra, vel ascensus videbatur : et statim nescio quo ordine fuimus in summo, et erat ibi subtus campus latissimus et lætissimus, flosculis vernantibus et odore suavissimo plenus, et luce D clariore sole meridiano : in quo agmina albatorum plurima; et sedes multæ lætantium. Et cum me inter illos duceret, cogitabam hoc esse regnum cœlorum, ut putas. Et procedens inde, aspicio multo majorem luminis gratiam, et vocem cantantium suavissimam audio, et odorem sentio permagnificum. Et cum me intraturum sperarem, mox ductor meus gressum retorsit via qua veneramus; et nobis revertentibus ait : Vallis quam aspexisti, est locus in quo examinantur et castigantur animæ differentium confiteri et emendare scelera sua usque ad mortem : et tunc pœnitentes et confitentes de corpore exeunt : qui tamen omnes in die judicii per misericordiam Dei ad regnum cœlorum perveniunt. Multos autem ante diem judicii liberant eleemosynæ

et jejunia et orationes viventium; et præcipue celebratio missarum. Puteus autem quem vidisti, est os gehennæ, in quem qui semel ceciderit, nunquam liberabitur. Locus florifer est ipse in quo recipiuntur animæ exeuntium a corpore cum bonis operibus; non tamen tantæ perfectionis, ut statim mereantur in regnum cœlorum intrare : qui omnes in die judicii illud intrabunt. Quicunque autem et opere et cogitatione perfecti sunt, mox ut exeunt de corpore, ad regnum illud perveniunt. Ad cujus vicinia pertinet ille locus, in quo sonum cantilenæ dulcis, et odorem suavissimum hausisti. Ego autem ad tempus a te abscessi, ut quid de te fieri deberet, agnoscerem. Et cum detestarer iterum vivere in corpore, subito me vivere inter vos, nescio quo ordine, vidi.» Hæc narrabat ille, non passim omnibus; sed illis tantum, qui vel tormenta æterna timent, vel gaudia æterna concupiscunt. In vicinia cellæ illius habitabat quidam monachus, et presbyter sanctus, nomine Englis, qui nunc usque in Hiberniæ insula solitarius est : ultimam ætatem pane cibario et aqua sustentans; per quem cognita facta sunt, quæ ille viderat. Rex etiam Adnilfridus vir undecunque doctissimus, illum studiose audiebat : qui et ipse tandem in monasterio supradicto monachus factus est; cujus monasterii tempore illo abbas erat vir sanctus, et presbyter Hedivaldus, qui nunc episcopus est Lindifarnensis. Dicebatur autem frater, qui hæc viderat, Drictelinus : qui sæpissime in flumine proximo se immergebat, ad restinguendum calorem corporis, ita ut etiam crustæ glacierum circa ipsum de veste sua defluerent. Nam vestimenta humida et algida de flumine nunquam deponebat, donec de suo corpore calefierent et siccarentur. Cui cum diceretur, quare tantam asperitatem frigoris pateretur, respondebat : Frigidiora ego vidi. Et cum diceretur ei, quare tantam austeritatem continentiæ teneret, respondebat : Austeriora ego vidi.

672. Saraceni Siciliam invadunt, et multam stragem faciunt in populo; et omne æs, quod Syracusis erat, allatum de Roma, et prædam nimiam tulerunt Alexandriam. Amatus episcopus Senonensis a rege Theodorico gravi et irrevocabili exsilio diu tribulatur.

673. Egbertus rex Anglorum expeditionem in Pictos agens, cum omnibus fere copiis ab illis interemptus est. A qua expeditione futurorum præsciens Cuthbertus eum retinere tentavit; qui et in ipsa hora qua mortuus est, interfectum vaticinatus est. Huic successit frater ejus Lotber, qui et Lotharius, a lite mala regnum ingressus. Nam infestante eum per 15 annos filio Egberti Edrico, novissimo jaculo corpus trajectus, inter medendum animam efflavit. Hic Lotharius innocentes illos, quos frater suus Egbertus occiderat, martyres propalatos irrisit. Egbertus tamen factum istud ingemuit, et matri fratruelium partem insulæ Tanatos ad ædificandum monasterium concessit. Hic Lotharius regnavit annis 12. (674.) Iris apparuit in cœlo mense Martio et tremuit omnis caro; ita ut omnes dicerent, quod consummatio esset. Theodorus in Anglia synodo habita, multa constituit Ecclesiæ utilia. Hic scripsit Pœnitentialem librum, mirabili et cauta discretione distinguens modum pœnitentiæ singularum culparum : de quo libro in hoc loco pauca excerpenda. Gradus non debemus facere ante altare. Incensum incendatur in Natali sanctorum, pro reverentia diei; quia ipsi sicut lilia dederunt odorem suavitatis. Laicus non debet in ecclesiis lectionem recitare, alleluia dicere; sed psalmum tantum, aut responsoria, sine alleluia. Episcopo licet in campo confirmare si necesse sit. Episcopus non debet abbatem cogere ire ad synodum, nisi aliqua rationabilis causa sit. Sacramentum non est accipiendum de manu sacerdotis, qui oblationes vel lectiones secundum ritum implere non potest.

De hac sententia ambigi potest, utrum semper tenenda sit. Quid enim, si infirmus in extremis laborans alium non invenit, a quo communionem accipiat? Quanti hodieque sacerdotes idiotæ in Ecclesia tolerantur? [Presbyter fornicans, si postquam compertum fuerit, baptizaverit; iterum baptizentur illi quos baptizavit.] Et hanc sententiam miror quomodo non damnaverit Ecclesia : cum etiam illi quos baptizant hæretici in forma Ecclesiæ, rebaptizandi non sint. [Si quis presbyter ordinatus deprehendit se non esse baptizatum, baptizetur et ordinetur iterum; et omnes, quos prius baptizavit.]

Hic quæri potest, utrum aliquis recte possit baptizari a non baptizato, et videtur in necessitate quilibet a quolibet baptizari posse, dummodo in fide et in forma Ecclesiæ baptizet, qui baptizat. Potest enim nondum baptizatus fidem habere, sive ignorans se adhuc baptizatum, sive scienter adhuc differens baptismum suum. [In monachi ordinatione abbas debet missam agere, et tres orationes super caput ejus complere; et septem dies velet caput suum cuculla sua; et septima die abbas tollat velamen, sicut in baptismo presbyter solet infantium auferre velamina; quia secundum baptismum est, juxta judicium Patrum; in quo omnia peccata dimittuntur, sicut in baptismo. Presbyter potest abbatissam consecrare in missæ celebratione.] Hoc hodie solis episcopis reservatur. [In abbatis ordinatione episcopus debet missam agere, et eum benedicere inclinatum cum duobus vel tribus testibus de fratribus suis : et det ei baculum, et pedules.] Alibi legitur dandum ei esse baculum, et regulam. [Secundum Græcos, licet presbytero virginem sacro velamine consecrare, pœnitentem reconciliare, facere oleum exorcizatum, et infirmis chrisma, si necesse est. Secundum Romanos, non licet, nisi episcopo soli. Item Græci simul benedicunt virginem et viduam, et utramque consecrant. Romani non velant viduam. Gregorius Nazianzenus dicit secundum baptisma esse lacrymarum. Non licet baptizatis cum catechumenis manducare, nec osculum eis dare : quanto magis gentilibus vel Judæis.]

De osculo non eis dando, satis videtur rationi consentaneum; sed de convivio communicando, non ita; cum Petrus a Paulo reprehensus sit, quod Judæis absentibus cum gentibus manducabat (*Galat.* II): illis autem præsentibus, se a convictu Gentium subtrahebat; et beatus Jacobus osculum dedit illi non baptizato, qui cum ipso passus est. Ergo nec in tali casu osculum catechumenis est negandum. [Secundum Romanam Ecclesiam, mos est monachos homines religiosos defunctos in ecclesiam portare, et cum chrismate ungere in pectore, et ibi pro eis missas celebrare; et cum cantatione portare ad sepulturam, et humo vel petra operire. Prima, et tertia, et nona, et trigesima die pro eis missa agatur, et exinde post annum; quia Dominus die tertia resurrexit, et hora nona emisit spiritum; et per dies triginta Moysen planxerunt filii Israel (*Deut* XXXIV). De anniversario non reddit rationem, sed potest vici, quod significat diem Judicii post annum hujus sæculi; in quo omnes sumus resurrecturi. [Propinquos mortui oportet jejunare septem diebus, et oblationem offerre ad altare, sicut in Jesu filio Sirach legitur (*Eccli.* XIV); et pro Saul filii Israel jejunaverunt (*II Reg.* I). Dionysius Areopagita dicit, blasphemiam Deo facere, qui missas offert pro malo homine. Augustinus dicit pro omnibus Christianis esse faciendum; quia vel eis proficit, vel offerentibus et petentibus. Si peccaverit abbas, nec episcopo licet tollere possessionem monasterii, sed mittat eum in aliud monasterium, in potestatem alterius abbatis. Monacho non licet votum vovere sine consensu abbatis; sin minus, frangendum. Secundum Græcos, mulier potest oblationem facere ad altare, non secundum Romanos. In Dominica Græci et Romani navigant et equitant: pacem non faciunt, neque in curru pergunt, nisi ad ecclesiam tantum, nec balneant se. Græci in Dominica non scribunt publice, sed pro necessitate in domo seorsum. Græcorum monachi servos non habent; Romanorum habent. In peste mortalitatis Græci et Romani dicunt ipsos infirmos visitandos esse sicut Dominus præcepit. Græci carnes morticinorum non dant porcis; pelles tamen et coria, et calceamenta, et lanam et cornua, accipere licet, non in aliquo sancto. Lavatio capitis potest in Dominica esse; et in lixiva pedes lavari licet. Sed consuetudinis Romanorum non est hæc lavatio pedum. Si homo vexatur a diabolo, et nescit aliquid, nisi ubique discurrere et occidit seipsum, potest orari pro eo, si ante religiosus erat: pro aliis non licet. Virum licet uxorem dimittere propter fornicationem, et aliam accipere. Illa vero si voluerit pœnitere, post duos annos alium accipiat. Mulierem vero non licet virum dimittere, licet sit fornicator, nisi forte pro monasterio intrando. Basilius hoc judicavit. Mulier adultera, si vir ejus non vult habitare cum ea, et illa vult monasterium intrare, quartam partem suæ hæreditatis obtineat. Non licet viris feminas habere monachas, A nec feminis viros, tamen non destruamus quod consuetudo est in hac terra. Si mulier in captivitatem ducta fuerit, vir ejus quinque annos exspectet; similiter et mulier, si viro talia contigerint. Si vir alteram duxerit, prima de captivitate reversa, accipiat eam, posteriorem dimittat. In tertia propinquitate carnis, secundum Græcos, sicut in lege scriptum est (*Levit.* XVIII), licet nubere; in quinta secundum Romanos. In tertia solvunt postquam factum fuit. Ergo in quinta generatione conjungantur. In quarta, si inventi fuerint, non separentur; in tertia, separentur. Maritus non debet uxorem suam nudam videre. Puella quatuordecim annorum sui corporis potestatem habet; puer usque ad decimum quintum non habet. Si prægnantem mulierem quis comparat liberam, liber est ex ea generatus. Rex si alte- B rius regis terram habet, potest donare pro anima sua. Inventio in via tollenda est; si inventus fuerit possessor, reddatur. Qui pro homine mortuo jejunat, seipsum adjuvat. Infirmis licet omni hora cibum et potum sumere, quando desiderant, vel possunt. Romani reconciliant pœnitentem intra absidem, Græci extra. Reconciliatio ideo in hac provincia non est; quia publica pœnitentia non est. Et Nicæna synodus, et Joannes papa, et canones Gallicani continere videntur quod clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possunt. Quæ est ista justitiæ inimica benignitas, palpare criminosos, et vulnera eorum usque ad diem judicii inducta servare? quæ C pietas omnia uni parcere, et omnes per exemplum malum in discrimen adducere? Non ita suadet beatus Cyprianus, dicens: « Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec premit delicta, sed fovet. » Item: « Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat; absconditum in profundis virus, dum servat, exaggerat. » Item Chrysostomus: « Imperitus est medicus, qui ante digestam putredinem, superducit vulnerum cicatricem. » Sanctus Faustus in *Epistola*: « Perdit gratiam consecrati, quid ad officium vult exercitari mariti. » Qui invitus ad agendam pœnitentiam in monasterium mittitur, quid aliud, quam impœnitens dicendus est?] D Huc usque de *Pœnitentiali* Theodori: nunc ad historiam revertamur.

675. Stolus Sarracenorum contra Constantinopolim applicuit, qui dum per aliquot annos Christianis inaniter concurrissent, in redeundo ex magna parte demersi sunt. (676.) Sarracenis et Arabibus cum Romanorum exercitu congressis, occisa sunt Sarracenorum triginta millia. Hildericus rex feritate morum suorum accendit in se odia Francorum: a quo sanctus Leodegarius Augustodunensis episcopus in Luxovium retruditur. Adeodatus papa fecit episcopos 46; obiit VI Kal. Julii, et cessavit episcopatus mensibus quatuor, diebus quindecim. Post cujus transitum tantæ pluviæ in Italia, et tanta tonitrua fuerunt, qualia nulla ætas hominum

memorat, ut etiam homines et pecora fulminibus interirent; et nisi per litanias, quæ quotidie fiebant, Dominus propitiatus esset, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere; in tantum, ut ex ipsis pluviis denuo legumina renascerentur, et ad maturitatem devenirent, quod valde mirum fuit. (677.) Post hunc octogesimus sedit Donus papa, natione Romanus, anno uno, mensibus 5, diebus 10. Hic reperit in urbe Roma in monasterio Bœtiano hæreticos Nestorianos, monachos Syros, quos per diversa monasteria monachos Romanos constituit. Atrium quod est ante ecclesiam beati Petri magnis marmoribus stravit.

Hujus tempore Ecclesia Ravennas sedi apostolicæ se subjugavit, quæ se ab ea separaverat causa Antocephaliæ, cujus Ecclesiæ præsul Reparatus statim obiit : qui dum electus esset, apparuit stella a parte orientis, a galli cantu usque mane per menses tres : cujus radii cœlos penetrabant, in cujus visione omnes gentes mirabantur : quæ postquam disparuit in semetipsam reversa, maxima mortalitas a parte orientis secuta est.

678. Callinicus architectus ab Heliopoli Syriæ ad Romanos confugit, ignemque marinum adinvenit; quo usi Romani Sarracenorum naves exusserunt; et una cum animabus eorum prorsus incenderunt, et sic victoria potiti sunt. (679.) Donus papa fecit episcopos sex et obiit xxx Idus Aprilis; et cessavit episcopatus mensibus duobus, diebus 15. Post quem octogesimus primus sedit Agatho, natione Siculus, annis duobus, mensibus sex, diebus tribus. Hic fuit benignus, mansuetus, hilaris et jucundus. Hic ultra consuetudinem arcarius Ecclesiæ Romanæ efficitur, per semetipsum causas arcarii disponens, emittens de suscepta per nomenculatorem manu sua, vel oblatas obumbratas. Inter Romanos et Sarracenos pax in triginta annos confirmata est; ita ut Sarraceni Romanis auri libras tria millia, et viros captivos quinquaginta, et equos, nobiles quinquaginta, annuatim solverent. Bodilo Francus, quem Hildericus rex ad stipitem ligatum cædi præceperat, Hildericum in venatione exceptum, cum Blithilde uxore ejus prægnante interficit, et Theodericus regno restituitur : cujus domus major efficitur Leudesius Hircanoaldi filius, consilio Leodegarii episcopi, aliorumque principum, ut ait Eginardus. Gens vel genus Merovingorum in Hildericum defecit; diu tamen jam ante nullius vigoris erat. Nam et opes et potentia regni penes præfectos erant palatii, qui majores domus dicebantur. Rex villam habebat perpetui redditus, qui, quocunque eundum erat carpento ibat, quod bobus junctis et bubuco trahente, more rustico trahebatur.

680. Ebroinus a Luxovio egressus, misit ad S. Audoenum, pro consilio capiendo; qui hoc solum ei mandavit : De Fredegunde tibi subveniat in memoriam. Tunc Martinus, et Pippinus filius Ansegisili, duces Austrasiorum, venerunt contra Eburnos; quos Ebroinus fugavit. Martinus fugit Laudunum Clavatum : cui Ebroinus juravit super capsas vacuas, quod eum non occideret : cui credens ille occisus est. Igitur Ebroinus insidiatores suos premit, super Theodericum regem irruit, thesauros ejus et Ecclesiæ diripit, Leudesium majorem domus perimit. Clodovæum quemdam fingens esse filium Lotharii regis, regem sibi constituit; ad ejus sacramentum quoscunque potest, minis et blandimentis impellit. Agatho papa suscepit divalem jussionem principum, secundum suam postulationem. Pro qua relevata est quantitas pecuniæ, quæ solebat dari pro facienda ordinatione pontificis; sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi post decretum generale introducatur in urbem regiam, secundum antiquam consuetudinem; ut cum eorum scientia et jussione debeat ordinatio provenire. Chintilam rege defuncto, Tholgan filius ejus regnat adhuc puer apud Visigothos annis quatuor. Gens Bulgarorum a Scythia egrediens debacchatur per Thraciam Bathara duce : quibus occurrens Constantini exercitus turpiter ab eis fugatus est, et graviter attritus : et adeo per Romanam rempublicam eorum incursus invaluit, ut Constantinus cum eis facta pace, annua pacta eis solvere sit coactus. Ab hinc ergo Bulgarorum regnum cœpit. Agatho papa infirmatus, arcarium, juxta consuetudinem, instituit. Luna eclipsin pertulit mense Junio, die octavo, et gravissima mortalitas subsecuta est eodem mense, et Augusto, et Septembri, in urbe Roma, qualis nec aliorum temporibus pontificum fuisse memoratur; ita ut parentes cum filiis, et fratres et sorores binata per lecta ad sepulcra deducerentur. (681.) Sexta synodus universalis apud Constantinopolim congregatur, episcoporum centum quinquaginta : in qua Georgius Constantinopolitanus ab errore Monothelitarum revocatur. Macharius vero Antiochenus, et cuncti duas voluntates et operationes in Christo negantes, anathematizantur. In ipsa synodo exsurgens Basilius Trecensis episcopus, orarium ei abstulit, jubente synodo et principe; et anathematizantes eum foras synodum projecerunt : et thronum ejus et Stephanum ejus discipulum Romani clerici cervicibus extulerunt foras synodum.

Eadem hora, et ante, telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt; ut omnes mirarentur, quod sordes hæresum expulsæ sunt, et Deo auxiliante unitæ et mundatæ sunt Ecclesiæ. In locum vero Macharii ordinatus est Theophanius abbas Boras insulæ Siciliensis. Macharius vero cum suis amatoribus, id est Stephano, et alio Anastasio expresbyteris, Leontio exdiacono missi sunt Romam in exsilium, et inclusi. Deinde ablata sunt de diptychis ecclesiarum, et de picturis ecclesiæ, ubicunque esse poterant, nomina patriarcharum, Cyri, Sergii, Parvi, Pauli, Petri. Tunc Joannes episcopus Portuensis, qui erat ex missis domini papæ, die Domi-

nico in octavis Paschæ, in ecclesia Sanctæ Sophiæ, A publice coram principe et patriarchis missas latine celebravit. (682.) Sanctus Leodegarius ab Ebroino capitur, et cum fratre suo Gerino, graviter affligitur. Gerinus non multo post lapidibus obruitur. In Italia tribus æstivis mensibus gravissima hominum mortalitas facta est. Illa scilicet de qua in anno tertio ante istum, ex gestis Romanorum pontificum, post eclipsin lunæ narratum est. Post Muhaniam, apud Saracenos regnat Greith filius ejus annis tribus. (683.) In Anglia claret Edeltrudis regina, Annæ regis Anglorum filia; quæ tribus viris nupta, virgo permansit; cujus mortuæ corpus post undecim annos sepulturæ suæ (secundum Bedam), cum veste qua involuta erat, incorruptum inventum est. Agatho fecit episcopos 18, et obiit die quarto mensis Januarii, et cessavit episcopatus anno uno, mensibus septem, diebus quinque. (684.) Post quem octogesimus secundus sedit Leo junior, secundus hujus nominis, natione Siculus, mensibus decem, diebus septemdecim; vir eloquentissimus, in divinis Scripturis sufficienter instructus, Græce Latinoque eruditus, cantilena et psalmodia præcipuus, lingua scholasticus. Hic suscepit sextam synodum nuper celebratam, in qua condemnati sunt Monothelitæ : a qua hæresi postea resipuerunt Anastasius presbyter, et Leontius diaconus. Hic Leo fecit constitutum, ut qui ordinatus fuerit archiepiscopus, nullam consuetudinem pro usu pallii, aut diversis officiis Ecclesiæ, persolvere debeat. Hujus tempore, mense Aprili, die 16, indictione II, luna tota pene nocte sanguineum vultum habuit, et post galli cantum cœpit paulatim delimpidari. Hic primus in Junio ordinavit. Ordinatus est a tribus episcopis, Ostiensi, Portuensi, Belliternensi; quia Albanensis Ecclesia episcopum non habebat. Fecit episcopos 23. Ravennas Ecclesia censura imperatoris sub ordinatione sedis apostolicæ restituta est : scilicet, ut qui in ea electus fuerit episcopus, in urbem Romam veniat ordinandus. Egfridus rex innoxiam Hiberniæ gentem graviter depopulatur. Tholgane a Wisigothis propter levitatem pueritiæ reprobato, et in clericum tonsurato, Chinthasindus regnat annis 20. Leo junior papa mortuus est V Nonas Julii, et cessavit episcopatus mensibus undecim, diebus viginti duobus.

685. Post quem sedit octogesimus secundus Benedictus junior, secundus hujus nominis, natione Romanus, mensibus decem, diebus duodecim. Hic ab ineunte ætate sua Ecclesiæ militavit; et sic se exhibuit in presbyterii dignitate, ut decet virum suo nomine dignum. In ecclesia Beati Valentini fecit coopertorium super altare cum clavis in fiscellis, et in circuitu palergium crisenclavum pretiosissimum : et in ecclesia Beatæ Mariæ ad Martyres coopertorium purpureum, cum cruce et gemmulis, et quatuor auro clavos, et in circuitu palergium holosericum pulcherrimum. Hic una cum clero et exercitu suscepit mallones capillorum domni Justiniani et Heraclii filiorum principis : et jussionem, in qua significabat, eosdem capillos direxisse. Hujus tempore apparuit stella noctu juxta vergilias per dies aliquot, cœlo existente sereno, inter Natale Domini et Theophaniam, omnimodo obumbrata velut luna sub nube. Item mense Februario post natale sancti Valentini, ab occasu exiit stella meridie, et in partes orientis declinavit; et post mense Martio mons Vesuvius in Campania eructavit per dies, et omnia loca circumquaque præ multitudine cineris ipsius exterminata sunt. Hic dimisit omni clero post obitum suum, et monasteriis, et diaconiæ, et mansionariis, auri libras triginta. Fecit episcopos duodecim. Obiit VIII Idus Maii; et cessavit episcopatus mensibus duobus, diebus quindecim. B Gizith mortuo Marhuan regnat Saracenis anno uno. Theodericus rex Ebroinum in gratiam recipit, ejusque consilio synodum episcoporum cogit; quorum multos ex sententia Ebroini episcopatu privat, alios irrevocabili exsilio damnat. Sub hac persecutione sanctus Lambertus a Trajectensi episcopatu amotus, in cœnobio Stabulaus quietis otium expetiit; ubi per annos septem habitavit securus. Sanctus Leodegarius diu cruciatus ab Ebroino, post famem et carceris squalorem, post oculorum evulsionem, post plantarum concisionem, post linguæ et labiorum abscissionem, tandem capitis obtruncatione martyrium consummavit. Ansegisus pater Pipini a Gunduino perimitur; quem ipse inventum et nutritum de sacro fonte susceperat, et C ad maximos honores militiæ provexerat. Lother, qui et Lotharius, rex Anglorum, jaculo vulneratus, ut supra dictum est, inter medendum moritur : post quem regnat Egdric, qui et Edricus, Egberti filius, annis duobus non plenis; inimicos perpetuos habens Edunallam cum fratre Mollone; qui Mollo compulsus fugere in quoddam tugurium, incenso illo inter flammas animam ructavit. Tunc sex annis rex non fuit in Cantia. Egfridus rex Nordannimbrorum, maritus Edeltrudis reginæ, a Pictis, ut supradictum est, hoc anno perimitur. Post quem frater ejus Alfridus regnavit annis 19, in summa pace et gaudio provinciæ, excepto quod magnum Vulfridum persecutus est. Picti et Scoti et Brittones Anglos nimis D premunt; et libertatem, quam olim per Anglos perdiderant, recipiunt, et multam Angliæ partem invadunt. Sanctus Amatus Senonensis episcopus a Theodorico rege, consilio Ebroini exsiliatur. Sanctus Kilianus Scotus Vintiburgensis episcopus claret.

686. Joannes papa quintus hujus nominis, natione Syrus, ex Antiochiæ provincia, sedit octogesimus quartus, anno uno, diebus quatuordecim. Hic juxta priscam consuetudinem in Ecclesia Constantini electus est, et exinde in episcopio introductus. Begga, relicta Ansegisi, se et sua Deo mancipat, et monasterium Andennense fundat. Constantino imperatore mortuo, Justinianus filius ejus imperat annis decem. Post Maruhan Saracenis regnat

Habdalam anno uno. Legitur in gestis Romanorum pontificum, quod tempore Joannis papæ Justinianus pacem constituit cum Saracenis decennio, terra marique; et provincia Africæ subjugata est Romano imperio. Joannes papa dimisit omni clero, et monasteriis, et diaconiæ, et mansionariis mille solidos et nonaginta. Fecit episcopos 13. Obiit, et cessavit episcopatus mensibus duobus, diebus quatuordecim. (687.) Post hunc octogesimus quintus sedit Conon, oriundus ex patre Thrace, sed educatus apud Siciliam. Deinde Romam veniens, et eidem Ecclesiæ militans, sedit mensibus undecim. Erat aspectu angelicus, veneranda canitie, sermone verax, ætate perfectus, animo simplici, quietis moribus, religiosæ vitæ. Nunquam se in causas actusque sæculares commiserat. Hic absque consensu cleri, ex immissione malorum hominum, Constantinum diaconum Ecclesiæ Syracusanæ hominem pravum et tergiversutum rectorem constituit in patrimonio Siciliæ; sed et mantulos...... autem ei dedit. Sanctus Cutbertus episcopus Anglorum obit. Habdimelech Saracenis imperat annis 22. Inter quem et Justinianum pax convenit, ut Saraceni solvant Romanis singulis diebus mille numismata, et servum, et equum. Vulfredo majore domus mortuo, Pipinus filius Ansegisi principatur in Austria cum duce Martino; quibus congressus Ebroinus, ut supra dictum est, Martinum peremit, et victoriam obtinuit. Apud Longobardos post Pertharith, Caniperth filius ejus regnat annis duodecim. Egdric Anglorum rege mortuo, externi reges gentium regnum Angliæ disperdunt et discindunt annis quatuor, vel secundum alios annis sex. Conon papa longa infirmitate detentus obiit XI Kalendas Octobris, et cessavit episcopatus mensibus duobus, diebus 23.

688. Post quem octogesimus sextus Sergius, natione Syrus, de Antiochiæ regione ortus, ex patre Tiberio in Panormo Siciliæ. Hic Romam veniens, sub Adeodato papa, studiosus et capax erat in officio cantilenæ : ex qua gratia usque ad episcopatum ascendit per ordinem. Cum hoc electi sunt Theodorus archipresbyter, et Paschalis archidiaconus. Theodorus vero se humiliavit et quievit; Paschalis autem nolebat, donec coactus eum recepit. Qui tamen clanculo non cessabat mittere Ravennam, et promittere Joanni exarcho cognomento Platin, centum auri libras. Qui Romam veniens, non potuit Paschalem adjuvare : quia jam Sergius confirmatus erat; sed tamen aurum promissum exegit ab ecclesia Sancti Petri. Pro qua re Sergius cantaros et coronas, quæ pendebant ante altare Beati Petri, deponi fecit, et pignori tradi. Sed non propter hoc exarchus flexus est, donec auri centum libras accepit. Paschalis non multo post ab archidiaconatu depositus est, non solum pro hac re; sed etiam pro aliqua incantatione, et lucis quos colebat; et sortibus, quas cum aliis respectoribus tractabat; et in monasterio retrusus est, post quinquennium impœnitens defunctus. Zacharias autem protospatarius missus a Justiniano hæretico, ut Sergium papam mitteret Constantinopolim, abscondit se sub lecto pontificis præ timore Romanorum, ne eum occiderent; ubi præ timore perdidit sensum; quem tamen papa confortabat; qui cum injuriis et contumeliis a Roma expulsus est. Hic Sergius in sacrario Beati Petri invenit capsam argenteam in loco obscurissimo multæ annositatis, ita ut argentea non appareret, et Deo revelante; in quo sigillum erat expressum, et in sigillo plumatium holosericum superpositum, quod stauraci dicitur. Quo ablato invenit crucem diversis lapidibus pretiosis exornatam : de qua tractos quatuor petales, in quibus gemmæ clausæ erant miræ magnitudinis, ineffabilem portionem ligni Dominici invenit repositam. Quod lignum die Exaltationis sanctæ crucis adoratur, et osculatur ab omni populo. Hic constituit, ut hora confractionis Dominici corporis, *Agnus Dei* a clero et populo decantetur : et ut in die Annuntiationis Domini, et Dormitionis, et Nativitatis sanctæ Dei Genitricis, et sancti Simeonis, qui Hipapanti dicitur, exeant litaniæ a Sancto Adriano, et ad Sanctam Mariam populus concurrat. Hic corpus primi Leonis papæ divina revelatione transposuit. Hic ordinavit Bertoaldum archiepiscopum Otauniæ, et Clementem, id est Villebrordum Frisonum. Fecit episcopos centum et septem. Sedit annis tredecim, mensibus octo diebus viginti tribus. Innocentia et meritum sancti Leodegarii multis miraculis declaratur.

689. Justinianus pacem cum Saracenis factam solvens, mala eis intulit, sed pejora ab eis pertulit. Ebroinum majorem domus Neustriæ Francos opprimentem Ermenfridus perimit, et ad Pipinum confugit. Waratho pro Ebroino major domus constituitur. Justinianus pacem cum Bulgaribus factam solvit, eisque concurrens primo vincit, post ab eis exceptus, vix evasit. Inter Pipinum et Gislemarum Warathonis filium apud Naumurum castrum pugna committitur; nec multo post Gislemaro divinitus punito, et Warathone mortuo, Bertharius gener Warathonis fit major domus regiæ. (690.) Franci a Berthario aversi, affectant per obsides amicitiam Pipini, eumque instigant contra Bertharium. S. Audoenus, et Theodorus Anglorum archiepiscopus, et S. Amatus obierunt. Theodericus rex simul cum Berthario, Pipino congressus vincitur. Bertharius a suis perimitur : Theodericus a Pipino capitur. (691.) Pipinus Neustriam sibi subjugat : et sub Theoderico solus toti regno principando statum rerum meliorat : S. Lambertum in Trajectensi præsulatu relocat, Wicred filius Egberti regis religione et industria confortatus, gentem Anglorum ab oppressione exterorum liberat, et super eos regnat annis 6, cum apud suos invidiam pressisset industria, et apud hostem pacem locasset pecunia; magna spe civium allectus in regem. Hic domi civilis, bello invictus, religione Christianissimus,

potestatem suam amplissime porrexit. S. Remaclus obit. Alahis dux, fatigato Cuniperth, regnum Longobardorum arripit, quem Cuniperth in bello peremit. Willebrordus cum sociis duodecim veniens ab Anglia, sanctitate claret in Gallia.

692. Beatus Ansbertus post beatum Audoenum fit Rothomagensis episcopus. Hic fuit de pago Vilcassino, et patrimonio, vocabulo Calorgio. Huic desponsata fuit Andragesina virgo, filia Roberti viri illustris, et geruli annuli regis Clotarii. Qua orante, ut speciositas ejus in deformitatem verteretur, mox leprosa apparuit. Adhibebantur medici; sed quanto plus laborabant, tanto turpior apparebat. Sciscitatur ejus pater, si vellet in virginitate permanere; respondet se semper hoc desiderasse. Lætificatus sponsus ejus Ansbertus, dissociabilem condit libellum, ut jam non sua sed Christi sponsa vocaretur. Quo facto mittitur sancta Angadersina Rothomagum ad sanctum Audoenum; a quo consecrata et velata, pristinæ pulchritudini restituta est.

Deinde efficitur gubernatrix cœnobii Oratorii, quod situm est juxta muros urbis Belvaci. Post hæc cum beatus Ansbertus coram rege Clothario et principibus musica instrumenta audiret, aiebat sibi: O bone conditor, quale erit diligentibus te, canticum indeficiens angelorum audire in cœlis, si talia sunt cantica hominum in terris! Post hæc factus est monachus in Fontanellæ monasterio, sito in pago Rothomagensi super Sequanam; ubi tunc præerat beatus Vandregisilus, qui et Vando, Ansegisi majoris domus ex Valchso fratre nepos; qui duo præclara cœnobia Fescannum et Fontenellam construxit. Hic videns Ansbertum acuti ingenii, diversorum voluminum ei copiam tribui fecit. In conventu orationi prior omnibus se præsentabat. Rogavit etiam beatum Vandregisilum, ut licitum sibi foret, in opere quotidiano cum licentia patris extra solitum fratrum opus insistere. Presbyter consecratus est a beato Audoeno. Prædixit Theoderico adolescenti, quod rex futurus esset. Ad cujus prophetiæ fidem, ager in quo tunc erat, sub hiemali tempore viridem produxit herbam, cæteris agri partibus perpetuo viridiorem. Post beatum Vandregisilum, qui fuit abbas annis fere viginti, electus est Lambertus Tavernensis. Theodericus autem rex largitus est patrimonium suum ultra Rhodanum, in regione Provinciæ, ut monasterio Fontanellæ ministraret in oleo et cæteris necessariis. Hic Lambertus postea factus est episcopus Lugdunensis, post beatum Genesium: et beatus Ansbertus tunc factus est abbas Fontanellæ post eumdem Lambertum. Erat in vestitu vilis, in cibo mediocris. Constituit in suo monasterio xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum, in quibus duodecim pauperes reciperentur: et alias duas domos infirmorum, in quibus octo reciperentur. Sub prædicto autem Lamberto Erembertus Tholosæ episcopus, et sanctus presbyter Condredus, et anachoreta de Britannia insula, facti sunt monachi in Fontanellæ monasterio. Post beatum Audoenum sanctus Ansbertus episcopus factus est. Morabatur tunc rex in villa Clepiaco, in pago Parisiaco: cujus consessor erat sanctus Ansbertus, cum de regni negotiis tractaretur. Factus episcopus, crevit gratiis, decrevit metallis. Quadam die expletis missarum solemniis, cunctos cives Rothomagenses, tam nobiles, quam ignobiles, introduci jussit ad præparata convivia: ubi cunctis disposite recumbentibus, ipse ad mensam pauperum resedit. Census qui de villis publicis canonico ordine ad partem pontificis persolvi consueverat, in restaurationem ecclesiarum presbyteris indulsit. Dedit privilegium monachis Fontanellensibus, ut semper ex semetipsis abbatem eligerent: in quo tamen privilegio alligavit eos sub vinculo anathematis, si vel ipsi, vel posteri eorum a Regula sancti Benedicti deviarent: quod privilegium factum est anno Incarnationis Domini 682, anno Theodorici 16, episcopatus beati Ansberti 5, indictione x, in urbe Rothomago, in synodo generali. Corpus beati Audoeni transtulit in editiorem locum ecclesiæ Sancti Petri in suburbano Rothomagi: et condidit super ejus sepulcrum repam miræ magnitudinis, auro et argento et gemmis adornatam, in die Ascensionis Domini; completisque missarum solemniis plebem innumeram invitari fecit ad convivium. In quo convivio ipse servivit pauperibus et egenis. In hoc convivio de dato ipsius refecti sunt omnes cives Rothomagi, et habitatores monasteriorum circum adjacentium, clerici, et sanctimoniales. Incusatus apud Pipinum principem, jussu ejusdem deportatus est in exsilium, apud Altum montem, quod situm est in territorio Hagnauvo super Samberrem fluvium, cui tunc præerat Hildulfus abbas. Quod exsilium humiliter subiit nullo exstante crimine; memorans, quod alicubi legerat: Magni viri multa patiuntur; et ut alios doceant, nati sunt in exemplum. Reconciliatus apud regem, petiit ab eo humiliter, ut licitum foret sibi, corporis sui membra post mortem ad monasterium referri. Eo mortuo, cum sudarium capiti ejus imponeretur, visus est aperuisse oculos. Lampas ante ejus sepulcrum a fidelibus accensa, incessanter non solum ardebat, sed etiam redundabat: ita ut sub ea poneretur vas, in quo ejus redundantia refunderetur. Superiori tempore ponere debuimus, quod hic ponimus. Florebat eo tempore sanctus Hildevertus natus in civitate Meldensi, cui episcopus præfuit. Quinquennis traditus est sancto Faroni, sacris litteris imbuendus. Convicia sodalium patientissime portabat. Ex quo presbyter a sancto Farone factus est, semper cilicio ad carnem usus est. Monitu sancti Faronis monasterium petiit: post beatum Faronem episcopus factus est. Juxta urbem Meldensium habebatur ecclesia Sanctæ Crucis, in qua quondam sepultum fuerat corpus sancti Faronis. In hujus ecclesiæ atrio Meldenses mortuos suos sepeliebant. Accidit autem, ut quidam maligni viri beatum Hildevertum peterent, ut in illo atrio sibi-

aliam ecclesiam liceret ædificare, quod et factum est. Sed idem templum avaritiæ studio fabricatum nocte præcedente qua in crastinum dedicari debuerat, funditus corruit. Quo timore perterritus beatus Hildevertus, et pœnitentia ductus Romam adiit ad Bonifacium papam, ut pœnitentiam sibi injungeret super hoc peccato : qui post satisfactionem ab illo missus est ad prædicandum. Introiens autem per singulas domos, dicebat, Pax huic domui, pax ingredientibus et egredientibus : et sic verbum incipiens ad finem usque complebat. Hoc faciebat usque Hierosolymam, progrediens et revertens. Septimo anno egressionis suæ retulit papæ quæ gesserat. Rediens autem in Galliam cum auctoritate domini papæ, in loco qui dicitur Latiniacus, invenit monachum, nomine Furseum, sanctitate præcipuum, cui angelus Domini per visum astitit, dicens : « Hildevertus episcopus mane venturus est ad te; cui a Domino peccata noveris esse dimissa. Vide ergo, ut eum suscipias cum honore. » Ad hunc cum veniret sanctus Hildevertus, projecit se ad pedes ejus. Quod ille videns, ruit in faciem suam. Deinde pervenit Hildevertus in vicum quemdam septimo ab urbe Meldensium milliario; ubi Ecclesiam in honore Beatæ Mariæ ipse fundaverat, quam postea dedicavit, et ibi missam celebravit : cumque ibidem manibus wrantos (2) extraxisset, apposuit eos radio solis, et sustentati sunt ab eo trium horarum spatio. Deinde suscitavit quemdam puerum sine baptismo mortuum, quem baptizans vocavit Aldebertum, ex nomine patris sui, quem juxta se mandavit sepeliri, septimo anno postea moriturum. Mortuus est autem beatus Hildevertus 7 Kal. Junii. Horum duorum corpora beatus Majolus abbas ex revelatione angelica postea levavit de terra, ipse et episcopi plurimi.

693. Theodericus rex Francorum obit, post quem Clodovæus filius ejus regnat annis 4, vel secundum alios annis duobus. Theodericus autem regnavit annis novemdecim, qui Clodovæum istum genuit ex regina Clothilde. Bertharius autem, de quo supra dictum est, qui fuit gener Warathonis, fuit statura pusillus, et stultus, et inutilis. Saraceni Romanos gravissimo bello atterunt. Ewaldus abbas et Ewaldus niger presbyteri, venientes ab Anglia, martyrizantur in Gallia, et jussu Pipini sepeliuntur in Colonia.

694. Pipinus Raboldum ducem Frisonum bello vincit : et Willebrordum genti illi ad prædicandum dirigit. Killiani Vintiburgensis episcopi discipulus Aruval, Adamanus abbas, Adelmus, et Wintfridus episcopi clarent in Anglia.

695. Justinianus hæreticus sanctam sextam synodum infirmare nititur; Sergium papam sibi resistentem Ecclesia deturbare frustra molitur. Ecclipsis hora diei tertia facta est, stellis in cœlo clare apparentibus. (696.) Beda venerabilis presbyter et monachus claret in Anglia, tricesimum ætatis annum agens. (697.) Leo patricius Justinianum regno privat; eumque naso et lingua truncatum exsiliat, et regnat annis tribus. Hoc tempore dicit Beda sanctum Cutbertum obiisse, hoc modo loquens in libro De temporibus. [Reverendissimus Ecclesiæ Lindisfarnensis in Britannia, ex anachoreta antistes, Cutbertus, totam ab infantia usque ad senium vitam miraculorum signis inclytam duxit : cujus corpus humatum post annos undecim incorruptum, velut eadem hora defunctum, simul cum veste qua tegebatur, inventum est : quod in libro De vita et virtutibus ejus prosa nuper, et hexametris versibus ante aliquot annos, ipsi signavimus.] Clodovæus rex puer mortuus est : post quem regnavit Hildebertus, qui et Childebertus, frater ejus, annis 18, vel secundum alios 17. Cujus major domus fuit Grimoaldus Pipini filius, ex uxore nobili Plectrude : ex qua et genuit idem Pipinus Drogum ducem Campaniæ. Willebrodus a Sergio papa Clemens agnominatus, et episcopus Frisonum consecratus, ex domo Pipini, sedem episcopalem statuit apud Ultrajectum, id est Vulcarum oppidum, qui de Britannia gentis Anglorum fuit. Sanctus Killianus episcopus cum discipulis suis Cholomanno et Tholmano, martyrizatur apud Viziburch castrum Ostrofranciæ, a Geilana uxore Gotberti principis Wiziburgensium : quæ timebat separari per eum a viro suo; quia Killianus eum arguebat, quod uxorem quondam fratris sui haberet. Horum mors cum diu omnes lateret, ipsa Geilana et percussoribus martyrum arreptis a dæmonio, eorum confessione divulgata est.

698. Sanctus Ursmarus per interventum Hildulfi principis, Lobiense cœnobium ad regendum suscepit. Synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei, ut ait Beda, quintum universale concilium a Justiniano magno, et Vigilio papa Constantinopoli celebratum, suscipere diffidit, donec salutaribus Sergii papæ monitis instructa consensit. Sanctus Lambertus Pipinum principem increpare ausus, quod pellicem Alpaidem Plectrudi legitimæ uxori suæ superduxerit, a Dodone fratre ipsius Alpaidis Leodii martyrizatur, et Trajecti tumulatur; eique sanctus Hugbertus episcopus subrogatur. Beda dicit Leonem imperasse annis tribus; sed in chronicis non computantur in imperio ejus, nisi anni duo. Huic Leoni Tiberius, qui et Absimarus, nasum abscidi fecit, et eum in custodia retrudi : et post eum imperavit annis septem.

699. Drogo filius Pipini dux Campaniæ moritur, et Grimoaldus frater ejus a Pipino major domus statuitur in aula regis Childeberti : eique filia Raboldi Frisonum ducis Theosinda in uxorem datur. Hic Grimoaldus ex concubina genuit Theudoaldum. Mortuo Cuniperth Longobardorum rege, Luitperth filius ejus puer regnat, Ansprandum tutorem habens. Dodo interfector sancti Lamberti pessimo do-

(30) *Chirothecas intelligit.*

lore cruciatur, a vermibus consumitur, et ob intolerabilem fetorem in Mosam fluvium projicitur: omnesque hujus culpæ complices infra annum divinitus puniuntur. Percussor vero sancti martyris fratri suo congressus, alter ab altero perimitur.

700. Romani pervagantes Syriam, perimunt ducenta millia Saracenorum, Regimbertus dux Taurinensium Anspradum tutorem regis Luitperti bello superat, et anno uno regnat.

701. Terbellis Bulgaribus dominatur. Mortuo Regimberto, Aripertb filius ejus, Ansprando in congressu victo, Luitpertum regem capit et perimit: Ansprandum in Bajoariam fugere compellit filiumque ejus juniorem Luitprandum ad patrem suum fugere permittit, et annis novem regnat. Chintasindus senio confectus regnum Visigothorum dimittit. Post quem regnat filius ejus Flavius Resisvindus. Sanctus Benedictus abbas Anglorum obiit.

702. Sergius papa obiit VII Idus Septembris, et cessavit episcopatus mense uno, diebus viginti. Post quem octogesimus septimus sedit Joannes, quintus hujus nominis, natione Græcus, annis tribus, mensibus duobus, diebus duodecim; qui fecit episcopos sexdecim. Justinianus, de exsilio fugiens, ad Cajanum regem Avarorum se contulit.

703. Cajanus pecunia corruptus a Leone imperatore, cum vellet Justinianum ei prodere, Justinianus ad Terbellem regem Bulgarorum fugit. BEDA. Gilvifer dux gentis Longobardorum Beneventi Campaniam igne et gladio et captivitate vastavit. Admissis donariis plurimis cum sacerdotibus, Joannes papa Sergii successor, universos redemit captivos et hostes domum redire fecit, cum non esset, qui eis resisteret. Qui Joannes obiit, et cessavit episcopatus mensibus quinque, diebus octodecim. (704.) Post quem octogesimus octavus sedit alius Joannes, sextus hujus nominis, natione Græcus, de patre Platone, annis duobus, mensibus sex, diebus septemdecim; vir eruditissimus et facundus. Hujus temporibus Aripertus rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Scotiarum, quod ab eadem gente detinebatur, aureis litteris exaratam, beato Petro reformavit. Hic Joannes inter alia opera illustria, fecit oratorium sanctæ Dei Genitricis opere pulcherrimo, intra ecclesiam Beati Petri. Alfrido Nordanimbrorum rege mortuo, Osredus regnat annis duodecim; qui puer annorum octo regnare incœpit, et totam vitam suam turpiter sanctimonialium stupris exegit, et tandem cognatorum insidiis occisus est. (705.) Justinianus exsul auxilio Terbelli Bulgarorum regis regnum recipit; Leonem, qui locum ejus occupaverat, et Tiberium successorem ejus, qui eum de regno ejectum, toto quo ipse regnabat tempore, in eadem civitate in custodia tenuerat, cepit, et in medio circi coram populo jugulari præcepit. Callinicum vero patriarcham erutis oculis misit Romam; et dedit episcopatum Cyro, qui erat abbas in Panto, eumque alebat exsulem. Hic Justinianus quoties a naso sibi abscisso defluentem reumatis guttam detergebat, pene toties aliquem ex his, qui contra eum conspiraverant, jugulari jubebat. Imperavit autem secundo cum Tiberio filio annis septem, secundum Bedam annis sex. Joannes papa fecit episcopos novemdecim, obiit XV Kal. Novembris, et cessavit episcopatus mensibus septem. Post quem octogesimus nonus sedit Sisinnius, natione Syrus, diebus viginti. Hic adeo podagricus fuit, ut non cibum manibus propriis sumere valeret; sed constans erat animo, et curam habens de habitatoribus urbis hujus: et calcareas pro restauratione murorum perquiri fecit. Fecit episcopum unum in insula Corsica. Morte repentina defunctus est, et sepultus octavo Idus Novembris; et cessavit episcopatus mense uno, diebus 18. (706.) Post quem nonagesimus sedit Constantinus, natione Syrus, annis sex, diebus quindecim. Sub hoc facta est Romæ fames valida per annos tres: post quam tanta fuit ubertas, ut præterita inopia oblivioni traderetur. Eodem tempore Felix archiepiscopus Ravennas lumine privatus est a Justiniano, et missus in exsilium in Pontum: quia fuerat auctor seditionis contra eum. Sclavi Italiam infestant.

707. Cohered et Offa reges Anglorum Romam veniunt; ibique in monachos attonsi, Christo serviunt. Offa rex Merciorum fuit tunc temporis potentissimus. (708) Justinianus pacem cum Bulgaribus pactam solvit: eisque congressus vix evasit. Picti et Scoti Paschalis observantiæ ritum suscipiunt. (709.) Post Abdimelich Saracenis imperat Ulid annis septem. Hildeberto monarchiam regni Francorum tenente, archangelus Michael apparens Auberto Abrincatensi episcopo, monuit semel et iterum, ut in loco maris, qui propter eminentiam sui Tumba vocatur, fundaret ecclesiam in memoriam sui, volentis talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhiberetur in monte Gargano. Interim taurus a latrone furtim raptus in illo loco religatur. Unde episcopus tertio admonitus, ut in illo loco fundamentum jaceret, ubi taurum religatum inveniret: et sicut eum terram pedibus protrivisse videret, sibi ecclesiæ ambitum duceret, ecclesiam in honore sancti Michaelis instituit in loco, qui modo dicitur In periculo maris. Usitatius autem dicitur mons Sancti Michaelis. Et sciendum, quod de veneratione sancti Michaelis in monte Gargano, cujus memoria recitatur semel in anno in Martyrologio tertio Kalendas Octobris, historiam invenire non potui. In qua tamen festivitate memoria hujus secundæ apparitionis in pluribus Ecclesiis legitur, nescio qua de causa; nisi forte ideo, quia illius primæ venerationis in monte Gargano historia non invenitur. Credo tamen eam haberi ab aliquibus; sed in manus meas nondum venit.

710. Adrianus abbas Anglorum, qui cum Theodoro archiepiscopo a Vitaliano papa in Angliam missus fuerat, obiit. Eodem anno, secundum Willelmum Malmesburiensem, mortuus est Adelmus,

quatuor annis episcopatu functus; qui librum *De virginitate* scripsit ad virgines Bertigenses. Justinianus imperator fidem orthodoxam amplexus, Constantinum papam ad se Constantinopolim invitat : eumque venientem et redeuntem gloria apostolico digna honorat. Unde legitur in *Gestis Romanorum pontificum* : Constantinus papa ad mandatum Justiniani perrexit Constantinopolim : et ipse cum suis primatibus ingressus est urbem cum sellis et frenis inauratis, et mappulis, gestans comelaucum, ut solitus est Romæ procedere. Deinde occurrit imperatori apud Nicomediam : et imperator prostratus in terram, osculatus est pedes ejus. In eundo et redeundo fecit episcopos quadraginta duos. Sanctus Hugbertus cœlitus admonitus corpus sancti Lamberti a Trajecto Leodium cum magna miraculorum gloria refert, sedemque episcopalem in eamdem urbem transfert. Ansprandus cum Bajoariis Italiam repetit; cum Aripert confligit : eoque fugiente, et in fluvium demerso, regnum Longobardorum recipit. Qui post tres menses mortuus est. Post quem Luitprandus filius ejus regnavit annis triginta duobus.

711. Sancta Oda uxor Hocchi ducis Aquitanorum sanctitate claret in Gallia; quæ sua munificentia ditavit ecclesias Dei; et moriens in Leodiensi parochia requievit. (712.) Philippicus, qui et Bardonius, Justinianum imperatorem jugulat, et post eum imperat annis duobus. Cujus nomen et litteras et figuram Constantinus papa, populusque Romanus, tanquam hæretici, suscipere renuit.

713. Grimoaldus major domus, Leodii ante altare sancti Lamberti orans, a Taingario satellite Rabbodi ducis Frisonum perimitur; et Theobaldus filius Drogonis ab avo suo Pippino major domus statuitur. Hæc Sigebertus. Sciendum tamen quod Theodoaldus iste, non filius Drogonis, sed filius ejusdem Grimoaldi, superius dictus est, ex concubina genitus. (714.) S. Ursmarus episcopus et abbas Lobiensis cœnobii obiit, eique sanctus Herminus succedit. In *Gestis Romanorum pontificum*, post tertium mensem, quod Justinianus tam gloriose Constantinum papam susceperat, ipse Justinianus a Philippico occisus est. Pro cujus pravo dogmate, imago, quam Græci botaream vocant, continens sex sanctas et universales synodos, in ecclesia Beati Petri recitata est. Eo tempore Felix archiepiscopus Ravennas pœnitentia motus, licet lumine privatus, rediit ad propriam sedem. Hoc tempore duo reges Saxonum cum aliis plurimis venientes ad limina apostolorum, velociter, ut optabant, mortui sunt. Tunc Benedictus Mediolanensis episcopus altercavit pro Ecclesia Ticinensi; sed victus est; quia ad consecrationem sedis apostolicæ pertinebat. Constantinus papa fecit episcopos quatuordecim, et obiit vi Idus Januarii, et cessavit episcopatus diebus quadraginta. Post quem nonagesimus primus sedit Gregorius secundus hujus nominis, natione Romanus, annis sexdecim, mensibus novem, diebus undecim, temporibus Anastasii secundi, Leonis et

A Constantini. (715.) Arthemius enim, qui et Anastasius, Philippicum privans imperio et oculis, imperavit. Hic Gregorius sub sancto Sergio curam bibliothecæ habuit. Hic in exordio episcopatus sui calcarias decoquere jussit, et incœpit restaurare muros civitatis; sed multipliciter impeditus est. Hic constituit in Quadragesima etiam quinta feria jejunandum, quod antea non fiebat. Petronay civis Brixianus, divino instinctu, et Gregorii papæ animatus hortatu, cœnobium Sancti Benedicti apud castrum Cassinum nobiliter reædificat : et sub regimine suo multos ad regulariter serviendum Deo aggregat, et expletis plus centum decem annis, ex quo a Longobardis desolatum fuerat. Beda in Chronicis suis, dicit Philippicum regnasse anno uno, B mensibus sex : et ejecisse Cyrum de pontificatu, cumque remisisse in Pontum, ad gubernandum monasterium suum vice abbatis; et Constantino papæ misisse litteras pravi dogmatis, quas ille cum apostolicæ sedis consilio respuit : et hujus rei causa fecit picturas in porticu Sancti Petri, quæ acta sex sanctorum synodorum continerent. Nam et hujusmodi picturas, cum haberentur in urbe regia, jusserat Philippicus auferri : statuitque populus Romanus, ne imperatoris hæretici aut nomen, aut chartas, aut figuram solidi susciperent. Unde nec ejus effigies in ecclesiam introducta est, nec nomen ad missarum solemnia prolatum. Item Beda dicit, Anastasium imperasse annis tribus, et litte- C ras Constantinopolim misisse per scholasticum Paternum, et exarchum Italiæ; quibus se fautorem catholicæ fidei, et sancti sexti concilii prædicatorem esse docuit. Pippinus princeps obit; et filium suum ex Alpaide Carolum Tuditem, sive Martellum, principatus sui hæredem reliquit. Plectrudis autem relicta Pippini Carolum Pippinum suum captum, in urbe Colonia custodiæ mancipat; et cum nepote suo Theodoaldo majore domus principatum regni usurpat. Mortuo autem Childeberto Francorum rege, qui, ut legitur, vir sanctus fuit, Clodoveus filius ejus, qui et Dagobertus, regnat annis quatuor. Childebertus autem sepultus est Cauciaco monasterio in basilica Sancti Stephani. Franci contra Theodoaldum damnoso bello utrinque confligunt; eoque D victo, Reginfredum majorem domus, et Chilpericum regem statuunt. Carolus de custodia novercæ divino nutu eripitur, moxque principatum suum de manu Raginfredi extorquere nititur : primoque Rabodum ducem Frisonum Raginfredo solatiantem aggressus, multum exercitus damnum consequitur.

716. Sanctus Egidius veniens a Græcia, sanctitate claret in Provincia. Anastasius imperator classem direxit in Alexandriam contra Saracenos : qui ad aliud versi consilium reversi sunt Constantinopolim; et Theodosium orthodoxum coegerunt esse imperatorem. Anastasius cum illis dimicavit : sed victus, coactus est fieri clericus, et presbyter consecratus est. Theodosius autem, cum esset iners et idiota, et publicorum negotiorum exactor, vi com

pulsus est ab exercitu imperium assumere. Ulid ammiras moritur : post quem Zuleimen annis tribus Saracenis principatur. Osred Nordannimbrorum rege mortuo, Coenred regnat annis tribus, vel secundum alios, annis duobus. Ina rex West-Saxonum nullos fratres habuisse dicitur in Chronica; sed sorores habuit Cuthburgam et Quemburgam : quarum prima regi Nortannimbrorum Alfrido nupta, et mox relicta, primo apud Burkingum sub abbatissa Hildelida, mox ipsa magistra regulæ Wimburnæ Deo placitam vitam transegit. Vicus est modo ignobilis; tunc temporis insignis, et multas habens sanctimoniales virgines. Habuit quoque Ina uxorem Ethelburgam, feminam regii generis et animi. Quæ dum crebro instillaret auribus viri, ut mundanis rebus vel in extremis annis valefacerent, B et ille de die in diem differret, astu tandem sic eum superavit. Quadam vice apud villam ingenti tumultu regales luxus explicuerant; postridie cum discessissent, villicus ex præcepto reginæ, palatium quanta potuit deformitate, tam fimo pecudum, quam ruderum aggeribus infamavit : et in loco ubi cubuerant porcam noviter enixam collocavit. Cumque jam milliario processissent, regina regem uxoriis delinimentis aggreditur, rogans ut redeant, unde discesserant : et asserit rem magni discriminis fore, si hoc non facerent. Annuit ille, vidensque locum pridie Sardanapalicis parem, nunc fœda solitudine deformem, miratur. Tunc illa occasionem aucupata, lætumque subridens : « Ubi sunt, inquit, domine, hesterni strepitus, et aulæa Sidonis succis C ebria? Ubi parasitorum discurrens petulantia; ubi Dædalea vasa pondere metallorum ipsas mensas ornantia : ubi terra marique ob lenocinium gulæ quæsita obsonia? Transierunt omnia tanquam fumus et ventus. Væ iis, qui hæserunt; quia simul transibunt. Cogita, quæso, quam miserabiliter defluunt carnes, quæ in deliciis nutriuntur. Nos qui ingurgitamus uberius, miserius putrescemus : *Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio* (*Sap.* VI). » Nec plura locuta, maritum compulit ire in sententiam, Romamque simul abierunt : et ne suæ conversioni pompam facerent, non publicis vultibus comam deposuerunt, sed plebeio amictu tecti. Jam consenuerant, D multisque, ut accepimus, claruere miraculis. Regnavit autem Ina annis 58, post quem consanguineus ejus Edelardus annis 14, post quem cognatus ejus Cuthredus annis 16, post quem Sigebertus sævus et infamis anno uno, qui a subulco in spelunca confossus est. (717.) Post quem Kinevulfus annis 14, post hunc Bitricus annis sexdecim; qui duxit filiam Offæ regis Merciorum tunc potentissimi : post hunc Egbertus. Egbertus veniens ab Hibernia, sanctitate et doctrina claret in Gallia. Egbertus vir sanctus de gente Anglorum, et sacerdotium monachica vita etiam pro cœlesti patria peregrinus exornans, plurimas Scoticæ gentis provincias ad canonicam paschalis temporis observan-

A tiam, a qua diutius aberraverant, pia prædicatione convertit, anno ab Incarnatione Domini 717. Sanctus Germanus a Cizico transfertur ad episcopatum Constantinopolitanum. Theodosius in imperatorem electus, ut ait Beda, Anastasium imperatorem apud Nicæam gravi prælio vicit : datoque sibi sacramento, clericum fieri ac presbyterum fecit ordinari. Ipse vero mox ut regnum accepit, cum esset catholicus, imaginem illam venerandam, in qua sanctæ sex synodi depictæ erant, quæ a Philippico dejecta fuerat, pristino in loco erexit. BEDA. His temporibus multi gentis Anglorum, nobiles et ignobiles, viri et feminæ, duces et privati, divini amoris instinctu de Britannia Romam venire consueverant. Inter quos et reverendissimus abbas meus Ceolfridus, cum esset presbyter annos 46, abbas vero annos 35, ubi Lingonas pervenit, ibi defunctus est; atque in ecclesia Beatorum Geminorum martyrum sepultus. Qui inter alia donaria, quæ afferre disposuerat, misit ecclesiæ Sancti Petri pandecten a beato Hieronymo in Latinum ex Hebræo vel Græco famine translatam. Gregorius papa Bonifacium a Britannia venientem episcopum consecrat; et per eum in Germania verbum Dei prædicat, et gentem illam convertit ad Christum. Idem Gregorius nosocomium, quod erat situm post absidam Sanctæ Dei Genitricis ad præsepe, monasterium constituit. Luiprandus rex Longobardorum Ariperti donationem confirmavit. Luna cruentata apparuit usque ad mediam noctem. Theudo dux Bajoariorum, primus de illa gente venit orare ad limina apostolorum. Fluvius Tiberis egressus est alveum suum, et transcendit muros Urbis : ita ut in Via Lata ad unam et semis staturam hominis aqua excresceret, et a porta Beati Petri usque ad pontem Milvium. Itaque domos subvertit, agros desertavit, eradicavit arbusta et segetes; pars maxima Romanorum serere non potuit : diebus septem aqua Romam tenuit : sed cum litaniæ fierent, octavo die recessit. Theodosius imperium deponit; post quem Leo secundus imperat annis 24, secundum Sigebertum, secundum Bedam annis novem, quia usque ad illum annum Chronica sua perduxit.

718. Zeulimen ammiras cum ammireis suis, et stolo navium pene trium millium, Constantinopolim triennio obsidet. Bulgares Saracenorum 32 millia perimunt. Carolus in pago Cameracensi apud Vinciacum Dominico ante Pascha, quod erat XIII Kalendas Aprilis, Chilperico et Raginfredo congreditur. Raginfredus victus in fugam convertitur. Carolus eos usque Parisius persequitur. Rabodus dux Frisonum prædicatione Vulfranni episcopi ad hoc adductus, ut baptizari deberet, cum unum pedem in fonte intinxisset, alterum pedem retrahens, interrogavit, ubinam plures majorum suorum essent, in inferno, an in paradiso : et audiens plures esse in inferno, intinctum pedem retraxit, dicens : « Satius est, ut pluresquam pauciores sequar; » et ita ludificatus a dæmone promittente, quod ei tertia die ab-

hinc bona incomparabilia caret, ipsa tertia die subita et æterna morte periit. Hic Vulfrannus Senonensis episcopus ex territorio Vastenensi fuit. Cujus pater Vulbertus in aula regis Dagoberti, et filii ejus Ludovici militavit. Successit Lamberto Senonensi in episcopatu Senonensi, tempore Lotharii et Theodorici regum juniorum. Hic visu admonitus est, ut genti Frisonum verbum Dei prædicaret. Quod ut faceret, ivit tunc ad monasterium Fontanellam; cui tunc Pater erat beatus Ansbertus Rothomagensis episcopus; de quo monasterio cooperatores secum assumpsit ad prædicandum. Qui dum navigarent Frisiam et essent in medio mari, quod adjacet regioni Norinorum; cum adfuit hora, ut missam cantaret sanctus Vulfrannus, navi manente immobili, positis anchoris; dumque ventum esset ad locum, ubi minister offerre debebat patenam præsuli, præsul extensa manu eam exspectabat; sed dum minister abluere eam vellet, in mari cecidit, prostratusque præsulis pedibus veniam precabatur, qui mittens eum ad locum ubi ceciderat, orando effecit ut patena ab imo maris revecta manui ministri adhæreret. Post hæc filius Rabodi ducis a beato Vulfranno baptizatus, in albis positus exspiravit. Mos autem erat apud Frisones, ut quemcunque sors delegisset, offerretur dæmonibus immolandus. Ad hoc electus est sorte puer quidam Ono nomine: quem cum sanctus Vulfrannus expetisset, respondit dux : « Si tuus Christus de tormento mortis eripuerit eum, sit tuus. » Appensus est autem in patibulo. Orante autem sancto Vulfranno, dirupta sunt vincula, quæ guttur illius constringebant; et illæsus corruit in terram. Qui tentus a sancto, surrexit incolumis. Qui baptizatus, et postea a Regislando Rothomagensi episcopo presbyter ordinatus, multos codices transcripsit monasterio Fontanellæ. Post hæc Rabodus dux, cum deberet baptizari, ut supra dictum est, pedem a fonte retraxit; et cum esset in multa dubitatione misit ad beatum Willebrodum illius gentis episcopum, consulens, si deberet baptizari: qui respondit : « Quomodo mihi credet, qui sancto fratri nostro Vulfranno non credit? Ego, inquit, hac nocte vidi eum catena ignea ligatum. Unde constat, eum jam æternam damnationem subiisse. » Cumque iret ad domum principis, nuntiatur eum jam esse mortuum : et statim remeavit ad sua. Quomodo autem Rabodus ille deceptus fuerit a diabolo, prædictus Ono narrabat, dicens, quia apparuisset ei in angelum transfiguratus, caput opertus diademate aureo cum gemmis, et veste auro texta. In quem cum Rabodus intenderet, dixit ad eum diabolus : « Virorum fortissime, quis te ita seduxit, ut a cultura deorum velis recedere? Noli hoc facere, sed mane in his quæ didicisti; et venies ad domos aureas, quas tibi æternaliter in proximo sum daturus. Cras ergo accersi Vulfrannum doctorem Christianorum ; et quære ab eo, quænam sit illa mansio æternæ claritatis, quam tibi pollicetur. Quam cum

A demonstrare nequiverit, utriusque partis mittantur legati; et ego ero dux itineris; et demonstrabo illis mansionem auream et pulcherrimam, quam tibi promitto. » Evigilans Rabodus, narravit cuncta sancto Vulfranno. Qui dicens, illusorem diabolum sibi velle illudere, respondit dux, se futurum Christianum, si illa pulchra mansio non demonstraretur sibi a Deo suo. Mittitur ergo statim quidam Freso ex parte ducis; et quidam diaconus ex parte sancti Vulfranni. Qui cum paululum ab oppido processissent, obvium habuerunt quemdam itineris comitem, qui dixit eis : « Properate cito : nam monstrabo vobis pulcherrimam mansionem Rabodo duci præparatam. » Illi autem pergentes viam latissimam, et loca ignota, viderunt quam-B dam viam diversorum generibus marmorum polito opere decoratam : videruntque a longe domum quasi auream, et pervenerunt ad plateam, quæ ante domum erat, quasi auro et gemmis stratam. Intrantesque in domum, viderunt domum esse miræ pulchritudinis, et incredibilis splendoris, et in ea thronum miræ magnitudinis. Tunc ductor itineris ait illis : « Hæc est mansio præparata Rabodo duci. » Ad hæc diaconus obstupescens, ait : « Si a Deo facta sunt ista, perpetuo maneant; si a diabolo, cito dispereant. » Et cum signaret se signo sanctæ crucis, ductor ille transiit in diabolum, et domus aurea in lutum : remanseruntque diaconus et Freso in medio locorum palustrium, quæ plena erant longissimis rauseis virgultis, triduoque immensi iti-C neris conficientes iter, reversi sunt ad oppidum, et ducem mortuum invenerunt, narraveruntque quæ viderant sancto Vulfranno. Freso autem baptizatus est, qui dicebatur Ingomarus, sive Cuningus, qui secutus est sanctum Vulfrannum ad monasterium Fontenellæ. Mortuus est autem Rabodus dux, ut legitur in Vita sancti Vulfranni anno ab Incarnatione Domini 719, anno 6 principis Caroli. Fuit autem apud Fresones beatus Vulfrannus per annos quinque, et postea reversus est ad Fontenellam monasterium, ubi monachicum assumpsit habitum, ordinato episcopo in urbe Senonica Gerico venerando. Ipse vero sanctus apud Fontenellam pluribus annis sine lecto fuit, cilicio tectus sub cuculla. Nusquam D divitibus honoris vel timoris gratia, si qua deliquissent, reticebat; sed aspera invectione illos corripiebat. Mitius autem canebat, non elata in altum voce; sed profusis lacrymis ex imo pectore. Obiit apud Fontenellam XIII Kal. Aprilis, anno Domini 720. Sepultus est juxta beatum Wandregisilum in ecclesia Beati Pauli, in quo loco jacuit per annos novem. Beatus autem Wandregisilus ibi jacuit annis quadraginta, sanctus autem Ansbertus annis undecim. Hoc tempore in Britannia cuidam eremitæ monstrata est mirabilis quædam visio per angelum de sancto Joseph decurione, qui corpus Domini deposuit de cruce; et de catino illo sive paropside, in quo Dominus cœnavit cum discipulis suis; de quo ab eodem eremita descripta est historia,

quæ dicitur de gradali. Gradalis autem sive gradale Gallice dicitur scutella lata, et aliquantulum profunda; in qua pretiosæ dapes cum suo jure divitibus solent apponi gradatim, unus morsellus post alium in diversis ordinibus; et dicitur vulgari nomine graalz, quia grata et acceptabilis est in ea comedenti : tum propter continens, quia forte argentea est, vel de alia pretiosa materia; tum propter contentum, id est ordinem multiplicem pretiosarum dapum. Hanc historiam Latine scriptam invenire non potui, sed tantum Gallice scripta habetur a quibusdam proceribus, nec facile, ut aiunt, tota inveniri potest. Hanc autem nondum potui ad legendum sedulo ab aliquo impetrare. Quod mox ut potuero, verisimiliora et utiliora succincte transferam in Latinum. 719. BEDA. Saraceni Constantinopolim derelinquunt : plurimi eorum fame et frigore et pestilentia perierunt. Regressi vero Bulgarorum gentem, quæ est super Danubium, aggressi, et ab ea victi, refugiunt, ac naves repetunt suas. Quibus, cum alta peterent, ingruente subita tempestate, plurimis navibus mersis vel confractis per littora a navibus sunt necati. Ceuleimen ammiras moritur, post quem Haumar Saracenis regnat annis duobus; contra quem Constantinopolitani instantia orandi et præliandi, et constantia fortiter resistunt, sub quo Saraceni sine numero pereunt. Fertur autem eos miraculose hoc modo periisse. Apud Constantinopolim in monasterio Sanctæ Dei Genitricis, juxta palatium, in mari prope Sanctam Sophiam erat imago beatæ Mariæ, quæ tenet infantem in brachio, quam depinxit in tabella sanctus Lucas, cum adhuc viveret sancta Maria. Hæc imago vocatur Odigitra, id est *deductrix*; quia duobus cæcis apparuit sancta Maria, et deduxit eos ad suam ecclesiam, et illuminavit eos. Cum ista imagine faciunt processionem omni die Martis, per totam civitatem. Cum ergo, ut supra dictum est, obsessa esset civitas, et cives jejunarent et orarent, simul et pugnarent, quidam civis admonuit conferri illam imaginem, et ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo : « Sancta Dei Genitrix, quæ toties nos liberasti, libera nos modo de inimicis Filii tui; et si vis, ut imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos. » Et cum hoc dixissent, ille secreto imaginem tenuit sub undas; et statim procella surrexit, et omnes naves Saracenorum aut mersit, aut fregit. Mortuo rege Dagoberto, Lotharius regnat annis duobus. Post Conred regnat Osrich Nordanimbris annis undecim. Hi duo, id est, Conred et Osrich, occiderunt Osred, qui ante eos regnaverat. Constantinus Leonis imperatoris filius, dum baptizatur a sancto Germano patriarcha, cacans in sancto lavacro magnum dat præsagium, quod futurus esset Ecclesiæ Dei in scandalum. Saraceni ab obsidione Constantinopoli confusi discedunt, ipsis cum navibus suis partim dimersis, partim igneæ grandinis tempestate vastatis; et ex tanta copia navium vix quinque residuis, potentia Dei cunctis innotuit. Infra civitatem vero trecenta millia hominum pestilentia perierunt. 720. Haumar Christianos persequens, multos eorum martyres fecit. Chilpericus et Nigimfredus, Eudonem ducem Aquitaniæ auxilio sibi asciscunt; qui in congressu a Carolo victi, vix fuga evaserunt. Eudo rediens Chilpericum secum abducit. Saraceni ex Africa duce Abditam filio Muhaniæ ammirei, in Hispaniam transfretant, eamque sibi vindicant : et ita regnum Wisigothorum et Suevorum destructum est, et redactum sub Saracenis, annis plus minus trecentis quadraginta sex evolutis, ex quo a Scythia expulsi sunt ab Hunnis : ex quo vero cedentibus Wandalis, et devictis Suevis cœperunt regnare in Hispania, annis circiter ducentis quinquaginta sex evolutis. Regnum vero tertiæ partis Hispaniarum, quod dicitur Galliciensium, nec tunc Wisigothi, nec postea Saraceni, potuerunt subigere; sed adhuc viget incolume, et Dei fide protegente, manet inexpugnabile.

721. Post Haumar Gizid regnat Saracenis annis tribus. Mortuo rege Lothario Carolus Chilpericum ab Eudone per legatos recipit, eumque sibi regem facit. Luitprandus rex Longobardorum, audiens, quod Saraceni depopulata Sardinia loca illa fœdassent, ubi ossa sancti Augustini doctoris magni, propter vastationem barbarorum olim translata fuerant, et honorifice condita, misit, et dato pretio accepit ea, et transtulit Ticinum; ibique cum debito Patri tanto honore condidit. Hucusque scripsit Beda Chronica sua, numerans ab initio mundi usque ad hunc Leonem, secundum Hebraicam Veritatem, annos quatuor millia sexcentos octoginta. (722.) Leo imperator sæpe et multum laboravit, ut Gregorius papa perimeretur, sed frustra, Italis et Longobardis pro ejus defensione instanter imperatori resistentibus. Hoc in *Gestis Romanorum pontificum* sic narratur: Basilius dux, et Jordanis chartularius, et Joannes subdiaconus, cognomento Lurion, cogitaverunt quomodo pontificem interficerent assentiente eis Morino imperiali spatario, secundum mandatum imperatoris; qui Morinus contractus effectus a Roma recessit; Romani autem consilio patefacto, Jordanem chartularium interfecerunt et Joannem Lurionem. Basilius autem monachus factus mortuus est. Paulus vero exarchus scelus volebat perficere per alterum spatarium; sed Longobardi contra Romanos irruentes hoc impedierunt. Pontifex Domini siverat eos censum ponere in provinciis, sicut alibi faciebat. In Campania Italiæ triticum combustum, et hordeum, et legumina, quasi pluvia de cœlo missa sunt. Carolus Raginfredum persequens Andegavum obsidet, eamque captam victo Raginfredo ad habitandum concedit, et totius regni principatum recipit. Luitprandus rex Ravennam obsidet, classeque Ravennatium civitatem captam destruit, atque inde naves multas, et opes innumeras abstulit.

723. Carolus Saxones debellat. Rigobertus Re-

mensis episcopus a Carolo suo in baptismate filio, ab episcopatu deponitur, pro eo quod illi contra Raginfredum eunti, urbem Remensem præ timore Raginfredi aperire noluit. Eucherius quoque Aurelianensis episcopus pro simili causa episcopatu privatus, et apud Saxonum vicum Hasbaniæ exsulatus, in cœnobio Sancti Trudonis sanctitate consummatus est.

724. Carolus Bajoarios armis subjugat. Judæus quidam maleficus promittens Gizid eum quadraginta annis regnaturum, suadet, ut in toto regno suo Dei sanctorumque imagines deponi edicat. Qui spe diu regnandi seductus, edictum quidem proposuit, sed mox obiit. Post quem regnavit Eluelid annis viginti.

725. Leo imperator a quodam Beser apostata et fidei refuga seductus contra imagines Christi et sanctorum ejus bellum indicit; easque ubique deponi et incendi edicit. Pro quo errore Gregorius papa eum scriptis multum quidem, sed in vanum redarguit. Paulus autem exarchus cum suo filio interfectus est a Romanis. Romani autem volebant alium imperatorem sibi eligere; sed pontifex prohibuit, sperans ejus conversionem. Stella, quæ Antifer vocatur, cum radiis apparuit in cœlo in Occidua; cujus radii partem Aquilonis respiciebant, et usque ad medium cœli se extendebant. Tiberius ex partibus Thusciæ veniens, regem se facere volebat, qui interfectus est, et ejus caput Constantinopolim missum. Eutychius patricius et Luitprandus rex cogitaverunt, ut pontifex interficeretur, ut rex haberet ducatum Spoletanum, et patricius Romam. Quibus cum occurrisset pontifex in campo Neronis, sic flexit animum regis, ut pronus eum adoraret, et deponeret mantum, armelansiam, balteum et spatum deauratos, et coronam auream, et crucem argenteam. (726.) Carolus contra Lanfridum Alemannorum ducem dimicat; eoque victo, Alemanniam sibi subjugat.

727. Childerico mortuo, Carolus Theodoricum sibi regem facit, qui regnat annis 15. Carolus interea Saxones debellat. Apud Constantinopolim depositæ sunt imagines sanctorum omnium, et Salvatoris, et sanctæ Dei Genitricis, et igni crematæ sunt, et omnes pictæ ecclesiæ dealbatæ. Qui imperatori non consentiebant, alii occisi, alii mutilati sunt. Sanctus Germanus episcopatu depositus est. Anastasius imperatori favens factus est episcopus. Carolus Suevos debellat, et Bajoarios secundo. Wicred, rex Anglorum, obiit: post quem regnat filius ejus Edilbertus. Iste Wicred, sive Wifredus Egberti filius, ut supra dictum est in hujus voluminis quadragesimi quinti capitulo sextodecimo, regnavit annis triginta sex. Ante illum autem proximis sex annis rex non fuerat in Cantia. Reliquit autem liberos tres. Edbertus viginti tribus annis, Edbertus undecim, Alricus triginta quatuor, paterna tenentes instituta, haud dedecoro exitu regnum continuavere. Coemes primus Bulgaribus regnat. (728.) Carolus Ligeri transito Eudonem ducem Aquitaniæ bello victum fugat, et Aquitaniam graviter devastat. Gregorius papa, quia Leonem imperatorem incorrigibilem vidit, Romam, et Italiam, et Hesperiam totam ab ejus jure descissere facit, et vectigalia interdicit. (729.) Eudo dux Carolo per omnia inferior, contra eum invitat Saracenos ab Hispania.

730. Sanctus Egbertus Anglorum presbyter obiit. Saraceni cum omnibus familiis suis, quasi in Galliis habitaturi, Garumnam transeunt, omnia devastant, ecclesias Dei cremant. Quibus Carolus auxilio Dei fretus bello occurrit; et ex eis trecenta septuaginta quinque millia cum rege suo Abdirama perimit, et mille ducentos tantum ex suis amittit. Eudo quoque Carolo reconciliatus castra Saracenorum irrumpit, et reliquias eorum conterit. Hæc Sigebertus. In *Gestis* autem *Romanorum pontificum* hoc bellum sic narratur. Saraceni, qui jam Hispanias per decem annos tenuerant, conabantur Rhodanum transire, et Francias occupare, ubi Eudo præerat. Qui facta contra eos pugna, interemit ex eis 375 millia uno die. Mille vero tantum quingenti ex Francis mortui sunt. Hic Eudo, anno præmisso, pro benedictione tres spongias acceperat, quæ ad usum mensæ Romani pontificis apponuntur. Hora vero qua bellum committi debebat, idem Eudo princeps Aquitaniæ populo suo permodicas partes tribuit ad sumendum: et ex eis qui participati sunt, nec unus quidem vulneratus est, aut mortuus. Mortuo Osric rege Nordanimbrorum, Cednulphus regnat. Gregorius papa dimisit monasteriis, diaconiæ, et mansionariis, et omni clero, solidos duo millia centum sexaginta; et ad luminaria Sancti Petri solidos mille. Fecit episcopos centum quinquaginta. Obiit et sepultus est quarto Kalendas Februarii, Leone et Constantino imperantibus; et cessavit episcopatus diebus triginta quinque.

731. Post quem sedit nonagesimus secundus Gregorius alter, tertius hujus nominis, natione Syrus, annis 10, mensibus 8, diebus 25, vir mitis et sapiens, Græce et Latine instructus, psalmos omnes memoriter retinens. Hic misit ad imperatores Leonem et Constantinum, Georgium presbyterum: qui timens, scripta non porrexit. Qui rediens pene depositus est a sacerdotio: sed rogantibus pro eo episcopis totius concilii, pepercit ei: et injuncta pœnitentia, iterum misit eum Constantinopolim. Sd imperatores in Sicilia fecerunt retineri scripta, et portitorem exsilio per annum relegaverunt. Igitur Gregorius papa populum Romanum et vectigalia totius Hesperiæ a Leone avertit. Raginfredus moritur, et Beda venerabilis presbyter, secundum Sigebertum; secundum vero Willelmum duobus annis post: quod verius videtur, ut postea demonstrabimus. Carolus Lugduno, aliisque civitatibus captis, Burgundiam sibi subjugat. Constan-

tinus Leonis filius Hirenen filiam Cajani Avarorum ducis uxorem ducit: quæ baptizata, viro suo apostatante, fidem rectam tenuit. (732.) Carolus in Vasconia cum Eudone pugnat, eumque principatu et vita privat. Luitprandus de jure Romani pontificis multas urbes et castella tulit. Cedulfus rex Nordanimbrorum capitur, et in clericum tondetur: et post hoc in regnum remittitur. Hæc Sigebertus. Guillelmus autem Malmesburiensis ait: Post Osricum regnavit septimus ab Ida Cednulfus, litterarum peritus: cui Beda obtulit Anglorum historiam, ab eo elimandam. Et addit: Hujus anno quarto obiit Beda, anno Incarnationis 733, ætatis suæ 59, qui in extremo natus orbis angulo, doctrinæ corusco splendore omnes terras perstrinxit. Anno vitæ suæ decimo nono diaconus factus, et trigesimo presbyter: ex quo usque ad 59 aut docere, aut scribere non destitit. Triginta sex volumina edidit, quæ in septuaginta et octo libros divisit. Ferunt eum Romam ivisse, ut libros suos vel ecclesiasticæ doctrinæ convenire, præsens assereret; vel si resultarent, apostolico monitu corrigeret. Eum tamen Romæ fuisse solide non affirmo; sed tamen ipsum invitatum illuc, haud dubie pronuntio, a papa Sergio. Exstat enim ejus epistola ad abbatem Bedæ Celfridum: in qua inter cætera scriptum est sic: *Hortamur Deo dilectam religiositatis tuæ bonitatem ut, quia exortis quibusdam ecclesiasticarum causarum, non sine examinatione longius innotescendis, opus nobis sunt ad conferendum arte litteraturæ imbuti: sicut decet Deo devotum auxiliatorem matris Ecclesiæ universalis, obedientem devotionem huic nostræ adhortationi non desistas accommodare; sed absque aliqua remoratione, religiosum Dei famulum Bedam, venerabilis monasterii tui presbyterum, ad limina apostolorum principum, dominorum meorum Petri et Pauli, amatorum tuorum ac protectorum, ad nostræ mediocritatis conspectum non moreris dirigere: quem, favente Domino, sanctis tuis precibus, non diffidas prospere ad te redire, peracta præmissorum capitulorum cum auxilio Dei desiderata solemnitate. Erit enim, ut credimus, cunctis credentibus profuturum, quidquid Ecclesiæ generali claruerit per ejus præstantiam impertitum.* Ita tam celebris erat fama, ut vel quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana. Incuriosæ fuit, sed dulcis eloquentiæ. Continuis septem hebdomadibus ante mortem stomachi indignatione cibos nauseans, et angusto suspirio halitum producens, litteralium tamen studiorum operam non rejecit; sed totis his diebus præter debitum psalmodiæ pensum in his intendebat, Evangeliumque Joannis his diebus Anglica lingua interpretatus est. Dicebat discipulis: «Discite filioli. dum vobiscum sum.» Feria tertia ante Ascensionem modicus tumor in pedibus apparuit: tunc accita congregatione, inunctus et communicatus est, osculoque cunctis libato futuram sui memoriam a singulis imploravit. Nonnullis etiam ob familiariorem amicitiam xeniola, quæ in secretis

A habebat, largitus est. Die Ascensionis contra oratorium quo orare consueverat, subjecto cilicio decumbens, illibato sensu, et hilari vultu dicebat: *O Rex gloriæ! Domine virtutum*, etc., usque in finem antiphonæ; qua finita spiritum efflavit subsequente tam suavi odore, ut omnes qui astabant, in paradiso esse se dicerent. Humatus est in eodem monasterio; sed modo cum beato Cuthberto Dunelmi situs dicitur. Epitaphium ejus est hoc:

Presbyter hic Beda requiescit carne sepultus:
Dona, Christe, animam in cœlis gaudere per ævum;
Daque Sophiæ illum debriari fonte, cui jam
Suspiravit ovans, intento semper amore.

Hæc Guillelmus. Igitur obiit Beda Venerabilis
B presbyter anno quarto Cednulphi regis, anno Dominicæ Incarnationis, ut dictum est, 733. Eodem anno Gregorius papa tertius hujus nominis synodum nongentorum et trium episcoporum Romæ congregat, et venerationem sanctarum imaginum confirmat, earumque violatores generali sententia anathematizat. Eodem quoque anno Carolus Tudites Wailfero et Huvaldo filiis Eudonis dimicando victis, Aquitaniam sibi subjugat. (734.) Carolus Frisiam aggressus, Poponem ducem Frisonum cum multis perimit, et Frisiam sibi subjicit. (735.) Carolus Avenionem Galliæ urbem, a Saracenis dolo et consensu Maruntii provinciæ ducis captam, obsidet, eaque fortiter recepta, Saracenos usque
C ad internecionem delet. Obiit sanctus Hugbertus. Regnum Anglorum abhinc non adnotatur. Hæc Sigebertus. Guillelmus autem sic: Cednulfus rex, cujus anno quarto obiit Beda, post octo annos regni sui, in Lindisfarnensi Ecclesia monachus factus est, substituto in regnum Egberto patris sui filio, qui viginti annis regnavit; et habuit fratrem æquivocum Eboraci archiepiscopum. Hujus urbis Paulinus primus antistes, vi hostilitatis loco pulsus apud Rofecestram diem obiens, ibidem illud insigne pallii, quod ab Honorio papa acceperat, reliquit. Plures post eum tantæ urbis præsules simplici episcopatus nomine contenti, ad nihil altius anhelaverant. Sed pallium insigne archiepiscopi multa apostolici throni appellatione recuperavit. Hic Egbertus episcopus, omnium liberalium
D artium, ut ita dicam, armarium, imo sacrarium, et nobilissimam Eboraci bibliothecam instituit. Hic Egbertus archiepiscopus magister fuit Alcuini. (736.) Egbertus rex fratris in religione æmulus, comam tonsus, Moloni locum cessit, qui undecim annis strenue regnans, insidiis Alredi occisus est: qui Alredus decimo anno regni a provincialibus pulsus est. Post quem rex Alfunoldus undecimo anno regni sui perfide ab eisdem occisus est. Ante hunc vero Ethelbertus, qui et Adeldredus, filius Mollonis rex levatus, quinto anno ab eisdem expulsus est. Post hunc nullus ad regnum ascendere ausus est. Saracenorum rege Athima obsesso intra Galliæ urbem Narbonam a Carolo, Saraceni ex

Hispania cum alio rege Amor, ei occurrunt subsidio. Qui congressi Carolo, ambobus regibus peremptis, civitate recepta, ultimo pene attriti sunt exterminio, eumque insequentem fugientes residui dimersi sunt in profundo.

737. Carolus Nemausum, Agatnen, aliasque Gothicæ regionis urbes a Saracenis invasas capit, et solotenus destruit. Sanctus Erminus episcopus et abbas cœnobii Lobiensis obit. (738.) Arelate urbe capta a Saracenis, et omnibus circumquaque destructis, Carolus accito sibi ad auxilium Luitprando Longobardorum rege eis occurrit, eosque terrore nominis sui in fugam vertit, et eis omnem spem de cætero invadendi Gallias abstulit. 739. Trasamundus dux Spoleti contra Luitprandum rebellans, ad Romanos confugit. Carolus Maruntium Provinciæ ducem, qui Saracenos invitaverat, superat, et Provinciam sibi subjugat. Luitprandus rex pro refugio Trasamundi Romam graviter vexat. (740.) Carolus Saxones tributarios facit. Signa in sole et luna et stellis apparent. Post Theodoricum regem Francorum regnat Hildericus annis novem. (741.) Pacato et dilatato regno Francorum, Carolus princeps bellicosus obit, relinquens hæredes principatus sui filios suos Carlomanum et Pippinum. Huic Carolo Gregorius papa bis a Roma legitur mississe claves venerandi sepulcri, cum vinculis sancti Petri, et muneribus multis: quam libenter legationem suscepit; et misit Romam cum muneribus multis Grimoaldum abbatem Corbeiæ, et Sigebertum reclusum basilicæ Sancti Dionysii. Obiit autem Carolus Carisiaco (*Cressi*) villa super Isaram fluvium, anno principatus sui vicesimo quinto, decimo Kalendas Novembris; sepultus est in basilica Sancti Dionysii. Post Leonem Constantinus filius ejus imperat annis 35.

Constantinopolis per annum integrum terræmotu nimis gravatur. Ante mortem Leonis Petrus defensor missus est Constantinopolim ad Anastasium episcopum. Hic datas sibi columnas, sexonidas volubiles adduxit Romam, et posuit in ecclesia Beati Petri ante confessionem erga presbyterium, tres a dextris, et tres a sinistris, super quas posuit trabes, quas vestivit argento mundissimo, in quo expressæ sunt ab uno latere effigies Salvatoris et apostolorum, et ab alio Dei Genitricis, et sanctarum virginum. Gregorius papa faciens pergulam, contulit dona diversarum speciérum, id est gabatas aureas duas, et alias saxiscas quinque, imaginem sanctæ Dei Genitricis, diadema aureum in gemmis, collare aureum in gemmis et cætera, quæ in ornamento pergulæ suo ordinata sunt. Hic fecit imaginem sanctæ Dei Genitricis amplectentem Salvatorem, in gemmis diversis, totam auream, pensantem libras quinque. Eo tempore Luitprandus rex veniens Romam, in campo Neronis tetendit tentoria, et deprædata Campania multos nobiles de Romanis more Longobardorum totondit et vestivit. Unde

A pontifex dolore constrictus, sacras claves ex confessione Beati Petri accipiens, misit Carolo Francorum principi per Anastasium episcopum, et Sergium presbyterum; ut Romanos a Longobardis liberaret. Vulgatium de partibus Franciæ fecit episcopum Viennensem: instituit festum Sanctorum Omnium; fecit episcopos octoginta. Sepultus est quarto Kalendas Decembris, et cessavit episcopatus dies octo. (742.) Post quem sedit nonagesimus tertius Zacharias, natione Græcus, annos decem, menses tres, dies quatuordecim; vir per omnia laudabilis, persecutores suos honoribus provehens. Huic Luitprandus rex quatuor civitates reddidit, quas Romanis abstulerat; et multa alia, quæ beato Petro abstulerat, et pacem firmavit cum ducatu Ro-

B mano per annos viginti; et captivos omnes, quos de provinciis Romanorum abduxerat, reddidit papæ. Hic Zacharias fecit a fundamentis ante scrinium Lateranense porticum et turrem, et portas æreas, et cancellos: et super eamdem turrem triclinium et cancellos æreos, ubi orbis terrarum descriptionem depinxit, et diversis versiculis ornavit, libros *Dialogorum* translatavit in Græcum. Invenit caput vel corpus sancti Georgii martyris, cum litteris Græcis ipsum esse significantibus: quod deduci fecit in regionem secundam ad Velum Aureum, congregato omni populo. Fecit episcopos octoginta quinque. Luitprandus rex Longobardorum moritur. Hildebrando autem, quem ipse regem designaverat, a Longobardis reprobato, Racis re-

C gnat annis septem. Pippinus princeps Hunaldo duci Aquitaniæ sibi rebellanti obviat, et Carlomannus Alemanniam devastat. Artabaldus contra Constantinum imperium arripit. Sanctus Bonefacius archiepiscopus Maguntinus cœnobium Fuldense in Baconia silva fundat.

743. Carlomannus Saxoniam petit, castrum Ostoburch capit, Theodoricum Saxonem pacis obsidem accipit. Egdilo dux Bajoariæ rapta sorore Pippini contra eum rebellat: quem Pippinus pugna quamvis damnosa superat.

744. Constantinus Artabaldum capit, et oculos ei et filiis ejus eruit; et sic eos in exsilium mittit. Sed et multis amicorum ejus oculi eruti sunt. El-

D velid ammiras moritur; post quem Gizid regnat anno uno. (745.) Cinis de cœlo cecidit. Pippinus Theodoaldum filium Godefridi ducis debellat. Petrus Damascenus episcopus, et Petrus Mavimenus in Syria a Saracenis martyrizantur. Aquensi urbe a Saracenis capta et desolata, corpus beatæ Mariæ Magdalenæ a Girardo comite Burgundiæ ad cœnobium Vizeliacum a se constructum transfertur: quanquam aliqui scribant, eam apud Ephesum quiescere, et nullum super se tegimen habere. (746.) Carlomannus frater Pippini Romam profectus, regno relicto, a Zacharia papa in monachum attonsus est; primo in monte Sirapti, in cœnobio, quod ipse fundavit: postea propter frequentiam visitantium se, et domum illum gravantium, transiit in Montem Cassi-

num, et ibi laudabili vita enituit. In *Gestis Romanorum pontificum* legitur, quod a sancto pontifice clericatus jugum accepit. Post ad Sanctum Benedictum in Aquinensium partibus situm profectus est; et ibidem jurejurando definivit vitam finire. Albalongus presbyter pro illata sibi cæcitate admonitus quærere corpora sanctorum Killiani sociorumque ejus, inventis illis visum recepit. Qua de re sanctus Bonefacius castrum Wiziburth ad honorem Killiani martyris, qui ibi a Conone papa ad prædicandum fuerat ordinatus, ibique mortis et quietis a Deo locum acceperat, episcopalis loci privilegio insigniri decrevit; primumque ibi episcopum sanctum Burchardum ordinavit. Gizid perempto, Ilistes regnat anno uno. (747.) Post quem Murubam regnavit annis sex. (748.) Pippinus Grifonem fratrem suum contra se rebellantem in Saxoniam persequitur. Saraceni intestino bello inter se colliduntur. Pippinus Grifonem in Saxonia, et ejus complices Tassilonem, Lanfridium et Suidiger bello victos capit. Tassilonem Bajoariæ ducem facit, Grifoni in Neustria duodecim comitatus concedit: quod illi non sufficit, sed ad Walferium in Aquitaniam fugit. In Calabria et Sicilia fit pestilentia, et mortalitas hominum nimia. In vestibus hominum, et in velis ecclesiarum apparent cruciculæ, quasi oleo designatæ.

749. Rachis Longobardorum rex rupto fœdere Romam inquietat, et urbem Perusinam obsidet. Ad quem perrexit Zacharias papa, assumptis ex suo clero optimatibus, et dedit ei plura munera, deprecans eum, ut desistat ab obsidione; et intantum prædicavit ei verbum Dei, quod ille clericus effectus, indutus est monachi habitu cum uxore et filiis Romæ. Cui Aistulphus succedit annis septem. (750.) Hildericus rex Francorum in monachum tonsuratur: Pippinus vero princeps auctoritate apostolica, et Francorum electione a sancto Bonefacio Maguntino episcopo in regem ungitur et consecratur, et regnat annis octodecim: post annos circiter octoginta octo, postquam majores domus cœperant principari super reges Francorum.

751. Pippinus rex contra Saxones pugnat; Ecclesias Galliarum cantibus Romanæ auctoritatis suo studio meliorat· Grifo frater ejus perimitur. Remigius alter ejus frater Rothomagensis episcopus claret. (752.) Zacharias papa obiit Idibus Martii; et cessavit episcopatus dies duodecim. Post quem nonagesimus quartus sedit Stephanus secundus, annis 5, diebus 29. Cum hoc electus est alter Stephanus presbyter, qui tertio die surgens a somno, et sedens, familiares causas disponens, subito alienatus obmutuit; et sequenti die defunctus est; post quem iste unanimiter ab omni populo electus est. Qui mox Romæ restauravit 4 xenodochia, et alia 5 fundavit. Hunaldus, dux Aquitaniæ, venit ad limina apostolorum, ubi se perseveraturum promisit; postea votum frangens, et ad Longobardos exiens, maligna eis adhortans, lapidatus est. Aistulphus rex Longobardorum cœpit Romanos affligere: cui Stephanus papa tertio mense ordinationis suæ multa munera misit pro pace. Qui percussit cum eis fœdus in quadraginta annos, quod quarto mense rupit: et per unumquemque solidum auri imponere cupivit, et sibi Romam subdere. Pontifex vero misit Constantinopolim pro auxilio. Interim ille opprimebat eos valde. Papa vero propriis humeris imaginem Domini nostri Jesu Christi, et ejus Genitricis, et crucem sanctam, pedibus nudis incedens, portabat ad processionem, posito in omnium capitibus cinere. Hic omni Sabbato, postposito omni neglectu, litaniam fieri statuit. Hic fecit rugas ante altare beatæ Mariæ semper virginis ad Præsepe: quas argento vestivit. Maruha, perempto Muhammad, regnat annis 5. Stephanus papa misit ad Pippinum regem Franciæ pro auxilio contra Aistulphum. Qui Pippinus misit Rodgangum, prius abbatem, postea episcopum, et Aucharium ducem, ut papam adducerent in Franciam. Qui dum iret, apparuit in cœlo globus igneus a parte australi, declinans a Galliæ finibus in partes Longobardorum. Pontifex autem venit ad monasterium Sancti Mauritii, ubi ad eum properavit occurrere Pippinus cum uxore et filiis, præmittens filium suum Carolum. Ipse vero in suo palatio Ponticone descendit de equo suo, et terræ prostratus cum uxore, et filiis, et optimatibus, eum suscepit; qui et ipse vice stratoris usque in aliquantum locum juxta ejus sellarem..... præparavit. In die sancto Epiphaniæ suscepit eum; et mox exercitum suum direxit Ravennam. Et quoniam hiems erat, duxit secum pontificem Parisius, et apud Sanctum Dionysium eum hiemare fecit: in quo monasterio idem Pippinus aliquantis diebus cum papa moram faciens, in regem inunctus est, ipse et filii ejus. Ibi papa valde infirmatus est, et dum mane mortuus putaretur, subito alia die sanatus est. Tunc Aistulphus misit Carlomannum de Monte Cassino in Franciam ad fratrem suum Pippinum: qui nihil profecit, sed ibidem factus est monachus. Post movit exercitum contra Aistulphum Pippinus. Qui victus, pepigit fœdus, quod remeante Pippino dirupit, et Romam tribus mensibus obsedit: et multa sanctorum corpora extra cœmeteria projecit. Iterum papa misit ad Pippinum, qui festinus obsedit Papiam. Mox Aistulphus omnia reddidit beato Petro, quæ abstulerat, et scripto confirmavit; qui postea in venatione divino ictu percussus est. Hic fuit frater Ragis regis, qui monachus factus est. SIGEBERTUS. Igitur Pippinus a Stephano papa cum filiis suis Carolomanno et Carolo in regem unctus est; et per eos generatio eorum in hæreditatem regalis successionis in perpetuum benedicitur: et omnis alienigena ab ejus regni invasione apostolico anathemate interdicitur. Pippinus iterum Italiam ingreditur, Aistulphum vincit; et ad nutum suum eum facere compellit. Carlomannus monachus ossa sancti Benedicti abbatis ab ecclesia Floriacensi tollere nititur, et ad

castrum Cassinum referre; sed miraculis a Deo ostensis, et Francis obsistentibus, ab incœpto prohibetur. (753) Terræmotus terribilis factus est, quo aliæ urbes ex parte, aliæ ex toto subversæ sunt; aliæ a montanis ad subjecta campestria cum muris et habitatoribus suis integræ et salvæ, plusquam ultra sex millia transmigraverunt. In Mesopotamia terra dirupta est usque ad duo milliaria; aliaque terra nimis alba et arenosa de profundo ascendit, et ex eo animal mutinum ascendit incontaminatum humana voce loquens, pronuntians incursionem gentis ab eremo adversus Arabes. (754.) Carlomanus monachus Viennæ moritur. Sanctus Bonefacius Magontinus episcopus cum sociis suis in Frisia martyrizatur; et in Fulda cœnobio, quod ipse in Thoringia construxerat et fundaverat, honorifice tumulatur. Hic Bonefacius, natione Anglus, scripsit epistolam Ethebaldo Anglorum regi : cujus genealogia Willelmus Malmesburiensis hoc modo scribit: Anno Domini 626, Penda quidam filius Pibbæ a Wodemo decimus, apud Mercios regis nomen præsumpsit; cum jam quinquagenarius contra finitimos frequentibus excursionibus nutrisset audaciam; aut nesciens, aut dissimulans, quantum scelus esset, sociali vincere bello, Edwinum et Oswaldum reges Nordanimbrorum; Sigebertum, et Egricum, et Anam, reges orientalium Anglorum exstinxit. Cenwalnum West-Saxonum regem in exsilium compulit, et merito : qui primum Christianus, postea fidem abnegans, sororem Pendæ repudiaverat. Tandem ab Oswino fratre sancti Oswaldi, magis per Dei virtutem, quam per manum militarem, occisus est. Habuit ex regina Koneswita filios quinque, Wedam, Welphenum, Ethelredum, Menwaldum, Mercelinum; filias duas Kineburgam, et Kivewitam, ambas Christianas, et sanctæ continentiæ. Post hunc regnavit filius ejus Weda apud australes Mercios Oswi gener; cujus filiam tali conditione etiam vivente patre gentili acceperat, ut Christianus fieret. Hic per uxoris insidias occisus est : cujus regnum Osvius suscepit, et tres annos tenuit. Sed ducibus ejus expulsis a provincialibus, Waiferus Pendæ filius regnavit : Christianus mox factus, primus regum Anglorum Simoniacus fuit. Nam episcopatum Lundoniæ cuidam Winæ ambitioso venditavit. Uxorem duxit filiam Ercomberti regis Cantionum Ermenhisdam : ex qua genuit Keurcdum, et Waremburgam virginem sanctissimam, quæ Cestræ jacet. Frater ejus Meleunaldus uxorem duxit Ernemburgam filiam Ermenredi, fratris ejusdem Ercomberti : ex qua genuit filias, Milburgam, quæ Weneloth, et Mildritam, quæ Cantiæ et monasterio S. Augustini jacet, et filium Metesinum. Kineburgam Pendæ filiam duxit Alfridus rex Northanimbrorum : quæ postmodum sanctimonialem habitum suscepit in monasterio, quod fratres sui Vulferus et Ethelredus construxerant. Vulferus regnavit annis decem et novem; postquem Ethelredus religiosior, quam pugnacior : qui anno regni tricesimo in Bardonia regulariter tonsus, primo in monachum, mox in abbatem alteratus est. Contemporaneus fuit Inæ regi West-Saxonum. Regis Northanimbrorum Egfregi Ostgidam sororem duxit; ex qua filium Celredum suscepit. Post eum regnavit Kenredus filius fratris sui Valferi; qui fuit optimis moribus. Quinto anno regni sui Romam perrexit, reliquum temporis illic religiose vivens : compunctus et territus miserando exitu militis sui, qui, ut Beda refert, cum confiteri scelera sua sanus superbiisset, in mortis janua constitutus, aperte vidit dæmones, se ad supplicia trahentes. Post hunc regnavit Celredus, patrui sui Ethelredi filius, annis octo; qui Licestræ jacet. Reliquit hæredem Ethelbaldum, pronepotem Pendæ ex Aluvio fratre : qui regnavit in pace annis quadraginta et uno; quem postea occidit Brenredus, qui mox ab Offa necatus est.

Huic Ethelbaldo scripsit Bonifacius præfatus, Maguntinus episcopus et martyr, epistolam; de qua quædam hic excerpsi :

« Domino charissimo, et in Christi amore cæteris Anglorum regibus præferendo Ethelbaldo, Bonifacius archiepiscopus, legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ, perpetuam in Christo charitatis salutem.

« Audivimus, quod eleemosynis intentus, furta et rapinas prohibes, et pacem diligis, et defensor pauperum et viduarum es : et inde Deo gratias agimus. Quod vero legitimum matrimonium spernis, si pro castitate faceres, esset laudabile. Sed quia in luxuria et adulterio, et cum sanctimonialibus voluptaris, est vituperabile et damnabile. Nam et famam gloriæ nostræ coram Deo et hominibus confundit, et inter idololatras constituit; quia templum Dei violasti. Quapropter, fili charissime, pœnitere; et memorare quam turpe sit, ut tu, qui multis gentibus dono Dei dominaris, ad injuriam ejus sis libidinis servus. Audivimus præterea, quod optimates pene omnes gentis Merciorum tuo exemplo legitimas uxores deserant, et adulteras et sanctimoniales constuprent. Quod quam sit ab honestate peregrinum, docent vos alienæ gentis instituta. Nam in antiqua Saxonia, ubi nulla est Christi cognitio, si virgo in paterna domo, vel maritata sub conjuge fuerit adulterata, manu propria strangulatam cremant, et super fossam sepultæ corruptorem suspendunt; aut cingulotenus, vestibus abscissis, flagellant eam castæ matronæ, et cultellis pungunt : et de villa in villam missæ occurrunt novæ flagellantes, donec interimant. Winidi quoque, quod est fœdissimum genus hominum, hunc habet morem : ut mulier, viro mortuo, se in rogum cremati, pariter arsura, præcipitet. Si ergo gentes Deum ignorantes zelum castimoniæ habent, quid tibi convenit, fili charissime, qui Christianus es, et rex? Parce ergo animæ tuæ, parce multitudini populi, tuo pereuntis exemplo, de quorum animabus rationem redditurus es. Attende et illud, quod si gen

Anglorum, sicut in Francia et in Italia, et ab ipsis paganis nobis improperatur, spretis legitimis matrimoniis per adulteria defluit; nascitura sit ex tali commistione gens ignava et Dei contemptrix, quæ perditis moribus patriam pessumdet, sicut Burgundionibus et Provincialibus, et Hispanis contigit, quos Saraceni multis annis infestarunt, propter peccata præterita. Præterea nuntiatum est nobis, quod multa privilegia ecclesiarum et monasteriorum auferens, ad hoc audendum duces tuos exemplo provocas. Sed recogita, quæso, quam terribilem vindictam Deus in anteriores reges exercuit ejus culpæ, quam in te arguimus, conscios. Nam Celredum prædecessorem tuum stupratorem sancti monialium, et ecclesiasticorum privilegiorum fractorem, splendide cum suis comitibus epulantem spiritus malignus arripuit: et sine confessione et viatico, cum diabolo sermocinanti, et legem Dei detestanti animam extorsit. Osredum quoque regem Detrorum et Bernitiorum, earumdem culparum reum ita effrenem egit, ut regnum et juvenilem ætatem contemptibili morte amitteret. Carolus (31) quoque princeps Francorum, monasteriorum multorum eversor, et ecclesiasticarum pecuniarum in usus proprios commutator, longa torsione, et verenda morte consumptus est. Fili charissime, nil bono regi salubrius, quam si libenter emendet commissa, cum arguitur. Obtestamur et obsecramus te, per viventem Deum Patrem, et per Filium ejus Jesum Christum, et per Spiritum sanctum, ut recorderis quam fugitiva sit præsens vita et quam brevis et momentanea sit delectatio spurcæ carnis, per quam æterni cruciatus emuntur; et quam ignominiosum sit, ut brevis vitæ homo mala exempla in perpetuum posteris relinquat.»

Idem Bonifacius misit Cuthberto archiepiscopo ejusdem tenoris epistolam: hoc adjiciens, ut clericos et sanctimoniales de tenuitate et pompa vestium argueret; præterea ne miraretur, quod alienum negotium ageret, cum sua nihil interesset, quomodo, et quibus moribus Anglorum gens viveret. Sciret, se a Gregorio papa tertio sacramento constrictum, ne conterminarum gentium mores apostolicæ notitiæ subtraheret. Blandis admonitionibus non succedentibus, acturum se, ne hujusmodi vitia papam laterent. Ex his potest perpendi hujus beati viri prudentia et libertas spiritus in peccata regum et principum publice arguendo; per quam cum præcedentis vitæ sanctimonia, ad coronam et gloriam martyrii feliciter pervenit. Huic Bonefacio successit Lullus: de quo loquitur Vita sancti Goaris, et hi versus:

Antistes Lullus, quo non est sanctior ullus,
Pollens divina, tribuente Deo, medicina.
Occurrit morbis, ut totus prædicat orbis.

Ethebaldo regi successit Offa, quinto genu Pendæ abnepos, vir ingentis animi: qui omnia qua mente concepisset, agere proponeret. Hinc Vulfum regem West-Saxonum bellatorem fortissimum aperto Marte vicit; regem Ethelbertum magnis promissionibus ad se accitum, intra palatium suum inopinate capite truncari fecit, regnumque orientalium Anglorum dolo obtinuit. Reliquias beati Albani usque ad illud tempus obscure reconditas, gemmis et auro in scrinio reponi fecit: basilica pulcherrimi operis ibi ædificata, et monachis adunatis. Edelburgam filiam Berthico regi Westsaxonum dedit. Anselmus vir illustris, cujus soror erat uxor Aistulphi regis, corpus sancti Silvestri transfert ad cœnobium Monantulam a se fundatum.

755. Constantinus imperator synodum episcoporum trecentorum triginta Constantinopoli congregat: in qua edicto promulgato de imaginibus Dei et sanctorum ejus deponendis, Ecclesiam Dei nimis scandalizat, et contra orthodoxos tyrannizat. Aistulphus rex rupto pacis fœdere Romam obsidet. Pippinus Italiam repetens, eum Papia inclusum obsidet et invitum ad fœdus pacis repetendum compellit: et sancto Petro quæcunque sui juris erant, restitui fecit. Fulradus abbas Sancti Dionysii martyris, corpus sancti Viti martyris a Roma Parisius transtulit. (756.) Tassilo dux avunculo suo Pippino reconciliatur. Aistulphus rex judicio Dei percussus moritur, post quem Desiderius, qui erat dux in partibus Tusciæ regnat annis octodecim; sed non regnasset, nisi eum papa Stephanus advocasset sub hac conditione, ut quæ abstulerat, beato Petro redderet. Hic Stephanus fecit episcopos quindecim; et dum esset in Francia fecit Rotgangum archiepiscopum, et ei pallium tribuit. Obiit v Kalendas Maii, et cessavit episcopatus mensem unum, dies quinque. Hucusque invenitur liber *De gestis Romanorum pontificum* continue scriptus; sed a quo post Damasum, nescitur. Sunt insimul a beato Petro usque huc anni septingenti et octo, menses CCCXLIV, dies mille septuaginta, in quibus sederunt pontifices nonaginta quatuor, exceptis annis et mensibus et diebus, quibus vacavit episcopatus Romanus. Vacavit autem a beato Petro usque ad hunc Stephanum per intervalla annis novem, mensibus..... diebus mille quadringentis sexaginta quatuor. Fecerunt autem pontifices Romani episcopos per diversa loca a beato Petro usque ad hunc Stephanum II MCCLI. Porro Innocentius qui fuit quadragesimus secundus, et Bonefacius quinquagesimus septimus, et Conon, qui fuit octogesimus quintus, non leguntur fecisse episcopos. Inter Silverium autem et Vigilium, et inter Martinum et Eugenium, non dicitur cessasse episcopatus. Ab hoc loco de Romanis pontificibus sparsim et varie tractant diversi auctores. (757.) Post Stephanum sedit Romæ Paulus papa nonagesimus quintus annis decem, mense uno; sed non dicitur, quis fuerit natione, vel quid fecerit ipse. Habdallas Saracenis

(31) Carolum Martellum intelligit.

præest annis XIX. Pippinus Saxonum muniliones fortiter irrumpit, et post multam stragem eos sub tributo redigit.

758. Wailferus filius Eudonis dux Aquitaniæ res Francorum injuste vexando, iram Pippini incurrit. Eoque Aquitaniam ingresso, fœdus fictæ pacis initur. Walpertus abbas in Italia, et Crodogangus Metensium episcopus, Pippini regis ex Landeata sorore nepos, clarent in Gallia: qui Gorziam cœnobium fundavit in Metensi parochia. Corpus sanctæ Petronillæ virginis Petri apostoli filiæ Romæ a Paulo papa transponitur: in cujus marmoreo sarcophago, ipsius apostoli Petri manu scriptum legebatur: *Aureæ Petronillæ dilectissimæ filiæ*. (759.) Habdalla persequitur Ecclesiam Dei. Wailfero a pacis fœdere averso, Pippinus rex Arumnicum pagum depopulatur, et multa castella, ipsamque urbem Arumnis capit, et Blandinum urbis comitem cum multis abducit. Sanctus Gengulfus in Burgundia claret.

760. Pippinus Bituricas urbem capit, et captam munit. Thelexis Bulgaribus regnat. Chilpingus Arumnensis, et Amingus Pictaviensis comites congressi militibus Pippini, perimuntur cum multis.

761. Caput Joannis Baptistæ Memissa civitate transfertur. (762.) A Constantino hæretico multi martyrizantur. Thelexis Constantino imperatori congressus, cum multo Bulgarorum damno et opprobrio vincitur, et ob hoc a Bulgaribus reprobatus cum principibus gentis, ab eis perimitur. Post quem regnat Sabinus. Tassilo dux a rege Pippino omnino avertitur. Turci a portis Caspiis erumpentes Armeniam infestant. In quorum patria cum antiquo tempore pestilentia orta fuisset, suasu Christianorum in modum crucis se totonderunt: et quia per hoc signum salus patriæ reddita est, hunc tondendi ritum postea tenuerunt. Wailferus suis rebus diffidens, muros urbium Aquitaniæ solotenus subvertit; quos Pippinus restaurans, ad suorum tutelam fidis commisit principibus. (763.) Pippinus Lemovicinam regionem cæde et incendio depopulatur. Sabinus Bulgarius cum Romanis fœdus iniit, pro quo a suis repudiatus ad Constantinum fugit. Post quem regnat Paganus. Gelu magnum a Kalendis Octobris usque ad Februarium. Stellæ subito visæ sunt cecidisse de cœlo; quæ ita omnes exterruerunt, ut putarent finem mundi imminere.

764. Crodogangus episcopus corpora martyrum Gorgonii, Naboris et Nazarii a Roma transtulit ad Gallias: Gorgonium in Gorzia, Narborem in Illiriaco, Nazarium reponens in cœnobio Lorisham, quod Canthur comes illustris a se fundatum Metensi Ecclesiæ priori anno tradiderat. (765.) Pippinus rex Agennum, Petragoricam, et Engolismam, Aquitaniæ urbes devastat, multamque Aquitaniæ partem subjugat sibi. Crodogangus Metensis episcopus obit. Hoc tempore in Syria, civitate Beritho, qua subjacet Antiochiæ, Judæi imaginem Salvatoris Jesu Christi invenientes in domo cujusdam Judæi relictam a quodam Christiano, qui ibi manserat, eam injuriose deposuerunt; et omnia opprobria, quæ secundum Evangelium Christo illata sunt, ei intulerunt; illudentes ei, conspuentes eam, colaphizantes, alapantes, criminose conviciantes, manus et pedes clavis configentes, acetum et fel ei porrigentes: ex quo vulnere exivit sanguis et aqua; quæ illi, supposita ampulla suscipientes, ad experimentum, utrum vera fuerint miracula, quæ Jesum fecisse audierant, omnes infirmos in synagoga sua collectos hoc sanguine aspergebant, et sanabantur omnes a quocunque languore detinebantur. Unde tandem Judæi compuncti, ad civitatis episcopum Adeodatum omnes cucurrerunt, eique rem narrantes, imaginem cum sanguine reddiderunt. Quibus baptizatis, episcopus sanguinem per ampullas divisum longe lateque dirigens, prædicabat magnalia Dei, obtestans omnes, ut singulis annis celebraretur passio Dominicæ imaginis quinto Idus Novembris.

766. Constantinus et Habdallas pari vesania in orthodoxos desæviunt, et multos eorum pro Christo occidunt. Constantinus insuper ægre ferens gloriam sanctorum miraculis coruscantem, etiam lipsana eorum ubique jubet effodi, et jactari in profundum. In præsentia Pippini regis celebratur synodus de sancta Trinitate, et sanctorum imaginibus venerandis. Pippinus Temistanum fratrem Eudonis, Waiferi patruum, qui a Waifero ad se, et a se ad Waiferum transfugerat, captum a suis in bello, suspendit in patibulo. Rex Saracenorum Arminintes ab Hispania missis legatis, et muneribus datis et acceptis, affectat amicitiam Pippini regis.

767. Pippinus extremo exterminio Aquitaniam atterit, Sanctonas capit; ibique Waiferi matrem, sorores et neptes captas abducit. Paulo papa mortuo, Constantinus quidam subito ordinatus sacerdos ex laico, tyrannica ambitione papatu invaso, Ecclesiæ Dei magno fuit scandalo. Contra hunc a quibusdam Romanorum Philippus papa constituitur, et non multo post deponitur. S. Gengulfus fontem quemdam emit in Gallia: et eum oriri fecit in Burgundia. Cujus venditor dum emptorem irrideret, repente fontem suum vidit siccatum. Cum ergo quadam die juxta fontem illum in horto suo mirabiliter orientem sederet idem Gengulfus cum uxore ua adultera, cœpit illam arguere de adulterii sui infamia. Quod crimen cum illa vehementer negaret, facillimam ei opposuit purgationem, dicens: Si vis ut credam te hac infamia falso laborare, denuda brachium tuum, et affer mihi lapillum de fundo fonticuli hujus. Si illæsum brachium retraxeris, credam quod innocens sis. Quod illa audiens, secure brachium fonti immersit: et statim combustum velut ab igne retraxit. Tunc sanctus ad illam: «Ecce, inquit, veritas flagitii tui. Habe ergo tua, et mane per te, vel cum tuo adultero: nam socia mea ultra non eris.» Et data illi dimidia parte substantiæ suæ, mansit per se. Non multo post

dormiens in domo sua, occisus est a quodam clerico, qui cum sua conjuge adulterari solebat. Cujus corpus dum in feretro ad sepulturam portaretur, multi infirmi tactu illius sanati sunt. Dumque hoc illius uxori referretur ab ancilla sua, videlicet dominum suum, tanquam martyrem sanctum, miracula facere, irridens illa et subsannans, respondit: «Ita, inquit, Gengulfus miracula factitat, ut anus meus cantat.» Moxque ab ano suo turpes sonos et numerosos, vellet nollet, cœpit emittere: quod ei postea contigit in omni vita sua in sexta feria; ut quoties in eadem feria, in qua vir ejus martyr effectus est, aliquod verbum ab ore proferret, toties ab ano turpem sonum ederet. Quod audiens rex Pippinus, ad majorem gloriam martyris Gengulfi, experiri dignatus est. Post mortem Pauli papæ, dicit magister Hugo in Chronicis suis, cessasse episcopatum anno uno, et mense uno, et Constantinum præfatum sedisse tantum temporis, id est annum unum, et mensem unum, papam nonagesimum sextum. Sed iste pseudopapa de ordine et numero paparum abrasus est; et ideo totum tempus sessionis ejus appellatur cessatio episcopatus.

768. Longa concertatio inter Pippinum et Waiferum finitur; quia Waiferus a suis tantorum malorum pertæsis in gratiam Pippini perimitur: et non multo post Pippinus moritur, rex Francorum et patricius Romanorum. Obiit autem Parisiis morbo aquæ intercutis. Cui succedit Carolus filius ejus, pro felicitatis magnitudine agnominatus Magnus, sicut Alexander et Pompeius, compartito regno cum fratre suo Carlomanno, qui Carolus regnavit annis quadraginta tribus. Constantino pseudopapa per zelum fidelium ab Ecclesia deturbato, oculisque privato, Stephanus tertius, nonagesimus sextus præsidet annis tribus, mensibus quinque, diebus viginti octo, secundum magistrum Hugonem. Hic tam a Gallia quam ab Italia synodum Romæ congregat; in qua omnia a Constantino ordinata reordinat, præter baptismum et chrisma: decernente synodo, ut episcopi ab illo ordinati, ad gradum quem ante habuerant, redirent; et si digni judicarentur, iterum ordinarentur. Presbyteri vero ac diaconi ab illo ordinati, similiter ad priorem gradum redirent; et si digni essent, iterum consecrarentur; sed ad altiorem gradum vel ordinem nunquam ascenderent. Laici vero ab illo in diaconos vel presbyteros ordinati, omnino degradarentur, et in religioso habitu perseverarent. Venerationem etiam sanctarum imaginum confirmat illa synodus, et earum profanatores anathematizat. Constituit etiam, ut omni die Dominico, *Gloria in excelsis Deo* ad missam cantetur. Quod tamen prius constituerat Symmachus papa quinquagesimus secundus, cantandum scilicet *Gloria in excelsis* omni die Dominico, et in Natalitiis martyrum. Carolus factus est rex Noviomi, Carlomannus frater ejus Suessione.

769. Hunaldo in Aquitania rebellionem meditante, Carolus Aquitaniam petit; omnesque Aquitanos et Wascones in deditionem accepit. Hunaldum vero, qui ad Lupum Wasconum ducem transfugerat, a Lupo sibi cum uxore transmissum abduxit: et sic Aquitanum bellum finitum est. Desiderius rex Longobardorum sub obtentu orandi Romam ingressus, aliquos nobilium Romanorum captos excæcavit. (770.) Constantinus hæreticus omnino a Deo aversus, virum sanctum Stephanum papam per undecim annos inclusum etiam gentibus reverendum, amara morte martyrizavit; omnesque sibi subjectos jurare coegit super sanctæ crucis lignum, ne aliquam Dei, sanctorumque ejus imaginem venerarentur. Eos qui Dei Genitricem invocabant, et qui vigilias Deo agebant; et qui ecclesiis assueti religiose vivebant; et qui a juramentis et immunditiis abstinebant; et qui reliquias sanctorum penes se habebant; hos et hujusmodi damnans, patrimoniis privabat, et modis omnibus cruciabat. Qui reverentiores erant, eorum barbis cera et pice illitis, eos amburebat: monachos ut uxores, monachas ut viros ducerent, cogebat. Quod multi vitantes, martyrizati sunt; nec sub alicujus gentilis persecutione plures quam sub hoc martyrium passi sunt. Thelergius Bulgaribus regnat. (771.) Carolomannus rex, regis Caroli frater, obit apud Salmontiacum; pars regni ejus partibus Caroli se unit. Uxor ejus cum filiis, et Authario Franco, ad Desiderium regem Italiæ fugit. Hunaldus dux Aquitaniæ Romam, quasi ibi perseveraturus venit; qui ad Longobardos fugiens, apostatavit. Ibique non multo post lapidibus obrutus periit. Constantinus imperator contra Bulgaros navali bello pugnaturus, navibus suis fere duobus millibus impetu aquilonis contritis, totum pene amisit exercitum.

772. Post mortem Stephani papæ sedit nonagesimus septimus Adrianus papa, secundum magistrum Hugonem annis viginti tribus, mensibus decem, diebus octodecim. Hic ad reprimendam rabiem hæreticorum, imagines Dei, sanctorumque ejus execrantium, nimis laboravit; et libro adversus eos edito multis Scripturarum inductionibus roborato, eorum errores infirmavit, fidemque rectam solidavit. Hic in offertoriorum versibus, quod geminatum est, geminavit. Carolus ad Saxonicum bellum animum intendit. Herebuch castrum Saxonum capit. Hormen Sultanum destruit; ibique siti laborante exercitu, subito in torrente largissimæ aquæ effusæ sunt divino nutu. Carolus compos voti, obsides accepit a Saxonibus. Hoc bellum Saxonicum, ut ait Eginardus, contra Carolum triginta tres annos duravit. (773.) Adrianus papa ad tuendas res Ecclesiæ Carolum Romam accessit. Quo pergens ille Papiam obsedit, ibique relicto exercitu, Romam pervenit, Pascha ibi fecit. Rediens Papiam cepit; iterumque Romam rediens synodum constituit cum Adriano papa, aliisque centum quinquaginta tribus episcopis et abbatibus. In qua Adrianus papa cum universa synodo dedit ei jus eligendi pontificem, et ordinandi apostolicam sedem, dignitatem quoque patriciatus. Insuper archiepiscopos et episcopos per singulas

provincias ab eo investituram accipere definivit : et ut, nisi a rege laudetur et investiatur episcopus, a nemine consecretur ; omnesque huic decreto rebelles anathematizavit ; et nisi resipiscerent, bona eorum publicari jussit (32).

Offa rex Merciorum Caroli amicitias frequentibus legationibus expetit. Hic sedem archiepiscopatus olim Cantuariæ fundatam in Lincefeldam transferre conatus est, obtinuitque ab Adriano papa, ut archiepiscopatus Merciorum in Lincefelda esset ; Lambertumque archiepiscopum Cantuariensem omnium prædiorum, quæ intra terminos suos erant, et episcopatuum ditione privavit. Alcuinus a regibus Angliæ pro pace missus ad Carolum, ab eo fotus est hospitio, et apud eum resedit : vir undecunque doctissimus, qui Carolum instituit in dialectica, et rhetorica et præcipue in astronomia. Hic omnium Anglorum, post beatum Adelmum et Bedam, doctissimus fuit, et pluribus libris ingenii periculum fecit.

Prælatus est idem Alcuinus a Carolo monasterio Beati Martini Turonensis. Hic ait in epistola ad Cambaldum, tertio loco Egberti successorem : [Mitte mihi exquisitiores eruditionis scolasticæ libellos ; quales in patria mea habui, per bonam et devotissimam magistri mei Ecberti industriam : et, si placet, aliquos ex pueris nostris, qui excipiant inde quæque necessaria. Remittam qui revehant in Franciam flores Britanniæ, ut non sit tantummodo in Eboraca hortus conclusus ; sed et in Turonica emissiones paradisi.] Idem Alcuinus dicit: [Legitur in libro Gildæ Britonum sapientissimi, quod iidem Britones propter avaritiam et rapinam principum, et injustitiam judicum, et desidiam prædicationis episcoporum, et luxuriam, et malos mores populi, patriam perdiderunt. Caveamus hæc eadem vitia nostris temporibus inolescere.] Idem in epistola ad Ethelardum episcopum antecessorem Cutberti, et Lamberti successorem, ait inter cætera : Ut cum Romam vadens, Carolum magnum imperatorem, nepotem illius Caroli, de quo Bonefacius locutus est, visitaret : non adduceret clericos vel monachos versicoloribus, et pompaticis vestibus indutos ; quia solerent non Francorum clerici, nisi religiosis vestibus amiciri.

774. Saxones fines Francorum igne et cæde premunt ; sed ecclesiam in Fritislar non queunt incendere quam sanctus Bonifacius benedixit, eamque nunquam cremandam prædixit. Igitur Carolus Saxoniam repetens, tripertito exercitu concurrit Saxonibus, eique victoria provenit in omnibus. Carolus offensus dissonantia cantus Ecclesiæ inter Romanos et Gallos, duos clericos Romam misit ut authenticum cantum a Romanis discerent, et Gallos docerent : per quos primo Metensis Ecclesia, et per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus revocatur. Inter obsidendum diviso exercitu, Carolus multas urbes ultra Padum comprehendit, in-

(32) Quod hoc loco dicit auctor de beneficiorum investituris Carolo a pontifice concessis, ex Sigeberto sumptum est : quem sequi solet Helinandus. Falsam tamen esse hanc assertionem, optime demonstrant Baronius et Spondanus, cujus verba placet referre :

Quod, inquit, *Sigebertus in Chronico scribit, Carolum Papia capta rediisse Romam, et in synodum centum quinquaginta trium episcoporum et abbatum ab Adriano papa celebrata, datum ei fuisse jus eligendi Romanum pontificem, et ut archiepiscopi atque episcopi per singulas provincias ab eo investituras acciperent ; hæc cum ab ipso nonnisi post annos trecentos triginta octo scripta fuerint, nempe anno Domini* 1112 *nullo penitus antiquioris ævi auctore conscio ; ne ipsis quidem, qui vitam Caroli, vel qui per singulos annos res ab eo gestas, omnesque habitos conventus quam diligentissime scriptis tradiderunt ; jure creditur, hanc imposturam eo tempore adornatam esse in gratiam Henrici imperatoris schismatici, cujus et partes totis viribus Sigebertus fovit. Nam quod post captam Papiam non Romam venerit iterum Carolus, sed quam celeriter redierit in Galliam, ut adversus rebellantes Saxones expeditionem pararet, omnes auctores affirmant. Imo et Einhardus, sive Eginhardus, qui Carolo fuit a secretis, ejusque lateri semper inhæsit, ac Vitam ejusdem scripsit : expresse affirmat eum nonnisi quater Romam se contulisse : primo hoc anno in expeditione adversus Longobardos, secundo solvendi voti causa anno* 780, *tertio adversus ducem Beneventanum anno* 786, *quarto ad restituendum Leonem papam anno* 800 *quando et creatus est imperator. Ubi ergo quintus a Sigeberto confictus, nusquam alibi assertus, ejusdem Caroli in urbem adventus ? Accidit tamen, ut nullo de impostura habito diligentiori examine, creditum fuerit verum esse, quod ab eo fuisset quam mendacissime affirmatum. Ut non ad hæc refellenda se converterint pii ecclesiastici tractatores, sed laborarint, ut ostenderent ista ab Adriano concessa Carolo, fuisse postea revocata : ex quorum numero fuit Gratianus, qui nimis credulus eamdem Sigeberti imposturam totidem verbis exscripsit ; aliamque insuper addidit huic parem, atque a schismaticis confictam Leonis Octavi nomine in gratiam Ottonis imperatoris. Cæterum nec ipsum nomen investituræ ea significatione, vel usus ejus per annuli collationem (ut addunt) et baculi, apud aliquem ejus temporis scriptorem reperitur : et quod ad pontificis electionem pertinet, repugnant his praxis et leges aliorum post Carolum imperatorem, de quibus inferius suis locis ; ac denique tantum abest ut Carolus sibi arrogare voluerit electiones episcoporum, ut potius suo promulgato decreto eas statuerit esse liberas, atque ex sacrorum canonum præscripto decerni. Sed de his modo hactenus. Post obitum eminentissimi cardinalis Baronii, Melchior Goldastus calvinista edidit* Rationale (*ut vocat*) constitutionum imperialium, *ubi professus se Romani imperii jura adversus Baronii Annales elenchos præscribere, calvinistice (ut nihil aliud dicam) rem agens, modestissimum atque sincerissimum historiæ tractatorem misere proscidit. Sed mox prodiit ex adverso fortissimus veritatis defensor, Jacobus Gretserus societatis Jesu theologus ; qui apologiam pro illustrissimo cardinale suscipiens, cunctas Goldasti argumentationes dissipavit : cumque nihilominus ille irrationabiliorem replicationem edidisset, eidem rursum alia edita defensione os Gretserus obturavit. Quare quæ pro schismatico Sigeberto hæreticus calvinista de hac controversia procaciter effutiit, tu (si libet) vide ab eodem clarissimo societatis nobili professore egregie discussa atque disjecta :* Hæc Spondanus ad annum 774. Cæterum in Chronico Sigeberti manuscripto, quod in Signiacensi bibliotheca asservatur, prætermissa est hæc ejus fabula, nec ullum de ea verbum habetur.

ter quas Veronam. In qua Autharius Francus cum uxore Carlomanni et filio ejus latens, se cum eis regi dedidit. Adelgisus vero Desiderii regis filius, qui illuc fugerat, inde elapsus, Constantinopolim fugit. Obsidionem Papiensium pestilentia mortalitatis aggravante, civitas regi Carolo aperitur. Desiderius cum uxore et filia, et cunctis principibus capitur, et perpetuo exsilio ad Gallias a Gilcredo Leodiensi episcopo dirigitur. Quidquid per multa tempora Longobardi Romanis abstulerant, Carolus eis restituit. Regno vero Longobardorum destructo, totam Italiam sub jure regni Francorum redigit, post annos ducentos et quatuor, ex quo Longobardi in Italia regnare cœperant. Italia vero, ut ait Eginardus, ab Augusta prætoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum et Beneventanorum confinia sunt, decies centum, et eo amplius, passuum millibus longitudine porrigitur. Filiam Desiderii Longobardorum regis duxerat Carolus, quam, incertum qua de causa, post annum repudiavit.

775. Constantinus contra Bulgares vadit; sed pax inter eos convenit. Non multo post rupto a Bulgaribus pacto, Constantinus eos ex improviso aggressus, nobiliter de eis triumphavit. Carolus Sigidrach castrum Saxonum capit: tunc cum eis confligit, et a victis obsides pacis accipit.

776. Constantinus imperator plaga pessimi incendii divinitus percussus, et clamans adhuc vivus: « qui sum inexstinguibili traditus, » miserabiliter moritur. Post quem eodem anno Habdallas ammiras moritur: post quem Madar regnat annis novem. In Italia quibusdam rebellionem contra Francos meditantibus, Carolus contra eos vadit; urbem Forum Julii capit; ducem ejus Rotgangum rebellionis incentorem decollari facit, captaque Tarvisio urbe, cæteris majestate nominis sui terrorem incutit. Saxonibus Heresburch castrum obsidentibus, gloria Dei super Ecclesiam apparuit omnibus, duobus scutis sanguineo colore flammantibus, et quosdam motus ut in bello per aera dantibus. Carolus Saxoniam velut tempestas proterit, munitiones irrumpit, et ad hoc eos impetit, ut se et patriam ei dedant, et datis obsidibus se Christianos futuros spondeant. (777.) Post Constantinum Leo filius ejus imperat annis quinque. Witichindus dux Saxonum in Normanniam fugit. Saxones baptizati paciscuntur, ut ingenuitatem suam, et omnia sua perdant, si unquam a fidelitate Christi et regis desistant. Carolus in Hispania Cæsar-Augustam vastando delet, Papiloniam obsidet, ejusque captæ muris destructis, Wascones, duosque Saracenorum regulos sibi subigit, aliquasque urbes in deditionem accipit. Saxones suasu Witichindi Franciam atterunt; sed a Carolo victi, fuga sibi consulunt. Thelicus Bulgar ad Leonem imperatorem fugit: quem baptizatum Leo patricium facit. (778.) Leo imperator Syriam incursat. Carolus in Saxonia Westphalos sibi subjugat. (779.) Clardamus Bulgaribus dominatur. Hiltebrandus dux Spoleti Carolo se subdit, ejusque gratiam multis muneribus redimit. Obiit sanctus Sturmius primus abbas Fuldensis. (780.) Carolus Albiam fluvium transgreditur; ibique in ejus gratiam Bardogavenses et Nordanæ baptizantur. Thassilo dux Bajoariæ contra Carolum rebellat hortatu uxoris suæ, quæ erat filia Desiderii regis, et exsilium patris sui per maritum suum vindicare tentabat.

781. Leo imperator, cum insanit cupiditate circa lapides pretiosos, adamavit magnam Ecclesiæ coronam, et accipiens portavit eam, et exierunt carbunculi in capite ejus, et raptus a febre mortuus est. Mady ammiras multos utriusque sexus pro Christo martyrizat. Carolus orationis causa vadit Romam, ibique filii ejus inunguntur in reges. Pippinus filius Caroli ex concubina baptizatus ab Adriano papa inungitur in regem Italiæ, Ludovicus in regem Aquitaniæ, annos quatuor natus ex matre Hildegarde, cum fratre suo gemello, anno Domini 778, cujus frater pene prius mortuus est, quam natus. Hic adhuc quadrimus armis sibi congruis indutus est. Eodem anno filia Caroli Gissa baptizata est Mediolani a Thoma archiepiscopo. Thassilo dux Bajoariæ per Adrianum papam Carolo reconciliatur. (782.) Post Leonem uxor Hirene cum filio suo Constantino imperat annis decem. Constantinopoli quidam laminam auream invenit, et in ea virum jacentem cum hac scriptura: *Christus nascetur ex virgine Maria, et credo in eum: sub Constantino et Hirene, o sol, iterum me videbis.* Saxones rebellant, et a Carolo victi, seditiosos ei, usque ad quatuor millia ducentos, tradunt, et obsides ei tribuunt. (783.) Iterum Saxones rebellant, et a Carolo pene usque ad internecionem delentur. Obiit Hildegardis regina pridie Kalendas Maii in vigilia Ascensionis Domini, et in eodem anno beata regina.

784. Item Saxones et Frisones rebellant et vincuntur. Westphali a Carolo filio Caroli debellantur. (785.) Carolus Saxoniam depopulatur. Mady ammiras moritur: post quem Moyses regnat annis duobus. Witichindus et Albion duces Saxonum Carolo reconciliati baptizantur; et motus Saxonum reprimuntur. (786.) Carolus Adulphum seneschallum suum contra Brittones mittit: et per eum multa Brittonum castra, et principes eorum capit. Offa rex Merciorum regnavit annis quadraginta, uno minus. Egferdum filium, antequam moreretur, regem constituit: qui quatuor tantum menses regnavit. Post quem Kenulphus. Ludovicus puer filius Caroli octennis bene equitat. Signum crucis in vestibus hominum apparet. (787.) Post Moysen Aaron frater ejus Saracenis regnat annis viginti et uno. Carolus Romam venit; et contra Heregisum, Beneventi ducem vadit. Heregisuus muneribus et obsidibus datis, gratiam ejus redimit. Bellum inter Avares et Francos oritur. Sanguis de cœlo et terra profluxit. (788.) Thassilo dux Bajoariæ contra Carolum reus majestatis adjudicatur. Unde a Carolo attonsus cum filio ejus Theodone in monasterio relegatur. In Ita-

lia inter Græcos et Romanos pugnatur ; item inter Francos et Avares ; tertio inter Avares et Bajoarios ; quarto inter Avares et Francos : et in omnibus his bellis Carolus suis victoriam provenisse lætatur. Instantia Tharasii patriarchæ, et Adriani papæ secundo apud Nicæam universalis synodus episcoporum trecentorum quinquaginta celebratur : in qua fides catholica in præsentia Hirenes et filii ejus Constantini, cunctorum subscriptione roboratur ; et hæresis exsecrantium imagines Dei et sanctorum ejus in perpetuum abdicatur. Conjuratio valida facta est ab Austrasiis contra Carolum, auctore Harderico. Hic est Hardericus comes, de quo legitur in Historia Amelii et Amici : quæ historia hujus temporis fuisse creditur. Qua detecta, multi aut truncantur membris, aut exsiliantur. (789.) Carolus Coloniæ super Rhenum pontes duos construit et munit ; et Sclaviam ingressus, eam sibi subigit. Adelgisus filius Desiderii animatus consilio Græcorum et auxilio, Italiam venit. Qui, inito bello cum Francis, tentus ab eis amara morte peremptus est. Carolus in Saxonia super Albiam fluvium duos pontes construxit, et in uno eorum ex utroque capite castellum ligneum.

790. Carolus legendi et psallendi disciplinam diligenter correxit. Alcuinus de Britannia oriundus, Saxonici tamen generis, deliciosus ejus magister fuit, scientia litterarum præpollens : cujus præcipue magisterio ipse rex omnes artes liberales didicit. In discenda tamen grammatica doctorem habuit Petrum Pisanum diaconum : in cæteris disciplinis Albinum, cognomento Alcuinum ; apud quem dialecticæ et rhetoricæ, præcipue tamen astronomiæ discendæ plurimum temporis impertivit. Tentabat et scribere ; et ad hoc tabellas et codicillos sub cervicali circumferebat ; sed parum successit labor præposterus, et sero inchoatus. Ecclesiam frequentabat semper mane et vespere, et nocturnis horis, et sacrificii tempore, quantum ei valetudo permittebat. Æditiuos monebat, ne in ea indecens aliquid aut sordidum remaneret ; tantamque copiam tribuit vasorum ex auro et argento, et sacrarum vestium ut ne janitoribus quidem, qui extremi ordinis sunt, in privato habitu ministrare necesse esset. Legendi et psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Non legebat vel cantabat solus ; sed submisse, et in commune. Inter cœnandum aut aliquot acroama, aut lectorem audiebat. Delectabatur libris S. Augustini, maxime *De civitate Dei*. Pauperes sustentabat, non solum in suo regno, sed et trans maria, in Syria, in Ægypto, in Africa, in Jerusalem, in Alexandria, in Carthagine ; et ideo exterorum regum amicitias exoptabat, ut pauperibus Christianis, qui sub ipsis erant, aliquod inde refrigerium fieret. Omnium nationum quæ sub eo erant jura, quæ scripta non erant, describi fecit et litteris mandari. Barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum actus et bella canebantur, scripsit. Inchoavit et grammaticam patrii

A sermonis. Mensibus juxta propriam linguam nomina imposuit. Ventos duodecim propriis appellationibus insignivit. Filios et filias liberalibus studiis faciebat erudiri ; filios equitare et venari ; filias lanificio assuescere, et colo et fuso. Nunquam domi positus sine liberis cœnavit ; nunquam iter sine illis fecit. Adequitabant ei filii ; filiæ pone sequebantur : quarum nullam, cum pulcherrimæ essent, nuptum dare voluit, sed omnes usque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens , se earum contubernio carere non posse. Et alias felix, in filiabus infelix fuit ; quarum tamen probra sic dissimulavit, ac si de iis nihil mali dispersum esset. Amplo corpore fuit et robusto ; statura eminenti quæ tamen justam non excederet septem suorum pedum proceB ritatem. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum longiore, canitie pulchra, facie læta et hilari, voce clara, sed quæ minus formæ corporis conveniret. Nandi peritissimus fuit. Induebatur tunica, quæ limbo serico ambiebatur ; thorace confecto ex pellibus lutrinis et murinis hieme pectus muniebat. Sago veneto amiciebatur. Gladio semper accingebatur, cujus capulus ac balteus aut aureus, aut argenteus erat, interdum etiam gemmatus : tunc præcipue, quando legati gentium exterarum aderant. In fesuvitatibus vestem habebat auro textam, et calceamenta gemmata, et fibula aurea sagum astrictum : et diadema ex auro et gemmis portabat. Aliis diebus habitus ejus parum a plebeio differebat. Cibi temperans, sed potus temperantior. Cœna quotidiana C quaternis ferculis erat : præter assam, quam venatores verubus inferebant. Super cœnam raro plusquam ter bibebat. In æstate post meridiem tribus horis sicut nocte nudus quiescebat. Nocte quater aut quinquies somnum interrumpebat. Litigantes admittebat, etiam cum calcearetur et amiciretur. Eloquens erat ; linguam Græcam melius intelligebat quam pronuntiabat. Hucusque Eginardus describit mores et formam Caroli. Turpinus tamen archiepiscopus de illo dicit : « Carolus rex erat capillis brunus, facie rubens, corpore decorus ; sed visu ferus. Statura ejus septem pedum in longitudine : suorum dico, qui erant longissimi. Renibus D erat amplissimus, ventre congruus, brachiis et cruribus grossus, omnibus artubus fortissimus, certamine doctissimus, miles acerrimus. Facies ejus in longitudine habebat unum palmum et dimidium, barba unum, nasus circiter dimidium. Frons ejus erat unius pedis ; oculi leonini scintillabant ut carbunculi. Supercilia oculorum ejus dimidium palmum habebant. Quemcunque iratus apertis oculis aspexisset, statim perterritus erat. Cingulum, quo cingebatur, octo palmis extendebatur, præter illud quod dependebat. Parum panis comedebat ; sed quartam partem arietis, aut gallinas duas, aut anserem unum, aut spatulam porcinam, aut pavonem, aut gruem, aut leporem integrum edebat. Modicum vinum et lympham sobrie bibebat. Tantæ

fortitudinis erat, quod militem armatum super A equum sedentem, a vertice capitis usque ad bases simul cum equo uno ictu propria spata secabat: quatuor ferraturas equorum simul manibus facile extendebat; militem armatum super palmam suam a terra usque ad caput suum sola manu velociter elevabat. Erat donis largissimus, in judiciis rectissimus, in locutione luculentus. In quatuor solemnitatibus per circulum anni præcipue curiam suam in Hispania tenens, coronam regiam et sceptrum gestabat: die scilicet Natalis Domini, die Paschæ, et Pentecostes, et S. Jacobi. Ante tribunal ejus spata nuda ferebatur. Circa lectum ejus per singulas noctes assidue 120 viri fortes vigilabant: quorum 40 primam noctis vigiliam agebant; decem ad caput, et 10 ad pedes, 10 ad dexteram, et 10 ad lævam, B tenentes in dextera nudam spatam, in sinistra candelam ardentem. Ita singulas vigilias agebant reliqui, vicissim dormientes. Galafer Admirandus Toleti illum in pueritia exsulantem ornavit habitu militari in palatio Toleti. Idem Carolus postea occidit in bello Braimantum, magnum et superbum regem Saracenorum, inimicum Galafri. Multa sanctorum corpora in. . . . collocavit.» Hucusque Turpinus. Caroli magister Albinus multa scripsit: inter quæ eminent libri *De S. Trinitate*, scripti ad ipsum. Hic ergo jussu ipsius regis divinam historiam correxit. Quando enim Attila persecutor Ecclesiæ regnabat, fere omnia volumina Christianæ religionis ab eo destructa sunt. Ideo, ut ait Joannes Beleth, Alcuinus fecit historiam de S. Trini- C tate, et de B. Stephano, et eas obtulit Adriano papæ: qui respuit illam de Trinitate, dicens: «Sicut non est officium unitatis, ita nec Trinitatis. Sed cum Deus trinus et unus sit, et unitas et Trinitas, cur non fiat officium de S. Trinitate, quæ Deus est; sicut de ipso Deo, qui et primus, et unus est?

791. Carolus regnum Avarorum, id est Hunnorum terra marique impetit, et eos fugat. Constantinus matrem suam Irenem imperio privat, solusque imperat annis septem.

792. Constantinus egressus Chardamo Bulgari turpiter vincitur. Chardamus sublato omni regio apparatu ditatur. Hæresis Feliciana in Regnanesburth D coram Adriano papa, damnatur ab ipso Felice. Hic asserebat Filium Dei in divina natura verum esse, in humana adoptivum; unam personam Dei et hominis dividens in duas personas veri Filii et adoptivi. Pippinus Caroli ex concubina filius, pulcher facie, sed gibbosus, a quibusdam regni Francorum proceribus promissione regni illectus, in Bajoaria contra patrem conjurat; qui post fraudem detectam, et conjuratorum damnationem, in monasterio Prumia et volens et coactus religiose vixit, et usque ad finem vitæ Deo ibi militavit. Complices conjurationis quidam exsiliantur, pauci perimuntur.

[793]. Saxones in fide Dei et fidelitate regis vacillant. Pons de navigiis ita factus est de anchoris et funibus, ut jungi et dissolvi posset.

794. Iterum tertio condemnata est Feliciana hæresis in Franconefurth. Ibi mortua est Fustrada regina, et in Sancto Albano tumulata. Pseudosynodus Græcorum, quam falso septimam vocant, pro adorandis imaginibus, rejecta est a pontificibus. Constantinus imperator multos principum sibi subjectos oculis privat. Carolus multis linguis eruditus, barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum bella et actus canebantur, scripsit, ventos duodecim propriis nominibus appellavit: cum antea quatuor tantum cardinales nominarentur.

795. Saxones virtute Caroli conterriti reddunt se Christi fidei, et regis fidelitati. Carolus ecclesias ornavit sacris vasis ac vestibus. Exstruxit Aquisgrani basilicam plurimæ pulchritudinis: ad cujus structuram columnas et marmora a Roma et Ravenna devehi fecit. Hanc exstruxit in honorem beatæ Virginis. Fecit etiam ibi balnea calida et frigida aqua temperata, et palatium juxta ecclesiam. Ecclesiam vero illam depingi fecit veteris et novæ legis historiis; palatium bellis Hispanicis, et septem liberalibus artibus. Adrianus papa moritur, cujus mors cum nuntiata esset Carolo, sic flevit ac si filium amisisset. Carolus cum aliquando obsessus esset in urbe de Warmatia a tribus regibus, Wandalorum, Frisionum et Saxonum et eorum exercitibus in turre quadam, tunc temporis Rothlandus nepos ejus obsidebat urbem Gratianopolim, quam septem annis obsedit. Subito venit ad eum nuntius ex patre Caroli, ut sibi succurreret. Tunc Rothlandus valde anxius quid ageret, tribus diebus non manducavit nec bibit, sed in precibus mansit cum suis exercitibus. Tertia die illo orante corruerunt muri Gratianopolis, et expugnatis paganis profectus est ad avunculum liberandum, quem et Dei auxilio liberavit. Traditur quod Julius Cæsar ad expugnandos Hispanos, qui sibi tributum nolebant reddere, tres gentes misit: Nubianos, Scotos, Cornubianos caudatos, præcipiens eis, ut omnes mares interficerent, feminas reservarent. Qui per mare terram ingressi, confractis navibus suis, ab urbe Barcinona usque ad Cæsar augustam, et ab urbe Bayonna usque ad montem æque cuncta gladio et igne vastarunt; ultra autem transire nequiverunt, quia castellani adunati eos ejecerunt. Qui fugientes ad montes marinos, qui sunt inter Nagream et Pampiloniam, et Bayonnam, versus maritimam in terra Biscogiæ et Alaniæ, ibi habitantes, multa castra ædificaverunt; interfeceruntque omnes masculos, quorum uxores vi sibi rapuerunt; ex quibus filios genuerunt, qui dicuntur Navarri, quasi non veri, id est non legitimi, nec de vera progenie generati. Navarri etiam prius dicti sunt ab urbe Nadaver, quam beatus Mathæus convertit ad Dominum. Hanc terram Navarrorum simul et terram Basclorum dedit Carolus Britannis ad habitandum, postquam Hispaniam

acquisivit, terram Castellanorum Francis, terram Nagreæ et Cæsaraugustæ Græcis et Apulis, terram Arragonis Pictaniis, terram Alandalosiæ juxta maritima Teutonicis, terram Portugallorum Dacis et Flandris, (terram vero Gallæciæ Franci inhabitare noluerunt, quoniam aspera illis videbatur. Hanc autem totam terram Hispaniæ quomodo Carolus acquisierit, postea narrabimus in loco competenti.

796. Post Adrianum sedit Leo papa nonagesimus octavus annis viginti, mensibus quinque, diebus sexdecim; qui mox claves confessionis sancti Petri cum vexillo Romanæ urbis Carolo misit. Withan rex Abroditorum a Saxonibus perimitur. (797.) Henricus dux Forojulii exspoliato in Pannonia Avarorum principe Yringo, inæstimabilem thesaurum ejus misit regi Carolo. Thudin princeps Avarorum se et patriam suam Carolo dedit, et gratiam baptismi recepit.

798. Haldefonsus, rex Gallæciæ et Asturiæ misit Carolo papilionem miræ pulchritudinis. Irene imperatrix facta est, Constantino filio suo a suis excæcato. Hæc legatos misit ad Carolum Aquis de pace, Michaelem patricium Frigiæ et Theophilum presbyterum. Hoc anno sidus, quod dicitur Martis, a superioris anni Julio mense usque ad hujus anni Julium, nusquam in toto cœlo videri potuit. Aldefonsus rex Gallæciæ et Asturiæ deprædata Olysipona ultima civitate Hispaniæ, insignia victoriæ suæ loricas, mulos et Mauros captivos Carolo misit per legatos Frojam et Basiliscum. Irene imperat annis quatuor. Thatin Hispanus Barcinonæ præfectus se Carolo dedit, et Barcinonam, quæ ab illo desciverat, reddit. Carolus Saxones gravi prælio vincit. Sol obtenebratus est per dies 17.

799. Constantinus imperator et cæcus moritur. Barcinona Saracenis reddita a Caroli militibus est obsessa. Henricus dux Forojulii a suis perimitur. Leonem papam celebritatem litaniæ majoris agentem Romani capiunt, linguam ei et oculos evellunt. Illi erant consanguinei Adriani papæ. Voce autem et visu divinitus apostolico reddito, iterum oculos et linguam eruunt ei radicitus. Qui de manibus eorum erutus ad Carolum fugit. Baleares insulæ Carolo se dediderunt, quia priori anno a Saracenis deprædatæ fuerant. Claves urbis Oscæ ei allatæ sunt. Tota Britanniæ insula Carolo subjugatur. Pluvia sanguinis in Eboraca civitate fuit in Quadragesima. Egbertus rex, Cantuaritarum, cognomine Pren, a Kenulfo rege Westsaxonum vinctus abductus est; sed apud Wincelcomban, ubi ecclesiam, quæ adhuc superest, Deo ædificaverat, ipsa die dedicationis regem captivum manumisit, in conventu tredecim episcoporum, et decem ducum, ex quibus nullus largitatis regiæ passus est repulsam. Præter illa quoque xenia, quæ magnates acceperant, inæstimabilis pretii et numeri utensilia, vestes, equos omnibus qui agros non habebant dedit. Kenulfus rex libram argenti presbyteris, marcam auri, monachis solidum unum, postremo toti populo multa erogavit. Multa monasteria amplissimis redditibus ampliavit. Misit Leoni papæ centum viginti manculas pro benedictione, et impetravit ab eo ut Ethelardo episcopi successori Iambrithi pristina dignitas, quam ei Offa rex abstulerat, redderetur. Egbertus autem rex Cantuaritarum in Franciam venit ad Carolum, ut disciplinam regnandi a Francis acciperet. Est enim gens illa et exercitatione virium, et comitate morum, omnium occidentalium facile princeps. Defuncto Brithico rege Westsaxonum Britanniam rediit, et regnavit anno Domini 800, regnante Carolo in Francia anno regni sui 34. (800.) Gens Avarorum a fide deficit. Carolus Romam vadit, et ibi tota hieme residet, et Leonem papam in sede sua relocat, reos legaliter damnat, et omnes motus Romanorum sedat. Baleares insulæ auxilio Francorum a Saracenis defensantur: per Widonem Caroli ducem Brittones vincuntur, et in deditionem recipiuntur. Girardus dux Bajoariæ in Pannonia Avaris congressus perimitur. De quo in visione Wethini legitur, quod inter martyres annumeratus sit. In mense Julio aspera pruina gelu concreta bis fuit contra naturam; sed nil fructibus nocuit. (801.) Romani, qui ab imperatore Constantinopolitano jamdudum animo desciverant, occasione accepta, quod eis imperaret mulier, quæ filium suum excæcaverat, uno omnium consensu Carolo regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manum Leonis papæ tertii hujus nominis coronant, Cæsarem et Augustum appellant. Nam in die Natalis Domini cum rex ad missam ante confessionem beati Petri surgeret ab oratione, Leo papa coronam capiti ejus imposuit: et a cuncto populo Romanorum acclamatum est: Carolo Augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatori Romanorum vita et victoria; et post laudes acclamatas ab apostolico more antiquorum principum adoratus est, et ablato patricii nomine imperator et Augustus est appellatus. Pippinus filius Caroli rex Italiæ ordinatus est. Post paucos dies jussit imperator eos, qui pontificem superiori anno deposuerant, exhiberi, et habita de eis quæstione, secundum legem Romanam, tanquam rei majestatis, capite damnati sunt. Pro quibus tamen papa pie intercessit, ut nec vitam nec membrum perderent; et ideo exsilio deportati sunt. Cujus factionis principes fuerunt Paschalis nomenclator, et Campulus sacellarius, et multi alii Romani nobiles. Cum autem imperator vellet audire crimina papæ imposita, et eorum nullus probator existeret, ipse papa coram omni populo in basilica Sancti Petri Evangelium portans conscendit ambonem; invocatoque sanctæ Trinitatis nomine, jurejurando ab objectis criminibus se purgavit.

802. Carolus primus Francorum Romanis imperat annis 13, diviso a Constantinopoli imperio Romano, evolutis annis circiter quadringentis et sexaginta octo, ex quo Bizantium Thraciæ civitas a primo Constantino in novam ampliata, et in regiam

urbem est exaltata; et translata est in illam omnis Romanæ dignitatis gloria, et in sedem Romani imperii dedicata fuit, et nova Roma appellata. Carolus per omne imperium suum legatos ad faciendum judicium et justitiam dirigit, et legis capitula viginti tria instituit. Amimuelim qui et Aaron, rex Persarum elephantem, quem solum habebat, Carolo misit, cujus elephantis nomen erat Abulabat; et præter eum munera. Imperatore apud Spoletum existente, pridie Kalendas Maii, hora noctis secunda, terræmotus maximus factus est, qui totam concussit Italiam; quo motu tectum basilicæ Beati Pauli apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit: et in quibusdam locis urbes et montes corruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum in Germania et in Gallia tremuerunt. Pestilentia propter mollitiem hiberni temporis facta est. Barcinona capta, biennio jam ante obsessa. Zatus præfectus ejus, et alii plures Saraceni comprehensi. Rheate civitas Italiæ capta et succensa. Rozelinus præfectus ejus cum Zato missus est in exsilium. Sanctus Salvius episcopus veniens ab Aquitania ad fiscum Valentianas, martyrizatur a Winigardo filio Genardi procuratoris ipsius loci: qui sacras vestes, quibus ille utebatur in celebratione missæ concupierat, quia pretiosæ erant. Super cujus martyris corpore requirendo Carolus tertio divinitus admonitus, corpus quidem inventum honorifice sepelivit, interfectores ejus gravi pœna multavit, nec tamen propter hoc ultio divina in eos cessavit. Legati Caroli ab Aaron ammira venientes, inter cætera munera, etiam corpora sanctorum Cypriani martyris Carthaginensis episcopi, et Sperati primi Scillitanorum, et caput Pantaleonis martyris, in Franciam afferunt. Sed non dicitur ubi posita fuerunt.

Et notandum, quod hæc omnia, et primus annus imperii Caroli in quibusdam Chronicis anno priori adnotantur, id est anno Domini 801. Nicephorus Irenem imperio depositam exsilio relegat, et octo annis imperat. Patriarcha Hierosolymitanus pro benedictione claves Dominici sepulcri, et loci Calvariæ, et claves civitatis et montis cum vexillo Carolo misit. Legitur quod eo tempore, quo Carolo datum est imperium Romanum, patriarcha Hierosolymitanus de civitate expulsus a paganis, venit Constantinopolim ad imperatorem Constantinum, et filium ejus Leonem, et cum eo Joannes Neapolis sacerdos, et David Hierosolymitanus archipresbyter; quos ille ad Carolum cum epistola Joannis patriarchæ manu ipsius scripta, et cum sua epistola manu ipsius Constantini scripta, et cum duobus præfatis, fuerunt duo alii legati Hebræi, Isaac et Samuel. In cujus epistolæ ultima parte scriptum erat: « Quadam nocte in exstasi factus, vidi ante lectum meum quemdam juvenem stantem, qui me blande vocans, paxillum tetigit, et ait: Constantine, rogasti Dominum auxilium ad hanc rem; ecce, accipe Carolum Magnum regem Galliæ, Ecclesiæ in Domino propugnatorem. Et ostendit mihi quemdam militem armatum, et ocreatum, et loricatum, scutum rubeum habentem, ense præcinctum, cujus manubrium erat purpureum; hasta altissima, cujus cuspis sæpe flammas emittebat; et in manu tenebat cassidem auream, et ipse senex prolixa barba, vultu decorus, statura procerus, cujus oculi fulgebant tanquam stellæ, et canis caput albescebat. Age jam, Auguste, qui visionibus Dei refugit obedire, minime culpam poterit evadere. Emmanuel. . . . Jesu, in Domino gaude, memor ejus fungere laude, justitiæ zona lumbos, caput atque corona perpete subjungat te Christus, honoreque stringat. Nil opus est ficto, Domini quo jussio, dicto. Ergo tene fundum Domini præcepta secundum. » Hic ipse Constantinus sexies expulerat paganos ab Hierosolymis; sed tamen prævaluerant. Hi legati regem Parisius invenerunt, et epistolas tradiderunt. Quibus perlectis rex lacrymari cœpit pro sepulcro Domini. Has epistolas jussit rex exponere Turpinum archiepiscopum coram omni populo.

Quibus auditis, omnes proficisci regem precabantur. Quo audito, mox rex edictum proposuit, ut omnes, qui possent arma ferre, irent secum contra paganos; et qui non iret, ipse et filius ejus servus quatuor annorum esset. Itaque majorem exercitum, quam unquam antea habuisset, congregavit, et profecti sunt. (33) Cum venissent autem cis Jerusalem in nemore quodam, quod vix duarum dierum spatio solet transiri, in quo erant griphones, ursi, leones, et tigres et aliæ feræ diversæ, Carolus putans illud posse se transire uno die, ingressus est cum exercitu. Adveniente nocte et exercitu errante, Carolus præcepit castra metari. Transacto autem noctis silentio, rex in lecto suo accubans inchoavit psalmos; et cum diceret hunc versum: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui* (*Psal.* CXVIII), ecce ad aures ejus evidentius vox cujusdam alitis prope lectum ejus clamantis audita est: quam qui aderant audientes, experrecti sunt. Rex autem psalmos continuavit usque ad illum locum: *Educ de custodia animam meam* (*Psal.* CXLI), etc. Quem cum diceret, ales iterum clamavit: *France, quid dicis? France, quid dicis?* Hanc alitem prosecutus est rex parvula semita, donec recognoverunt callem, quem die præterita amiserant. Peregrini dicunt, quod ab illo tempore cœperunt audiri alites sic loquentes in illa

(33) Quod de peregrinatione Caroli Magni ad loca sancta Jerosolymitana, et eorum a dominatione Saracenorum ereptione refert auctor, et de avicula ejus per silvas et itinera ignota ductrice, fabulosum est, ut historici recte demonstrant ex Eginardo gestorum Caroli Magni oculato teste et scriptore. Inde autem nata est fabula illa, ut ait Du Pleix, quod Aaron Persarum rex, et dominus totius Orientis, ut gratiam Caroli emereretur, munera plurima ei miserit, et locorum sacrorum dominium et possessionem ei tradiderit: unde postea creditum est eadem loca a Carolo armis fuisse recuperata

terra. Fugatis paganis, et recuperata terra, petivit rex licentiam repatriandi ab imperatore Constantinopolitano et patriarcha Jerosolymitano. Quem per unum diem retinuit imperator apud Constantinopolim, et interim parari fecit ante portas civitatis animalia diversi generis et coloris et aurum et gemmas. Carolus autem, ne inurbanus videretur, si nihil acciperet, quæsivit consilium a proceribus suis, quid facere deberet. Qui responderunt, a nullo eum debere munus aliquod accipere pro labore, quem pro solius Dei amore susceperat. Qui laudans consilium, jussit omnibus suis, ut omnes res appositas nec respicere dignarentur. Tandem adjuratus et coactus, aliquod munus pro amore Dei suscipere, petivit de reliquiis passionis Dominicæ. Inito ergo consilio, indictum triduanum jejunium omnibus nostris, et duodecim personis Græcis, quæ electæ sunt ad hoc sanctuarium dividendum : tertia die Carolus peccata sua confessus est Ebroino archiepiscopo, deinde utrique clerici psalmos cum litania inchoant. Cum autem Daniel Neapolitanus antistes aperuisset thecam, in qua spinea corona erat, tantus odor inde exiit, ut omnes putarent se in paradiso esse. Tunc Carolus prostratus in pavimento, plenus fide oravit Dominum ut, propter gloriam nominis sui, miracula suæ passionis et resurrectionis renovaret. Et cum orasset, statim ros cœlitus veniens lignum infudit et inebriavit et flores emittere fecit ; tantaque lux cum odore adfuit, ut omnes sua vestimenta cœlestia esse putarent. Cumque Daniel adunca forcipe robur ipsius ligni secare inciperet, tunc magis et magis florere cœpit. Tunc Carolus in arboreo pallio, quod ad hoc præparaverat, suscepit de floribus et implevit uvantum suum dextrum, dehinc alium uvantum ad suscipiendas spinas præparans, tradidit illum cum floribus Ebroino archiepiscopo : cumque utriusque oculi præ lacrymis impediti essent, ille putans se accepisse et iste dedisse, uterque uvantum dereliquit : qui fere unius horæ spatio pependit in aere : cumque alterum uvantum rex spinis implesset, et illum episcopo tradere voluisset, vidit illum primum pendere in aere.

Post hæc cum flores de uvanto ejicere cuperet, conversi sunt in manna; et hoc manna modo est apud S. Dionysium : quod multi putant esse de illo manna antiquo, quod pluit Dominus in deserto. Omnes qui ibi aderant, ad odorem florum sani facti sunt. His ita gestis, ecce turba infinita ecclesiam violenter intrans, clamare cœpit : « Vere hodie est resurrectionis dies. » Nam odor de floribus exiens totam civitatem impleverat et trecentos et unum ægros curaverat. Quidam æger ibi erat, viginti tres annos et menses tres habens in infirmitate sua, cæcus, surdus et mutus. Hic in extractione spineæ coronæ visum recepit, in sectione auditum, in florum emissione loquelam. Post hæc præfatus Daniel Dominicum clavum manibus elatis regi tribuit. Qui cum de alabastro, in quo reconditus erat, ex-

A traheretur, sanatus est puer quidam, sinistram manum et totum latus sinistrum ab utero habens aridum : et cucurrit ad ecclesiam, dicens, quod circa horam nonam lecto jacens, quasi in exstasi positus, videre sibi visus est quemdam canutum fabrum adunca forcipe extrahere ex sinistra manu sua, et sinistro pede similiter arido, clavum, et a latere lanceam. Data sunt præterea regi Carolo frustum crucis Dominicæ et sudarium Domini et camisia beatæ Mariæ, et fascia, qua puerum Jesum in cunabulis cinxit et brachium sancti senis Simeonis. Quæ omnia rex recondidit in sacco de bubalino tergore facto et ad collum suum suspendit ad instar peræ. Veniens autem ad castrum, nomine Lignedo, puerum mortuum per tactum reliquiarum

B suscitavit; et quinquaginta ægri promiscui sexus ibi curati sunt. Ibi sedit Carolus sex mensibus, et uno die. Veniente autem eo Aquisgranum, sanati sunt cæci innumeri, febricitantes innumeri, dæmoniaci duodecim, leprosi octo, paralytici 15, claudi 14, manci 30, gibbosi 52, caduci 65, gutturiosi plures et ex vicinis locis quamplures. Denique indixit per totum orbem, ut Idibus Junii venirent Aquisgranum, videre reliquias quas de Jerusalem et de Constantinopoli adduxerat, prius peccata sua confitentes, et statutum est ibi, ut semper quarta feria jejuniorum quatuor temporum in mense Junio fieret indictio ista reliquiarum. In hoc concilio fuit Leo papa, et Turpinus archiepiscopus et Achilleus Alexandrinus episcopus et Theophilus Antiochenus

C et alii plurimi episcopi et abbates. Ibi etiam suscitatus est mortuus. Mirum valde est, quod de toto hoc itinere Caroli Jerosolymitano, in quo tam præclarum opus factum est, ut est acquisitio terræ Jerosolymitanæ et tanta miracula quæ per has reliquias facta sunt, nihil omnino apud Latinorum chronographos adnotatum reperitur. In hoc autem præsens narratio resultare videtur historicæ veritatis, quod dicit patriarcham Jerosolymitanum venisse Constantinopolim ad Constantinum imperatorem et filium ejus Leonem, eo tempore, quo datum est imperium Romanum Carolo, cum uterque istorum, id est Constantinus et Leo filius, eo tempore quo imperium Romanum Carolo datum est

D jam mortuus fuerit. Potest tamen intelligi, imperium Romanum illorum tempore datum Carolo, id est oblatum ; quia legitur Carolus plusquam 30 annis simplici nomine regis contentus fuisse, ab imperatoria appellatione se temperans, quamvis sæpe ab Adriano papa invitaretur.

803. Irene imperatrix in exsilio moritur. SIGEBERTUS. Carolus omnes Saxones trans Albiam morantes in Franciam transtulit; pagosque eorum Abroditis dedit. EGINARDUS. Carolus, confecto bello Saxonico, decem millia hominum, ex his qui utrasque ripas Albii fluminis incolebant, cum uxoribus et parvulis transtulit in Galliam et per loca divisit. Item SIGEBERTUS. In Italia civitates Ostana et Luceria contra Carolum sentientes, in deditionem accipiuntur.

Carolus per omne imperium suum justitias facit, et legis capitula 29 instituit. Aaron ammiras cum trecentis millibus contra Nicephorum ascendit : quod non ferens Nicephorus, turpe fœdus iniit, pactus se ei daturum annuatim triginta millia numismatum et tria millia in tributum capitis sui et tria pro capite filii sui. In aliis Chronicis, de hoc anno legitur sic : Irene a Græcis deposita Nicephorus imperat. Qui misit legatos ad Carolum. In hieme factus est terræmotus circa Palatium et mortalitas subsecuta est. In Mantua civitate dicitur sanguis Christi fuisse repertus. (804.) Leo papa in Franciam ad Carolum venit. Nicephorus fœdere cum Saracenis soluto multa incommoda intulit imperio suo. Godefridus rex Danorum multa contra vicinas gentes abutens insolentia, pacem a Carolo petit. Avares, qui et Hunni, longo contra Francos bello perdomiti, in hoc ultimo bello omnem gloriam et nobilitatem perdiderunt. Franci nullo prælio tantum ditati sunt. Tantum auri et argenti et tot spolia pretiosa in regia Cagani reperta sunt, ut merito credatur Francos juste eripuisse Hunnis, quæ illi aliis injuste eripuerant. (805.) Romanis et Græcis semper fuit suspecta Francorum potentia. Unde illud Græcum est proverbium : *Francorum Philon Kexisgiton loy Kexis.* Indignantibus igitur contra Carolum Constantinopolitanis imperatoribus, et suspectam habentibus ejus potentiam, crebris legationibus fœdere firmissimo Carolus eos conciliabat. Avares non sufferentes infestationem Sclavorum, impetrant a Carolo locum habitandi inter Saluriam et Charantanum ; ibique sine regni nomine resederunt sub ditione Francorum. Carolus filius Caroli Boemianos rebellantes devicit et Lethonem eorum ducem peremit.

Turpinus archiepiscopus in historia de acquisitione Hispaniæ. Carolus postquam multa regna acquisierat, proposuit quiescere a præliis : statimque intuitus est cœlo viam quamdam stellarum incipientem a mari Frisiæ, et tendentem inter Teutonicam et Italiam. inter Galliam et Aquitaniam et recte transeuntem per Gasconiam et Basclam et Navarram, et Hispaniam, usque ad Gallæciam, in qua beati Jacobi corpus tunc latebat incognitum. Hanc viam per singulas noctes aspiciebat Carolus et cogitabat quid significaret. Cui hoc cogitanti vir quidam optimæ et pulcherrimæ formæ, ultra quam dici fas est, nocte in exstasi apparuit, dicens : « Quid agis, fili mi ? » Cui Carolus : « Quis es, domine ? » — « Ego sum, ait, apostolus Jacobus, alumnus Christi, filius Zebedæi, frater Joannis evangelistæ, quem Dominus supra mare Galilææ, ad prædicandum populis, sua ineffabili gratia eligere dignatus est ; quem Herodes rex gladio peremit ; cujus corpus in Gallæcia, quæ a Saracenis turpiter adhuc opprimitur, incognitum requiescit. Unde miror, cur terram meam nondum liberasti, qui tot et tantas urbes acquisisti. Quapropter tibi notifico quia, sicut Dominus potentiorem omnium regum terrenorum te fecit, sic ad præparandum iter meum et liberandam terram de manibus Moabitarum, te inter omnes, ut tibi coronam æternæ retributionis exinde præparet, elegit. Via stellarum, quam in cœlo vidisti, significat quod tu, cum magno exercitu ad expugnandam gentem paganorum perfidam et liberandum iter meum et ad visitandum sarcophagum meum, ab his oris usque ad Gallæciam iturus es, et post te omnes populi a tempore præsenti usque ad finem sæculi. » Taliter apparuit apostolus Carolo tribus vicibus. Post hæc perrexit Carolus illuc cum magno exercitu ; cumque obsideret Pampiloniam tribus mensibus et eam capere non posset propter muros inexpugnabiles, oravit sanctum Jacobum, ut propter honorem nominis sui daret ei capere civitatem. Tunc muri funditus corruerunt. Qui de Saracenis baptizari voluerunt, reservati sunt ad vitam ; qui noluerunt, occisi sunt.

His auditis mirabilibus, omnes urbes se dediderunt ; et facta est tota terra sub tributo. Denique visitato sarcophago, venit ad Petronium, et infixit ibi in mari lanceam suam, agens Deo gratias et sancto Jacobo, qui eum illuc usque perduxit. Postea ivit per totam Hispaniam a mari usque ad mare. In Gallæcia tunc acquisivit 14 urbes ; inter quas Compostella tunc erat parva. In Hispania urbes sunt nonaginta sex ; inter quas Osca, de qua fuit beatus Vincentius, in qua solebant esse turres nonaginta. In Petronissa fit argentum optimum. In civitate Accinctina jacet beatus Torquatus, qui fuit beati Jacobi cliens ; ad cujus sepulcrum arbor olivæ divinitus florens maturis fructibus onustatur per unumquemque annum in ejus solemnitate, primo Idus Maii.

Cuncta terra Hispanorum tunc Carolo subjecta est, terra scilicet Alandalus, terra Pardorum, terra Castellanorum, terra Maurorum, tellus Navarrorum, tellus Portugallorum, tellus Saracenorum, tellus Alavarum, tellus Biscaiorum, tellus Basclorum, tellus Palargorum. Harum urbium quasdam sine pugna cepit Carolus : quasdam cum bello magno et arte maxima, Lucernam urbem munitissimam, quæ est in Valle viridi, nequivit capere, usque ad ultimum. Novissime vero obsedit eam quatuor mensibus, et facta prece Deo et sancto Jacobo, ceciderunt muri ejus : et est deserta usque in hodiernum diem. Quidam enim gurges Atti amnis in medio ejus surrexit, in quo nigri pisces habentur. Hæ sunt urbes, quas Carolus maledixit, propter hoc, quod gravi labore eas acquisivit : et ideo sine habitatore permanent usque in hodiernum diem, Lucerna, Ventosa, Caparra, Adonia. Omnia idola et simulacra, quæ tunc in Hispania invenit, penitus destruxit ; præter idolum, quod est in terra Andalus, quod vocatur Salam Cadis, id est deus Cadis : Cadis enim proprie dicitur locus ille. Salam Arabice interpretatur *deus.* Tradunt autem Saraceni. quod idolum istud Mahomet. dum adhuc viveret, in suo nomine fabricavit, et quam-

lam legionem dæmonum arte magica in eo sigillavit dum adhuc viveret. Quæ legio tam fortiter illud idolum obtinet, quod a nullo unquam frangi potuit. Cum aliquis Christianus ad illud appropinquat, statim periclitatur; sed cum aliquis Saracenus causa adorandi vel deprecandi Mahomet accedit, recedit incolumis. Si forte super illud avis quælibet se deposuerit, illico moritur. Est autem lapis antiquus in margine maris opere Saracenico optime sculptus, supra terram situs, deorsum latus et quadratus, desursum strictus, et tantæ altitudinis, quantum solet volare in sublime corvus. Super quem elevata est imago illa de aurichalco optimo in effigie hominis fusa, super pedes suas erecta, faciem habens versus meridiem, et clavem quamdam ingentem in manu dextera tenens. Quæ scilicet clavis, ut Saraceni aiunt, de manu ejus cadet, anno quo rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam Hispaniam Christianis legibus in novissimis temporibus subjugabit. Mox ut Saraceni viderint clavem lapsam, gazis suis in terra repositis omnes fugient. Ex auro quod reges et principes tunc dedere Carolo, ecclesiam Beati Jacobi tunc per tres annos in illis oris commorans, augmentavit. Antistitem et canonicos secundum regulam beati Isidori ibi instituit; eamque tintinnabulis, et palleis, et libris, decenter ornavit. De residuo auro et argento immenso, quod de Hispania attulit, fecit has ecclesias : Beatæ Mariæ virginis Aquisgrani; Beati Jacobi in eadem villa; item Beati Jacobi apud urbem Bituricensem; item Beati Jacobi apud Tolosam; item Beati Jacobi in Guasconia, inter urbem Axam et Sanctum Joannem Sordue via Jacobita; item Beati Jacobi apud Parisius inter Sequanam et Montem martyrum; et præter has, abbatias innumeras per mundum.

806. Carolus reversus in Franciam, partitionem regni inter filios suos fecit, et inde testamentum factum sua et Leonis papæ auctoritate firmavit. Bethemani Sclavis sibi auxiliantibus ubique grassantur; sed a Carolo, Caroli filio, fortiter debellantur. Quarto Nonas Septembris facta est eclipsis lunæ, sole existente in decima sexta parte Virginis, luna in decima sexta parte Piscium.

807. Chumeid ammireus missus ab Aaron ad exscidendam Lyciam, cum venisset Mirream, nisus arcam sancti Nicolai conterere, pro ea contrivit aliam; et pro temeritate præsumpta totam amisit classem, tempestate inevitabili persequente. Pridie Kalendas Februarii, luna 17, facta est eclipsis solis in medio die, stante utroque siderum in 25 parte Aquarii. Item quarto Kalendas fuit eclipsis lunæ, et apparuerunt acies in eadem nocte miræ magnitudinis : et sol stetit in undecima parte Virginis. Nam et stella Mercurii decimo sexto Kalendas Aprilis visa est in sole quasi parva macula nigra, tamen paululum superius medio centro ejusdem sideris, quæ a nobis octo dies conspicitur : sed quando primum intravit vel exiit nubibus impedientibus adnotari non potuit. Item undecimo Kalendas Septembris, lunæ fuit eclipsis hora noctis tertia, sole in quinta parte Virginis existente, luna in quinta parte Piscium : sicque ab anni superioris Septembri usque ad Septembrem præsentis luna ter obscurata est, et sol semel. Legatus regis Persarum, nomine Abdella, detulit imperatori Carolo munera, papilionem, et tentoria vario colore, miræ magnitudinis et pulchritudinis. Erant enim omnia byssina, tam tentoria quam funes, diversis tincta coloribus, et præterea pallia multa sericæ pretiosa, et odores aromatum, et unguenta, et balsamum : et insuper horologium ex aurichalco arte mechanica mirifice compositum, in quo duodecim horarum cursus ad clepsidram vertebantur, cum totidem aureis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant; et casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant; additis in eodem ejusdem numeri equitibus, qui per 12 fenestras completis horis exibant; et impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ prius erant apertæ, claudebant; et alia multa erant in horologio illo. Fuerunt etiam inter munera et duo candelabra ex aurichalco miræ magnitudinis et proceritatis. TURPINUS in historia Caroli. Reverso Carolo in Galliam, quidam rex paganus Africanus collectis exercitibus Hispaniam conquisivit, ejectis et interfectis custodibus oppidorum et urbium, quos Carolus reliquerat. Quibus auditis, Carolus collectis magnis exercitibus reversus est in Hispaniam : et erat dux exercituum Milo de Anglieris, pater Rollandi. Cum autem apud Bayonnam urbem Basclorum exercitus Caroli hospitatus esset, quidam miles, Romaricus nomine, ægrotus et morti proximus, accepta pœnitentia et eucharistia, cuidam consanguineo suo præcepit, ut equum, quem habebat, venderet, et pretium clericis et egenis daret. Quo mortuo, ille equum centum solidis vendidit; et pretium cibis et potibus et vestibus velociter expendit. Transactis autem triginta diebus apparuit ei mortuus in exstasi, dicens : « Quoniam res meas pro redemptione animæ meæ in eleemosyna tibi ad dandum commendavi, scias Deum omnia crimina mea mihi dimisisse; sed quia injuste eleemosynam meam retinuisti, scias me per triginta dies in pœnis tartareis fuisse : te autem in eodem loco infernali unde egressus sum, die crastina scias ponendum; at me in paradiso futurum. » Quibus dictis disparuit. Tremefactus ille evigilavit; et cum eadem die narraret sociis somnium suum, subito factus est clamor in aere, velut leonum, luporum et ursorum. Et ecce ille subito raptus est a dæmonibus in locum jam divino judicio sibi destinatum. Quæsitus a sociis, vix duodecimo die supra quemdam montem altissimum mortuus jacens toto corpore colliso inventus est; qui mons quatuor dietis distabat a loco, in quo raptus fuerat. Ibi dæmones eum projecerant tribus leugis in altum supra mare. Post hæc Aigolandus mandavit Carolo bellum secundum velle suum, scilicet viginti contra

viginti, vel quadraginta contra quadraginta, vel centum contra centum, vel mille contra mille, vel duos contra duos, vel unum contra unum. Missi sunt ergo centum milites a Carolo contra centum, et interfecti sunt Saraceni. Deinde mittuntur alii centum ab Aigolando contra centum; qui omnes interfecti sunt. Deinde misit Aigolandus ducentos contra ducentos, qui statim occisi sunt. Deinde misit duo millia contra duo millia: quorum quidam occisi sunt, reliqui fugati. Tertia die jecit Aigolandus sortes suas, et cognovit detrimentum Caroli; et mandavit ei, ut sequenti die plenarium, si vellet, bellum faceret. Quod ab utroque commissum est. Tunc astiterunt quidam Christiani, qui sero ante diem belli arma sua bellica studiosissime præparantes, hastas suas erectas infixerunt in terra, ante castra in pratis juxta fluvium, qui dicitur, Cera, in quo loco postea beatorum martyrum Famudi et Primitivi basilica ingens et optima jussu et auxilio Caroli constructa est, et magna villa et pinguissima. Istas hastas summo mane corticibus et frondibus decoratas invenerunt: hi scilicet qui in acie proxima martyrii palmam adepturi erant in Dei fide: et ultra quam dici fas est, admirantes, tantumque miraculum divinæ gratiæ ascribentes, absciderunt eas prope terram, et radices quæ remanserant in terra in modum perticarum, ex se postea magna generarunt arbusta, quæ adhuc in illo loco apparent. Erant enim illorum multæ hastæ de lignis fraxinis. Mira res, magnumque animabus gaudium, et ingens corporibus detrimentum. Quid plura? die crastina occisa sunt quadraginta millia Christianorum, et dux Milo Rothlandi pater, et equus Carolo peremptus. Tunc Carolus stans pedes cum duobus millibus peditum Christianorum, evaginavit spatam suam, nomine gaudiosam, et trucidavit multos Saracenos per medium. Advesperascente die conversi sunt Saraceni et Christiani in castris. Altera die venerunt Carolo in auxilium quatuor marquisii de locis Italiæ, cum quatuor millibus virorum bellatorum. Quod ut Aigolandus agnovit, in fugam versus est: tunc Carolus cum suis exercitibus remeavit in Galliam. Hiems mollissima et pestilens fuit.

808. In Britannia post Kenulfum, qui 24 annis regnavit, cujus filius Kenelmus puer a sorore innocue cæsus martyr effectus est; regnavit Kednulfus frater ejus anno uno. Altero a Bertulfo expulsus, venit ad Carolum; per quem, ut ait Sigebertus, regno et patriæ restitutus est. Leo papa tertius legatos misit in Britanniam, Adulfum diaconum, natione Saxonem: cum quo ab imperatore Carolo missi sunt abbates duo, Linotfridus notarius, et Nantarius de S. Omaro. Crumnis Bulgaribus regnat. Aaron ammiras moritur: post quem regnat Mahammad annis quinque.

809. Pippinus rex Italiæ Venetiam sibi subigit, et non multo post Mediolani obit: et Carolus Venetiam Nicephoro reddit. Qui Nicephorus novis et injustis legibus omnes suos exacerbat, et iram Dei in se exaggerat. Godefrido Danorum rege mortuo, Hemingus filius ejus pacem petit a Carolo. Walchandus episcopatum Leodiensem suscipit; qui in Ardenna Andagium cœnobium construxit. In Tuscia Populonium civitas maritima a Græcis, qui Crabiotæ vocantur, deprædata est. Mense Novembri habuit imperator Aquis concilium de processione Spiritus sancti: quam quæstionem Joannes quidam monachus Hierosolymis primo commendavit. Cujus diffiniendæ causa Bernardus episcopus Vormatiensis, et Adalardus abbas Corbeiæ Romam ad Leonem papam missi sunt (34).

810. Ruoltona filia imperatoris major natu obiit octavo Idus Junii: et Pippinus rex Italiæ filius ejus octavo Idus Julii. Magna fuit boum mortalitas per omnes provincias imperatori subditas. Sol septimo Idus Junii, et secundo Kalendas Decembris; luna undecimo Kalendas Julii, et decimo octavo Kalendas Januarii, defecerunt. Carolus in tres partes regni sui tres exercitus misit: unum trans Albiam, qui Hilliones debellavit; alterum in Pannoniam, qui reliquias Hunnorum, et Sclavos compressit; tertium contra Brittones, qui eorum perfidiam contudit. (811.) Carolus filius imperatoris major natu obiit secundo Nonas Decembris. Hemingus rex Danorum moritur: post quem duo inter se de regno contendentes, colliduntur pene usque ad undecim millia Danorum. Moguntiæ pons quingentorum passuum longitudinis trans Rhenum, quem Carolus per decem annos ingenti labore et mirabili opere de lignis construxerat, ita ut perpetuo durare posse videretur, ita fortuito incendio tribus horis conflagravit, ut ne una quidem hastula super aquam remaneret. Carolus rerum suarum hæredem Christum testamento facit; diviso in tres partes quidquid in re mancipii habebat: tertiam partem eorum pauperibus et famulantibus palatio delegavit, duas partes reliquas in partes viginti unam subdivisit: et metropolitanis episcopis, qui totidem sibi suberant, distribuit; ita ut metropolis Ecclesia tertiam assignatæ sibi partis haberet, et duas inter suffraganeos episcopos divideret; quarum hæc sunt nomina: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, id est Aquileia, Gradus, Colonia, Maguntia, Juvanum quæ et Salisburch, Treviris, Senonis, Bisuntio, Lugdunum, Vienna, Rothomagus, Remis, Arelas, Tarent-

(34) Quæ sequebantur de bello Aigolandi, de Ferracuto gigante, de nece Francorum in Runciavalle (a), etc., ex Turpino, seu vero, seu ficto, omisimus, utpote fabulosa, et a doctis reprobata. Quanquam et quædam jam ante allata sunt fabulis respersa. Sed illa permisimus, ut specimen aliquod, ne nobis vitio verteretur omissio reliquarum fabularum.

(a) Vere tamen contigit illa clades, sed non eo modo quo ab archiepiscopo Turpino fabulose narratur.

tasia, Obredunum, Buroegaia, Turonis, Bituricæ. Unamquamque partem sub proprio conditorio sigillatam reposuit; addens nomen civitatis metropolitanæ, cui mittenda erat. Carolus per quatuor annos vitæ suæ extremos crebris febribus correptus est; ad extremum etiam uno pede claudicavit; et tunc plura suo arbitratu, quam medicorum consilio faciebat : quos exosos habebat, quia ei assa interdicebant, quibus assuetus erat : delectabatur vaporibus aquarum naturaliter calentium. Nicephorus Bulgariam ingreditur; et quia victoriæ temperare nescivit, a Bulgaribus cum multo senatorii ordinis numero peremptus est. Post quem Stauratius filius ejus anno uno imperat.

812. Carolus Ludovico filio suo coronam imperialem imponit, et Bernardum filium Pippini regem Italiæ facit. Apud cœnobium Elnonense S. Amandus a Lauthario custode elevatur, anno ab ejus depositione circiter centesimo quinquagesimo secundo, vicesimo die mensis Septembris. In legenda tamen ejus ponitur hæc elevatio corporis ejus anno Domini 809, anno ab ejus transitu centesimo quinquagesimo. In quo die visus est idem sanctus in tumulo suo, vir cano capite reverendus, abstinentia et jejuniis pallidus, incorruptione membrorum suave fragrantium quasi aromaticus, ac toto corpore incontaminatus, dormienti simillimus, vestimentis pontificalibus honesta pulchritudine adornatus : cujus ungues manuum ita excreverant, ut etiam manicas vestimentorum cremento suo penetrarent. Has pro reliquiis secuti idem Lautharius, vel Lotharius; et incrementum similiter barbæ ejus totondit, et fabrili instrumento duos dentes de gingivis ejus extraxit : quos aliter non poterat. Post quos stillæ cruoris fluxerunt, quæ adhuc acerra servantur eburnea. Stauratio deposito Michael gener Nicephori imperat annis duobus. Cujus legati Michael episcopus, et Arsasius, et Theonostus protospatarii, venientes Aquis, dixerunt laudes imperatori Græca lingua. Idibus Maii post meridiem facta est solis eclipsis. Corpus sancti Salvii inventum est. Hic sanctus venerat primum in partes fisci Nonensis, qui vocatur Valentianas. Inde egressus celebravit missam in ecclesia Sancti Martini die Resurrectionis Dominicæ, ubi et populum instruxit : et post missam invitavit eum ad prandium Genardus quidam, qui fiscum providebat sub domino suo Abbone. Habebat autem sanctus Salvius ministerium ecclesiasticum aureum, vestimenta ex auro et gemmis ornata, cingulum aureum, gemmis et margaritis intextum. Quæ omnia ubique ferebat secum coram omnibus scienter, ut ita perveniret ad palmam martyrii. Hæc autem concupivit Winegardus filius Genardi, homo levis et protervus; omniaque fecit ei auferri; et de calice et de patena jussit sibi fabricari sellam; et virum Dei misit in carcerem; et misit servum, ut interficeret eum in carcere, et discipulum ejus : et factum est ita. Servus tamen hoc non est ausus facere, donec ei sanctus præcepit. Fuerunt autem hi duo sancti de territorio Arumnorum. Corpora eorum jussit Winegardus latenter apportari ad armentum gregis sui, et ibi fossa humo in medio abscondi. Erat autem in eodem armento taurus maximus, qui semper prohibebat cætera animalia, ne locum illum attingerent, in quo sanctorum corpora posita erant, sed abigebat illa cornibus suis. Erat autem corpus sancti Salvii primo positum in fossa, et corpus discipuli ejus super illud jactatum in modum crucis. Si autem forte contigisset, ut aliquæ sordes ibi cecidissent, non cessabat taurus per totam noctem, donec pedibus suis locum mundasset. Quædam autem femina nocte custodiens et gyrans domum suam in villa Brenitico, vidit immensum fulgorem in loco illo, ubi armentum erat, et cucurrit ad ostium, et vidit duas lampades accensas totum locum illuminantes, velut in meridie : et convocavit vicinos, ut miraculum hoc viderent. Factum est hoc una nocte et altera, et relata est res ad sacerdotes. Eodem tempore revelatum est per angelum regi Carolo, ut mitteret Valentianas, et diligentissime requireret ubi sanctus Salvius cum discipulo suo requiesceret. Quod ei dictum est per tres noctes continuas. Inventique sunt, prodente eos Genardo; et adductus est Genardus et Winegardus filius ejus, et Winegarius servus, qui illos interfecerat. Et jussit rex Genardo et Winegardo amputari virilia, et oculos erui, Winegario autem servo oculos tantum erui. Et imposita sunt corpora sanctorum super plaustra, ut adducerentur ad ecclesiam Sancti Vedasti, et non potuerunt moveri adducta multitudine boum. Et relinquentes in plaustro duos boves tantum, permiserunt illos ire quo vellent : et cum summa festinatione perduxerunt illa duo boves ad ecclesiam Sancti Martini, in qua sanctus Salvius orare consueverat, juxta Valentianas, et ibi posita sunt. Et dedit Carolus sancto Salvio tertiam partem illius fisci. Eo tempore venerunt duæ sorores cujusdam ducis Francorum ad regem Carolum, conquerentes de fratre suo, quod hæreditatem suam ejus auferret. Conventus super hoc a rege, respondit, se nihil eis auferre. Rex autem fecit eum jurare super corpus sancti Salvii, quod nihil deberet sororibus suis, ex his quæ petebant. Qui cum jurasset lætus, statim medius crepuit, et per secretum alvi stercora proruperunt : et exivit sanguis ex oculis ejus et auribus, et ore, et naribus; et post duas horas vitam finivit. Genardus quoque cæcatus dedit quidquid habebat sancto Silvio. Winegardus autem filius ejus cum venisset ad ecclesiam, in qua sanctus quiescebat, et oraret sibi dari veniam, commota est tota ecclesia. Qui tremefactus et conversus in fugam, venit ad monasterium Sancti Amandi : et ibi permansit lugens et pœnitens omnibus diebus vitæ suæ. Genardus quoque pater ejus, amissis corporalibus oculis, spirituales recepit, residens in domo sua, et pœnitentiam agens. Winegarius autem servus venit ad

sanctum Salvium, prostratus ante corpus ejus cum multo imbre lacrymarum, recepit lumen in uno oculo; et usque ad diem mortis suæ pavit greges in servitio sancti Salvii. (813.) Per totam Galliam jussu Caroli celebrata sunt concilia pro statu Ecclesiarum ab episcopis. Primum Maguntiæ, secundum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilone, quintum Arelati. Mauri Centumcellas Tusciæ civitatem, et Nicæam Narbonensis provinciæ vastaverunt. Michael imperator cum Bulgaribus pugnans, victus, domum reversus, deposito diademate monachus efficitur. In cujus locum succedit Leo Bardæ patricii filius. Grumas rex Bulgarorum, qui ante duos annos Nicephorum interfecerat, et Michaelem de Mosia fugaverat, elatus Constantinopolim obsedit; quem mœnibus urbis obequitantem Leo eruptione facta graviter vulneratum fugere coegit. Muhammad ammiras fratri suo Abdallæ congreditur; a quo superatus, cum sibi conregnare invitus patitur; et hoc bello regnum Saracenorum per aliquot annos discinditur. Leo post Michael imperat annis octo.

814. Carolus moritur, et sepelitur Aquisgrani, anno ætatis suæ 72, imperii Romani 13. In quibusdam Chronicis legitur, quod mortuus est v Idus Februarii, anno ætatis 71, regni 47, Italiæ subactæ 43, imperii Romani anno 14. Post quem imperavit Ludovicus filius ejus annos 26.

815. Inter Ludovicum et Leonem pax firmatur. Harioldus rex Danorum regno et patria pulsus a filiis Godefridi, ad Ludovicum veniens implorat ejus opem. (816.) Chrunus Bulgar successu insolens, Constantinopolitanos incursat, usque ad portas urbis crebris incursibus evagando. Constantinopoli factus est terræmotus magnus per continuos dies, quo multa urbis ædificia, et aliarum civitatum corruerunt: et in Aquitania apud Santonas in mense Septembri factus est terræmotus. Rhenus fluvius Alpinis nivibus auctus ultra solitum exundavit. (817.) Leo papa moritur, anno episcopatus 23, v Kalendas Junii: post quem sedit nonagesimus nonus Stephanus papa, tertius hujus nominis, mensibus 7. Hic statim venit Remis ad imperatorem, et eum coronavit. Ludovicus exercitum contra Danos mittit, et per eum obsides accipit. Stephanus papa tertio postquam redierat mense moritur, octavo Kalendas Februarii. Post quem centesimus sedit Paschalis primus hujus nominis annis 7, diebus 17. Luna defecit Nonis Februarii hora noctis 2. Cometes in signo Agitatoris apparuit. Porticus per quem imperator incedebat corruit cum eo, et plusquam 20 hominibus. Facta est conjuratio contra imperatorem a Bernardo nepote suo: cujus principes fuerunt Ægidius, inter amicos regis primus, et Reginardus camerarius ejus, et Reginarius Reginarii comitis filius, et Anselmus Mediolanensis episcopus, et Volfoldus Cremonensis, et Theodulfus Aurelianensis. Wascones a Ludovico desciscunt.

818. Scloamir rex Abroditarum a Ludovico deficit, et ad Danos fugit. Ludovicus Brittones sibi subigit; Murnlanus vero dux eorum, qui nomen regis sibi usurpaverat, ab eis perimitur. (819.) Bernardus rex Italiæ, conspirationis contra imperatorem factæ accusatus, et reus majestatis adjudicatus, primo oculis et regno, dehinc vita privatur. Episcopi in conjuratione deprehensi synodali decreto depositi sunt, et monasteriis mancipati. Alii nobiliores cum Bernardo rege jussi sunt oculis privari. Ermegardis regina Andegavis obiit v Nonas Octobris. Arioldus in regnum Danorum a Ludovico remittitur.

820. Scloamir rex Abroditarum, et Lupus dux Wasconum damnati capitis, a Ludovico exsilian- tur. Generali concilio Aquisgrani habito per dispositionem Ludovici, episcoporum quoque, et abbatum, aliqua capitula ad usus regularium monachorum addita sunt: et multa sanctarum Scripturarum compilatione facta, clericorum et clericalium sanctimonialium regulæ constitutæ sunt. Idem Ludovicus, cum adhuc esset annorum 34, clerum Aquitanicum, qui antea sub tyrannis degens, equitationi, et bellicæ exercitationi, et missilium librationi, magis quam divino cultui operam dabat, adductis hinc inde magistris, legere et psallere instituit. In hoc autem concilio fecit componi librum perfectionem vitæ canonicæ continentem; in quo etiam inseri jussit cibi et potus, et omnium necessariorum summam. Quem librum per omnes civitates et monasteria regni sui fecit describi. Tunc cœperunt deponi ab episcopis et clericis baltei aurei, et gemmis, et cultris ornatæ, exquisitæque vestes, et talaria talos onerantia. Nam simile monstro ducebat, virum ecclesiasticum aspirare ad sæcularis gloriæ ornamentum. Monachos præcipue dilexit. Qui etiam monachus fieret, nisi pater prohibuisset. Multa monasteria sub eo constructa sunt, vel reparata: et præcipue hæc: Monasterium S. Philiberti, S. Florentii, Caroli, Conchas, S. Maxentii, Menatæ, Magniloci, Nearciacum, S. Savinii, Masciatum, Nontliacum, S. Theofildi, S. Pascentii de Sora, Solemniacum, puellare S. Mariæ, puellare S. Radegundis, Devera, Deutera in pago Tolosano, Vadala in Septimania, Amane, Galune, Sancti Laurentii, Sanctæ Mariæ, quæ dicitur in Rubine, Cannas, et cætera plurima.

821. Abhinc deficit narratio regni Bulgarorum, et Saracenorum. Paschalis papa corpus sanctæ Ceciliæ virginis, ipsa revelante invenit, aureis indumentis velatum, sanguine ipsius adhuc infusis, et ipsam, et corpora sanctorum martyrum Valeriani sponsi ejus, et Tiburtii, et Maximi, et Urbani papæ in ecclesiam a se illis ædificatam transposuit. Ludovicus partitionem regni inter filios suos factam confirmat sacramento optimatum suorum. Leo imperator perimitur in palatio suo conspiratione optimatum suorum, et præcipue Michaelis domesticorum comitis, qui post eum imperavit

annis 9. Secundum quædam Chronica anno præcedente facta est pestilentia bovum et hominum per totam Franciam; propter juges pluvias, et aerem nimio humore solutum, frumenta et legumina corrupta sunt; quæ aut colligi non poterant, aut collecta putrescebant. Vinum defecit propter caloris inopiam, et illud quod remansit, acerbum et insuave fuit. Autumnalis satio ita impedita fuit, ut penitus nihil frugum ante vernam temperiem seminaretur. Luna defecit VIII Kalendas Decembris, hora noctis sexta. Item secundum quædam Chronica anno præsente Bernardus nepos Ludovico reconciliatus est, et in regnum restitutus, et Adelardus abbas Corbeiæ recepit abbatiam suam; qui in Aquitania exsulabat. Autumnalis satio in quibusdam locis jugitate pluviarum impedita est; cui successit hiems tam prolixa et aspera, ut et famosissima, Rhenus et Danubius, et Albis, et Sequana, et cætera per Galliam et Germaniam flumina adeo solida glacie stringerentur, ut triginta vel eo amplius diebus plaustra velut pontibus juncta sustinerent, cujus resolutio multis juxta Rhenum constitutis magnum damnum intulit.

822. In regione Thuringorum in quodam loco juxta fluvium cespes longus pedes 50, latus 14, altus 6, de terra sine manibus præcisus et sublatus est, et ad pedes 25 translatus. Item in parte orientali Saxoniæ, quæ Sorabiorum finibus contigua est, in quodam deserto loco juxta lacum, qui dicitur Tusco, in modum aggeris terra intumuit, et ad limitem unius leugæ longitudine porrectus sub unius noctis spatio absque humani operis molimine ad instar calli surrexit. Concilio habito Attiniaci imperator publice confessus est se peccasse contra omnes episcopos, quos invitos fecerat attondere. (823.) Drogo frater Ludovici fit Metensis episcopus; Lotharius imperatoris filius a patre in Italiam dirigitur; qui a Paschali papa consecratus, coronam regni, et imperatoris et Augusti nomen accepit. Theodorus Romanæ Ecclesiæ primicerius, et Leo nomenclator gener ejus, in patriarchio Lateranensi primo excæcati sunt, deinde decollati. Quod ideo quidam dicebant factum, quia tardiores justo videbantur jam ad fidelitatem Lotharii juvenis. Quidam etiam dicebant hoc factum esse jussu Paschalis papæ, vel consilio. Sed ille se apud imperatores sufficienter excusavit, et de hoc crimine coram papa et legatis Ludovici Romæ in magno episcoporum numero se jurejurando purgavit, et interfectores defendit; quia de familia sancti Petri erant; et interfectos dixit fuisse reos majestatis. Tunc missi sunt Romam Adalungus abbas Sancti Vedasti, et Hunfridus comes Curiensis. Ebbo Remensis archiepiscopus consilio imperatoris, et auctoritate Romani pontificis prædicandi gratia ad Danos profectus est, et multos ex eis baptizavit. Terræmotus factus est in palatio Aquis. In Saxonia, in pago qui vocatur Frizai, viginti tres villæ igne cœlesti crematæ sunt, homines et animalia ictu fulminis examinati, fruges grandine vastatæ, cum ipsa grandine lapides immensi ponderis ceciderunt. Et hæc prodigia grandis hominum mortalitas secuta est; propter quod imperator præcepit jejunia. In quo anno natus est ei filius Carolus ex regina Judith. Fulgura de cœlo sereno interdiu ceciderunt. In territorio Cremerensi civitatis Italiæ in vico Grabadona in ecclesia Sancti Joannis Baptistæ, imago sanctæ Dei Genitricis puerum Jesum gremio continentis, ac magorum munera afferentium in apsida ejusdem ecclesiæ depicta, et ob nimiam vetustatem obscurata et pene abolita, tanta claritate per duorum dierum spatium effulsit, ut omnem splendorem novæ picturæ suæ venustatis pulchritudine vincere videretur. Magorum tamen imagines, præter illa munera, quæ offerebant, minime claritas illa irradiavit. In territorio Tullense, juxta villam Comerciacum, puella quædam annorum duodecim post sacram communionem in Pascha a sacerdote susceptam, primum per decem menses pane, deinde omni cibo et potu per triennium abstinuit et post ad communem vitam rediit.

824. Hiems aspera facta est et prolixa, quæ non solum cætera animalia, sed et quosdam homines immanitate frigoris exstinxit. Luna defecit II Nonas Martii hora noctis secunda. Paschalis papa obiit: post quem centesimus primus sedit Eugenius primus hujus nominis annis tribus, mensibus duobus, qui erat archipresbyter tituli Sanctæ Sabinæ, vincente nobilium parte. Paucis ante solstitium æstivum diebus in territorio Eduensi aere subita mutatione in tempestatem converso, ingens fragmen cum grandine dicitur cecidisse, longum pedes 15, latum 7, altum 2. Corpora sanctorum Severi Ravennatis episcopi, et uxoris ejus Vincentiæ, et filiæ Innocentiæ ab Otgario archiepiscopo Maguntiam translata sunt. Legati Michaelis imperatoris inter cætera munera detulerunt Ludovico imperatori libros Dionysii Areopagitæ, ab ipso conscriptos *De hierarchia*, petente ipso Ludovico de Græco in Latinum translatos. Qui libri Parisius, in ipso sancti martyris festo cum gaudio suscepti sunt; quod gaudium virtus sancti martyris auxit, 19 ægrotis in ipsa nocte ibi sanatis. Valchandus Leodiensis episcopus corpus sancti Lamberti transtulit a Leodio ad Andagium monasterium. Rabanus fit abbas Fuldensis, qui multa de Scripturis sanctis disseruit.

825. Herioldus rex Danorum cum uxore et filiis, et sua parte Danorum Maguntiæ baptizatur: et ab imperatore Ludovico muneribus et parte Frisiæ in beneficium sibi data honoratur. Baptizatus est autem apud Sanctum Albanum.

826. Secundum quædam Chronica in anno sequenti contigit hoc: Hilduinus abbas S. Dionysii Romam mittens, annuente precibus ejus Eugenio papa, ossa beatissimi Sebastiani accepit, et apud Suessionem in basilica Sancti Medardi collocavit; ubi, dum adhuc inhumata, in loculo in quo allata

fuerant, jacerent, innumera, et pene incredibilia miracula perpetrarunt. Corpora Marcellini et Petri martyrum Roma in Franciam translata multis signis claruere. Corpus etiam S. Gregorii papæ ad urbem Suessionem translatum esse dicitur. Visæ sunt in cœlo acies, et terribiles coruscationes nocturnæ in aere discurrentes.

827. Eugenius papa obiit : cu successit Valentinus diaconus, vix uno superstes mense, centesimus secundus. Quo post XL dies secundum quosdam, pontificii defuncto, Gregorius presbyter tituli Sancti Marci centesimus tertius successit, Constantino papa nonagesimus sextus, de numero paparum abraso. Hic autem Gregorius quartus hujus nominis, qui et Leo IV dictus est, sedit annis 16, qui continuo fluxu sanguinis e naribus valde molestabatur. In hoc anno, secundum quædam Chronica, Heutardus sui temporis prudentissimus Romam misit, propter corpora sanctorum Marcellini et Petri : quæ in suo territorio propriis sumptibus condidit; sed non dicitur, in cujus civitatis territorio. (828.) Facta est conjuratio contra imperatorem a filiis. In Vasconia trans fluvium Garumnam ferunt annonam de cœlo pluisse similem frumento; sed paululum breviora et rotundiora grana habentem. Rabanus abbas *Tractatus in librum Sapientiæ, et in Ecclesiasticum*, ad Otgatium archiepiscopum edidit. Amalarius librum *De ecclesiasticis officiis*, et Angelomus *Tractatus in libros Regum* ad imperatorem scribunt. Ansegisus abbas Lobiensis edicta Caroli Magni et Ludovici filii ejus, ad ecclesiasticam legem pertinentia, in duobus libellis digessit. Italicus Ludovici exercitus classe in Africam transvectus, magnam Afrorum stragem dedit. Corpora sanctorum Valentini et Genesii Resquingiam monasterium translata sunt. (829.) Aquis terræmotus factus est, et ventus tam vehemens, ut non solum domos humiles, sed et ipsius ecclesiæ templum plumbeum magna ex parte denudaret. Apparuit commotio et simultas filiorum contra imperatorem. Hoc anno, qui est annus ab initio quadrimillesimus septingentesimus tricesimus octavus, finitur nonus magnus annus quingentorum et viginti quatuor annorum. Hucusque inveni Chronicon cujusdam sine titulo, ab anno Domini 746, usque ad hunc annum. (830.) Gregorius papa dolens crebris Saracenorum incursibus vexari et vastari suburbia Romanæ urbis circa ecclesiam B. Petri apostolorum principis, intendit illic novam urbem ædificare : ad quod consilio et auxilio imperatorum animatus, novam fabricam cœpit.

831. Apud Constantinopolim Theophilus imperat annis 15. Saraceni Siciliam incursantes, Lipparem insulam devastant, ubi corpus Bartholomæi apostoli quiescebat, quæ olim plumbi loculo insertum et in mare demersum a paganis non ferentibus illud propter signorum nimiam claritatem ab omnibus venerari, ab India usque ad hanc insulam ultro delatum fuerat : cujus ossa modo a Saracenis A huc illucque dispersa, post a quodam monacho ipso revelante collecta, Beneventum transferuntur. Ludovicus imperator quosdam sibi adversantes exauctoravit, alios exsiliavit, alios bonis privavit, ac per hoc filios et optimates suos magis contra se exacerbavit.

832. Gregorius papa in Galliam veniens, contra imperatorem cum filiis agebat. Imperator uxorem suam Judith, quasi causam malorum abdicavit.

833. Ludovicus imperator a suis desertus ac proditus et in potestatem filiorum redactus, episcoporum judicio arma deposuit, et ad agendam pœnitentiam inclusus est. Sol et luna per eclipsin deficiunt. (834.) Ludovicus imperator relaxatus antiquum imperium et uxorem recipit, ac filium Lotharium in Italiam redire cogit.

B 835. Monente Gregorio papa, et episcopis omnibus assentientibus, Ludovicus imperator statuit ut in Gallia et Germania festivitas Omnium Sanctorum in Kalendis Novembris celebretur, quam Romani ex instituto Bonifacii papæ celebrabant. Hoc tempore reliquiæ Viti martyris a Parisius ad Corbeiam Saxoniæ transferuntur. Unde ipsi Franci testati sunt, quod ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones transierit. Ebbo Remorum archiepiscopus deponitur : alii quoque multi, qui cum eo in dejectionem Ludovici conspiraverant, damnantur et exsiliantur.

836. Gregorius papa consummatam novæ Urbis fabricam solemniter dedicavit, Leoninam urbem, Romanam appellavit : vel a Leone tertio, qui hujus C operis fundamenta olim jecerat, vel a seipso, qui Leo quartus dictus est.

837. Northmanni Gallias graviter infestant, Dorestotum vastant, Andoverpum oppidum, et Wilclant emporium situm juxta ostium Mosæ incendunt, a Frisonibus tributum accipiunt. Gregorius papa plures urbes Italiæ, aut vetustate aut hostilitate dirutas novis fabricis aut muris restaurat. Saracenis ad deprædandum usque ad portum Romanum venientibus Romani instantia Gregorii papæ, auxiliantibus sibi Neapolitanis, eos bello excipiunt, et cooperante sibi divinitus gravi ventorum turbine, victos pene usque ad internecionem delent. Cometes in signo Libræ apparet.

D 838. Northmanni Valachiam insulam vastant, et tributum exigunt. (839.) Ludovicus imperator filio suo Lothario sub fide ad se venienti reconciliatur, eique dignitatem imperii tribuit, et coronam regni.

840. Cometes in signo Arietis apparet : et post aliquot dies plurimi instar stellarum igniculi per cœlum discurrere videntur. Ludovicus moritur. Cometæ sidus apparuit in signo Virginis, in ea parte signi, quæ penulam ejus subtus, caudam vero serpentis similiter coriumque stringunt. Quod cum non more 7 siderum errantium orientem versus pergeret, quod dictu mirum est, dein sidus Leonis, et Cancri, et Geminorum transiens signa, in capite Tauri, tandem sub aurigæ pedes igneum globum jubaris prolixitatem, quam usquequaque porrexe-

rat, terminavit. Et post pauca infirmato imperatore, cibus ejus fuit per 40 dies solummodo die Dominica Dominicum corpus. Cum vidisset dæmonem astare, dixit : Huis, huis; quod significat, *Foras, foras.* Aquitaniæ præfuerat per annos 37. Obiit anno vitæ suæ 44, imperii 27, duodecimo Kalendas Julii. Georgium presbyterum, qui se promittebat more Græcorum facturum organum, summo suscepit gaudio. Post hunc Autharius imperium usurpans, imperat annis 15, secundum alios, annis 9. GUILLELMUS MALMESBUR. Hic Ludovicus Caroli Magni filius, 4 filios habuit : Lotharium, Pippinum, Ludovicum, Carolum Calvum. Quorum Lotharius, vivente patre, nomen imperatoris usurpans, regnavit annis 15 in parte Germaniæ, quæ nunc Lotharingia, quasi Lotharii regnum dicitur, et in tota Italia cum Roma, vir omnium ante se immanissimus, qui proprium patrem crebro captivatum in ergastulis vinxit; quia, mortua Ermegarde, de qua priores liberos tulerat, Carolum ex Judith uxore natum crebrius exosculabatur. Pippinus autem filius Ludovici regnavit in Aquitania et Vasconia, Ludovicus tertius filius Ludovici, præter Noricam quam habebat, tenuit regna, quæ pater illi dederat, id est Alemanniam, Thuringiam, Austrasiam, et Avarorum regnum. Carolus vero medietatem Franciæ ab occidente, et totam Neustriam, Britanniam minorem, et maximam partem Burgundiæ, Gothiam, Vasconiam, submoto inde Pippino filio Pippini, et in monasterio Sancti Medardi attonso. Qui postea inde per fugam elapsus, Aquitaniam regressus multo tempore fugiendo ibi latuit, iterumque a Ranulfo præfecto perfide deceptus, et comprehensus, et ad Carolum adductus Silvanecti perpetuo exsilio est detrusus. Lotharius vero ante obitum patris sui, 18 annis in imperatorem unctus est; qui post mortem patris, contra fratres suos, Ludovicum regem Bajoariorum, et Carolum, exercitum duxit, adjuncto sibi Pippino cum Aquitanorum populo.

841. Carolus igitur et Ludovicus, dolentes se a fratre suo Lothario debita parte privari, contra eum insurgere parant.

842. Cometes in signo Aquarii apparet. Tribus ergo fratribus de regni partitione discordantibus, conseritur inter eos pugna in pago Antissiodorensi, apud villam Fontanedum; et tanta cædes utrinque facta est, ut nulla ætas meminerit tantam stragem hominum fuisse factam in gente Francorum : et ita eorum vires ibi attenuatæ sunt, ut jam nec suos terminos ab exteris tueri possent. Victoria tamen Carolo et Ludovico provenit, fugato Lothario. Ibi Franci cum omnibus nationibus sibi subjectis mutua se cæde prostraverunt. (843.) Fratribus nondum a bello desistentibus, consilio optimatum tandem de partibus singulorum 40, primores eliguntur, qui in unum convenientes, regnum æqualiter dividerent : et ita pax in annum sequentem induciatur. Ludovicus interim pergens in Saxoniam, validissimam libertorum conspirationem, dominos suos op-

A primere volentium fortiter compescuit, auctoribus seditionis capitali sententia damnatis. WILLEL. MALMESBUR. Ethevulfus filius Egorith rex, quem quidam Atamachum vocant, rex Westsaxonum regnavit anno Domini 838. Hic avito regno Westsaxonum contentus, regna appendicia, quæ pater acquisierat, filio Estatio contradidit. Hic Ethevulfus decimam omnium prædiorum infra regnum suum Christi famulis concessit, liberam ab omnibus functionibus, absolutam ab omnibus inquietudinibus, compositoque regno Romam abiit, ibique tributum, quod hodieque Anglia pensitat, sancto Petro obtulit coram Leone IV papa : qui etiam ante Eifredum filium ejus ad se missum honorifice susceperat, et regem inunxerat. Ibique anno integro moratus, B scholam Anglorum, quæ ab Offa rege primum dicitur instituta, et proximo anno conflagraverat, reparavit egregie. Inde domum per Galliam repatrians, Judith filiam Caroli in conjugium duxit. Ex his apparet, quod Carolus Calvus matrem habuit Judith, et filiam Judith. In quibusdam Chronicis post Ludovicum Pium statim ponitur Carolus Calvus, et prætermittitur Lotharius major ejus filius, ibique dicitur Carolus Calvus regnasse annis 45.

844. Mauri Beneventum occupant. Gregorius papa obiit : post quem sedit centesimus quartus Sergius secundus annis tribus : ad cujus electionem confirmandam Ludovicus Lotharii imperatoris filius a patre missus, ab eodem papa in regem Longobardorum C unctus est. Descripto in tres partes regno, fratres ad urbem Galliæ Virdunum conveniunt, et inter se pacificantur, datis et acceptis invicem sacramentis. Carolus accepit occidentalia regna, ab Oceano Britannico usque ad Mosam fluvium : in qua parte extunc et modo nomen Franciæ remansit. Ludovico orientalia regna cesserunt, id est omnis Germania usque ad Rheni fluenta : et aliquas trans Rhenum civitates cum adjacentibus plagis, propter vini copiam. Lotharius major natu omnia Italiæ regna tenuit, cum ipsa Roma; nec non et Provinciam, et mediam partem Franciæ inter Scaldim et Rhenum, quæ mutato nomine ab eo denominata est Lotharingia. Igitur post factam divisionem Carolus regnat in Francia annis 34, Ludovicus frater D ejus in Germania annis 33. (845.) Ludovicus rex Germaniæ Abrodites a se deficere molientes bello perdomuit, occiso rege eorum : ejusque populum et terram sibi divinitus subjugatam per duces ordinavit (846.) Apud Constantinopolim Michael et Theodora imperant annis 11. Northmanni regnum Caroli graviter infestant, et usque Parisius navigio veniunt; cum Frisonibus tribus præliis confligunt; in primo vincuntur, in duobus vincunt. Ludovicus quatuordecim duces Bohemorum cum suis baptizari fecit. Carolus cum Brittonibus infeliciter pugnat. (847.) Sergius papa obiit, et cessavit episcopatus mensibus 2, diebus 15. Post quem sedit Leo centesimus quintus, annis 8, mensibus 3, diebus 6. Hic decrevit, ut dum missarum sacra solemnia celebrantur,

nullus laicus in presbyterio stare, vel sedere, vel ingredi præsumat; nisi tantum sacra plebs quæ ad ministrationem sacri officii constituta est: et ut Octavæ Assumptionis sanctæ Mariæ in Ecclesia celebrarentur, quod ante non fiebat.

848. Rabanus ex abbate Fuldensi ordinatur archiepiscopus Maguntiæ. Celebrata Synodo jussu Ludovici regis apud Maguntiam, multa Ecclesiæ utilia decrevit. Quædam pseudoprophetissa dicens instare diem judicii, Maguntiam sollicitabat, ita ut etiam aliquos sacri ordinis ad se inclinaret. Quæ a Rabano arrepta, confessa est, se per suggestionem cujusdam presbyteri quæstus causa hoc fecisse. (846.) Godescalcus hæreticus, sed non dicitur in quo hæreticus fuerit, rationabiliter, ut multis visum est, convincitur; sed tamen in suo perseveravit errore. S. Helena Constantini mater, quæ a filio suo Constantino Romæ in ecclesia Sanctorum Marcellini et Petri martyrum sepulta fuerat, a Theogiso monacho transfertur in Franciam, et in diœcesi Remensi magna Francorum veneratione excolitur. (850.) Franci a Bohemis gravi prælio vincuntur: cui bello spiritus malignus se præfuisse, per os cujusdam arreptitii publicé testatus est; et per se et per socios suos, scilicet spiritus superbiæ et discordiæ, egisse ut Franci terga verterent. (851.) Reliquiæ sancti Hermetis martyris per Lotharium imperatorem in Galliam mittuntur, et apud Indam monasterium honorifice conduntur. Fames valida Germaniam atterit, ita ut pater filium suum devorare voluerit; quo tempore Rabanus multam pauperibus benevolentiam exhibuit. (852.) Carolus rex Francorum filios fratris sui Pippini regis Pippinum et Carolum regnum suum inquietantes capit, et in monachos attonsos in monasterium trudit. (853.) Northmanni per mare Britannicum ostia Ligeris ingressi, urbem Nannetem invadunt, episcopum Sabbato sancto Paschæ baptismum celebrantem trucidant, clerum et populum perimunt, Andegavum et Turonos occupant, templum S. Martini incendunt, et ut tempestas omnia dirimunt.

854. Hincmarus Remorum episcopus floret: qui Vitam S. Remigii scripsit. Leo papa obiit: et cessavit episcopatus mensibus duobus, diebus 15. Hujus papæ anno 4, ut in quibusdam Chronicis legitur, imperavit Lotharius cum Ludovico filio annis 5, qui certe jam cum eodem filio legitur, annis 11 imperasse, ab anno 1 Sergii papæ secundi. Post hunc Leonem sedit Benedictus II, centesimus sextus. Quo per conspirationem quorumdam malignorum deposito, Anastasius invasit prælaturam. Sed Anastasio a legatis Lotharii dejecto, et in carcerem truso, Benedictus honorifice relocatur; et sedit annis 2, mensibus 6, diebus 10. Northmanni, qui per 20 annos Franciam nimis attriverant, in patriam reversi, intestino inter se bello usque ad internecionem delentur: ut de regia eorum stirpe nullus, nisi puer unus, remaneret. (855.) Terræmotus aeris insolita commotio, turbines, tempestates, grandines, fulmina, multa multis modis incommoda hominibus inferunt. Quidam homo igne cœlesti consumptus est, veste illæsa. Lotharius partito inter filios regno, abrenuntiat sæculo: et in Prumia monasterio habitu monachi suscepto, non multo post quievit in Domino. Post quem Ludovicus filius ejus olim a Sergio papa in regem inunctus, imperavit annis 21. Lotharius vero frater ejus Lotharingiam tenuit. Obiit Lotharius iste (ex Malmesberien), anno Domini 855, regni sui 33. Hic ex Ermengarde filia Hugonis tres filios habuit: Ludovicum, cui regnum Romanorum et Italiam tradidit; et Lotharium, cui sedem imperialem reliquit; et Carolum, cui Provinciam gubernandam dimisit. (856.) Maginradus eremita martyrizatur. Rabanus obit. Constantinopoli Michael solus imperat annis 13. Benedictus papa obit: et cessavit episcopatus diebus 15.

857. Post quem sedit Nicolaus I hujus nominis, papa centesimus septimus annis 9, mensibus 6, diebus 20, qui in quibusdam Chronicis ponitur anno 4, hujus Ludovici filii Lotharii. Hujus Nicolai ordinationem Ludovicus imperator sua præsentia roboravit. Coloniæ orta tempestate, populo ad basilicam S. Petri confugiente, subito fulmen instar ignei draconis basilicam scidit, ac penetravit et tres homines diversis in locis uno ictu in mortem dejecit; et alios sex eodem impetu semivivos reliquit. Ethelvulfus rex Vestsaxonum post longam peregrinationem, qua Romæ moratus fuerat, rediit in Angliam, accepta in matrimonium Judith filia Caroli Calvi. Ab hoc in quodam Chronico texitur linea generationis regum Anglorum sursum versus usque ad Adam (35). Anno Domini 857, duo filii Ethelvulfi regnum patris partientes, Ethelbaldius in Vestsaxonia Ethelbertus in Cantia regnaverunt.

858. Franci super crudelitatem Caroli regis sui apud Ludovicum fratrem suum expostulant, et eum ad regnandum super se contra Carolum invitant. Quod ille inconsulte aggressus, turpiter alienis excessit finibus. In parochia Maguntina spiritus malignus evidens nequitiæ suæ dedit indicium. Nam primo lapides jaciendo, et parietes domorum quasi malleis pulsando, deinde manifeste loquendo, furta prodendo, discordias inter vicinos seminando, homines inquietabat. Denique animas omnium contra unum hominem commovit, quasi propter ejus peccata cæteri talia paterentur: cujus fruges in unum coacervatas incendit; qui ubicunque intraret, statim domus illa exurebatur, ut jam non esset ei locus manendi, nisi in agris. Propter hoc presbyteris litanias agentibus, et benedictam aquam spargentibus, inimicus lapides jaciendo, multis cruentatis tandem aliquandiu quievit. Presbyteris autem recedentibus inimicus flebiliter ululans, tan-

(35) *Fabulosa hæc genealogia hic est omissa.*

dem presbyterum quemdam nominatim exprimens, se quando aqua benedicta spergebatur, sub cappa illius, quasi familiaris sui, latuisse professus est, accusans eum cum filia procuratoris concubuisse. Sic per triennium instilit, donec ibidem cuncta ædificia incendio consumeret.

859. Ludovicus rex Germaniæ multa prælia contra Sclavos strenue gessit, quorum princeps dicebatur Rastrix; cui propter violatam fidem oculos erui jussit. Principibus Caroli regis inter se discordantibus, Brittones destitutam auxilio terram invadentes, usque Pictavis omnia vastando veniunt, quos redeuntes Carolus prosecutus Britanniam intrat, et pugna conserta Franci vincuntur, in quorum cæde Brittones grassantur.

860. Numenius rex Brittonum, dum instaret regnum Francorum depopulari, visum est ei assistere sibi S. Maurilionem Andegavensem olim episcopum, a quo in capite baculo percussus, iram Dei morte persensit. Hoc tempore Lentulfus dux Saxonum pater Ottonis ducis, avus Henrici regis corpus sancti Innocentii papæ a Roma in Saxoniam transtulit.

861. Herispous filius Numenei rex Brittonum Carolo regi confœderatur; et muneratus ab eo, ejus se dominationi subdit.

862. Lotharius Ludovici frater rex Lotharingiæ Waldradam pellicem superducens conjugi suæ Thiebergæ, consentientibus archiepiscopis Guntario Coloniensi, et Thietbgaudo Treverensi, magnam sibi calamitatem paravit. Ethelbertus rex Cantiæ moritur, et Sciteburnæ conditur; cujus totum regnum Ethelbaldus adeptus est frater ejus. Hujus tempore manus piratarum appulsa Hamptunam, Wintoniam urbem populosam depopulata est.

863. Hubertus abbas et dux frater Thiebergæ reginæ pro repudio sororis suæ contra Lotharium insurgit. Guntharius et Tiethgaudus archiepiscopi Romæ a papa Nicolao examinati, cum et suis synodalibus gestis, quæ perferebant, et suo etiam ore convicti fuissent, episcopatu et sacris gradibus exordinati, anathematizati sunt, eisque laica tantum communio concessa est.

864. Excommunicata pellice Waldrada, videns Lotharius rex etiam sibi excommunicationem intentari, Thiebergam uxorem suam recepit. Sed non multo post eadem repudiata, pellicem recepit; nec ultra ullo correptionis modo ab ea separari potuit. (865.) Corpora sanctorum martyrum Eusebii et Putiani dono Nicolai papæ ad Gallias translata, in monasteriis vero religiosorum sancto Petro collatis honorifice tumulantur. Rex Bulgarorum cum sua gente ad Christianismum conversus, missis ad eum a sede apostolica sacris ordinis ministris, acceptis etiam a rege Ludovico subsidiis, adeo in fide solidatur, ut non multo post majore filio in regem ordinato, ipse abrenuntians sæculo monachus factus sit. Sed cum filius ejus juveniliter agens ad

A gentilitatis cultum vellet redire, militiæ cingulo et cultu regio resumpto, filium persecutus cepit, et oculis ejus effossis eum in carcerem trusit, et filio juniore in regnum locato sacrum habitum recepit, et in eo usque ad finem vitæ perseveravit. Ludovicus rex Noricorum, id est Bajoariorum, filius Ludovici Pii post festivitatem Paschalem regnum suum inter filios suos divisit, et Carolo dedit Noricam, id est Bajoariam, et Martas contra Sclavos et Longobardos; Ludovico vero Thoringiam, et Austrasios Francos, et Saxoniam; Carolo alteri Alemanniam et Curavalam, id est comitatum Cornugalliæ. (866.) Herespem a suis perempto, Salomon filius ejus super Brittones regnat, qui Carolo contra se venienti confœderatur. Northmanni Galliam repetentes, Nannetis, Andegavis, Pictavis et Turonis terminos depopulantur. Quibus accurrentes dux Aquitaniæ Ranulphus, et Robertus fortis Malchio, dum ipsi incaute præliantes perimuntur, cæteri a Northmannis ut oves a lupis acervatim sternuntur.

B

867. Saracenis Beneventanam regionem incursantibus, Ludovicus imperator viriliter occurrit: ad cujus auxilium Lotharius frater properans, multa quidem prælia cum eo strenue gessit; sed exercitu suo propter intemperiem aeris morbis et morsibus aranearum nimis gravato cum multo suorum dispendio rediit. Hoc anno regnavit Ethelredus filius Ethenulfi: qui cum Danis multa bella gessit. Uno anno novies collatis et infestis signis conflixit. Interfecti sunt a parte Danorum comites 9, rex unus, populus sine numero. Obiit Nicolaus papa: post quem centesimus octavus sedit Adrianus II, annis 5. Sed secundum quædam Chronicam ponitur 2 annis tardius.

C

868. Cometes manifeste apparuit. Michael imperator Græcorum sensu diminutus familiares suos jubebat occidi, quos ad se rediens sibi præsentari exigebat. Basilius, quem Michael imperator pauperem ex familia unius abbatis sibi asciverat, et cubicularium factum ad tantos honores provexerat, ut alter ab imperatore appellaretur, sæpe jussus ab imperatore per insaniam occidi, timens ne tali occasione occideretur, elegit magis ipse imperatorem interficere, quam ab eo interfici, et imperavit annis 17.

869. Corpus sancti Mauri discipuli sancti Benedicti a Glana folio in Burgundiam propter timorem Northmannorum transfertur ad cœnobium Fossatense, quod construxit sanctus Balberteus discipulus sancti Columbani.

870. Lotharius rex ad Adrianum papam se excommunicantem vadit; a quo dum pro comprobatione innocentiæ suæ ad examinationem corporis et sanguinis Domini tam ipse quam optimates invitati fuissent; et ipse, et omnes qui cum eo corpus Domini temere accipere præsumpserunt, intra ipsum annum perierunt, ipso statim in reditu Placentiæ defuncto.

871. Coloniæ celebrata synodo ad dedicationem ecclesiæ a tribus metropolitis Luithperto Maguntino, Bertulfo Trevirensi, Willeberto Coloniensi, cum ab eis major ecclesia Sancti Petri deberet dedicari, præcedente nocte auditæ sunt voces malignorum spirituum inter se dolentium et conquerentium, se a possessis diu sedibus debere expelli. Carolus rex Francorum, defuncto fratre suo Lothario, dum Lotharingiam solus usurpare nititur, per moderantiam et industriam fratris sui Ludovici regis Germaniæ ad hoc attractus est ut æqualiter inter se regnum fratruelis dividerent. Cujus Ludovici exercitus contra Sclavos varia bella vario eventu gessit.

872. Carolum regem Francorum domestica in filiis calamitas afflixit. Siquidem Carlomanum in clericatu usque ad diaconatus officium provectum pater cepit et excæcavit; pro eo quod ad apostasiam conversus, et omni genere nocendi regnum perturbans, alter quidam Julianus effectus erat. Alter filius ejus Carolus, dum inconsulte voluisset experiri cujusdam Albuini militis fortitudinem, ab eodem Albuino ignorante quis esset, interfectus est. Basilius imperator Græcorum inter cætera munera mittit Ludovico regi Germanorum crystallum miræ magnitudinis gemmis et auro ornatum, cum parte non modica sanctæ crucis. Obiit Ethelredus rex Ethenulfi filius. Post quem regnavit Ofredus filius Etheuf junior; qui olim a papa Leone V unctionem regiam et coronam susceperat. Hic regnavit annis 28, et mensibus sex. Novem continuis annis cum hostibus pugnavit: qui cum, quadam die in insula inclusus, solus domi esset, sociis per oram fluminis ad piscandum dispersis, corpus curis ægrum sopori dedit; et ecce sanctus Cuthbertus Lindifarnensis quondam episcopus sic dormientem alloquitur: « Ego sum Cuthbertus, si audisti, misit me Dominus, ut tibi prospera nuntiem. Anglia jamdudum peccatorum suorum pœnas luit. Modo tandem indigenarum sanctorum meritis a Domino respecta est. Tu miserabiliter regno extorris post paucum tempus in solio gloriose reponeris. Et hoc tibi signum. Venient hodie piscatores tui magnam piscium multitudinem corbibus evehentes, quod mirum est; cum gelante aqua fluminis nihil tale speretur, sed et tempus frigidum omnem artem piscantium eludit. Tu fortunæ secundæ compos, memento liberatoris tui, et ejus nuntii. » Hoc idem visum est per somnium matri suæ. Experrecti ambo somnia sua referebant; et ecce piscatores adveniunt cum magna piscium copia. Non multo post ergastulum exire ausus, in quo a Danis tenebatur, magna astutia periculum fecit. Regis enim Danorum subiit tentoria sub specie nuntii, unius tantum sibi fidelissimi fruens conscientia. Ibi tanquam artis oculatoriæ professor, etiam in secretiora triclinii omnia arcana oculis et auribus percepit, pluresque dies ibi moratus ad Ebungiam rediit, exponensque sociis omnia, irruit repente super barbaros otiosos, quorum plurimis occisis, reliqui cum rege suo dederunt obsides, quod Christiani fierent, et ab Anglia discederent, quod et fecerunt. Rex eorum Gedrum, quem nostri Gurmindum vocant, cum 30 proceribus et omni pene populo baptizatus, et in filium ab Elfredo rege susceptus est. Cæteri ex Danis, qui Christiani esse noluerunt, cum Hastingo mare transfretaverunt. Secundum quædam Chronica, 8 synodus sub Adriano papa facta est. Post hunc ad annum sedit centesimus nonus, Joannes VIII, annis 10, diebus 2.

873. Ad hunc Joannem Joannes Romanæ Ecclesiæ diaconus scripsit Vitam primi Gregorii papæ, in 4 libellis laudabiliter editam. Adalgisus dux Beneventanorum a Græcis seductus, contra Ludovicum imperatorem rebellat, et multas Italiæ urbes ab eo desciscere facit. Cui imperator viriliter repugnans, Beneventum et Capuam capit; sed dolis Adalgisi persuasus exercitum dimittere, ita ab eo est circumventus, ut non posset evadere, nisi turpi fœdere facto compulsus jurasse Adalgiso se nunquam in vita sua in Beneventi fines intraturum. Ob hoc Adalgisus a senatu Romano reus majestatis et hostis publicus adjudicatus, et bello contra se decreto in Corsicam fugit. Carolus Junior Ludovici regis Germanorum filius a dæmonio graviter in præsentia patris et optimatum ejus vexatus, in ipsa vexatione confitetur hoc ideo sibi contigisse, quia contra patrem suum conspirationem facere moliebatur.

874. In Italiæ Brixiæ tribus diebus ac noctibus sanguis de cœlo pluisse narratur. Northmanni a regno Germaniæ tributum exigentes, ab exercitu Ludovici graviter cæsi vincuntur. Innumerabiles locustæ Galliam depopulantur, cæteris locustis majores, habentes senas alas, sex pedes, duos dentes lapide duriores; ut castrorum acies turmatim volantes, duces cum paucis itinere unius diei mittentes ad metanda loca venturæ multitudini, circa horam nonam ad locum prævisum venientes, ibique solis ortum exspectantes per spatium unius dietæ aerem velabant, ipsum solis splendorem obnubilantes; ore lato, extenso intestino omnia viridia in herbis et arboribus vastabant, spatium diurni itineris 4 aut 5 millibus extendentes. Hæ miserabili spectaculo usque ad mare Britannicum pervenientes, tandem flatu ventorum in profundum maris demersæ sunt; sed æstu Oceani ad littus rejectæ, putredine sua aere corrupto multos perire fecerunt. Secuta fames valida multos consumpsit inedia, ut pene tertia pars hominum consumpta sit in Gallia.

875. Hiems solito asperior et prolixior; nix et gelu a Kalendis Novembris usque ad æquinoctium vernale. Ludovico regi Germanorum apparuit in somnis genitor suus Ludovicus Pius, admonens eum per nomen sanctæ Trinitatis, ut eum eriperet a tormentis, quibus detinebatur, ut tandem æternam

requiem habere mereretur. Ob hoc ad diversa monasteria eleemosynis destinatis obnixe filius succurrebat patri. Unde datur intelligi, quod licet idem imperator multa Deo et hominibus placita fecisset, plura tamen Deo contraria in regno suo fieri consensit. In quibus graviora videbantur, quod hæresi Nicolaitarum non restitit, et monita Gabrielis archangeli duodecim capitulis comprehensa, quæ Emarchus ei legenda et servanda obtulit, servare non studuit. Northmanni urbem Andegavis quasi in ea habitaturi cum suis omnibus occupant. Ad quam oppugnandam Carolus rex ascito Salomone rege Brittonum multis diebus eam obsedit. Sed cum Northmanni ad desperationem adducti fuissent, rex multo exercitu pecunia ab eis accepta egressum eis annuit, eisque hoc pacto pejora faciendi locum dedit.

876. Cometes solito rutilantior apparet. Subita et nimia aquarum inundatio facta est in Junio, ita ut in Saxonia villa quædam longe a torrentibus et fluminibus remota in momento cum hominibus et bestiis, cum arboribus et ædificiis, cum ecclesia et altari penitus absorpta sit, ut nullum habitationis remanserit vestigium. Ludovicus imperator in Italia moritur : cujus patruus Carolus Calvus rex Francorum Romam pergit; ubi Joanne papa et Romanis per munera sibi conciliatis imperator creatur, et imperat annis 2. Brittones rege suo Salomone mortuo pro contentione regnandi intestino inter se bello colliduntur, sicque inviti cessant ab exterminio Galliæ.

877. Carolus Calvus post adeptum imperium ultra se elatus consuetudines Francorum parvipendens, Græcas glorias, et habitus insolitos affectabat; et talari dalmatica indutus, desuper accinctus balteo pendente usque ad pedes, capite involuto velamine serico, et diademate imposito pendebat : et cum esset lepore timidior, et paratior hostes fugere quam fugare, fratrem suum Ludovicum regem Germaniæ lacessebat : minatus ei tantas copias se conducturum, ut ab equis flumine exhausto, ipse per aridum alveum Germaniæ regnum intraret. Henricus monachus Vitam sancti Germani Autissiodorensis heroico metro in sex libellis luculenter exaratam Carolo imperatori obtulit, Ludovicus rex Germaniæ moritur, relinquens tres filios suos hæredes : quibus regnum suum, ut supra diximus, divisit; qui regnavit super filios suos in omni pietate sua annis decem, obiit anno regni sui 54. Filii ejus fuerunt Ludovicus Junior, et Carolus, qui non multo post imperavit, et Carlomanus pater Arnulfi imperatoris. Carolus autem Calvus imperator de morte fratris sui gavisus, injustitiam, quam contra fratrem conceperat, contra filios fratris perficere paratus, cum 50 et eo amplius hominum millibus regnum eorum aggressus, Coloniam usque venit; filiis Ludovici alias occupatis. Ludovicus autem Junior legatione ad patruum missa, rogat ea quæ pacis sunt. Quod cum impetrare non posset, viriliter eum bello excepit; eumque victum cum nimio exercitus damno fugere compulit, et cum multo dedecore. Ingruente in Germania pecorum pestilentia, dum canes undique collecti cadaveribus incumberent, ita disparuerunt, ut nec vivi, nec mortui reperirentur.

878. Carolus Calvus Romam secundo profectus, Bosoni germano uxoris suæ neptem, filiam Ludovici imperatoris uxorem dedit, et data ei Provincia in regem coronavit, ut etiam regibus imperare videretur. Qui audiens fratrueles suos Carlomanum et Carolum contra se exercitum adducere, pavore solutus reditum parat; et in reditu a quodam Sedechia Judæo male potionatus, Mantuæ moritur, anno imperii tertio inchoante, regni autem 38, tertio Nonas Octobris : qui coronatus fuerat Romæ in imperatorem octavo Kalendas Januarii.

LIBER XLVI

Carolus iste Calvus monasterium S. Cornelii apud Compendium fundavit et perfecit. Hic castrum cogitaverat ipse facere ad instar Constantinopolis, quem Carolus Magnus apud villam suam Aquisgrani instituerat, instituit apud villam S. Dionysii. Et quoniam ecclesiæ S. Dionysii multa rapuerat, quæ alii dederant, spineam coronam Domini, et unum de clavis, et de ligno crucis, et alia quædam ei obtulit. Sudarium vero apud Compendium reliquit. Hæc instituit ipse tempore Nicolai papæ. Antequam autem reliquiæ istæ ostenderentur populo, tanta fames solebat esse in Gallia, ut asinos et caballos comederent; quod per Domini misericordiam postea cessavit. Sigebertus dicit, hunc Carolum in reditu a Roma mortuum fuisse Mantuæ. Alibi legi ego, quod Romam pergens, in itinere obiit, et sepultus est apud Lugdunum in monasterio Mantonay. Post multum tempus apparuit ipse in visu noctis cuidam monacho Sancti Dionysii, nomine Erthongario, et in eadem nocte cuidam clerico Sancti Quintini Viromanduensis, nomine Alphoni, dicens utrique, se esse Carolum Calvum, et ex Dei jussu eis apparuisse, ut diceret eis, quod Deo, et sancto Dionysio displicebat, quod corpus ejus non esset sepultum in ecclesia S. Dionysii, cui tanta munera pro Dei honore contulerat. Irent ergo, et dicerent Ludovico filio suo, et proceribus regni, ut eum referrent. Sic ergo relatus est tempore Valteri abbatis Sancti Dionysii, et sepultus in ecclesia S. Dionysii ante altare Sanctæ Trinitatis. Hoc tem-

pore claruit Joannes Scotus, vir perspicacis ingenii, et mellitæ facundiæ; qui dudum concrepantibus undique bellorum fragoribus per Franciam, ad Carolum Calvum transierat: cujus rogatu *Hierarchiam* Dionysii Areopagitæ e Græco in Latinum verbum e verbo transtulit. Composuit etiam librum, quem *De natura divisione* titulavit, ad quæstiones solvendas bene utilem, si tamen ei in aliquibus ignoscatur; in quibus a Latinorum tramite deviavit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Hic succedentibus annis munificentia Elfredi allectus, venit in Angliam, et apud monasterium Malmesberiense a pueris quos docebat graphiis, ut fertur, perforatus, etiam martyr æstimatus est. Hujus hoc epitaphium fuit:

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Joannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro;
Martyrio tandem Christi conscendere regnum,
Quo meruit sancti regnant per sæcula cuncti.

Scabii sunt hi versus, et moderni temporis lima carentes. Eodem tempore claruit Milo monachus Sancti Amandi; qui Vitam sancti Amandi metrice composuit, et librum *De sobrietate* ad Carolum Calvum scripsit. Sub hoc Milone adolescebat nepos ejus Hubaldus, qui in septem artium liberalium peritia clarus, egregie præter cætera in musica claruit: et de multis sanctis cantus dulci et regulari modulatione composuit.

879. Post Carolum Calvum regnat in Francia Ludovicus filius ejus, cognomento Balbus, annis 2. Junior vero Carolus filius Ludovici Germanorum regis imperium adeptus est, adnitentibus sibi quibusdam nobilium Romanorum; quamvis Joannes papa satageret imperium transferre ad Ludovicum Balbum. Qui Joannes propter hoc injuriatus a Romanis, quia Carolo non favebat, venit in Franciam, et cum rege Ludovico Balbo anno pene uno moratus est. Northmannorum plusquam quinque millia a Francis in Gallia cæsa sunt. Hytingus fugatus ab Anglia ab Elfredo rege, ut supra dictum est, cum suis transfretavit; et Parisius, et Turonis, et multas alias urbes, quæ supra Sequanam et Ligerim sitæ sunt, civibus evacuans, usque ad Tyrrhenum mare grassatus est.

880. Odo, Cluniacensis abbas. Hic Hastingus, vastatis superioribus Galliæ partibus, obsedit Turonum. Cujus cum murus crebro pulsaretur ariete, curritur ad corpus sancti Martini, et deferunt illud ad locum debiliorem, mortuum pro vivis defensorem facientes. Mox fugerunt Dani, quos Turonici persecuti sunt usque ad sextum lapidem. Ibidem ædificata est Sancti Martini Ecclesia, in loco illo, ubi sanctum corpus substiterat.

Ibidem erant antiquarum maceriarum ruinæ, ubi dicebatur aula fuisse Valentiniani, in qua sedens, non dignatus est assurgere Martino, donec afflante incendio territus assurrexit. Post tria lustra fugæ Hastingi, venit ab eisdem finibus Rollo. Qui, victis Brittonibus et Flandrensibus, et urbibus eorum et

A oppidis succensis, venit Cenomanum, et obsedit eam; misit præsides exercitus sui ad Turonum. Sed tunc Dei providentia Carus et Ligeris adeo inundaverant, ut ad Turonum accedere non possent. Porro sexdecim monachi gladio percussi, abbas et alii 24 in cavernis latitantes evaserant. Qui ad hoc reservati sunt, ut patroni sui corpus prosequerentur. Abbas tamen Herbernus de latebris abstractus nullis tormentis cogi potuit, vel thesauros Ecclesiæ prodere, vel monachos latitantes. Horum nullus residuus fuit, quem non Martinus Ecclesiæ regimini præficeret. Tunc abbas et illi 24, recedentibus Danis, a canonicis sancti Martini cum reverentia suscepti sunt, et adducti ad urbem, et ibi aliti. Transactis sex mensibus Rollo Cenomanum cepit. Tunc B transmissum est corpus sancti Martini Aurelianis; cujus custodes fuerunt Herbernus abbas cum 24 monachis, et 12 canonicis, et 12 burgensibus Novicastri, qui illis in omnibus necessariis providebant. Postea pervenerunt ad sanctum Benedictum. Deinde audientes quod Rollo jam Aurelianis venisset, perrexerunt Cableiam, postea Autissiodorum, ubi innumera miracula facta sunt in ecclesia Beati Germani.

Guillelmus. Cum adventantes pro remediorum gratia plurima conferrent, orta est lis pro partitione pecuniæ inter Turonicos et Autissiodorenses. Ad hanc litem solvendam ponitur leprosus inter duorum sanctorum corpora. Arcetur tota nocte humana custodia. Lucescente aurora apparuit pars C illa leprosi, quæ proxima fuerat Martino, tota curata, altera adhuc remanente leprosa. Regyratur corpus, et obvertunt Martino latus morbidum. Altero mane repertus est totus curatus, cedente Germano honori hospitis sui. Eo tempore Dani per annos tredecim Gallias infestaverunt, donec tandem ab Arnulfo imperatore multis præliis victi in Angliam refugerunt. In quo spatio Elfredus totam insulam, præter id quod Dani habebant, suis subdidit. Qui Cinidoniam caput regni Merciorum dedit cuidam primario cum filia sua Egelfreda; ex qua idem primarius, nomine Etelredus, tulit liberos Ethelendam et Edvardum, qui postea regnavit. Hic Elfredus jam duodennis expers omnis litteraturæ erat, D Sed tamen a matre benigno ludo invitatur, ut pro munere, quod in manibus tenebat susciperet, si cito addisceret, joco litteras ingressus, aviditate siticulosa combibit. Hos libros in Anglicam linguam convertit: *Orosium*, *Pastorale sancti Gregorii*, *Gesta Anglorum*, *Boetii librum De consolat.* Tempus diurnum ita dividebat: Octo horas impendebat in scribendo, orando et legendo; octo in cura corporis, octo in expediendis regni negotiis. Eratque propter hoc in capella ejus candela 24 partium, æditiusque, qui per combustionem candelæ regem de singulis officiis admoneret. Dimidiam portionem omnium censuum suorum juste duntaxat acquisitorum monasteriis delegavit. Cunctos præterea redditus in duas divisit partes, et deinde primam in

tres: quarum unam dedit ministris suis curialibus; secundam operatoribus, quos jugiter in novarum ædium constructione mirabili, et ignoto Anglis modo construebat: tertiam advenis. Secunda pars redditunm ita divisa est, ut prima daretur pauperibus regionis suæ, secunda monasteriis, tertia, ... quarta transmarinis ecclesiis.

Semper in sinu gestabat libellum, in quo continebatur diurnus cursus Psalmorum, ut quando vacabat, arriperet, et precaretur. Filiam Ethelfeldam dedit uxorem Balduino comiti Flandriæ; ex qua ille habuit Arnulfum, de quo sunt comites Flandriæ, et Adulphum, qui suscepit a Patre Bononiæ comitatum. Sepultus est Wintoniæ in monasterio suo. Rollo autem iste, de quo supra dictum est, nobili quidem, sed per vetustatem obsoleta prosapia Noricorum, regis præcepto patria pulsus, multos, quos vel æs alienum, vel conscientia scelerum exagitabat, magnis spebus sollicitatos secum abduxit, pyraticam aggressus, cui non hæsit: cujus cives nec armis nec muris confisi, beatæ Mariæ simperatum adorant, id est camisiam; quam Carolus Calvus a Constantinopoli cum aliis reliquiis advehi fecerat. Hanc camisiam in modum vexilli super propugnacula custodum exponunt; hostes visam ridere, et in eam sagittas dirigere. Quorum oculis mox obtenebratis, nec ante tendere, nec retrocedere valebant. Quod videntes oppidani, mira eorum cæde se satiarunt. Evasit tamen Rollo, quem suæ fidei Deus reservabat. Nec multo post Rothomagum, et confines ejus urbis obtinuit, anno Domini 836, anno scilicet uno ante mortem Caroli Calvi; cujus filius Ludovicus Nortanimbros quidem vicit, sed non expulit. Hæc Guillelmus, qui semper ponit mortem Caroli uno anno citius, quam Sigebertus: qui Sigebertus nunquam ponit cognomen hujus Caroli, quia nunquam nominat eum Calvum, sed simpliciter Carolum. Alii cum historia Calvum eum appellant. Sol hora diei nona ita obscuratus est, ut stellæ in eo apparerent. Ludovicus Balbus moritur apud Compendium in palatio, sexto Idus Aprilis, uxorem suam gravidam relinquens: secundum Willelmum anno Domini 870, secundum Sigebertum, duobus minus, tardiusque. De imperio Francis varie sentientibus; aliis illud filio Ludovici Balbi ex concubina deberi judicantibus; aliis Bosoni provinciæ Regulo ad illud injuste invadendum assentientibus, qui habebat uxorem neptem Caroli Calvi, aliis illud regno Germaniæ resociare volentibus. Nascitur interim Ludovici Balbi filius posthumus. Is ex nomine avi Carolus nominatus est. Filii tamen Ludovici Balbi ex concubina Ludovicus et Carlomannus interim regnum Francorum inter se dividentes regnant annis 5 qui semper Bosonem persecuti sunt. (881.) In silva Franciæ carbonaria plusquam novem millia Romanorum cæsa sunt. Guillelmus. Ludovicus frater Carlomanni cum Normannis bellum gerens, in pago Merminiaco victoriam adeptus est, et non multo post obiit, pridie Nonas Augusti anno Domini 882. Regnavit autem annos duos, menses tres, dies viginti quatuor. Cui successit frater ejus Carlomannus, qui regnavit annos tres, et dies sex.

882. Carolus rex Germanorum, fratre suo Carlomanno defuncto, et non multo post Ludovico altero fratre suo immatura morte prævento, post claras de inimicis victorias regnum Germaniæ totum obtinuit simul cum imperio Romanorum. Carolus Romæ a papa Joanne benedicitur. Normanni adjunctis sibi Danis, Franciam et Lotharingiam pervagantes, Ambianum, Atrebatum, Corbeiam, Cameracum, Tarvennam, fines Noricorum, Menapiorum, Bredatensium, omnemque terram circa Schaldum flumen, monasteria Sanctorum Walterici et Richarii ferro et igne devastant, Walfluvium ingressi, totam Buiunam, palatium etiam Neomagi incenderunt. Eodem anno Godefridus et Ligefridus reges Normannorum cum inæstimabili multitudine juxta Mosam in loco Hastan consedentes, Leodium, Trajectum, Tungriam, Coloniam, Bunnam cum adjacentibus castellis comburunt. Aquis in palatio equos stabulantes, oppidum ipsum et palatium incendunt. Monasteria Stabulaus, Malmudarium, Indam, Prumiam incendunt. Sacri ordinis in utroque sexu ministri ubi poterant opportunius, latebant; et sanctorum corpora et pignora locis tutioribus abscondebant. Ad hæc mala Hug filius Lotharii ex concubina Waldrada in Lotharingia, et Boso supra scriptus in Burgundia tyrannizabant. (883.) Normanni Treverim incendunt, et Metas usque perveniunt; ibique conserto prælio Christianos vincunt: in quo prælio Gualo Metensium episcopus cæsus est. Carolus imperator a Gallis et Germanis in auxilium evocatus, Normannos obsidet: cum quo Godefridus rex facto fœdere, ut sibi Frisia provincia, et Gisla filia Lotharii regis daretur, baptizatus est; et ab imperatore de sacro fonte susceptus. Sigefrido quoque rege nimis imminuto, eos a suo regno recedere fecit. Qui mox Franciam repetentes, post multas incursiones, a Carlomanno Francorum rege duodecim millia marcarum argenti probati pro tributo exigunt: et sic in duodecim annos pacem promittentes, mare repetunt. Hoc tempore Rodulphus quidam corpus sancti Calixti papæ et martyris, qui jejunia quatuor temporum instituit, a Roma in Franciam transtulit. (884.) Guillelmus. Hoc anno mortuus est Carlomannus rex Francorum, octavo Idus Decembris, a singulari ferro percussus in saltu Ennelino, in monte aerio. Deinde Carolus rex Suevorum filius Ludovici regis Bajoariorum monarchiam totius imperii Romanorum et Francorum assumpsit anno Domini 885.

885. Igitur mortuis duobus fratribus Francorum regibus, Normanni Franciam repetunt, dicentes, secum rege Francorum tantum, non cum Francis pactum pacis percussisse. Unde Franci compulsi Carolum imperatorem ad auxilium suum invitant, et Franciam ei subjiciunt, secundum Sigebertum. Qui contra Normannos apud Lovanium castrametatos

semel et bis exercitum misit, sed nil dignum fecit. Regnavit tamen in Francia ab hoc anno annis quinque. Hincmarus fit Remorum episcopus.

886. Sigebertus hoc anno ponit Marinum papam, qui in aliis chronicis tribus annis anteponitur, id est anno 883. Hic fuit papa 110, et sedit anno uno mensibus 5. Hug filius Lotharii regis ex Valdrada pellice, paternum Lotharingiæ regnum rebellando assequi sperans, Godefrido Normannorum regi, cui soror sua Gisla nupserat, medietate affectati regni promissa persuadet, ut ab imperatore imperiales fiscos ad libitum suum sibi addi peteret; per hoc utrinque imperatorem circumvenire putans; si annueret, Dani et Normanni hostes regni in viscera regni immitterentur: si negaret, justam rebellandi causam habere videretur. Ad hoc tractandum, jussu imperatoris Henrico duce, et Godefrido in Batuam convenientibus, inter agendum Godefridus cum suis perimitur; nec multo post etiam Hug ab Henrico excæcatur, et novissime in monachum Prumiæ attondetur. Apud Constantinopolim Basilio imperatore mortuo, Leo filius ejus imperat an. 18.

887. Normanni a Lovanio exeuntes, Parisius obsident: contra quos Henricus dux exercitum ducens, dum incaute equitat, in foveam, quam Normanni fecerant, et quisquiliis operuerant, lapsus trucidatur. Huo dux et abbas miræ pietatis et prudentiæ moritur. Agapitus fit papa post Marinum. Hic tamen in aliquibus libris non annotatur. Fuit autem papa 111, vix anno uno.

888. Carolus imperator cum Normannos nequiret expellere, tandem facto cum eis fœdere, concessit eis regiones, quæ erant ultra Sequanam, quarum incolæ contra se rebellabant: quæ pars Franciæ a Normannis Normannia appellata est.

GUILLELMUS. Hujus Caroli fertur hæc visio. « In nomine Dei summi, Regis regum, ego Carolus imperator, gratuito Dei dono rex Germanorum, et patricius Romanorum, atque imperator Francorum, sacra nocte diei Dominicæ, post celebratum nocturnarum horarum divinum officium, dum irem repausare, et vellem somnum capere, venit vox ad me terribiliter dicens: «Carole, exieta te modo spiritus tuus in hora non modica.» Statimque fui raptus in spiritu; et qui me sustulit, erat candidissimus, tenens in manu sua glomerem lineum, clarissimum jubar luminis emittentem; sicut solent cometæ facere, quando apparent, cœpitque illum dissolvere, et dixit ad me: « Arripe filium glomeris micantis, et liga et noda firmiter in pollice tuæ manus dexteræ; quia per illum duceris in labyrintheas infernorum pœnas. » Hoc dicto præcessit me velociter, distorquens filum lucis sui glomeris, duxitque in profundissimas valles igneas, quæ erant plenæ puteis ardentibus pice et sulphure, plumbo, et cera, et adipe. Ibi inveni pontifices patris mei, et avunculorum meorum. Quos cum pavens interrogarem, cur tam gravia paterentur tormenta,

A responderunt. Fuimus episcopi patris tui, et avunculorum tuorum, et dum debuimus illos et populum eorum de pace et concordia commonere, seminavimus discordias, et fuimus incentores malorum. Ideo nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, et nos, et alii homicidiorum et rapinarum amatores. Huc etiam tui episcopi et satellites venient, qui similiter amant nunc facere. Et dum tremebundus auscultarem, ecce nigerrimi dæmones avolantes cum uncis igneis, volebant apprehendere filum glomeris, quem in manu tenebam, et ad se attrahere. Sed reverberantibus radiis illius glomeris non valebant illum attingere. Deinde post tergum meum currentes, voluerunt me aduncare, et in ipsos puteos sulphureos præcipitare. Sed ductor B meus qui portabat glomerem, jactavit super scapulas meas filum glomeris, et duplicavit illum, traxitque me post se fortiter, sicque ascendimus super montes igneos altissimos, de quibus oriebantur paludes et flumina ferventia, et omnia metallorum genera bullientia. Ubi reperi innumeras animas hominum, et principum patris mei, et fratrum meorum, et præcipitatas, alias usque ad capillos, alias usque ad mentum, alias usque ad umbilicum; et clamaverunt ad me ejulando. Dum viximus, amavimus tecum, et cum patre tuo, et cum fratribus tuis, et cum avunculis tuis facere prælia, et boladias, et rapinas, pro cupiditate terrena. Ideo in ista bullientia flumina, et metallorum diversa genera torquemur.

C Et cum ad hæc timidus accederem, audivi retro me animas clamantes: *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI). Et respexi, et vidi super ripas fluminis bullientis fornaces piceas et sulphureas, plenas magnis draconibus, et scorpionibus, et serpentibus diversi generis: ubi etiam vidi aliquos patris mei principes, et fratrum meorum, et avunculorum meorum, dicentes mihi: Heu nobis, Carole! vides, quam gravia habemus tormenta, propter nostram malitiam et superbiam, et mala consilia, quæ regibus nostris et tibi dedimus, propter cupiditatem. Cumque dolendo contremiscerem, accurrerunt ad me dracones apertis faucibus plenis igne et sulphure et pice, volentes me inglutire. At D ductor meus triplicavit super me filum; a cujus radiis claritatis superata sunt ora eorum ignea: et pertraxit me validius: et descendimus in vallem quæ erat ex ima parte tenebrosa, et ardens, velut clibanus ignis; ex altera vero parte tam amœnissima et splendidissima, ut nulla ratione dicere valeam. Vertique me contra tenebrosam et flammivomam partem, vidique ibi aliquos reges de genere meo in magnis suppliciis: et inde nimis angustiatus, putavi me statim in ipsis suppliciis demergendum a gigantibus nigerrimis, qui ipsam vallem conflammabant generibus ignium; et valde tremens, glomeris filo illuminante oculos meos, vidi e latere vallis paulisper albescere lumen ibique duos fontes fluere. Unus erat nimium calidus, alter vero

clarus et tepidus, et erant ibi duo dolia, cumque illuc irem, filo glomeris regente gressus meos, intentus super unum, ubi erat fluens aqua, vidi ibi patrem meum Ludovicum stare usque ad femora: et dum essem nimis dolore aggravatus, et angore perculsus, dixit ad me: « Domine meus, Carole, noli timere. Scio, quia rursus revertetur spiritus tuus ad corpus tuum; et permisit te Deus huc venire, ut videres, propter quæ peccata ego, et omnes quos vidisti, talia toleramus supplicia. Uno enim die sum in isto ferventis dolii balneo; et altero die transmittor in altero isto suavissimo aquæ dolio: et hoc fit precibus S. Petri, et S. Remigii; cujus patrociniis hactenus genus nostrum regendo regnavit. Sed si mihi subveneris cito, tu et mei episcopi, et abbates, et omnis ordo ecclesiasticus, missis et oblationibus, et orationibus, et psalmodiis, vigiliis, et eleemosynis, velociter liberabor de isto aquæ bullientis dolio. Nam frater meus Lotharius, et ejus filius Ludovicus, sancti Petri, sanctique Remigii precibus jam exempti sunt de istis pœnis, et jam ducti in paradisi gaudium.» Dixitque ad me: « Respice sinistrorsum.» Respexi, et vidi duo dolia altissima bullientia. « Ista, inquit, tibi sunt præparata, nisi te emendaveris, et pœnitentiam egeris de tuis nefandis delictis.» Tunc cœpi graviter horrere. Cernens autem ductor meus me in tanto pavore, dixit ad me: « Sequere me ad dexteram luculentissimæ vallis paradisi.» Et contemplatus sum in ingenti claritate sedere cum gloriosis regibus avunculum meum Lotharium super lapidem topazium miræ magnitudinis, coronatum diademate pretioso, et juxta eum filium ejus Ludovicum similiter coronatum; vidensque me, comiter accersivit, blanda voce dicens: « Carole, successor meus nunc tertius in imperio Romano, veni ad me. Scio quod per pœnalem locum venisti, ubi est pater tuus frater meus positus in thermis sibi destinatis; sed per misericordiam Dei citissime de pœnis illis liberabitur, sicut et nos liberati sumus, meritis S. Petri, et precibus S. Remigii; cui Deus magnum apostolatum dedit super reges, et super genus Francorum; qui nisi quisquiliis nostræ propaginis suffragatus fuerit, jam desinet genealogia nostra regnare et imperare. Unde scio quod tolletur citius potestas de manu tua, et postea parvissimo vives tempore.» Tunc conversus contra me Ludovicus filius ejus, dixit mihi: « Imperium, quod hactenus tenuisti, jure hæreditario debet suscipere Ludovicus filius filiæ meæ.» Et hoc dicto, visum est mihi afferre in præsentia Ludovicum infantulum: tunc intuens eum Lotharius, dixit mihi: « Talis videtur esse infans, qualis ille puer fuit, quem statuit Dominus in medio discipulorum, et dixit: *Dico vobis quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Tu vero redde illi potestatem imperii per filum glomeris, quem manu tenes.» Disnodans ergo filium de pollice dexteræ meæ, donabam illi monarchiam omnem imperii per ipsum filum. Statimque ipsum glomum fulgidum sicut jubar solis coadunatum est totum in manu ejus. Sicque post hoc factum notabile reversus est spiritus meus in corpus meum, valde fessus et conterritus. Post hanc visionem, vix duobus annis supervixit hic Carolus.

889. Adrianus III sedit, papa centesimus duodecimus vel centesimus undecimus, quia Agapitus in quibusdam libris non numeratur. Sedit autem anno 1, et mensibus 4, Carolus imperator zelat uxorem suam, eo quod plus justo ageret cum Luithardo Vercellensi episcopo, cum protestatur in concione, se nunquam cum ea concubuisse carnaliter, illa se virginem gloriata, accepto repudio monasterium petiit.

890. Carolus imperator corpore et animo deficiens, ab optimatibus regni repudiatur, et Arnulfus filius Carlomani regis, fratruelis ejus in regnum sublimatus regnat annis 12. Hic Arnulfus patruo suo Carolo eximperatori etiam necessariis egenti fiscos in Alemania delegavit; qui Carolus anno sequenti obiit. GUILLELMUS: Cui successit in regno Francorum Carolus puer, filius Ludovici illius, qui apud Compendium obiit; in imperio vero successit ei Arnulfus, de genere imperatorio, tutor illius Ludovici pueri, de quo superior visio egerat; qui Arnulfus 11 an. regnavit. Iste Carolus duxit uxorem filiam Edwardi regis Anglorum.

891. SIGEBERTUS. Romanum imperium et regnum Franciæ misere discerpitur. In Italia namque Berengarius et Wido de regno contendunt. Franci vero, neglecto Carolo puero vix decenni, filio Ludovici Balbi, regem sibi præficiunt Odonem filium Roberti ducis, quem superius diximus a Normannis occisum. Radulfus autem, corona sibi imposita, rex Burgundionum statuitur; quæ regnum multo tempore duravit.

SIGEBERTUS. Ab hoc tempore Luitprandus diaconus Ticinensis Ecclesiæ historiam suam orditur. Basilius fit papa centesimus duodecimus. Hic in aliquibus libris non invenitur. Normanni Parisius expugnaverunt, Burgundiam aggrediuntur; et Senonis urbem oppugnant, sed non expugnant. In Italia Sarraceni castrum quoddam Fraxinetum occupantes, magno exitio Italiæ illud ceperunt. Guillelmus Elfredus, de quo supra dictum est, fuit litteratissimus, et semper valetudinis adversæ, et semper aut fico aut aliquo interraneorum morbo agitatus; quod eum a Domino precibus exegisse aiunt, ut minus illecebras amplecteretur mundanas. Centurias et decimas instituit, et tantam pacem patriæ infundit, ut etiam per publicos aggeres, ubi semitæ per quadrivium finduntur, armillas aureas juberet suspendi, quæ viatorum ariditatem riderent, dum non essent, qui raperent. Romam, et ad S. Thomam in India multa munera misit; legatus in hoc missus est Sigelmus Seireburnensis episcopus, qui penetrans Indiam, multas gemmas et

plurima aromata inde retulit; et partem ligni Dominici missam regi a papa Marino. Monasterium unum construxit in Adelingia, ubi olim captivus fuerat, ibique Joannem abbatem instituit ex antiqua Saxonia oriundum: alterum in Wintonia, quod dicitur Novum monasterium, ubi Gribaldum abbatem constituit: qui se vocante et archiepiscopo mittente, cognitus, quod se puerum olim, ut ferunt, transeuntem benigno confoverat hospitio. Causa evocationis fuit, ut litteraturæ studium pene jam tunc in Anglia sepultum sua suscitaret industria. Item Sustoniense monasterium, quod sanctimonialibus implevit; ubi, et abbatissam constituit filiam suam Effiginam. Habebat autem ex Scondeuvi Asserionem quemdam nobiliter eruditum, quem Sciburnæ fecit episcopum. Hic sensum librorum Boetii *De Consolatione* planioribus verbis enodavit, quos rex ipse in Anglicam linguam vertit. Evocavit ex Mercia Wictrorum episcopum Werefritum, qui jussa regis *Dialogorum* libros in Anglicum sermonem convertit. Post hunc regnavit Eduardus, cujus mater Ethelfloda Ethelredi regis Merciorum relicta, experta difficultatem primi partus perpetuo a viro abstinuit, protestans non convenire regis filiæ, ut tanto periculo se committeret. Eduardus regnavit annis 23, et dedit filiam suam Editham Carolo regi Francorum filio Ludovici Balbi. Filias suas instituit primo litteris erudiri, et mox colo et fuso et acu exerceri: filios quoque suos primo litteris fecit imbui, deinde regni gubernacula addiscere.

892. SIGEBERTUS. Normanni a Senonis Parisius repetunt, et inde per Marronam fluvium repulsi Trecas urbem incendunt, et usque Virdunum et Tullum urbes cuncta depopulantur. Wido Berengarium bis victum ex prælio fugat. Odo rex Francorum Danos super Axonam fluvium bello vincit.

893. Arnulphus rex Zuendebaldo duci Marnensium ducatum Boemanorum addens, et Boemanos per hoc sibi infestos fecit, et Zuendebaldo per adjectionem potentiæ materiam contra se rebellandi dedit. Ad quem debellandum cum non sufficeret, gentem Hungarorum, Deo inimicam, regno immisit, eorumque auxilio Zuendebaldum devicit, et tributarium fecit.

894. Sanctus Waldricus, vel Uldaricus in Bajoaria nascitur. Normanni iterum a Parisius repulsi, fines Britonum incessunt et primo victores, postea a Britonibus vincuntur, in duobus præliis duodecim millibus suorum peremptis. Odone rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, ipsi Franci puerum Carolum Ludovici Balbi filium, in regnum paternum revocant, et Remis a Fulcone archiepiscopo in regem inungi faciunt; et oritur longa concertatio inter eum et Odonem. Sunderoldus Maguntiæ archiepiscopus a Normannis Uvormatiæ martyrizatur. Stephanus fit papa centesimus duodecimus.

895. Si hoc anno Stephanus iste quartus hujus nominis primum sedit, ergo aut Basilius quatuor annis sedit; aut si nullus sedit inter Adrianum et Stephanum, sicut quidam libri loquuntur, ergo tot annis vacavit episcopatus; aut Stephanus iste prius sedit, quam scribatur hic, et pluribus annis, secundum magnum Hugonem, sedit statim post Adrianum anno Domini 886. Sedit autem annis 6, diebus 15. Normanni Lotharingiam repetentes, circa Leodium cum Christianis pugnant et vincunt. Arnulphus imperator audita cæde suorum in Bajoaria contra Normannos properat cum valido exercitu, quos super fluvium, qui Tilia dicitur, pedestri prælio adorsus, tantam ex eis stragem fecit, ut ex innumerabili multitudine vix superesset, qui ad classem adversum nuntium ferret. Normannorum residui transvadata Mosa Ribuariam et Arduennam vastando pervagantes, trans mare recedunt. Hoc tempore claruit Remigius Antisiodorensis, in exponendis Scripturis divinis et humanis studiosus. Hoc etiam tempore claruit in Burgundia Berno, ex comite abbas Gigniacensis cœnobii a se fundati: qui etiam ex dono Auræ comitissæ construxit Cluniacum cœnobium in cellam Gigniacensem.

896. Imperator Zuendebaldum filium suum ex concubina facit regem Lothariensium. Carolus rex opem Arnulfi imperatoris contra Odonem implorat: ad cujus auxilium Arnulfus exercitum misit, sed parum profuit. Carolus rex Hundeum regem Normannorum de sacro fonte suscepit.

GUILLELMUS. Carolus, gener Eduardi regis Angliæ, Rollonem accersivit, et Christianum fieri fecit, et Normanniam dedit ei cum filia sua Gislan, quæ esset vas pacis, ita ut ipse Rollo teneret Normanniam de dono Francorum, sicut de domino suo. Tunc astantibus consulentibus, ut pedem largitoris oscularetur, dedignatus genibus regis advolvi, apprehensum pedem ejus ad os suum stans attraxit: quo resupinato, secutus est risus Normanorum, Francis reprehendentibus, excusat Rollo factum, allegans talem provinciæ suæ morem. Dedit etiam idem Carolus eidem Rollo Cœnomanorum comitatum, et Britanniam, quæ sunt appendices Normanniæ.

ODO *abbas Cluniacensis*. Rollone ad fidem converso relatum est corpus sancti Martini ab Antisiodoro Turonum. In cujus reditu quicunque qualicunque incommodo detenti essent, etiam non apportati, etiam non rogantes, etiam non volentes, sanati sunt. Nam duo paralytici de morbo suo victum quærentes, audientes quæ fiebant, communicato consilio, aptatis baculis sub ascellas repere, magis quam fugere tentabant, fugientesque in viti sanati sunt. Quod ipsi postea confessi sunt, non audentes celare. Ingresso autem Martino fines parochiæ suæ tempore brumali, omnia fructeta vestita sunt foliis et floribus, et tam cerei quam lampades accendebantur igne divinitus misso, et maxime in duabus basilicis in ejus nomine consecratis, in Majore monasterio, et in ecclesia Castrinovi, in [illegible] nunc usque servatur, et dextra lævaque in omni [illegible]

ecclesiis campanæ divinitus pulsabantur, nemine tangente. Factum est hoc anno a transvectione ejus, XIII Idibus Decembris, et synodali auctoritate decretum est, ut hoc festum celebrare ageretur ab Adelardo archiepiscopo Turonensi, et a provincialibus suis Rannone Aurelianensi fratre Adalardi, Mainaldo Cenomanensi, Lupo Andegavensi, et a suffraganeis totius provinciæ episcopis. Secundum Sigebertum videtur, quod duos principes Normannorum baptizati fecerit Carolus iste : Hundeum regem Normannorum, quem ipse nominat, et Rollonem istum, quem nusquam nominat, et qui nunquam rex dictus est.

897. Arnulfus imperator a Berengario interpellatus ad auxilium sui contra Widonem, Zuendebaldum filium suum cum exercitu misit in Italiam. Sed Wido viribus agens, et primores exercitus donis corrumpens, inefficaces redire fecit.

898. Arnulfus imperator Longobardiam potenter ingressus, Pergamum urbem armis cepit : cujus comitem Ambrosium ante portam urbis laqueo suspendens, cæteris urbibus terrore incusso, ad obsequelam suam omnes adduxit. Odo musicus ex clerico Turonensi monachum profitetur sub Bernone abbate. (899.) Odo rex Francorum moritur, obtestans primates, ut Carolum in regnum susciperent. Carolus regno Francorum toto recepto, regnavit annis 27. Apud Triburias celebrata synodo contra laicos, qui auctoritatem episcopalem imminuere tentabant; plura super statu sanctæ Ecclesiæ decreta sunt.

900. Formosus Portuensis episcopus fit papa Romanus 114 contra voluntatem quorumdam Romanorum, qui Sergium diaconum Romanæ Ecclesiæ facere papam voluerant, sed non prævaluerant. Hic Formosus cum aliquando in sinistram suspicionem Joanni papæ venisset, timore ejus fugiens, episcopatum Portuensem reliquit : et quia revocatus a papa redire noluit, anathematizatus est : et tandem ad satisfaciendum papæ in Galliam veniens, usque ad laicalem habitum degradatus est : jurans se non amplius Romam intraturum, nec episcopatum suæ urbis repetiturum ; confirmans etiam propriæ manus scripto, se in laicali communione perseveraturum. Post a Martino successore Joannis in episcopatu contra datum sacramentum restitutus, non solum Romam intravit, sed etiam Romanæ Ecclesiæ papatum suscepit. Propter quod cum multo scandalo per multos annos quæstio et controversia agitata est in Ecclesia, aliis ordinationem ejus et ab eo ordinatorum irritam esse debere præjudicantibus ; aliis e contra qualiscunque fuerit Formosus, tamen propter sacerdotalis officii dignitatem, et fidem eorum, qui ordinati ab eo fuerant, omnes consecrationes ejus ratas esse debere, saniori consilio judicantibus : præsertim cum ipse Formosus a Martino papa absolutus fuerit a sacramento et perjurio. Ab hoc Formoso Arnulfus imperator Romam venit, sed non admissus Romam Leoninam obsedit. Lepusculo forte versus Romam fugiente, et exercitu cum clamore nimio sequente, Romani timentes se de muro projiciunt, et hostibus per factos acervos locum ascendendi murum faciunt. Sicque capta Roma, illos, qui papam injuriaverant, decollari fecit, et a papa in imperatorem Romanorum benedictus est. GUILLELMUS. Tempore Eduardi regis Anglorum, erat Romæ Formosus papa : qui misit epistolas in Angliam, excommunicans Eduardum, et omnes subditos ejus ; quia per septem annos plenos destituta fuerat omnis regio Geinssorum, id est Vestsaxonia, episcopis. Tunc congregato concilio constituti sunt singulis provinciis singuli episcopi, et quod olim duo habuerant, in quinque diviserunt.

SIGEBERTUS. Fulco Remorum archiepiscopus perimitur a Wingmaro satellite Balduini Flandrensium comitis, pro eo quod abbatiam Sancti Vedasti Atrebaris a Carolo in beneficium acceperat, quam Balduinus jam per aliquot annos nullo concedente invaserat.

901. Wido rex Arnulfum imperatorem se usquequaque persequentem non ferens, quippe cui nec urbes, nec castra natura munita resistere poterant, dum se fugiendo tutaretur, imperator uxorem ejus obsedit : quæ jam rebus suis diffidens, per unum imperatoris familiarem multa pecunia corruptum ei poculum mortiferum dedit. Quo hausto per triduum excitari non potuit, apertis oculis nihil loqui aut sentire valuit : quæ res eum repedare coegit. Quem recedentem Wido persecutus a Deo percussus obiit.

(902.) GUILLELMUS. Hoc anno incœpit regnare Edwardus filiæ Elfredi filius, de quo supra dictum est. Bonefacius fit papa centesimus decimus quintus. Arnulphus imperator longa ægritudine dissolutus, vel, ut quidam ferunt afflictus a minutis vermibus, quos pedunculos vocant, adeo in corpore ejus scaturientibus, ut a nullo medicorum minui possent, moritur, post quem filius ejus Ludovicus regnat annis 10. GUILLELMUS. Hic est Ludovicus ille puer, de quo superior visio Caroli narrat. Iste Ludovicus, secundum Guillelmum filius fuit illius Caroli, qui dedit Normanniam Rolloni et filiam suam Gillam : secundum Sigebertum filius fuit Arnulfi. Forte non de naturali filio dicit, sed de adoptato. Stephanus fit papa centesimus decimus sextus, mensibus quatuor. Hic primum a Formoso papa episcopus Anagniæ ordinatus, ipsum Formosum persequitur, et omnes ordinationes ejus irritas esse debere decrevit, et alia horribilia dictu in eum facit. Legitur enim, quia ipse, non Sergius, corpus Formosi a sepulcro in concilio protractum, et papali veste exutum, laicali induerit, et abscissis duobus digitis dextræ manus, in Tiberim præcipitari fecit. Romanus fit papa centesimus decimus septimus. In Italia pro Widone filius ejus Lambertus contra Berengarium regnat parvissimo tempore ; quo mortuo, Berengarius regno Italiæ potitur. Theodorus fit

papa centesimus decimus octavus. Hic contra Stephanum papam sentiens, reconciliavit ordinatos a Formoso, quos Stephanus per vim intus Romæ et non foris exordinaverat; nec tamen præsumpserat eos iterum consecrare. His reconciliatis Theodorus papa libros abrenuntiationis reddidit, et igni cremari præcipit. Joannes fit papa centesimus decimus nonus. Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quam Stephanus deposuerat, synodum 74 episcoporum præsentibus Francorum archiepiscopis et rege apud Ravennam statuit, et coram eis cumbusta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat. Hungarorum gens barbara, quæ quibusdam clusis remorata nec ad meridianam plagam, nec ad occidentalem exeundi antea habuerat facultatem; per Arnulphum ruptis clusis emissa, quæ Arnulfo vivente aliquantulum temperaverat rabiem suam, modo eo mortuo per totam Galliam, Germaniam, Italiam, ut tempestas diffunditur. Zuendebaldus rex a Lotharlensibus in bello perimitur. In qua conspiratione et bello quicunque vulneratus est, aut mortem non evasit, aut nunquam postea sanari potuit. Francone Leodiensium episcopo mortuo, Stephanus episcopus subrogatur, vir sanctitate et scientia clarus; qui vitam et passionem sancti Lamberti martyris ad Hermendum episcopum urbanius edidit : cantum quoque nocturnum de eodem martyre, et de sancta Trinitate, et de Inventione protomartyris Stephani, dulci et regulari modulatione composuit. Conradus pater illius Conradi qui post Ludovicum regnavit perimitur in bello a comite Alberto. (905.) Ludovicus rex conserto cum Hungaris prælio miserabiliter vincitur. Benedictus fit papa centesimus vicesimus. Apud Constantinopolim Leone imperatore mortuo, Constantinus filius ejus, et Alexander frater Vincfkonis imperat anno uno.

906. Leo fit papa centesimus vicesimus primus. Hunc post 30 dies ordinationis suæ Christophorus presbyter suus capiens, et in carcerem trudens per invasionem fit papa centesimus vicesimus secundus. Hungari superioris anni victoria elati regnum Ludovici sub tributo redigunt. Apud Græcos Romanus humilis genere, sed quia leonem ferocem occiderat, expertæ fortitudinis habitus, et per hoc a Leone imperatore dux navalis exercitus constitutus, volens fieri tutor Constantini imperatoris, qui admodum puer erat; tutorem illi a patre deputatum, et omnes principes palatii ad se extra urbem evocatos capit, et palatio eliminat, et servientes sibi officiis curialibus honorat. Phocas autem qui terrestrem exercitum contra Simonem Bulgarorum regem duxerat, hoc nuntio perterritus fugit a bello, et omnes fugere fecit; sicque animos et vires Bulgaribus addidit Græcos acrius debellandi. Ipse vero Phocas a Romano captus oculis privatur.

907 Hungari Bulgaros victos tributarios faciunt. Sergius fit papa centesimus vicesimus tertius. Iste est Sergius propter Formosum a papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso episcopus ex diacono factus, ad Francos tamen se contulit, et eorum auxilio Christophorum invasorem capiens, et in carcerem trudens, latenter Romam ingressus papatum invasit, et Romanos minis et terroribus perpulit, ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent, et in ultionem suæ repulsæ, quod dictu quoque nefas est, Formosum sepulcro abstractum in sedem pontificatus sacerdotaliter indutum decollari præcepit : et insuper tribus digitis dexteræ manus abscissis, in Tiberim jactari fecit; et omnes quos ille ordinaverat, injuste exordinavit, et injustius reordinavit : quem Formosum a piscatoribus inventum, et in basilica principis apostolorum loculo deportatum quædam sanctorum imagines adorasse, et venerabiliter salutasse, palam omnibus visæ sunt. Apud Græcos Romanus Pater Basileos factus, ut securius ageret, matrem Constantini imperatoris uxorem duxit, suam vero filiam ipsi Constantino despondit.

908. Romanus impetrato a principibus, ut etiam indumenta imperialia et diadema imperii acciperet, non jam tutor imperatoris, sed super imperatorem imperator esse videbatur : qui etiam Christophorum filium suum imperio ascitum Constantino imperatori in procedendo præferebat. (909) Sed Christophorus non multo post obiit. Hungaris Italiam devastantibus, rex Berengarins eos bello aggressus miserabiliter vincitur. Romanus Græcorum imperator Bulgares Græcos fortiter debellantes facto fœdere mitigavit.

910. Saraceni ex Africa a rege suo missi in Italiam, ut Apuliam et Calabriam contra Romanum imperatorem rebellantes sub ditione illius redigerent pugnando, Apulis et Calabris fortiter debellatis Romam versus gyrantes, Galerium montem occupant, ibique munitione sibi facta multas urbes Italiæ debellaverunt. Regino abbas Prumiensis Chronicam suam a Nativitate Domini inchoatam usque ad hunc annum perduxit. Adelbertus quidam ex primoribus Austrasiorum per septennium Ludovico regi rebellis, dolo Hatonis episcopi Maguntini ad regem deductus decollatur.

911. Hungari Germaniam vastant, Ludovicum filium Bosonis ex filia Ludovici imperatoris, ab Italiensibus a Burgundia invitatum ad regnum, Berengarius excipiens bello, jurare illum compulit, ut si redire permitteretur, nunquam ultra in Italiam veniret. (912.) Ludovicus rex Germaniæ moritur, qui propter insolentiam tyrannorum in Italia, et multam malorum ingruentiam, imperia et benedictionem non meruit; post quem regnavit Conradus (filius supradicti Conradi, qui ab Alberto comite occisus est), annis 7, qui et ipse Conradus caruit imperiali benedictione. Berno abbas moriturus Odonem olim musicum Conradi constituit abbatem Cluniacensis cœnobii, ea conditione, ut Ecclesia Cluniacensis solveret annuatim Ecclesiæ Gigniacensi censum duodecim denariorum. (913.) Ludovicus

Bosonis filius ab Italiensibus ad regnandum reinvitatus, tam cito oblitus juramenti sui, in Italiam contra Berengarium vadit : et eo expulso, regnum Italiæ usurpat. (914.) Contra Conradum regem potentiores regni principes rebellionem meditati, Arnaudus scilicet de Bajoaria, Bucardus de Suevia, Everardus de Francia, Gislebertus de Lotharingia, et horum omnium præcellentior Henricus dux de Saxonia et Turingia, tam sapientia quam fortitudine regis ad ejus gratiam reducuntur. Solus Arnaudus Hungaros cum uxore et filiis fugiens, usque ad mortem regis ibi mansit.

915. Ludovicus vero recaptus a Berengario a custodibus auro corruptis in urbem immisso, oculis privatur. Hungari Berengario confœderati Alemaniam vastant, et a Bajoariis et Alemanis graviter cæduntur. Carolus rex Francorum regnum Lotharingiæ recipit.

916. Hic est Carolus gener Edwardi regis Anglorum, qui Normanniam Rolloni dedit, et filiam aliam Gislam. Sarraceni a Fraxineto et Galtero monte exeuntes, Calabriam, Apuliam et Beneventum, Romanorum quoque urbes ita occupant, ut unam mediam Romani, mediam Sarraceni tenerent, et gravissime Italiam premebant. Anastasius papa centesimus vicesimus quartus sedet. Post quem Lando centesimus vicesimus quintus.

Hungari Alemaniam totam devastantes, usque Fuldam pervenerunt.

918. Romanus imperator Græcorum filios suos Stephanum et Constantinum pro domino suo Constantino imperatore imperare constituit : ipso Constantino imperatore opere manuum suarum, picturam scilicet pulchre exercendo, victum sibi quærente. Hattonem Maguntinum episcopum, cujus dolo olim Adelbertus perierat, rex Conradus sollicitat etiam contra Henricum Saxonum ducem, propter potentiam ipsius sibi suspectam. Ad quod cum jam torquem auream episcopus fabricasset, quæ collo ducis secum convivantis injiceretur, dolo prodito frustratus est : et post triduum morbo et angore, vel, ut alii dicunt, fulminis ictu interiit. Complices etiam concilii a duce patria eliminati sunt. Misso autem exercitu a rege contra Henricum, tanta cæde Saxones in eos debacchati sunt : ut a mimis declamaretur, ubinam esset infernus ille, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset. Hungari per Alemaniam in Alsatiam, et usque ad Lotharingiam perveniunt.

919. Conradus rex moriens, coram principibus regni regem designat Henricum filium Ottonis Saxonum ducis, qui regnavit annos 18. Joannes episcopus Ravennatis fit papa centesimus vicesimus sextus. (920.) Henricus rex contra Arnaudum ab Hungaris regressum cum exercitu in Bajoariam profectus, eum virtute et sapientia sua ad gratiam suam inflexit; addens ei ordinationem episcoporum Bajoariæ. Burcardum etiam ducem Alemaniæ bello territum ad se inflexit. Robertus dux frater Odonis regis, appetens regnum Francorum contra Carolum, inquietabat Franciam; ejusque instinctu omnes pene primores Franciæ adversabantur Carolo. (921.) Stephano Leodiensium episcopo defuncto, Richarius vir catholicus a Carolo per auctoritatem papæ Romæ ordinatur episcopus, repudiato Hilduino, qui, pecunia data duci Gisleberto, ambiebat episcopatum. Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiæ S. Wibertus, qui Gemmelacense cœnobium fundavit; qui divitiis, nobilitate ac potentia clarus, cingulum mundanæ militiæ deponens, monachus factus est. Ziptandus dux Bohemiæ ad fidem Christi conversus, juste et religiose in Bohemia principatur : et post eum Watislaus filius ejus justitia et sanctitate præclarus, cui frater suus Boleslaus nimis adversabatur. (922.) Hungaris Franciam, Alsatiam, Alemaniam, Saxoniamque depopulantibus, Henricus rex juxta urbem Meresburch congressus, vovens Deo pro adipiscenda victoria se hæresin Simoniacam de regno suo eradicaturum, eos pene usque ad internecionem delevit. Idem rex Henricus quoscunque fures, aut latrones, aut sicarios manu fortes, et bellis aptos videbat, indulta eis venia, agros et arma dabat, et legionem ex eis faciens, ad debellandos barbaros exponebat, adjiciens omnino, ut civibus tantummodo parcerent. Carolus rex Francorum cum auxilio Lothariensium juxta urbem Suessionem pugnans contra Robertum fratrem Odonis regis, qui contra se regnum Francorum invadebat, cum multis peremit, et se et Franciam Henrico regi submittit, eique in pignus perpetui fœderis et amoris mittit manum pretiosi martyris Dionysii Parisiensis auro gemmisque inclusam.

923. Reges Henricus et Carolus apud Bunnam confœderantur, et Carolus reddit Henrico regi regnum Lotharingiæ, episcopis et comitibus utrinque jurando rem confirmantibus. Africani qui per munitionem Galeriani montis totam Italiam laniabant, per auxilium Romani Græcorum imperatoris, consertam cum eis pugna, ita attriti sunt, ut ne unus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur aut caperetur; multis testantibus, apostolos Petrum et Paulum in illo visos in auxilium Christianorum.

924. Henricus rex pacem cum Hungaris in novem annos firmat. Carolus rex Francorum a comite Heriberto capitur, Partone truditur in custodiam ob necem Roberti ducis ab eo perempti. Rodulphus rex Burgondionum ab Italiensibus ad regnandum invitatus contra Berengarium, conserta cum Berengario pugna, eoque victo et expulso, regnum Italiæ tribus annis tenuit. Guillelmus hoc anno post Edwardum qui regnavit annis 23, regnavit filius ejus Ethelfinnus (36) annis 16. Hic, ut ferunt, ex

(36) Infra *Ethelstimus*, *Etelstanus*, *Ethelstarus*.

concubina natus est. Vix in tota Anglia fuit ullum vetustum monasterium, quod non vel ædificiis, vel ornamentis, vel libris, vel prædiis decoraverit; recentia monasteria faciebat quasi ex professo, vetusta quasi aliud agens, artifici benignitate insigniebat. Sitrico regi Nortannimbrotæ dedit in uxorem unam ex suis sororibus; quo post annum mortuo provinciam illam sibi subegit. Widnalium regem Walnensium, et . . . . . a suis regnis expulit; quos tamen postea miseratione commotus in antiquum sub se regnare permisit. Postremum illi fuit cum Adelano filio Sitrici, qui timens regem sibi occurrentem cum exercitu, mimum se simulavit, et assumpta in manu cithara ad tentorium regis Ethelstimi venit, cantitans pro foribus, unde facile admissus est, cantandoque inter psallendum omnia oculis scrutabatur. Post convivium abire jussus, pretium cantus accepit, quod asportare dedignans sub se in terra defodit. Notatum est hoc a quodam, qui olim illi militaverat, et confestim Ethelstano dictum: qui hominem incusans, quod hostem præ oculis positum non prodidisset: hoc responsum accepit: « Idem sacramentum quod tibi nuper, o rex, feci, quondam Adalano feceram. Sed amove hinc tentorium, usque dum partes relictæ veniant mane, ut inimicum petulanter exsultantem modesta cunctatione frangas. » Adalanus ergo nocte adveniens, episcopum quemdam qui vespere ad exercitum venerat cum omni familia occidit, ultraque progrediens regem imparatum offendit; qui hostes nihil tale ausuros putaverat. Rex ergo stratis excussus, cum suos ad bellum acueret, gladius ejus fortuitu e vagina excidit: inclamatoque Deo et sancto Adelmo, qui erat ejus ex antiqua stirpe consanguineus, reducta ad vaginam manu invenit ensem, qui hodieque pro miraculo servatur in thesauro regum, et est una parte sectilis, nec unquam auri vel argenti receptibilis. Hoc Dei dono fretus tota die usque ad vesperam indefessus fugavit Adalanum cum exercitu. Cecidit ibi rex Scotorum Constantinus perfidæ animositatis et vivacis senectæ homo, aliique reges 5, et comites 12, et omnis pene turba Barbarorum. Pauci qui remanserant, pro fide Christi suscipienda conservati sunt. Norwalensium, id est Aquilonalium Britonum reguli vectigalis nomine annuatim ei solvebant auri libras 20, argenti 300, boves 25, et quot liberet canes venaticos, et aves venaticas. Urbem Excestram Orthonuvalensibus abstulit, quam turribus et muro munivit ex quadratis lapidibus. Aroldus rex quidam Nauricorum misit ei navem aurea rostra habentem, et velum purpureum, densa testudine inauratorum clypeorum intrinsecus coagitatam. Hunc Etelstanum, patre defuncto, voluerunt æmuli in urbe Vuintonia secare, quorum princeps erat Helfredus quidam, qui deprehensus missus est Romam, ut ibi se coram apostolico Joanne jure jurando defenderet qui cum jurasset ante al-e Sancti Petri, cecidit, et manibus famulorum

A ad Anglorum scholam portatus, tertia nocte mortuus est. Misit ad eumdem Ethelstanum Rabandus præpositus Samsonis archiepiscopi ossa sancti Senatoris, et sancti Paterni, et sancti Stabilionis, qui fuit magister ejusdem sancti Paterni, et uno die, ac eadem hora cum eodem Paterno migravit ad Christum. Isti sancti tunc de Britannia minori, et de Normannia translati ad tutiora loca fuerant. Sed et aliæ tunc multæ reliquiæ Normannis Gallias infestantibus similiter translatæ, facile venum patebant. Hic Etelstanus de concubina dicitur fuisse natus hoc modo. Erat in quadam villa opilionis filia pulcherrima: hæc per nocturnam visionem vidit lunam de suo ventre splendere, et totam Angliam suo lumine illustrare. Quod cum illa sodali- B bus retulisset, et illæ hoc idem villicæ, quæ filios regis nutriebat, enarrassent; illa eam assumpsit, et loco filiæ habuit. Quam postea in domo ejus adamavit Edwardus regis Elfredi filius, ex qua genuit Ethelstanum. Ad hunc Ethelstanum misit Henricus Conradi filius rex Teutonicorum, et imperator Romanorum, sororem ejus Othoni filio expostulans. Alteram ejus sororem habuit Ludovicus Aquitanorum princeps, de genere Caroli Magni superstes. (925.) Rex Henricus urbem Sclavorum Brennaburch capit, et victis Sclavis tributum imponit. Post hæc agrarios milites recensens, edixit, ut octo eorum in agris, nonus in urbe moraretur: quatenus octo in agris et sibi et nono laborarent; nonus vero in urbe tertiam partem omnium fru- C gum illorum reservaret in ædibus a se ad hoc exstructis, ut in bello nihil alicui eorum deesset; urbesque rebus et viris plenæ essent. Berengarius rex ab Italiensibus impie perimitur. Hungari Salardo duce Italiam pervagantes, Papiam obsident, et incendunt. (926.) Carolus rex Francorum sub custodia Herberti exsul et martyr moritur: post quem Rodulphus rex Burgundionum regnat in Francia annis 2. Simeon Bulgar ex philosopho monachus, ex monacho miles, dominatur Bulgaribus, et Græcos graviter atterit, sed Romanus imperator Græcorum ejus insaniam, facto fœdere, mitigat. (927.) Post mortem Caroli regis, nolentibus Lotharingis Henrico subesse, quidam Lotharingus, D nomine Christianus, simulata infirmitate, Gislebertum ducem ad se dolo evocatum cepit, regique misit; ut per eum Lotharingiam sibi subigeret. At rex, inspecta industria et potentia Gisleberti, filiam suam Terbergam ei despondit, et cum iterum Lotharingiæ præfecit. Ludovicus filius Caroli regis insidiantes sibi fugiens, per mare transiit in Angliam, mater enim ejus filia fuerat regis Anglorum. Rodulphus rex ab Italis repudiatur, et Hugo comes Arelatensium in regnum Italiæ subrogatur. (928.) Hugo rex Italiæ quosdam Italos sibi suspectos, consilio et virtute Samsonis comitis circumventos, sibi substravit. Ratherius Lobiensis monachus, vir nimiæ simplicitatis, sed experientia liberalium artium nominatus, cum Hilduino, qui olim episcopa-

tum Leodiensem ambierat, in Italiam ad Hugonem regem profectus, ab eodem Hugone Veronensis episcopus constituitur, Hilduino Mediolani ordinato. Rex Henricus Ranna urbem Dalmatiæ capit, et Dalmatiæ tributum imponit. Ludovicus in Franciam reversus, licet ærumnose, tamen in regno restitutus, regnat annis 27. (929.) Lanceam mirandi operis, et clavis Jesu Christi sanctificatam, quæ dicitur Magni Constantini fuisse, donatam Rodulpho regi Burgundionum et Italiæ a Samsone comite, rex Henricus precibus, minis et muneribus, addita etiam parte provinciæ Suevorum, a Rodulpho comite extorquet: et hanc ad insigne et tutamen imperii posteris reliquit.

930. Joannes papa a militibus Widonis marchionis captus, et in custodiam trusus, cervicali super os ejus posito pessime strangulatus est : post quem alter Joannes fit papa centesimus vicesimus septimus, frater Alberici Romani expulso Hugone regentis. Alibi legitur hoc in loco Leo. Hic sextus hujus nominis sedit papa centesimus vicesimus septimus mensibus 7. Venceslaus princeps Bohemiæ a rege Henrico in Praga urbe obsessus, se et urbem regi dedidit, et impositam Bohemiæ mulctam tributi solvit.

931. Henricus rex reges Normannorum et Abrandarum Christianos facit. Redocrii usque ad ducenta millia hominum conspirantes contra Henricum regem rebellant, et regnum ejus graviter infestant, et vicinas gentes ad rebellandum animant, sed a ducibus regis Bernardo et Thiætmaro gravi bello victi omnes pene moriuntur, aut fugientes in mare vicinum demerguntur : et hoc facto vicinæ gentes rebellione deterrentur.

932. Arnauldus dux Bajoariorum in Italiam contra Hugonem regem veniens a Veronensibus suscipitur, et cum Hugone confligens vincitur. Raherius episcopus ab Hugone episcopatu pulsus, quia Bajoariis faverat, Papiæ exsiliatur: ubi et librum de suis ærumnis luculenter edidit. Scripsit et alia multa legentibus utilia.

933. Beneventani contra Græcos bellum agentes, quotquot Græcorum capiebant eunuchisabant. Stephanus septimus fit papa centesimus vicesimus octavus, annis duobus, et mense uno.

934. Hungari tributum a Saxonibus repetentes, ab exercitu Henrici regis aut occiduntur, aut capiuntur, usque ad internecionem. Tributum quod repetebatur, Deo pro gratiarum actione in ecclesiis et pauperibus distribuitur. Otho filius Henrici regis uxorem ducit filiam Eadmundi regis Anglorum. Hæc est illa soror Ethelstani regis de qua superius locutus est Guillelmus: non Eadmundi, sed Edwardi regis filia : sed Sigebertus alia nomina ponit regum Angliæ quam Guillelmus aliquando. Joannes undecimus fit papa centesimus vicesimus nonus, annis 4, mensibus 10, cujus anno 1 legitur regnasse Berengarius III, annis 8.

935. Rex Henricus Danos, qui per piraticam Frisones incursabant, vincit, et tributarios facit, et Chuppam regem eorum baptizari facit. In urbe Genuensi fons sanguinis largiter fluxit, portendens fortassis ipsius urbis imminentem ruinam : quæ eodem anno ab Africanis cum classe illuc venientibus capta, cunctis civibus, exceptis parvulis et mulieribus, captis aut occisis, etiam thesauris suis est vacuata.

936. Rodulphus rex Burgundiæ moritur. Leo VII, fit papa centesimus tricesimus, annis 3, mensibus 6, diebus 10. Hinc apparet Sigebertum non bene adnotasse annos papatum; cum Joannes ille, qui proximus sedit ante hunc Leonem, sederit annis 4, mens. 10, secundum magistrum Hugonem, et secundum Sigebertum non nisi anno uno. Ille tamen Sigebertus in chronicis suis nunquam ponit certos eorum annos, sed tantam dicit eos sedisse tunc, et non tot annis vel tot. Ego autem numeros eorum de chronicis magistri Hugonis ubique pono. Inger rex Russorum sciens exercitus Græcorum ductos esse contra Sarracenos, et ad insularum custodias dispersos, ad expugnandam Constantinopolim cum mille navibus et eo amplius venit, adeo de victoria jam securus, ut Græcos occidi, non capi juberet; quibus imperator Romanus cum paucis viriliter occurrens, Græco igne circumcirca injecto, pene omnes cum navibus paucis exussit, paucis evadentibus, omnes captivos decollari jussit.

937. Sol sereno cœlo obscuratus est, per fenestras vero domorum radios sanguineos emittebat. Hominis cujusdam sinistra manus ferro amputata, post annum pene ad integrum ei dormienti restituta est; cui pro signo miraculi quasi sanguinea linea loco conjunctionis relicta est. Henricus rex moritur, qui licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductivi mercenarii alter alteri succedentes imperium dilaniabant, benedictionem imperialem susciperet. Guillelmus tamen, ut supra dictum est, dicit eum imperatorem Romanorum fuisse; sed fallitur. Post quem Otho filius ejus ex Mathilde filia Theodorici ducis Saxonum imperavit annis 36. Mons vero ubi rex Henricus sepultus est, postea flammas multis in locis evomebat. Obiit Odo primus abbas Cluniacensis, cui successit Ademarus.

938. Primus contra Othonem rebellavit Everardus comes Palatini, et cum eo Gillebertus dux Lotharingiæ : qui Gerbergam sororem ipsius imperatoris uxorem habebat. Hungari per Austrasiam et Alemaniam, multis civitatibus igne et gladio consumptis, Wormatiæ Rheno transito usque ad Oceanum Gallias vastant, et per Italiam redeunt. Princeps Bohemiæ Vanceslaus vir sanctus a fratre suo Boislao occiditur, ambitione percipiendi principatus seducto. In cujus ultionem rex Otho bellum et indixit, et longa inter eos concertatio per annos quatuordecim protracta est.

939. Everardus et Gislebertus Henricum fratrem

Othonis obsessum capiunt, cumque fallacia sua ab imperatoris fidelitate sejunctum factioni suæ conjungunt; suggerentes ei regnum magis competere nato in patris regno, quam Othoni ante regnum nato. Stephanus VIII fit papa centesimus tricesimus primus et sedit annis 3, mensibus 4, diebus 15. Hungari a Saxonibus graviter cæduntur. Otho a Bajoariis sibi resistentibus interim rediens Everardum exsiliat: iterum Bajoarios aggressus omnes sibi subdidit, præter unum filium Arnaudi. Idem Otho construit urbem Machathaburch, quæ et Parthenopolis dicta est, id est virginum civitas. Hæresis anthropomorphitarum Italiam vexat; contra quam Ratherius Veronensis episcopus et verbis et scriptis reclamat.

940. Otho in Lotharingiam usque ad Capremontem venit: Berengarius junior Berengarii senioris ex filia nepos, timens regem Hugonem se persequentem, pro eo quod contra eum regnum Italiæ affectaret, ad Hermannum Suevorum ducem, et per eum ad Othonem regem fugit. Rex Otho Boislaum bello superat, at Boislaus pro victoria securos circumveniens, principem militiæ regis cum multis trucidat; rex vero Bohemiam devastat. GUILLELMUS. Hoc anno regnavit Edmundus Adelstani frater annorum octodecim; annis sex et dimidio regnavit. Hic Glastoniensem Ecclesiam magnis prædiis et honoribus ditavit, et confirmavit donationem suam per privilegium litteris aureis scriptum in libro Evangeliorum eleganter composito, quem eidem ecclesiæ dedit. Hic Edmundus latronem quemdam nomine Leo eliminaverat, qui post 6 annos regressus, die Sancti Augustini Cantuariensis archiepiscopi inopinus apud Pronchelecliæ inter convivas regis assedit; quia scilicet tunc solebant Angli festive convivari, ob memoriam prædicationis sancti Augustini. Hic latro tunc forte juxta ducem recumbebat. Quem rex ipse partibus de cœna dedignatus fuerat, qui cum a rege solo recognitus fuisset, cæteris in vina spumantibus rex ira accensus prædoni in capillos involat, et ad terram elidit; qui latenter sicam de vagina eductam in pectus regis infixit, qui mox examinatus est. Latro vero concurrentibus satellitibus membratim discerptus est, nonnullos prius saucians. Præviderat hunc regis finem beatus Dunstanus tunc Glastoniensis abbas, dæmonis ante se saltantis gesticulationibus, et plausibus edoctus scurrilibus. Qui mox conscendens, et ad curiam properans, in medio itinere rei gestæ nuntium accepit. Sepultus est in Glastoniensi ecclesia, data in inferias villa in qua occubuit.

941. Ludovicus rex Francorum Lotharingiam invadens, usque ad Alsatiam venit ductu Everardi et Gisleberti. Rex Hugo misso sibi Græco igne ab imperatore Græcorum Fraxinetum oppugnat, et navibus Sarracenorum exustis illud expugnat, et eos inde fugat. Tagmarus frater Othonis regis ab eo ad hostes ipsius transit, et inter cætera mala Herhesburch castrum capit, ibique a rege conclusus reus intra ecclesiam confessus interiit.

Marinus fit papa centesimus tricesimus secundus et sedit annis 3, mens 6, diebus 14, qui tamen anno sequenti, non isto, a magistro Hugone ponitur. Ad hunc sanctus Waldericus Romam veniens, ab eo cognovit se futurum episcopum Augustæ Vindelicorum, quod post annos 15 factum est. Ex hoc conjicitur Marinum papam prophetiæ spiritum habuisse. SIGEBERTUS. Gislebertus et Everardus cum Henrico fratre imperatoris juxta Rhenum contra Othonem bellum parantes, milites Othonis offendunt. Et multi cum paucis congressione facta, Othone interim in alio Rheni littore ante clavos Domini lanceæ infixos in oratione prostrato, victi terga dederunt, Henrico in brachio insanabiliter vulnerato. Orta dissensione inter principes de varietate legis, utrum deberent, avis superstitibus filii filiorum post patres defunctos hæreditare, an exhæreditatis fratruelibus, deberet hæreditas ad patruos redire ex regis Othonis omniumque principum sententia, cognitio veritatis gladiatorio judicio commissa est, cessitque victoria iis, qui censebant fratrum filios debere cum patribus hæreditare.

Rex Otho obsedit Brissagam oppidum Alsatiæ, quod Ludovicus rex per milites Gisleberti et Everardi tenebat: in qua obsidione suasu Frederici Maguntini episcopi, qui jam animo ab Othone defecerat, multi ab eodem Othone defecerunt, eaque re, aliis territis solus rex interritus mansit. Interim fideles regis, Udo scilicet et Conradus frater Hermanni Suevorum ducis, Everardum et Gislebertum prædando regno secure intentos juxta Rhenum inopinate aggressi acerrime debellant; Everardo gladiis perempto, Gisleberto autem Rheni undis submerso. Cæterorum vix aliquis fuit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur. Hoc nuntio infideles regis corde franguntur, et Ludovicus ab Alsatia discedit, et rex et fideles ejus cum ipso gratulantur. Ludovicus rex uxorem ducit Gerbergam quæ uxor fuerat Gisleberti, sororque erat Othonis regis. Filiam vero Gisleberti neptem suam dedit Otho Bertollo duci Bajoariæ et ducatus ejus Othoni datur. Ademarus Cluniacensis abbas substituit sibi abbatem Majolum. GUILLELMUS. Hoc anno Guillelmus Rollonis filius dux Normanniæ, dolo in Francia occisus est ab Alsone, cognomento Curto. Clavis ad ejus cingulum inventa est feræ familiaris scrinii, in quo inventa sunt indumenta monachilia, quæ semper inter bella meditabatur se gestaturum apud Gimegium; quem locum a tempore Hastingi desertum ipse fruticosis sentibus purgaverat, et ad humstatum qui modo est evexerat. Hujus filius fuit Richardus.

944. SIGEBERTUS. Otho dux Lothariensium obit, cui succedit Conradus gener regis Othonis. Stephanus et Constantinus imperatores filii Romani imperatoris, ægre ferentes justa se patris sui severitate a juvenili levitate coerceri, dispositis in palatio in-

sidiis, ignorante altero Constantino Leonis imperatoris filio, patrem de palatii solio deponunt, et tonso ei, ut moris est, capite, ad vicinam insulam, in qua cœnobitæ præliabantur, transmittunt. Sol horribilem eclipsim passus est feria sexta, hora diei 3, quo die in Hispania Abdaram rex Sarracenorum a Radamiro Christianissimo rege Galliciæ in bello superatus est. In Italia cometa miræ magnitudinis apparuit, portendens famem quæ secuta est.

945. Rex Otho corpus Innocentii martyris in urbe Magataburch transfert; qui totam Lotharingiam sibi subjugavit, resistente sibi solo Metensium episcopo Adelberone. Stephanus et Constantinus videntes post patris sui depulsionem Constantinum filium Leonis imperatoris ab omnibus sibi præferri, et se jam vix in secundis haberi, cum deliberarent hoc quod de patre fecerant etiam de Constantino facere, publicato eorum consilio per Diabolinum incentorem hujus consilii, cum ad convivium ex condicto consedissent et de prioratu sedendi inter se consulto decertarent, dato signo a viris Constantini ambo fratres solio deturbantur, et tonsis capitibus ad idem monasterium ad quod patrem transmiserant, et ipsi transmittuntur : et ita evacuato palatio ab imperatoribus abusivis, ipse Constantinus et Romanus filius ejus ex filia Romani imperatoris imperant annis 19. Rex Otho Burgundiam sibi subjugat : barbaros occasione intestini belli undique irruentes Gero comes fortiter ac frequenter debellat. Regi Francorum Ludovico Hugo comes Parisiensis nimis adversatur, qui filius fuit Roberti tyranni in bello Suessionico a Carolo rege perempti.

946. Agapitus secundus fit papa centesimus tricesimus tertius qui sedit annis 10, mens. 6, diebus 10. Henricus frater imperatoris in urbe Metelburch a fratre obsessus, projectis armis ad pedes ejus procidens, et misericordiam implorans, in custodiam includitur. Fredericus archiepiscopus Maguntiæ a civibus excluditur. Rex Otho contra se rebellare molientes multos cepit, et multos occidit. Mortuo Bertaldo duce, rex Otho fratri suo Henrico dat ducatum Bajoariæ, et sic eum reprimit a rebellione. GUILLELMUS. Hoc anno regnavit Edredus III ex filiis Edwardi annis 9, et dimidio. Dunstanus, nuntio hujus ægrotantis audito, cum illuc equum accelerarct, vocem desuper sonantem audivit, modo rex Edredus obdormivit in Domino. Sepultus est Vintoniæ in episcopatu.

947. Berengarium a Suevia in Italiam reversum videns rex Hugo ab Italiensibus, se deserto recipi, Lotharium filium suum, ut saltem Berengario conregnet, Italiensium fidei commendat; ipse Arelatem unde venerat repetit, qui Hugo post annum mortuus est, quo mortuo Lotharius filius eius in Italia solo nomine regnat annis 2.

948. Berengarius actu et potestate rex, et cunctis acceptus, per Italiam tyrannizat. Dux Bajoariæ Henricus Aquileiam in Italia capit, Hundatos bis superat, Ticinium transit, et cum multis manubiis redit. Ludovicus rex Francorum a suis ducibus circumventus a Normannis capitur, et consilio Hugonis Laudunum missus publicæ custodiæ traditur. Carlomannus vero major filius ejus a Normannis abductus Rothomagi moritur.

949. Taxis rex Hungarorum in Italiam veniens, 10 modios nummorum a Berengario, ut rediret, accepit. Rex Otho cum 32 legionibus Franciam ad liberandum Ludovicum aggreditur. Ludovicus ejus metu a custodia relaxatur. Rex Otho Laudunum capit, Hugonem intra Parisius concludit, Remis capit, Hugonis nepote, qui episcopatum Remensem usurpaverat expulso, legitimum episcopum restituit. Usque Rothomagum potenter accedit : et castellis ac urbibus quas ceperat Ludovico redditis, in Saxoniam redit. Rex Otho in Bohemiam contra Boislaum proficiscitur.

950. Boislaus regi reconciliatur, eique tandem fideliter subjicitur : et pacto pacis secundum nutum regis facto manus ei dedit. Rege Othone secundam expeditionem in Franciam parante, Hugo virtutem ejus non ferens ei juxta fluvium Carum occurrit ; et, pacto pacis secundum nutum regis facto, manus ei dedit.

951. Maguntia ab Othone rege obsessa est. Fredericus archiepiscopus captus, et in custodiam trusus, non multo post per indulgentiam regis relaxatus. Rex Otho filium suum Lidulfum ex filia regis Anglorum testamento post se regem designat.

952. Lidulphus filius Othonis regis, instinctu Conradi ducis cum eo rebellat contra patrem : Rhemesburch capit, et multas alias urbes, et principes a patre ad se avertit; rex illum intra Maguntiam conclusum obsedit.

953. Bellum fuit super Mosam inter Conradum et Rhaginerium comitem Aginensium. Mortuo Wichfrido Coloniensium archiepiscopo, successit ei Bruno frater Othonis regis, cujus vitam Rogerus scripsit. Hujus Brunonis studio translata sunt a Roma Coloniam corpora sanctorum Eligii, Patrocli, Privati, Gregorii, cum baculo sancti Petri.

954. Rex Otho uxorem secundam ducit, relictam Ludovici Italorum regis, et per eam Papiam accipit. Rhaerius bis episcopatu Veronensi depulsus ordinatur Leodiensium episcopus, post Farabertum, agente Brunone archiepiscopo.

955. Lidulpho ad gratiam sui patris reducto, Conradus dux Dei et regis transfuga, ad Hungaros se transferens, eos in Lotharingiam usque ad Carbonarium sylvam perduxit, et virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa, ultra prodire prohibiti inanes redierunt. Berengarius rex Italiæ in Germania ad regem Othonem venit, eique suis suique filii manibus datis se illi committit. Ludovico Francorum rege mortuo, Lotharius filius ex Gerberga sorore Othonis regnavit annis 31. GUILLELMUS. Hoc anno regnare incepit Edvius filius Edmundi

superioris regis; adolescens petulans et libidinosus, qui cognatam suam duxit uxorem. Ipso quoque die quo in regem sacratus fuerat, in frequentissimo concessu procerum de rebus seriis agentium, e medio quasi ludibundus prorupit in triclinium, et in complexum ganeæ devolutus. Dunstanus autem lascivientem juvenem violenter e cubiculo abstraxit, et pellicem repudiare coactum perpetuum sibi inimicum fecit. Mox enim miserrimis satellitibus subnixus omnes monachos in tota Anglia prius facultatum auxilio destitutos, mox exsilio deportatos calamitatibus indignis affecit. Ipsum Dunstanum in Flandriam expulit. Malmesberiense cœnobium jam plusquam ducentis septuaginta annis inhabitatum a monachis, stabulum clericorum fecit. Tunc corpus beati Adelmi tot annis abditum a clericis de terra levatum, et in scrinio locatum est: cui dedit rex prædium amplissimum; in cætera vero cœnobia nimis inhumanus fuit, tum propter ætatis lubricum, tum propter pellicis consilium. Regnavit annis 4. SIGEBERTUS. A Bajoariis contra Sclavos prospere pugnatur. Joannes XII fit papa centesimus trigesimus quartus et sedit annis 7.

956 In Italia lapis miræ magnitudinis tonitru et tempestate turbulenta de cœlo jactus ingens miraculum videntibus præbuit; templa plerisque in locis valida tempestate concussa sunt; utriusque ordinis sacerdotes ictu fulminis interierunt, et plura horrenda dictu portenta monstrata sunt. Frederico Maguntino episcopo mortuo successit Guillelmus regis Othonis filius. Rhaerio ab episcopatu Leodiensium ejecto substituitur Baldricus adnitente avunculo suo Raginerio comite Montensi. Lidulfus Othonis regis filius in Italia moritur.

957. Hungaris interim regnum Othonis ductu Conradi ducis depopulantibus, Otho eos bello excepit. Conrado ab Hungaris ad eum pœnitendo refugiente, et orante Deum, ut pro pœna perfidiæ suæ ab Hungaris perimeretur: quo bello Hungari in tantum sunt victi et attenuati, ut ultra jam nec mutire ausi fuerint; aut nullus, aut rarus eorum evasit. Conradus tamen secundum votum suum ibi occubuit: tres reguli Hungarorum in bello capti, suspendio perierunt. Bruno archiepiscopus ducatum Lothariensium post Conradum adeptus, cœnobium S. Pantaleonis Coloniæ construxit. Henricus dux Bajoariæ frater regis Othonis moritur: cui successit Henricus filius ejus.

958. Bruno archiepiscopus plures Normannorum cum principibus eorum baptizari fecit. Viemannus a facie regis Othonis trans Albiam fugiens, Sclavos in regnum ejus conduxit: quos rex fortiter debellavit, occiso regulo eorum cum multis, et septingentis captivis capite cæsis.

959. Obiit sanctus Gerardus fundator Broniensis cœnobii, Bruno archiepiscopus et archidux Lotharingiæ secundas partes in regno fratris sui potenter et industrie agens. Raginerium comitem Montensem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentinianas evocatum cepit, et irrevocabili exsilio damnavit, pro eo quod regnum bellis inquietabat, vel quod verius fuisse dicitur, pro eo quod, mortuo Gisleberto duce consanguineo suo, ea quæ Gislebertus uxori suæ Gerbergæ sorori imperatoris in dotem contulerat, violenter ei auferre præsumebat. Bonis Raginerii confiscatis, filii ejus Raginerus et Lambertus ad Lotharium regem Francorum confugerunt. Prodigiosa res multos terret, et a vitiis coercet, notis crucis in veste plurimorum apparentibus; quorumdam autem vestibus quasi lepra sordentibus Guillelmus. Hoc anno regnare incœpit Edgarus, filius Eadmundi, frater Edwii, juvenculus annorum 16. Quo nascente, Dunstanus audisse fertur vocem Anglicam dicentem: Pax Angliæ, quandiu puer ille regnaverit et Dunstanus noster vixerit sedecim annis regnavit; nullum fere annum regnavit, quo non novum monasterium fundaverit. Regem Scotorum Kynadium Romptorum Malcholinum archipiratam Malcesium; omnesque reges Valnensium numero 5 ad curiam coactos perpetuo sacramento sibi obligavit: quos apud urbem Legionem sibi occurrentes in pompam triumphi per fluvium deduxit una navi impositos: in cujus prora sedebat ipse, et illi remigabant. Fama ejus exciti venerunt eum videre Saxones et Flandrenses et Dani: a quibus didicerunt tunc temporis Angli inconditam animi ferocitatem a Saxonibus, a Flandrensibus enervem corporum mollitiem, a Danis potationem. Florebat tunc in Anglia Dunstanus, prius abbas Glastoniæ, post episcopus Vintoniæ, mox archiepiscopus Cantuariæ, multæ in sæculo potentiæ, magnæque apud Deum gratiæ: post regem Elfredum excitator mirificus artium liberalium et locorum regalium reparator magnificus: qui ut potationem compatriotarum refrenaret, clavos aureos vel argenteos jussit vasis affigi, ut, dum metam suam quisque cognosceret, non plus subserviente verecundia vel ipse appeteret, vel alium appetere cogeret. Hujus discipulus fuit Athelvoldus, ex monacho Glastoniensi abbas Altendoniensis, et post episcopus Wintoniensis, qui talia et tanta fecit caput urbis unius, quot et quanta vix posse facere videretur rex Angliæ totius. Hic clericos expulit de Wintonia, et pro eis monachos introduxit. Floruit etiam tunc Osvaldus nepos Odonis archiepiscopi, qui ante Dunstanum fuerat ex monacho Floriacensi Vigorniæ episcopus, et post Eboraci archiepiscopus: qui monasterium Ramesiæ in quodam palustri loco ædificavit, clericos a Vigornia expulit, et posuit pro eis monachos regulares.

960. SIGEBERTUS. Hoc tempore per industriam Othonis regis meliorato imperii et Ecclesiæ statu, multa monasteria et cœnobia ad laudem Dei aut restaurantur, aut ampliantur, aut ædificantur.

961. Gallia et Germania jam bene pacatis, intendens rex Otho etiam Italiam pacare, præsertim ad

hoc eum anxie evocantibus Joanne papa cæterisque episcopis, ut eos liberaret de manibus tyrannorum Berengarii et Adelberti filii ejus, filium suum Othonem puerum septennem Aquisgrani die sancto Pentecostes in regem fecit inungi : eoque commendato archiepiscopis, fratri Brunoni, et filio Guillelmo, ad Italiam tendit. Apud Constantinopolim Romano imperatore defuncto Nicephorus imperat annis 10.

962. Sanctus Wibertus fundator Gemmelacensis cœnobii apud Gorsiam, ubi Deo militabat propter amorem ferventis ibi religionis, dormivit in Christo. Corpus ejus relatum est ad cœnobium Gemmelacense.

963. Otho Italia pervagata et tyrannis metu ejus perterritis, ita ut in locis natura munitis laterent, aut Sarracenorum auxilia quærerent, Romæ a Joanne papa in imperatorem benedicitur : tyranni et Joanne papa et a Romanis abjurantur. Eo repatriante Adelbertus a papa Joanne a Fraxineto Romam revocatur, sed imperatore redeunte refugiunt. Collecto autem a tota Italia episcoporum concilio Joannes papa de nefariis causis infamatur : qui tertio evocatus, dum se excusatum venire cunctatur, post multa tandem eo a cunctis præjudicato, Leo adhuc laicus electione omnium, et consensu imperatoris papa substituitur. Sicque Leo præsidens apostolicæ sedi fecit ordinationes, et ea quæ erant apostolica. Nec longum Romani alterata fide apud imperatorem, Joannem papam recipiunt. Ille, synodo collecta, Leonem deposuit, et ejus gesta cassavit. Statutumque est publico omnium judicio synodum a Leone habitam nec nominandam synodum ; sed prostibulum favens adulteris. Quicunque ergo ab eo ordinati erant, damnati, jussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta hæc verba continente : *Pater meus nihil mihi dedit.* Et sic depositi remanserunt in gradibus, quos prius habuerunt. Si qui autem digni judicantur, iterum ordinantur, non accepta priori consecratione : indicto illis eodem decreto, quod et damnatis a Constantino neophyto. Romani igitur a papa Joanne pecunia illecti, imperatorem cum paucis Romæ morantem subito aggressi, ita ab imperatoris exercitu sunt attriti, ut nisi ab imperatore et papa Leone milites imperatoris a cæde revocarentur, usque ad internecionem Romani delerentur. Quibus per Leonem imperatori reconciliatis, post abscessum imperatoris Leo papa sibi insidias parari sentiens, ad imperatorem fugit. Joannes autem ex papa se cum uxore cujusdam oblectans, a diabolo in tempore percutitur, ac sine viatico moritur. Romani vero contra juramentum quod imperatori fecerant, se nunquam electuros papam sine ejus et filii sui Othonis consensu, Benedictum sibi papam statuunt. Imperator autem, Roma obsessa, Romanos cæde et fame adeo afflixit, ut Leonem papam se recepturos promitterent. Sic Benedictus rejectus est a papatu et sacerdotio, et a Leone exordinatus est Guillelmus. Hoc anno Domini 963 sedit

A Benedictus V papa centesimus trigesimus quintus, mensibus 2, post quem Leo VIII papa centesimus trigesimus sextus , anno uno, mens. 4.

964. Adelberone Metensi episcopo mortuo, qui frater fuerat Frederici ducis, succedit Deodoricus consobrinus imperatoris. Hic, ut legitur, inspiciens litteras nominum omnium episcoporum Metensium, quas angelus Domini dicitur dedisse sancto Clementi primo Metensium episcopo, et notatas alias auro, alias argento, alias viliore metallo, pro meritorum qualitate : cum videret etiam primam litteram sui nominis argento prænotatam, dixisse fertur, se in episcopatu tanta bona facturum, ut ipsa nominis sui littera auro deberet adnotari. Cujus bonæ intentionis initium ostensum est in cœnobio

B S. martyris et levitæ Vincentii fundato in ipsius urbis insula Arnulpho sene Flandrensium comite mortuo. Lotharius rex Francorum graviter infestat et vastat.

965. Joannes XIII fit papa centesimus trigesimus septimus, vel trigesimus sextus, Benedicto priore non computato, et sedit annis 7, mensibus 11. Otho imperator Pentecosten Aquisgranis celebravit, concurrentibus ibi a Francia sororibus suis Gerberga regina Francorum, matre Lotharii regis et Caroli ducis, et Hawide uxore Hugonis Parisiensium comitis, quorum filius fuit Hugo, qui postea regnavit in Francia. Ubi omnis illa regalis prosapia multo congratulationis gaudio est affecta. Bruno archiepiscopus et dux in Franciam pergens, ad pacificandos nepotes suos, Lotharium regem, et filios Hu-

C gonis, febre correptus apud Compendium, Remos redit ; ibique quidquid in re mancipi habebat, per testamentum ecclesiis sanctorum delegatis, mortuus est. Cujus corpus a Deoderico Metensium episcopo Coloniam relatum est. Otho Italiam repetit. Guillelmus dicit Joannem papam hoc anno generalem synodum congregasse.

966. Guillelmus archiepiscopus imperatoris filius Maguntiæ moritur. Hoc tempore Danis, qui Christum simul et idola colebant, cum Popone clerico in convivio altercantibus super cultura Dei et deorum, Danis asserentibus, Jesum Christum esse quidem Deum, Deos vero majores et antiquiores esse illo ; Popone contra affirmante Jesum Chri-

D stum solum esse verum Deum, qui Deus unus est in substantia, et trinus in personis ; rex Danorum Alradus condidit clerico, ut fidem propositam a se probaret testimonio veritatis. Quo annuente, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illius ferendum imponitur. Quod cum clericus usque ad placitum omnium tulisset absque ulla læsione, rex abjecta penitus idololatria, se suosque ad cole dum solum verum Deum convertit ; clericus vero episcopus factus est. Vicmanus diu contra imperatorem rebellis a Misaca Sclavorum regulo imperatoris amico et milite perimitur. GUILLELMUS. Etgarus, rex Angliæ, dum quadam die in venatione esset, fessus somnoque resolutus jacebat sub malo silvatica, cum ecce canis femina venatica prægnans,

et juxta pedes illius accubitans, dormitantem exteruit. Nam, ipsa tacente, catuli alvo inclusi multiformes et sonoros latratus edidere. Attonitus rex oculos ad cacumen arboris intendit, et videt poma unum et alterum delapsa in fluvium : quorum collisione bullis æqualibus inter se crispantibus voce articulata sic insonuit : *Vel his te*, id est bene est tibi. Non multo post undarum voluminibus agentibus, urceolus super aquam apparuit, et post urceolum urceus exundans aqua : nam alter prior vacuus erat, et quamvis crebro gurgitis impulsu major minorem urgeret, ut scilicet aquas suas in illum infunderet : nunquam id obtinere potuit, quin urceolus vacuus recederet, iterumque quasi superbo gestu victor urceum impeteret.

Regressus rex post hanc visionem domum anxius, patefecit omnia matri suæ : cui tanquam sanctæ feminæ Deus multa solebat revelare. Hæc dicebatur Elfiga : quæ tam pia et dulcis erat, ut etiam reos quos judicium palam damnaverat, occulte redimeret; quamlibet pretiosam vestem conspecto pauperi statim dabat, corpore speciosissima, et artificio manuum prudentissima, et omnibus operibus bonis intenta. Postero igitur mane dixit filio suo : « Latratus catulorum quem matre quiescente dedere, significat quod post obitum tuum quiescentibus illis qui modo valent et vivunt, nondum nati nebulones contra Dei Ecclesiam latrabunt. Quod autem unum pomum secutum est alterum, ita ut ex collisione secundi in primum videretur vox sonuisse : vel his te, hoc innuit, quod ex te qui ad instar arboris magnæ totam in umbras Angliam, duo procedent filii : fautores secundi exstinguent primum : tunc diversæ partis incentores dicent pueris utrisque, vel his te; quia mortuus regnabit in cœlo, vivus in sæculo. Quod autem urceus major minorem implere non poterat, signat quod gentes aquilonares, quæ numerosiores sunt quam Angli, Angliam post mortem tuam impetent : et quamvis crebro compatriotarum adventu rumas suas impleant, nunquam tamen hunc angulum mundi poterunt implere; sed Angli nostri cum maxime victi videbuntur eas expellent. » Hic Etgarus rex adeo in sanctitate sua severus fuit, ut temporibus ejus nullus fuerit privatus latro, nullus popularis prædo, nisi qui mallet propriæ vitæ dispendio in fortunas alienas grassari. Quin etiam omnis generis feras sanguinis avidas ex regno exterminare cogitavit. Widialo regi Vallensium indixit, ut sibi quotannis tributum trecentorum Luporum solveret. Quod cum ille tribus annis fecisset, quarto destitit, nullum se ulterius posse invenire professus. Gracillimi corporis fuit, et virtutis immensæ, ita ut ultro ad congrediendum lacesseret quemcunque audacem; hoc maxime timens, ne in tali colludio timeretur. Omni æstate pro Pascha naves per omnia littora coadunari præcipiebat ad occidentalem insulæ partem, cum orientali classe : et rursus cum occidentali ad borealem; inde cum boreali ad

A orientalem remigrare consuetus, ut exploraret, ne quid piratæ turbarent. Hieme et vere per omnes provincias equitabat, judicia potentiorum exquirens, ne jus violarent.

Venit aliquando, cum esset adolescens, in monasterium, quod situm est Vultumniæ; ubi quædam puella de nobilibus Anglorum orta, inter sanctimoniales in communi habitu nutriebatur; quam videns et concupiscens, misit pro illa ; quæ timens pudori suo, raptum velum a quadam sanctimoniali capiti suo imposuit, et sic ad regem ivit. Quam videns ille, quam subito, inquit, sanctimonialis effecta es! Et ablato velo, renitenti vim intulit. Hoc sciens Dunstanus, contristatus valde venit ad regem. Cui venienti cum rex occurreret, et eum, ut solebat,
B per manum ducere vellet, Dunstanus manum suam turbato vultu retraxit, nec ea contingi a rege passus est. Quem de adulterio increpans, ait : « Lava prius manus tuas per pœnitentiam, ut possis tenere manum pontificis. » Ad hoc rex territus cecidit ad pedes ejus, veniam petens. Cui Dunstanus septennem pœnitentiam injunxit, quam ille devote complevit. Ex illa virgine, quæ dicebatur Vulfrida, genuit rex Etgarus sanctam Edigtam. Aliam cujusdam ducis filiam pulcherrimam adamavit; et eam ad se nocte adduci præcepit. Mater autem indignata etiam regis concubinatum in filiam, ancillam suam pro filia subornavit, quæ et ipsa pulchra erat. Quodam tempore rex venatum perrexerat, et Dunstanum, qui tunc forte secum erat, missam rogavit
C differre, donec rediret. Appropinquante hora tertia, vir Dei sacris induitur vestibus, regemque exspectat, stans cubitis innixus altari, et lacrymis deditus. Tunc subito sopore leviter pressus rapitur in cœlum, immistus angelis, audit eos sanctæ Trinitati modulatis vocibus canere! *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*, quorum cantum retinens, ad se reversus est, et interrogat, si rex advenisset, respondetur: Non. Iterum ergo orat, et iterum in cœlum raptus audit ibi altisona voce dici: *Ite, missa est;* cumque responderetur: *Deo gratias*, accurrerunt clerici regis, regem adesse dicentes. Quibus ille respondit, quod jam missam audierat, nec aliam eo die vel auditurus esset, vel celebraturus. Inter-
D rogatus quare; visionem aperit, et sumpto ex hoc sermone, prohibuit regi ne ulterius in die Dominica venatum pergeret. *Kyrie eleison* quod in cœlo audierat, suos clericos docuit, et in multis locis hodie per Angliam cantatur.

Hoc Edgaro nato mandavit pater ejus Edmundus Dunstano, quod volebat cum eo loqui. Ad quem dum iret, obvium habuit diabolum mimo similem, ludentem et subsilientem. Agnoscens per spiritum quid significare vellet, jussit eum coram omnibus apparere visibiliter, sicut apparebat sibi; quod et factum est. Requisitus Dunstanus quid significaret gaudium dæmonis, dixit regem in proximo moriturum, et regnum multas tribulationes passurum. Igitur antequam transirent septem dies, occisus

est rex a latrone in convivio, sicut supra diximus: cui successit Edredus frater ejus. Qui diligens Dunstanum, facere voluit eum episcopum Wentanum, defuncto jam Elfego episcopo, cognomento Calvo, qui fuerat cognatus Dunstani; ille autem noluit. Rex ergo rogavit reginam, ut eum rogaret episcopatum suscipere. Qui respondit se vivente rege non futurum episcopum. Tunc substitutus est Elfinus quidam. Septimo die vidit Dunstanus in somnis, se Romam pervenisse, et beatum Petrum in sua Ecclesia, et B. Paulum in sua adorasse, et mox urbe relicta in patriam redisse. Cumque Montem gaudii attigisset, apparuerunt ei Petrus et Paulus, et Andreas, singuli in manibus suis singulos gladios auro inscriptos præferentes, et ei pro munere benedictionis apostolicæ conferentes. In gladio Petri scriptum erat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). In gladio Pauli scriptum erat nomen Pauli; in gladio Andreæ, nomen Andreæ. Cui Andreas, blande illum intuens, modulata voce canebat: *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* II). Petrus autem jubens illum manum extendere, percutiebat eum virga leni ictu in palma, dicens: « Jugum Domini ulterius ne abjicias. » Expergefactus retulit regi Edredo visionem: qui exposuit eam, dicens eum futurum Cantuariæ episcopum; quia ibi ecclesia constructa est in honorem Fili Dei, qui est Verbum in principio. Post hæc idem rex infirmatus mandavit Dunstano, ut veniret ad se. Qui pergens, dum medium viæ peregisset, audivit vocem de cœlo dicentem: « Rex Elredus in pace quiescit. » Ad quam vocem equus viri Dei sine omni læsione ad terram corruens, exstinctus est. Veniens ergo Dunstanus ad regem, invenit eum defunctum, et ab omnibus solum relictum, omnibus subtrahentibus se ab exsequiis defuncti: et ipse eum sepelivit.

Post quem regnavit Edmundi filius Eduvius, quem Dunstanus reliquit, videns eum incorrigibilem. Erat tunc quædam mulier nobilis formosa, filiam habens formosam; utraque impudica regis erat concubina; et laborabant, ut alterutra illarum regina fieret. Per illam mulierem ejectus est Dunstanus de monasterio suo; quam etiam adjuverunt quidam fratres ejusdem monasterii, invidia moti, et eo carere cupientes. Cumque res Ecclesiæ diriperentur, dæmon in atrio templi risum excussum edidit. Quod cognoscens Dunstanus ait: « Tu gaudes, unde doleo; sed certe scias, quod nihil est gaudium, quod nunc habes me recedente, respectu tristitiæ, quam habiturus es me revertente. » His auditis, dæmon aufugit. Deinde Dunstanus fugit in Flandriam; post quem misit præfata mulier, qui ei oculos eruerent; sed non potuerunt eum consequi. Qui mansit apud Gandavum, in quo loco sæpe visitavit eum, et confortavit sanctus Andreas apostolus: cujus apostoli dentem circumferebat in baculo. Nam quodam die cum dæmon illi esset infestus in specie ursi, Dunstanus illum baculo quem tenebat verberavit, ita ut baculus ipse in tres partes frangeretur. Et dicebat verberando: *Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus* (*Psal.* LXVII), et addidit: « Si vivat Dunstanus, scias inimice, quod faciet talem baculum, qui pro gracilitate non frangetur, ut iste. » Fecit ergo alium baculum fortem et grossum, cujus summitatem argento circumposito decoravit, in modum sphæræ concavæ formato; in qua reposuit dentem sancti Andreæ apostoli, cujus sæpe familiari fovebatur alloquio. Quadam igitur die, dum oraret apud Gandavum, obdormivit, et vidit se esse apud Glastoniam cum fratribus vespertinam horam psallentibus, et post *Magnificat* cantabatur Antiphona: *Quare detraxistis sermonibus veritatis*: quam cum cantassent usque ad illum locum: *Verumtamen quæ cogitasti explete* (*Job* VI), subito omnes conticuerunt. Quibus tacentibus, dum vultu et voce et signis instaret Dunstanus, ut totam percantarent, et e contrario illi muti et confusi persisterent, audita est vox de transverso in sublimibus, dicens: « Nequaquam, nequaquam fiet hoc, ut quod cogitaverint, opere expleant. Nunquam enim se a tua potestate, o Dunstane, evellent. Nunquam te ab illius cœnobii prælatione deponent. » Post hæc fugatus est Eduvius ultra Tamisiam, et nefanda meretrix ejus occisa.

Tunc Edgarus frater ejus factus est rex a fluvio Humbre usque ad fluvium Tamisiæ, et divisum est regnum in duo. Hic Dunstanum a Flandria revocavit: tunc electus est Dunstanus in episcopum Wiciorum. Quem dum consecraret Odo Cantuariensis archiepiscopus, omisso Ecclesiæ Wiciorum titulo, titulavit eum ad archiepiscopatum Cantuariensem. Interea rex Eduvius mortuus est, cujus anima Dunstano oranti a quibusdam teterrimis hominibus præsentata est; qui pro eo tantum ploravit et laboravit, injuriarum ejus immemor; donec se exauditum cognovit. Unde facto non grandi intervallo Mauri illi ad Dunstanum redierunt sua præda vacui, dicentes se vindicaturos de illo; quorum minas Dunstanus nihili pendens, gratias egit Deo. Post hæc factus est episcopus Londoniensis, et gubernabat duas simul Ecclesias, Wigorniensem et Londoniensem, sed coactus. Sic impleta est prior ejus visio. Nam Ecclesia Wigorniensis in nomine Petri apostoli, Londoniensis in nomine Pauli consecrata est. Postea mortuo Odone archiepiscopo, ad Cantuariæ sedem translatus est. Hanc sedem obtinuerat prius a rege Elfinus Vunentanus episcopus per regni principes, quos muneribus demulserat et promissionibus. Qui cum Romam pro palleo pergeret, in Alpibus præ nimio frigore mortuus est. Post hunc substitutus est Birtelmus Dorsetensis episcopus, modestus et humilis; sed quia non erat constans ad corrigenda vitia, jussus est redire ad Ecclesiam suam. Eo tempore quidam comes duxe-

rat cognatam suam; correptus a Dunstano, parere noluit, ut eam relinqueret; excommunicatur. Ille adiit regem, conquerens de Dunstano. Rex mandavit archiepiscopo, ut eum absolveret; qui noluit, sed eum gravius excommunicavit. Ille Romam cum multis muneribus misit; apostolicus mandavit Dunstano, ut eum absolveret. Absit hoc, inquit Dunstanus, ut causa alicujus mortalis hominis contemnem legem Dei mei! Quod videns comes pœnituit, et uxorem suam repudiavit, nudisque pedibus et laneis indutus, virgam in manu gerens, cecidit ad pedes Dunstani, generale concilium celebrantis, et tunc primo absolutus est.

Quodam tempore capti sunt tres fabricatores falsæ monetæ: qui mox adjudicati sunt ad sustinendam pœnam tali crimini promulgatam per Angliam, id est ad manuum abscissionem. Quod Dunstanum non latuit. Die ergo Pentecostes celebraturus missam percunctatus est; utrum lex impleta esset; et responsum est, propter reverentiam diei festi dilatam esse pœnam usque in diem alterum. « Nequaquam, inquit; ego ad altare hodie non accedam, donec debitam sustinuerint pœnam; nam negotium ad me respicit, » ipsi enim viri in potestate ejus erant. Dixit, et pro eis qui manus perdituri erant multum plorans, ostendit, de qua affectione hoc dixerit. Quibus punitis, ascendit ad altare læta facie, dicens: « Nunc confido, quod sacrificium de manu mea suscipiet Omnipotens. » In qua missa dum diceret: *Ecclesiam tuam, quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris* (37), nivea columba multis videntibus super eum descendit, et alis expansis super caput ejus sic mansit in silentio, usque dum sacrificium perficeretur. Quo completo, divertit super tumbam Odonis præfati archiepiscopi, alis suis eam complexans, et rostro deosculans. Unde Dunstanus quoties postea ante sepulcrum ejus transivit, semper genua flexit; et eum postea appellavit Odonem sododem, id est Odonem bonum. Dum autem digrederetur ab altari, ministris pro signo quod acciderat in diversa euntibus, non fuit qui casulam illius susciperet: quæ pependit in aere, nec terram tetigit, ne servum Dei a sua intentione turbaret. Is dedicabat aliquando ecclesiam cujusdam nobilis; ubi dum aqua deficeret ad ministerium, et ille nobilis turbaretur, vir Domini percussit baculo terram præmissa prece, et fons erupit. Aliam quamdam ecclesiam dedicabat, quam inspiciens non esse conversam versus orientem, humero suo parum suppressit eam; et mox eam ad orientem convertisse fertur. Quadam nocte cum dormiret, per visum raptus est in superna, et videre sibi visus est matrem suam cuidam potentissimo regi conjugio copulatam, sub immensa confluentium magnatorum lætitia, resonantibus undique hymnis et laudibus in gloriam illius regis, diversis organis concrepantibus; quibus dum ipse magnifice delectatus intenderet, accessit ad eum juvenis qui jam candidissimo tectus amictu, dicens: « Quare, aliis omnibus gaudentibus et cantantibus, tu solus taces in nuptiis matris tuæ? » Cui respondit, se nescire quid in laudem regis cantaret. Cui ille: « Vis, inquit, instrui, quid cantare debeas? » Respondit: « Cupio. » Et ille: « Canta: O Rex gentium, Dominator omnium, propter sedem majestatis tuæ da nobis indulgentiam, Rex Christe, peccatorum, alleluia (38). » Quam sæpius ille cantans et repetens, miro modo delectabatur. Exspergefactus statim illam antiphonam jussit scribi.

Hic Dunstanus natus fuit de nobili Anglorum genere. Pater ejus Herstanus, mater Kynederta dicta est. Hæc eo prægnans, in die Purificationis B. Mariæ cum marito suo ibat ad ecclesiam Glastoniensem, portantes cereos in manibus, quos offerrent. Incepta missa, sereno cœlo, subito luminaria omnium exstincta sunt: et ecce, omnibus stupentibus et attonitis et se invicem respicientibus, subito ignis de cœlo lapsus cereum Kynedertæ accendit: a quo omnes alii lumen mutuati sunt. Baptizatus puer vocatus est Dunstanus, quod interpretatur *montanus lapis*. Quadam die parentes ejus duxerunt eum ad præfatam ecclesiam: ubi dum pro eo pernoctarent, apparuit eis quidam vultus angelici, puerum per manum accipiens, et hinc inde modesto discursu per atrium ducens, dixit illis: « Sic ædificabitur locus ad conversationem illorum, qui in servitio Dei nutriendi sunt, vel a pueritia, vel a morum pravitate in novitatem gratiæ per hunc puerum convertendi. » Igitur in ipsa ecclesia magistro commendatus est. Quodam die infirmatus est valde; cumque videretur spiritum exhalare, media nocte subito lecto desiliit; et pro reddita sibi sanitate gratias acturus ad ecclesiam currit. Invidens autem illius devotioni diabolus, simulavit magnum globum canum latrantium. Qui dæmonum sciens esse figmenta, signavit se, et invocato nomine Christi, virgam, quam in via jacentem invenit, vibravit contra eos, et fugere compulit. Veniens autem ad ecclesiam, invenit eam clausam, et scalam parieti affixam: quam ascendens, nullumque aditum reperiens, cœpit descendere ex altera tecti parte. Deus delectatus in ejus devotione et innocentia, disponebat gressus ejus: et subito per angelum sublatus, ante altare depositus est, Ecclesia undique clausa, et ipso ignorante, quod circa se ageretur: et ibi mane inventus est dormiens. Inquisitus, quomodo illuc advenisset, simpliciter respondit, se nescire.

Erat tunc Athelmus Cantuariensis archiepiscopus, patruus ejus, qui eum regi Ethelstano commendavit. Erat autem idem Dunstanus peritus scribendi, pingendi, sculpendi, in cera, ligno, osse,

(37) In canone missæ.

(38) Antiphona.

auro, argento, ære, et præter hæc in instrumentis musici generis. Dum ergo veniret ad domum cujusdam matronæ, ut horarium ei inauraret in opus Ecclesiæ, et haberet jam opus in manibus, cythara quam suspenderat ad parietem cœpit per seipsam nullo tangente psallere vocibus modulatis: *Gaudent in cœlis animæ sanctorum*, antiphonam totam. Inviderunt ei curiales, et eum de magica apud regem infamaverunt. Quod videns ipse, ivit tunc ad cognatum suum Elfegum Wentenum episcopum. Ad quem cum iret, ab insidiatoribus invidis præventus est, et equo dejectus, et egregie verberatus; sed ne perimeretur, gratia Dei multitudo canum obstitit, quæ ex insperato in eos irruens, illum defendit. Veniens igitur ad episcopum, factus est ab eo monachus, quamvis proposuisset uxorem ducere. Deinde factus presbyter venit in Glastoniam, et fecit sibi cellulam, in eo loco, ubi cereus matris ejus divinitus accensus fuerat; quatuor tantum pedum in longitudine, duorum et semis in latitudine; altitudo staturam hominis capiebat. In medio ostii fenestra erat: ibi orabat, et manibus, mirabile dictu! operabatur. Ubi quadam die dum fabrili intenderet operi, venit ad eum dæmon in humana effigie, rogitans, nescio quid, sibi fieri. Qui cum se pararet ex charitate ad faciendum, quod ille rogabat, dæmon cœpit mutare formam et verba: ut nunc senex, nunc puer, nunc puella lasciva videretur. Quod videns Dunstanus, intellexit præstigias, et dissimulans cœpit patienter ferre motus ejus: sumptisque tenaculis fortiter ignitis, dæmonem per nasum fortiter arripuit, et stringendo tenuit: cumque ille conaretur evadere, traxit illum intus, et tandem diu vexatum cum dedecore projecit. Qui per plateam currens, clamitabat ejulans: « Utquid fecit diabolus ille calvus? Me misericordiæ opus ab eo petentem misere afflixit, et longo igne combussit. » Post hoc in eo loco non est ausus inimicus ulterius eum aggredi. Audiens hoc rusticus quidam, qui sedebat ad focum, æmulus beati Dunstani, et libenter audiens detractationem dæmonis, quasi miserationis obtentu suscepit dæmonem hospitio: qui paulo post arripiens filium ejus projecit in ignem, et exiit.

Circuire solebat idem sanctus post vigilias loca sancta, uno tantum comite comitatus. Quod dum faceret, audivit in ecclesia Beatæ Mariæ, quæ est juxta ecclesiam, in qua sanctus Augustinus quiescit, alta voce cantari: *Gaudent in cœlis animæ sanctorum*, antiphonam totam. Appropinquans autem ostio, et introspiciens per rimas, vidit totam ecclesiam immenso lumine plenam; et cuneum candidatorum ipsam antiphonam lætis canentem vocibus. Alio tempore præfatam Virginis ecclesiam simili causa petebat, et ecce beata Virgo Maria numeroso virginum choro comitata illi occurrit; quem cum summo honore exceptum ad ecclesiam suam ducere cœpit, præcinentibus duabus de choro puellis:

Cantemus Domino, sociæ, cantemus honorem,
Dulcis amor Christi personet ore pio.

Quos versus chorus virginum resumendo cantabat. Postea prædictæ puellæ binos versus, qui sequuntur, cantabant:

Primus ad ima ruit magna de luce superbus.
Sic homo cum tumuit, primus, ad ima ruit.
(SEDULIUS.)

Sicque donec vir Dei in oratorium perductus est, virginum chorus primos, et virgines binæ binos, sicut se habent in præfato Sedulii carmine, cantaverunt. Eo tempore idem Dunstanus impetravit a Joanne papa, ut clerici qui nollent caste vivere, a suis ecclesiis pellerentur, et monachi pro eis introducerentur. Quod audiens Athewoldus Wentanus episcopus sæpe monuit clericos suos, ut feminas relinquerent. Qui promittebant se facturos, sed nunquam faciebant. Quod ille cernens, paravit plurimas monachorum cucullas, et die quo canitur postcommunione: *Servite Domino in timore*, etc. vestes quas paraverat fecit deferri in chorum: quibus projectis in medium, ait: « Animadvertistis quid modo cantaveritis? — Animadvertimus, » inquiunt: « Ergo, inquit, *servite Domino in timore, et apprehendite disciplinam*, vestem scilicet monachilem: *ne*, sicut cantastis, *pereatis de via justa*. » Illi inducias petunt, ille autem amplius dare noluit; sed omnes qui monachi fieri noluerunt, ejecit. Aliqui ex illis statim facti sunt monachi, ad quos instruendos vocati ab eodem pontifice monachi de Abendonia: reliqui ad regem abierunt, sibi fieri justitiam postulantes. Cogitur concilium apud Winthoniam: Dunstanus allegat ea quæ ecclesiis data sunt, ideo data, ut sancte et recte viventes clerici exaudiri possint pro dantibus, a donis fidelium sustentati. Orat rex, ut hac sola vice clericis parcat, et, si se non correxerint, tunc eos expellat. Tunc Dunstanus siluit, demisso capite in terram de negotio pertractans; siluerunt omnes responsum ejus exspectantes. Tunc imago Crucifixi in altum affixa cunctis audientibus dixit: « Non fiet: inde facta bene mutaretis non bene. » Tremefactis omnibus, ait Dunstanus: « Quid amplius vultis, fratres mei? Divina sententia negotium diffinivit. » Aiunt: « Audivimus vere. » Igitur resederunt monachi Winthoniæ in pace, quandiu clerici illi vixerunt.

Quibus mortuis, filii ipsorum cupientes recuperare, quæ in parentibus perdiderant, conduxerant quemdam virum qui erat in Scotia, prægrandis, ut ferebatur, eloquentiæ, Bernelmum nomine, contra Dunstanum. Conventum est igitur apud Kalnam, ubi cum veterem querimoniam deposuissent, respondit Dunstanus: « Calumnia jam Dominico ore definita est: ego jam senex et laboris impatiens, causam Ecclesiæ suæ Domino Deo committo. » Quod cum dixisset, cecidit solarium cum omnibus qui aderant, excepta illa sola parte in qua Dunstanus et sui sedebant. Sic calumnia illa sopita est. Igitur 48 monasteria monachorum vel sanctimonialium per Dunstanum in Anglia constituta sunt; cooperantibus Osvaldo episcopo Wigorniensi, qui fuit post episco-

plurima aromata inde retulit; et partem ligni Dominici missam regi a papa Marino. Monasterium unum construxit in Adelingia, ubi olim captivus fuerat, ibique Joannem abbatem instituit ex antiqua Saxonia oriundum: alterum in Wintonia, quod dicitur Novum monasterium, ubi Gribaldum abbatem constituit: qui se vocante et archiepiscopo mittente, cognitus, quod se puerum olim, ut ferunt, transeuntem benigno confoverat hospitio. Causa evocationis fuit, ut litteraturæ studium pene jam tunc in Anglia sepultum sua suscitaret industria. Item Sustoniense monasterium, quod sanctimonialibus implevit; ubi, et abbatissam constituit filiam suam Effiginam. Habebat autem ex Scondeuvi Asserionem quemdam nobiliter eruditum, quem Sciburnæ fecit episcopum. Hic sensum librorum Boetii *De Consolatione* planioribus verbis enodavit, quos rex ipse in Anglicam linguam vertit. Evocavit ex Mercia Wictrorum episcopum Werefritum, qui jussa regis *Dialogorum* libros in Anglicum sermonem convertit. Post hunc regnavit Eduardus, cujus mater Ethelfloda Ethelredi regis Merciorum relicta, experta difficultatem primi partus perpetuo a viro abstinuit, protestans non convenire regis filiæ, ut tanto periculo se committeret. Eduardus regnavit annis 23, et dedit filiam suam Editham Carolo regi Francorum filio Ludovici Balbi. Filias suas instituit primo litteris erudiri, et mox colo et fuso et acu exerceri: filios quoque suos primo litteris fecit imbui, deinde regni gubernacula addiscere.

892. Sigebertus. Normanni a Senonis Parisius repetunt, et inde per Marronam fluvium repulsi Trecas urbem incendunt, et usque Virdunum et Tullum urbes cuncta depopulantur. Wido Berengarium bis victum ex prælio fugat. Odo rex Francorum Danos super Axonam fluvium bello vincit.

893. Arnulphus rex Zuendebaldo duci Marnensium ducatum Boemanorum addens, et Boemanos per hoc sibi infestos fecit, et Zuendebaldo per adjectionem potentiæ materiam contra se rebellandi dedit. Ad quem debellandum cum non sufficeret, gentem Hungarorum, Deo inimicam, regno immisit, eorumque auxilio Zuendebaldum devicit, et tributarium fecit.

894. Sanctus Waldricus, vel Uldaricus in Bajoaria nascitur. Normanni iterum a Parisius repulsi, fines Britonum incessunt et primo victores, postea a Britonibus vincuntur, in duobus præliis duodecim millibus suorum peremptis. Odone rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, ipsi Franci puerum Carolum Ludovici Balbi filium, in regnum paternum revocant, et Remis a Fulcone archiepiscopo in regem inungi faciunt; et oritur longa concertatio inter eum et Odonem. Sunderoldus Maguntiæ archiepiscopus a Normannis Uvormatiæ martyrizatur. Stephanus fit papa centesimus duodecimus.

895. Si hoc anno Stephanus iste quartus hujus nominis primum sedit, ergo aut Basilius quatuor annis sedit; aut si nullus sedit inter Adrianum et Stephanum, sicut quidam libri loquuntur, ergo tot annis vacavit episcopatus; aut Stephanus iste prius sedit, quam scribatur hic, et pluribus annis, secundum magnum Hugonem, sedit statim post Adrianum anno Domini 886. Sedit autem annis 6, diebus 15. Normanni Lotharingiam repetentes, circa Leodium cum Christianis pugnant et vincunt. Arnulphus imperator audita cæde suorum in Bajoaria contra Normannos properat cum valido exercitu, quos super fluvium, qui Tilia dicitur, pedestri prælio adorsus, tantam ex eis stragem fecit, ut ex innumerabili multitudine vix superesset, qui ad classem adversum nuntium ferret. Normannorum residui transvadata Mosa Ribuariam et Arduennam vastando pervagantes, trans mare recedunt. Hoc tempore claruit Remigius Antissiodorensis, in exponendis Scripturis divinis et humanis studiosus. Hoc etiam tempore claruit in Burgundia Berno, ex comite abbas Gigniacensis cœnobii a se fundati: qui etiam ex dono Auræ comitissæ construxit Cluniacum cœnobium in cellam Gigniacensem.

896. Imperator Zuendebaldum filium suum ex concubina facit regem Lothariensium. Carolus rex opem Arnulfi imperatoris contra Odonem implorat: ad cujus auxilium Arnulfus exercitum misit, sed parum profuit. Carolus rex Hundeum regem Normannorum de sacro fonte suscepit.

Guillelmus. Carolus, gener Eduardi regis Angliæ, Rollonem accersivit, et Christianum fieri fecit, et Normanniam dedit ei cum filia sua Gislan, quæ esset vas pacis, ita ut ipse Rollo teneret Normanniam de dono Francorum, sicut de domino suo. Tunc astantibus consulentibus, ut pedem largitoris oscularetur, dedignatus genibus regis advolvi, apprehensum pedem ejus ad os suum stans attraxit: quo resupinato, secutus est risus Normanorum, Francis reprehendentibus, excusat Rollo factum, allegans talem provinciæ suæ morem. Dedit etiam idem Carolus eidem Rollo Cœnomanorum comitatum, et Britanniam, quæ sunt appendices Normanniæ.

Odo *abbas Cluniacensis*. Rollone ad fidem converso relatum est corpus sancti Martini ab Antissiodoro Turonum. In cujus reditu quicunque qualicunque incommodo detenti essent, etiam non apportati, etiam non rogantes, etiam non volentes, sanati sunt. Nam duo paralytici de morbo suo victum quærentes, audientes quæ flebant, communicato consilio, aptatis baculis sub ascellas repere, magis quam fugere tentabant, fugientesque in viti sanati sunt. Quod ipsi postea confessi sunt, non audentes celare. Ingresso autem Martino fines parochiæ suæ tempore brumali, omnia fructeta vestita sunt foliis et floribus, et tam cerei quam lampades accendebantur igne divinitus misso, et maxime in duabus basilicis in ejus nomine consecratis, in Majore monasterio, et in ecclesia Castrinovi, in qua nunc usque servatur, et dextra lævaque in omnibus

ecclesiis campanæ divinitus pulsabantur, nemine tangente. Factum est hoc anno a transvectione ejus, XIII Idibus Decembris, et synodali auctoritate decretum est, ut hoc festum celebrare ageretur ab Adelardo archiepiscopo Turonensi, et a provincialibus suis Rannone Aurelianensi fratre Adalardi, Mainaldo Cenomanensi, Lupo Andegavensi, et a suffraganeis totius provinciæ episcopis. Secundum Sigebertum videtur, quod duos principes Normannorum baptizati fecerit Carolus iste : Hundeum regem Normannorum, quem ipse nominat, et Rollonem istum, quem nusquam nominat, et qui nunquam rex dictus est.

897. Arnulfus Imperator a Berengario interpellatus ad auxilium sui contra Widonem, Zuendebaldum filium suum cum exercitu misit in Italiam. Sed Wido viribus agens, et primores exercitus donis corrumpens, inefficaces redire fecit.

898. Arnulfus imperator Longobardiam potenter ingressus, Pergamum urbem armis cepit : cujus comitem Ambrosium ante portam urbis laqueo suspendens, cæteris urbibus terrore incusso, ad obsequelam suam omnes adduxit. Odo musicus ex clerico Turonensi monachum profitetur sub Bernone abbate. (899.) Odo rex Francorum moritur, obtestans primates, ut Carolum in regnum susciperent. Carolus regno Francorum toto recepto, regnavit annis 27. Apud Triburias celebrata synodo contra laicos, qui auctoritatem episcopalem imminuere tentabant ; plura super statu sanctæ Ecclesiæ decreta sunt.

900. Formosus Portuensis episcopus fit papa Romanus 114 contra voluntatem quorumdam Romanorum, qui Sergium diaconum Romanæ Ecclesiæ facere papam voluerant, sed non prævaluerant. Hic Formosus cum aliquando in sinistram suspicionem Joanni papæ venisset, timore ejus fugiens, episcopatum Portuensem reliquit : et quia revocatus a papa redire noluit, anathematizatus est : et tandem ad satisfaciendum papæ in Galliam veniens, usque ad laicalem habitum degradatus est : jurans se non amplius Romam intraturum, nec episcopatum suæ urbis repetiturum ; confirmans etiam propriæ manus scripto, se in laicali communione perseveraturum. Post a Martino successore Joannis in episcopatu contra datum sacramentum restitutus, non solum Romam intravit, sed etiam Romanæ Ecclesiæ papatum suscepit. Propter quod cum multo scandalo per multos annos quæstio et controversia agitata est in Ecclesia, aliis ordinationem ejus et ab eo ordinatorum irritam esse debere præjudicantibus ; aliis e contra qualiscunque fuerit Formosus, tamen propter sacerdotalis officii dignitatem, et fidem eorum, qui ordinati ab eo fuerant, omnes consecrationes ejus ratas esse debere, saniori consilio judicantibus : præsertim cum ipse Formosus a Martino papa absolutus fuerit a sacramento et perjurio. Ab hoc Formoso Arnulfus imperator Romam venit, sed non admissus Romam Leoninam obsedit. Lepusculo forte versus Romam fugiente, et exercitu cum clamore nimio sequente, Romani timentes se de muro projiciunt, et hostibus per factos acervos locum ascendendi murum faciunt. Sicque capta Roma, illos, qui papam injuriaverant, decollari fecit, et a papa in imperatorem Romanorum benedictus est. GUILLELMUS. Tempore Eduardi regis Anglorum, erat Romæ Formosus papa : qui misis epistolas in Angliam, excommunicans Eduardum, et omnes subditos ejus ; quia per septem annos plenos destituta fuerat omnis regio Geissorum, id est Vestsaxonia, episcopis. Tunc congregato concilio constituti sunt singulis provinciis singuli episcopi, et quod olim duo habuerant, in quinque diviserunt.

SIGEBERTUS. Fulco Remorum archiepiscopus perimitur a Wingmaro satellite Balduini Flandrensium comitis, pro eo quod abbatiam Sancti Vedasti Atrebaris a Carolo in beneficium acceperat, quam Balduinus jam per aliquot annos nullo concedente invaserat.

901. Wido rex Arnulfum imperatorem se usquequaque persequentem non ferens, quippe cui nec urbes, nec castra natura munita resistere poterant, dum se fugiendo tutaretur, imperator uxorem ejus obsedit : quæ jam rebus suis diffidens, per unum imperatoris familiarem multa pecunia corruptum ei poculum mortiferum dedit. Quo hausto per triduum excitari non potuit, apertis oculis nihil loqui aut sentire valuit : quæ res eum repedare coegit. Quem recedentem Wido persecutus a Deo percussus obiit.

(902.) GUILLELMUS. Hoc anno incœpit regnare Edwardus filiæ Elfredi filius, de quo supra dictum est. Bonefacius fit papa centesimus decimus quintus. Arnulphus imperator longa ægritudine dissolutus, vel, ut quidam ferunt afflictus a minutis vermibus, quos pedunculos vocant, adeo in corpore ejus scaturientibus, ut a nullo medicorum minui possent, moritur, post quem filius ejus Ludovicus regnat annis 10. GUILLELMUS. Hic est Ludovicus ille puer, de quo superior visio Caroli narrat. Iste Ludovicus, secundum Guillelmum filius fuit illius Caroli, qui dedit Normanniam Rolloni et filiam suam Gillam : secundum Sigebertum filius fuit Arnulfi. Forte non de naturali filio dicit, sed de adoptato. Stephanus fit papa centesimus decimus sextus, mensibus quatuor. Hic primum a Formoso papa episcopus Anagniæ ordinatus, ipsum Formosum persequitur, et omnes ordinationes ejus irritas esse debere decrevit, et alia horribilia dictu in eum facit. Legitur enim, quia ipse, non Sergius, corpus Formosi a sepulcro in concilio protractum, et papali veste exutum, laicali induerit, et abscissis duobus digitis dextræ manus, in Tiberim præcipitari fecit. Romanus fit papa centesimus decimus septimus. In Italia pro Widone filius ejus Lambertus contra Berengarium regnat parvissimo tempore ; quo mortuo, Berengarius regno Italiæ potitur. Theodorus fit

papa centesimus decimus octavus. Hic contra Stephanum papam sentiens, reconciliavit ordinatos a Formoso, quos Stephanus per vim intus Romæ et non foris exordinaverat; nec tamen præsumpserat eos iterum consecrare. His reconciliatis Theodorus papa libros abrenuntiationis reddidit, et igni cremari præcipit. Joannes fit papa centesimus decimus nonus. Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quam Stephanus deposuerat, synodum 74 episcoporum præsentibus Francorum archiepiscopis et rege apud Ravennam statuit, et coram eis cumbusta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat. Hungarorum gens barbara, quæ quibusdam clusis remorata nec ad meridianam plagam, nec ad occidentalem exeundi antea habuerat facultatem; per Arnulphum ruptis clusis emissa, quæ Arnulfo vivente aliquantulum temperaverat rabiem suam, modo eo mortuo per totam Galliam, Germaniam, Italiam, ut tempestas diffunditur. Zuendebaldus rex a Lothariensibus in bello perimitur. In qua conspiratione et bello quicunque vulneratus est, aut mortem non evasit, aut nunquam postea sanari potuit. Francone Leodiensium episcopo mortuo, Stephanus episcopus subrogatur, vir sanctitate et scientia clarus; qui vitam et passionem sancti Lamberti martyris ad Hermendum episcopum urbanius edidit: cantum quoque nocturnum de eodem martyre, et de sancta Trinitate, et de Inventione protomartyris Stephani, dulci et regulari modulatione composuit. Conradus pater illius Conradi qui post Ludovicum regnavit perimitur in bello a comite Alberto. (905.) Ludovicus rex conserto cum Hungaris prælio miserabiliter vincitur. Benedictus fit papa centesimus vicesimus. Apud Constantinopolim Leone imperatore mortuo, Constantinus filius ejus, et Alexander frater Vincfkonis imperat anno uno.

906. Leo fit papa centesimus vicesimus primus. Hunc post 30 dies ordinationis suæ Christophorus presbyter suus capiens, et in carcerem trudens per invasionem fit papa centesimus vicesimus secundus. Hungari superioris anni victoria elati regnum Ludovici sub tributo redigunt. Apud Græcos Romanus humilis genere, sed quia leonem ferocem occiderat, expertæ fortitudinis habitus, et per hoc a Leone imperatore dux navalis exercitus constitutus, volens fieri tutor Constantini imperatoris, qui admodum puer erat; tutorem illi a patre deputatum, et omnes principes palatii ad se extra urbem evocatos capit, et palatio eliminat, et servientes sibi officiis curialibus honorat. Phocas autem qui terrestrem exercitum contra Simonem Bulgarorum regem duxerat, hoc nuntio perterritus fugit a bello, et omnes fugere fecit; sicque animos et vires Bulgaribus addidit Græcos acrius debellandi. Ipse vero Phocas a Romano captus oculis privatur.

907 Hungari Bulgaros victos tributarios faciunt. Sergius fit papa centesimus vicesimus tertius. Iste est Sergius propter Formosum a papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso episcopus ex diacono factus, ad Francos tamen se contulit, et eorum auxilio Christophorum invasorem capiens, et in carcerem trudens, latenter Romam ingressus papatum invasit, et Romanos minis et terroribus perpulit, ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent, et in ultionem suæ repulsæ, quod dictu quoque nefas est, Formosum sepulcro abstractum in sedem pontificatus sacerdotaliter indutum decollari præcepit: et insuper tribus digitis dexteræ manus abscissis, in Tiberim jactari fecit; et omnes quos ille ordinaverat, injuste exordinavit, et injustius reordinavit: quem Formosum a piscatoribus inventum, et in basilica principis apostolorum loculo deportatum quædam sanctorum imagines adorasse, et venerabiliter salutasse, palam omnibus visæ sunt. Apud Græcos Romanus Pater Basileos factus, ut securius ageret, matrem Constantini imperatoris uxorem duxit, suam vero filiam ipsi Constantino despondit.

908. Romanus impetrato a principibus, ut etiam indumenta imperialia et diadema imperii acciperet, non jam tutor imperatoris, sed super imperatorem imperator esse videbatur: qui etiam Christophorum filium suum imperio ascitum Constantino imperatori in procedendo præferebat. (909) Sed Christophorus non multo post obiit. Hungaris Italiam devastantibus, rex Berengarius eos bello aggressus miserabiliter vincitur. Romanus Græcorum imperator Bulgares Græcos fortiter debellantes facto fœdere mitigavit.

910. Saraceni ex Africa a rege suo missi in Italiam, ut Apuliam et Calabriam contra Romanum imperatorem rebellantes sub ditione illius redigerent pugnando, Apulis et Calabris fortiter debellatis Romam versus gyrantes, Galerium montem occupant, ibique munitione sibi facta multas urbes Italiæ debellaverunt. Regino abbas Prumiensis Chronicam suam a Nativitate Domini inchoatam usque ad hunc annum perduxit. Adelbertus quidam ex primoribus Austrasiorum per septennium Ludovico regi rebellis, dolo Hatonis episcopi Maguntini ad regem deductus decollatur.

911. Hungari Germaniam vastant, Ludovicum filium Bosonis ex filia Ludovici imperatoris, ab Italiensibus a Burgundia invitatum ad regnum, Berengarius excipiens bello, jurare illum compulit, ut si redire permitteretur, nunquam ultra in Italiam veniret. (912.) Ludovicus rex Germaniæ moritur, qui propter insolentiam tyrannorum in Italia, et multam malorum ingruentiam, imperia et benedictionem non meruit; post quem regnavit Conradus (filius supradicti Conradi, qui ab Alberto comite occisus est), annis 7, qui et ipse Conradus caruit imperiali benedictione. Berno abbas moriturus Odonem olim musicum Conradi constituit abbatem Cluniacensis cœnobii, ea conditione, ut Ecclesia Cluniacensis solveret annuatim Ecclesiæ Gigniacensi censum duodecim denariorum. (913.) Ludovicus

Bosonis filius ab Italiensibus ad regnandum reinvitatus, tam cito oblitus juramenti sui, in Italiam contra Berengarium vadit : et eo expulso, regnum Italiæ usurpat. (914.) Contra Conradum regem potentiores regni principes rebellionem meditati, Arnaudus scilicet de Bajoaria, Bucardus de Suevia, Everardus de Francia, Gislebertus de Lotharingia, et horum omnium præcellentior Henricus dux de Saxonia et Turingia, tam sapientia quam fortitudine regis ad ejus gratiam reducuntur. Solus Arnaudus Hungaros cum uxore et filiis fugiens, usque ad mortem regis ibi mansit.

915. Ludovicus vero recaptus a Berengario a custodibus auro corruptis in urbem immisso, oculis privatur. Hungari Berengario confœderati Alemaniam vastant, et a Bajoariis et Alemanis graviter cæduntur. Carolus rex Francorum regnum Lotharingiæ recipit.

916. Hic est Carolus gener Edwardi regis Anglorum, qui Normanniam Rolloni dedit, et filiam aliam Gislam. Sarraceni a Fraxineto et Galtero monte exeuntes, Calabriam, Apuliam et Beneventum, Romanorum quoque urbes ita occupant, ut unam mediam Romani, mediam Sarraceni tenerent, et gravissime Italiam premebant. Anastasius papa centesimus vicesimus quartus sedet. Post quem Lando centesimus vicesimus quintus.

Hungari Alemaniam totam devastantes, usque Fuldam pervenerunt.

918. Romanus imperator Græcorum filios suos Stephanum et Constantinum pro domino suo Constantino imperatore imperare constituit : ipso Constantino imperatore opere manuum suarum, picturam scilicet pulchre exercendo, victum sibi quærente. Hattonem Maguntinum episcopum, cujus dolo olim Adelbertus perierat, rex Conradus sollicitat etiam contra Henricum Saxonum ducem, propter potentiam ipsius sibi suspectam. Ad quod cum jam torquem auream episcopus fabricasset, quæ collo ducis secum convivantis injiceretur, dolo prodito frustratus est : et post triduum morbo et angore, vel, ut alii dicunt, fulminis ictu interiit. Complices etiam concilii a duce patria eliminati sunt. Misso autem exercitu a rege contra Henricum, tanta cæde Saxones in eos debacchati sunt : ut a mimis declamaretur, ubinam esset infernus ille, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset. Hungari per Alemaniam in Alsatiam, et usque ad Lotharingiam perveniunt.

919. Conradus rex moriens, coram principibus regni regem designat Henricum filium Ottonis Saxonum ducis, qui regnavit annos 18. Joannes episcopus Ravennatis fit papa centesimus vicesimus sextus. (920.) Henricus rex contra Arnauldum ab Hungaris regressum cum exercitu in Bajoariam profectus, eum virtute et sapientia sua ad gratiam suam inflexit; addens ei ordinationem episcoporum Bajoariæ. Burcardum etiam ducem Alemaniæ bello territum ad se inflexit. Robertus dux frater Odonis regis, appetens regnum Francorum contra Carolum, inquietabat Franciam ; ejusque instinctu omnes pene primores Franciæ adversabantur Carolo. (921.) Stephano Leodiensium episcopo defuncto, Richarius vir catholicus a Carolo per auctoritatem papæ Romæ ordinatur episcopus, repudiato Hilduino, qui, pecunia data duci Gisleberto, ambiebat episcopatum. Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiæ S. Wibertus, qui Gemmelacense cœnobium fundavit; qui divitiis, nobilitate ac potentia clarus, cingulum mundanæ militiæ deponens, monachus factus est. Ziptandus dux Bohemiæ ad fidem Christi conversus, juste et religiose in Bohemia principatur : et post eum Watislaus filius ejus justitia et sanctitate præclarus, cui frater suus Boleslaus nimis adversabatur. (922.) Hungaris Franciam, Alsatiam, Alemaniam, Saxoniamque depopulantibus, Henricus rex juxta urbem Meresburch congressus, vovens Deo pro adipiscenda victoria se hæresin Simoniacam de regno suo eradicaturum, eos pene usque ad internecionem delevit. Idem rex Henricus quoscunque fures, aut latrones, aut sicarios manu fortes, et bellis aptos videbat, indulta eis venia, agros et arma dabat, et legionem ex eis faciens, ad debellandos barbaros exponebat, adjiciens omnino, ut civibus tantummodo parcerent. Carolus rex Francorum cum auxilio Lothariensium juxta urbem Suessionem pugnans contra Robertum fratrem Odonis regis, qui contra se regnum Francorum invadebat, cum multis peremit, et se et Franciam Henrico regi submittit, eique in pignus perpetui fœderis et amoris mittit manum pretiosi martyris Dionysii Parisiensis auro gemmisque inclusam.

923. Reges Henricus et Carolus apud Bunnam confœderantur, et Carolus reddit Heurico regi regnum Lotharingiæ, episcopis et comitibus utrinque jurando rem confirmantibus. Africani qui per munitionem Galeriani montis totam Italiam laniabant, per auxilium Romani Græcorum imperatoris, consertam cum eis pugna, ita attriti sunt, ut ne unus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur aut caperetur; multis testantibus, apostolos Petrum et Paulum in illo visos in auxilium Christianorum.

924. Henricus rex pacem cum Hungaris in novem annos firmat. Carolus rex Francorum a comite Heriberto capitur, Partone truditur in custodiam ob necem Roberti ducis ab eo perempti. Rodulphus rex Burgondionum ab Italiensibus ad regnandum invitatus contra Berengarium, conserta cum Berengario pugna, eoque victo et expulso, regnum Italiæ tribus annis tenuit. Guillelmus hoc anno post Edwardum qui regnavit annis 23, regnavit filius ejus Ethelstinus (36) annis 16. Hic, ut ferunt, ex

(36) Infra *Ethelstimus*, *Etelstanus*, *Ethelstarus*.

concubina natus est. Vix in tota Anglia fuit ullum vetustum monasterium, quod non vel ædificiis, vel ornamentis, vel libris, vel prædiis decoraverit; recentia monasteria faciebat quasi ex professo, vetusta quasi aliud agens, artifici benignitate insigniebat. Sitrico regi Nortannimbrotæ dedit in uxorem unam ex suis sororibus; quo post annum mortuo provinciam illam sibi subegit. Widnalium regem Walnensium, et . . . . . a suis regnis expulit; quos tamen postea miseratione commotus in antiquum sub se regnare permisit. Postremum illi fuit cum Adelano filio Sitrici, qui timens regem sibi occurrentem cum exercitu, mimum se simulavit, et assumpta in manu cithara ad tentorium regis Ethelstimi venit, cantitans pro foribus, unde facile admissus est, cantandoque inter psallendum omnia oculis scrutabatur. Post convivium abire jussus, pretium cantus accepit, quod asportare dedignans sub se in terra defodit. Notatum est hoc a quodam, qui olim illi militaverat, et confestim Ethelstano dictum: qui hominem incusans, quod hostem præ oculis positum non prodidisset: hoc responsum accepit: « Idem sacramentum quod tibi nuper, o rex, feci, quondam Adalano feceram. Sed amove hinc tentorium, usque dum partes relictæ veniant mane, ut inimicum petulanter exsultantem modesta cunctatione frangas. » Adalanus ergo nocte adveniens, episcopum quemdam qui vespere ad exercitum venerat cum omni familia occidit, ultraque progrediens regem imparatum offendit; qui hostes nihil tale ausuros putaverat. Rex ergo stratis excussus, cum suos ad bellum acueret, gladius ejus fortuitu e vagina excidit: inclamatoque Deo et sancto Adelmo, qui erat ejus ex antiqua stirpe consanguineus, reducta ad vaginam manu invenit ensem, qui hodieque pro miraculo servatur in thesauro regum, et est una parte sectilis, nec unquam auri vel argenti receptibilis. Hoc Dei dono fretus tota die usque ad vesperam indefessus fugavit Adalanum cum exercitu. Cecidit ibi rex Scotorum Constantinus perfidæ animositatis et vivacis senectæ homo, aliique reges 5, et comites 12, et omnis pene turba Barbarorum. Pauci qui remanserant, pro fide Christi suscipienda conservati sunt. Norwalensium, id est Aquilonalium Britonum reguli vectigalis nomine annuatim ei solvebant auri libras 20, argenti 300, boves 25, et quot liberet canes venaticos, et aves venaticas. Urbem Excestram Orthonuvalensibus abstulit, quam turribus et muro munivit ex quadratis lapidibus. Aroldus rex quidam Nauricorum misit ei navem aurea rostra habentem, et velum purpureum, densa testudine inauratorum clypeorum intrinsecus coagitatam. Hunc Etelstanum, patre defuncto, voluerunt æmuli in urbe Vuintonia secare, quorum princeps erat Helfredus quidam, qui deprehensus missus est Romam, ut ibi se coram apostolico Joanne [illegible]re jurando defenderet qui cum jurasset ante al[illegible]e Sancti Petri, cecidit, et manibus famulorum ad Anglorum scholam portatus, tertia nocte mortuus est. Misit ad eumdem Ethelstanum Rabaudus præpositus Samsonis archiepiscopi ossa sancti Senatoris, et sancti Paterni, et sancti Stabilionis, qui fuit magister ejusdem sancti Paterni, et uno die, ac eadem hora cum eodem Paterno migravit ad Christum. Isti sancti tunc de Britannia minori, et de Normannia translati ad tutiora loca fuerant. Sed et aliæ tunc multæ reliquiæ Normannis Gallias infestantibus similiter translatæ, facile venum patebant. Hic Etelstanus de concubina dicitur fuisse natus hoc modo. Erat in quadam villa opilionis filia pulcherrima: hæc per nocturnam visionem vidit lunam de suo ventre splendere, et totam Angliam suo lumine illustrare. Quod cum illa sodalibus retulisset, et illæ hoc idem villicæ, quæ filios regis nutriebat, enarrassent; illa eam assumpsit, et loco filiæ habuit. Quam postea in domo ejus adamavit Edwardus regis Elfredi filius, ex qua genuit Ethelstanum. Ad hunc Ethelstanum misit Henricus Conradi filius rex Teutonicorum, et imperator Romanorum, sororem ejus Othoni filio expostulans. Alteram ejus sororem habuit Ludovicus Aquitanorum princeps, de genere Caroli Magni superstes. (925.) Rex Henricus urbem Sclavorum Brennaburch capit, et victis Sclavis tributum imponit. Post hæc agrarios milites recensens, edixit, ut octo eorum in agris, nonus in urbe moraretur: quatenus octo in agris et sibi et nono laborarent; nonus vero in urbe tertiam partem omnium frugum illorum reservaret in ædibus a se ad hoc exstructis, ut in bello nihil alicui eorum deesset; urbesque rebus et viris plenæ essent. Berengarius rex ab Italiensibus impie perimitur. Hungari Salardo duce Italiam pervagantes, Papiam obsident, et incendunt. (926.) Carolus rex Francorum sub custodia Herberti exsul et martyr moritur: post quem Rodulphus rex Burgundionum regnat in Francia annis 2. Simeon Bulgar ex philosopho monachus, ex monacho miles, dominatur Bulgaribus, et Græcos graviter atterit, sed Romanus imperator Græcorum ejus insaniam, facto fœdere, mitigat. (927.) Post mortem Caroli regis, nolentibus Lotharingis Henrico subesse, quidam Lotharingus, nomine Christianus, simulata infirmitate, Gislebertum ducem ad se dolo evocatum cepit, regique misit; ut per eum Lotharingiam sibi subigeret. At rex, inspecta industria et potentia Gisleberti, filiam suam Terbergam ei despondit, et cum iterum Lotharingiæ præfecit. Ludovicus filius Caroli regis insidiantes sibi fugiens, per mare transiit in Angliam, mater enim ejus filia fuerat regis Anglorum. Rodulphus rex ab Italis repudiatur, et Hugo comes Arelatensium in regnum Italiæ subrogatur. (928.) Hugo rex Italiæ quosdam Italos sibi suspectos, consilio et virtute Samsonis comitis circumventos, sibi substravit. Ratherius Lobiensis monachus, vir nimiæ simplicitatis, sed experientia liberalium artium nominatus, cum Hilduino, qui olim episcopa-

tum Leodiensem ambierat, in Italiam ad Hugonem A regem profectus, ab eodem Hugone Veronensis episcopus constituitur, Hilduino Mediolani ordinato. Rex Henricus Ranna urbem Dalmatiæ capit, et Dalmatiæ tributum imponit. Ludovicus in Franciam reversus, licet ærumnose, tamen in regno restitutus, regnat annis 27. (929.) Lanceam mirandi operis, et clavis Jesu Christi sanctificatam, quæ dicitur Magni Constantini fuisse, donatam Rodulpho regi Burgundionum et Italiæ a Samsone comite, rex Henricus precibus, minis et muneribus, addita etiam parte provinciæ Suevorum, a Rodulpho comite extorquet: et hanc ad insigne et tutamen imperii posteris reliquit.

930. Joannes papa a militibus Widonis marchionis captus, et in custodiam trusus, cervicali super B os ejus posito pessime strangulatus est: post quem alter Joannes fit papa centesimus vicesimus septimus, frater Alberici Romani expulso Hugone regentis. Alibi legitur hoc in loco Leo. Hic sextus hujus nominis sedit papa centesimus vicesimus septimus mensibus 7. Venceslaus princeps Bohemiæ a rege Henrico in Praga urbe obsessus, se et urbem regi dedidit, et impositam Bohemiæ mulctam tributi solvit.

931. Henricus rex reges Normannorum et Abrandarum Christianos facit. Redocrii usque ad ducenta millia hominum conspirantes contra Henricum regem rebellant, et regnum ejus graviter infestant, et vicinas gentes ad rebellandum animant, sed a C ducibus regis Bernardo et Thiætmaro gravi bello victi omnes pene moriuntur, aut fugientes in mare vicinum demerguntur: et hoc facto vicinæ gentes rebellione deterrentur.

932. Arnauldus dux Bajoariorum in Italiam contra Hugonem regem veniens a Veronensibus suscipitur, et cum Hugone confligens vincitur. Raherius episcopus ab Hugone episcopatu pulsus, quia Bajoariis faverat, Papiæ exsiliatur: ubi et librum de suis ærumnis luculenter edidit. Scripsit et alia multa legentibus utilia.

933. Beneventani contra Græcos bellum agentes, quotquot Græcorum capiebant eunuchisabant. Stephanus septimus fit papa centesimus vicesimus octavus, annis duobus, et mense uno. D

934. Hungari tributum a Saxonibus repetentes, ab exercitu Henrici regis aut occiduntur, aut capiuntur, usque ad internecionem. Tributum quod repetebatur, Deo pro gratiarum actione in ecclesiis et pauperibus distribuitur. Otho filius Henrici regis uxorem ducit filiam Eadmundi regis Anglorum. Hæc est illa soror Ethelstani regis de qua superius locutus est Guillelmus: non Eadmundi, sed Edwardi regis filia: sed Sigebertus alia nomina ponit regum Angliæ quam Guillelmus aliquando. Joannes undecimus fit papa centesimus vicesimus nonus, annis 4, mensibus 10, cujus anno 1 legitur regnasse Berengarius III, annis 8.

935. Rex Henricus Danos, qui per piraticam Frisones incursabant, vincit, et tributarios facit, et Chuppam regem eorum baptizari facit. In urbe Genuensi fons sanguinis largiter fluxit, portendens fortassis ipsius urbis imminentem ruinam: quæ eodem anno ab Africanis cum classe illuc venientibus capta, cunctis civibus, exceptis parvulis et mulieribus, captis aut occisis, etiam thesauris suis est vacuata.

936. Rodulphus rex Burgundiæ moritur. Leo VII, fit papa centesimus tricesimus, annis 3, mensibus 6, diebus 10. Hinc apparet Sigebertum non bene adnotasse annos papatum; cum Joannes ille, qui proximus sedit ante hunc Leonem, sederit annis 4, mens. 10, secundum magistrum Hugonem, et secundum Sigebertum non nisi anno uno. Ille tamen Sigebertus in chronicis suis nunquam ponit certos eorum annos, sed tantam dicit eos sedisse tunc, et non tot annis vel tot. Ego autem numeros eorum de chronicis magistri Hugonis ubique pono. Inger rex Russorum sciens exercitus Græcorum ductos esse contra Sarracenos, et ad insularum custodias dispersos, ad expugnandam Constantinopolim cum mille navibus et eo amplius venit, adeo de victoria jam securus, ut Græcos occidi, non capi juberet; quibus imperator Romanus cum paucis viriliter occurrens, Græco igne circumcirca injecto, pene omnes cum navibus paucis exussit, paucis evadentibus, omnes captivos decollari jussit.

937. Sol sereno cœlo obscuratus est, per fenestras vero domorum radios sanguineos emittebat. Hominis cujusdam sinistra manus ferro amputata, post annum pene ad integrum ei dormienti restituta est; cui pro signo miraculi quasi sanguinea linea loco conjunctionis relicta est. Henricus rex moritur, qui licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductivi mercenarii alter alteri succedentes imperium dilaniabant, benedictionem imperialem susciperet. Guillelmus tamen, ut supra dictum est, dicit eum imperatorem Romanorum fuisse; sed fallitur. Post quem Otho filius ejus ex Mathilde filia Theodorici ducis Saxonum imperavit annis 36. Mons vero ubi rex Henricus sepultus est, postea flammas multis in locis evomebat. Obiit Odo primus abbas Cluniacensis, cui successit Ademarus.

938. Primus contra Othonem rebellavit Everardus comes Palatini, et cum eo Gillebertus dux Lotharingiæ: qui Gerbergam sororem ipsius imperatoris uxorem habebat. Hungari per Austrasiam et Alemaniam, multis civitatibus igne et gladio consumptis, Wormatiæ Rheno transito usque ad Oceanum Gallias vastant, et per Italiam redeunt. Princeps Bohemiæ Vanceslaus vir sanctus a fratre suo Boislao occiditur, ambitione percipiendi principatus seducto. In cujus ultionem rex Otho bellum et indixit, et longa inter eos concertatio per annos quatuordecim protracta est.

939. Everardus et Gislebertus Henricum fratrem

Othonis obsessum capiunt, eumque fallacia sua ab imperatoris fidelitate sejunctum factioni suæ conjungunt; suggerentes ei regnum magis competere nato in patris regno, quam Othoni ante regnum nato. Stephanus VIII fit papa centesimus tricesimus primus et sedit annis 3, mensibus 4, diebus 15. Hungari a Saxonibus graviter cæduntur. Otho a Bajoariis sibi resistentibus interim rediens Everardum exsiliat: iterum Bajoarios aggressus omnes sibi subdidit, præter unum filium Arnaudi. Idem Otho construit urbem Machathaburch, quæ et Parthenopolis dicta est, id est virginum civitas. Hæresis anthropomorphitarum Italiam vexat; contra quam Ratherius Veronensis episcopus et verbis et scriptis reclamat.

940. Otho in Lotharingiam usque ad Capremontem venit: Berengarius junior Berengarii senioris ex filia nepos, timens regem Hugonem se persequentem, pro eo quod contra eum regnum Italiæ affectaret, ad Hermannum Suevorum ducem, et per eum ad Othonem regem fugit. Rex Otho Boislaum bello superat, at Boislaus pro victoria securos circumveniens, principem militiæ regis cum multis trucidat; rex vero Bohemiam devastat. GUILLELMUS. Hoc anno regnavit Edmundus Adelstani frater annorum octodecim; annis sex et dimidio regnavit. Hic Glastoniensem Ecclesiam magnis prædiis et honoribus ditavit, et confirmavit donationem suam per privilegium litteris aureis scriptum in libro Evangeliorum eleganter composito, quem eidem ecclesiæ dedit. Hic Edmundus latronem quemdam nomine Leo eliminaverat, qui post 6 annos regressus, die Sancti Augustini Cantuariensis archiepiscopi inopinus apud ProuchelecIæ inter convivas regis assedit; quia scilicet tunc solebant Angli festive convivari, ob memoriam prædicationis sancti Augustini. Hic latro tunc forte juxta ducem recumbebat. Quem rex ipse partibus de cœna dedignatus fuerat, qui cum a rege solo recognitus fuisset, cæteris in vina spumantibus rex ira accensus prædoni in capillos involat, et ad terram elidit; qui latenter sicam de vagina eductam in pectus regis infixit, qui mox examinatus est. Latro vero concurrentibus satellitibus membratim discerptus est, nonnullos prius sauciens. Prævideral hunc regis finem beatus Dunstanus tunc Glastoniensis abbas, dæmonis ante se saltantis gesticulationibus, et plausibus edoctus scurrilibus. Qui mox conscendens, et ad curiam properans, in medio itinere rei gestæ nuntium accepit. Sepultus est in Glastoniensi ecclesia, data in inferias villa in qua occubuit.

941. Ludovicus rex Francorum Lotharingiam invadens, usque ad Alsatiam venit ductu Everardi et Gisleberti. Rex Hugo misso sibi Græco igne ab imperatore Græcorum Fraxinetum oppugnat, et navibus Sarracenorum exustis illud expugnat, et eos inde fugat. Tagmarus frater Othonis regis ab eo ad hostes ipsius transit, et inter cætera mala Herhesburch castrum capit, ibique a rege conclusus reus intra ecclesiam confessus interiit.

Marinus fit papa centesimus tricesimus secundus et sedit annis 3, mens 6, diebus 14, qui tamen anno sequenti, non isto, a magistro Hugone ponitur. Ad hunc sanctus Waldericus Romam veniens, ab eo cognovit se futurum episcopum Augustæ Vindelicorum, quod post annos 15 factum est. Ex hoc conjicitur Marinum papam prophetiæ spiritum habuisse. SIGEBERTUS. Gislebertus et Everardus cum Henrico fratre imperatoris juxta Rhenum contra Othonem bellum parantes, milites Othonis offendunt. Et multi cum paucis congressione facta, Othone interim in alio Rheni littore ante clavos Domini lanceæ infixos in oratione prostrato, victi terga dederunt, Henrico in brachio insanabiliter vulnerato. Orta dissensione inter principes de varietate legis, utrum deberent, avis superstitibus filii filiorum post patres defunctos hæreditare, an exhæreditatis fratruelibus, deberet hæreditas ad patruos redire ex regis Othonis omniumque principum sententia, cognitio veritatis gladiatorio judicio commissa est, cessitque victoria iis, qui censebant fratrum filios debere cum patribus hæreditare.

Rex Otho obsedit Brissagam oppidum Alsatiæ, quod Ludovicus rex per milites Gisleberti et Everardi tenebat: in qua obsidione suasu Frederici Maguntini episcopi, qui jam animo ab Othone defecerat, multi ab eodem Othone defecerunt, eaque re, aliis territis solus rex interritus mansit. Interim fideles regis, Udo scilicet et Conradus frater Hermanni Suevorum ducis, Everardum et Gislebertum prædando regno secure intentos juxta Rhenum inopinate aggressi acerrime debellant; Everardo gladiis perempto, Gisleberto autem Rheni undis submerso. Cæterorum vix aliquis fuit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur. Hoc nuntio infideles regis corde franguntur, et Ludovicus ab Alsatia discedit, et rex et fideles ejus cum ipso gratulantur. Ludovicus rex uxorem ducit Gerbergam quæ uxor fuerat Gisleberti, sororque erat Othonis regis. Filiam vero Gisleberti neptem suam dedit Otho Bertollo duci Bajoariæ et ducatus ejus Othoni datur. Ademarus Cluniacensis abbas substituit sibi abbatem Majolum. GUILLELMUS. Hoc anno Guillelmus Rollonis filius dux Normanniæ, dolo in Francia occisus est ab Alsone, cognomento Curto. Clavis ad ejus cingulum inventa est feræ familiaris scrinii, in quo inventa sunt indumenta monachilia, quæ semper inter bella meditabatur se gestaturum apud Gimegium; quem locum a tempore Hastingi desertum ipse fruticosis sentibus purgaverat, et ad hunc statum qui modo est evexerat. Hujus filius fuit Richardus.

944. SIGEBERTUS. Otho dux Lothariensium obiit, cui succedit Conradus gener regis Othonis. Stephanus et Constantinus imperatores filii Romani imperatoris, ægre ferentes justa se patris sui severitate a juvenili levitate coerceri, dispositis in palatio in-

sidiis, ignorante altero Constantino **Leonis imperatoris** filio, patrem de palatii solio deponunt, et tonso ei, ut moris est, capite, ad vicinam insulam, in qua cœnobitæ præliabantur, transmittunt. Sol horribilem eclipsim passus est feria sexta, hora diei 3, quo die in Hispania Abdaram rex Sarracenorum a Radamiro Christianissimo rege Galliciæ in bello superatus est. In Italia cometa miræ magnitudinis apparuit, portendens famem quæ secuta est.

945. Rex Otho corpus Innocentii martyris in urbe Magataburch transfert; qui totam Lotharingiam sibi subjugavit, resistente sibi solo Metensium episcopo Adeberone. Stephanus et Constantinus videntes post patris sui depulsionem Constantinum filium Leonis imperatoris ab omnibus sibi præ- B ferri, et se jam vix in secundis haberi, cum deliberarent hoc quod de patre fecerant etiam de Constantino facere, publicato eorum consilio per Diabolinum incentorem hujus consilii, cum ad convivium ex condicto consedissent et de prioratu sedendi inter se consulto decertarent, dato signo a viris Constantini ambo fratres solio deturbantur, et tonsis capitibus ad idem monasterium ad quod patrem transmiserant, et ipsi transmittuntur : et ita evacuato palatio ab imperatoribus abusivis, ipse Constantinus et Romanus filius ejus ex filia Romani imperatoris imperant annis 19. Rex Otho Burgundiam sibi subjugat : barbaros occasione intestini belli undique irruentes Gero comes fortiter ac frequenter debellat. Regi Francorum Ludovico Hugo C comes Parisiensis nimis adversatur, qui filius fuit Roberti tyranni in bello Suessionico a Carolo rege perempti.

946. Agapitus secundus fit papa centesimus tricesimus tertius qui sedit annis 10, mens. 6, diebus 10. Henricus frater imperatoris in urbe Metelburch a fratre obsessus, projectis armis ad pedes ejus procidens, et misericordiam implorans, in custodiam includitur. Fredericus archiepiscopus Maguntiæ a civibus excluditur. Rex Otho contra se rebellare molientes multos cepit, et multos occidit. Mortuo Bertaldo duce, rex Otho fratri suo Henrico dat ducatum Bajoariæ, et sic eum reprimit a rebellione. GUILLELMUS. Hoc anno regnavit Edredus III ex filiis Edwardi annis 9, et dimidio. Dunstanus, nuntio hujus ægrotantis audito, cum illuc equum accelerarct, vocem desuper sonantem audivit, modo rex Edredus obdormivit in Domino. Sepultus est Vintoniæ in episcopatu.

947. Berengarium a Suevia in Italiam reversum videns rex Hugo ab Italiensibus, se deserto recipi, Lotharium filium suum, ut saltem Berengario conregnet, Italiensium fidei commendat; ipse Arelatem unde venerat repetit, qui Hugo post annum mortuus est, quo mortuo Lotharius filius eius in Italia solo nomine regnat annis 2.

948. Berengarius actu et potestate rex, et cunctis acceptus, per Italiam tyrannizat. Dux Bajoariæ

A **Henricus Aquileiam in Italia capit**, Rundatos bis superat, Ticinium transit, et cum multis manubiis redit. Ludovicus rex Francorum a suis ducibus circumventus a Normannis capitur, et consilio Hugonis Laudunum missus publicæ custodiæ traditur. Carlomannus vero major filius ejus a Normannis abductus Rothomagi moritur.

949. Taxis rex Hungarorum in Italiam veniens, 10 modios nummorum a Berengario, ut rediret, accepit. Rex Otho cum 32 legionibus Franciam ad liberandum Ludovicum aggreditur. Ludovicus ejus metu a custodia relaxatur. Rex Otho Laudunum capit, Hugonem intra Parisius concludit, Remis capit, Hugonis nepote, qui episcopatum Remensem usurpaverat expulso, legitimum episcopum restituit. Usque Rothomagum potenter accedit : et castellis ac urbibus quas ceperat Ludovico redditis, in Saxoniam redit. Rex Otho in Bohemiam contra Boislaum proficiscitur.

950. Boislaus regi reconciliatur, eique tandem fideliter subjicitur : et pacto pacis secundum nutum regis facto manus ei dedit. Rege Othone secundam expeditionem in Franciam parante, Hugo virtutem ejus non ferens ei juxta fluvium Carum occurrit ; et, pacto pacis secundum nutum regis facto, manus ei dedit.

951. Maguntia ab Othone rege obsessa est. Fredericus archiepiscopus captus, et in custodiam trusus, non multo post per indulgentiam regis relaxatus. Rex Otho filium suum Lidulfum ex filia regis Anglorum testamento post se regem designat.

952. Lidulphus filius Othonis regis, instinctu Conradi ducis cum eo rebellat contra patrem : Rhemesburch capit, et multas alias urbes, et principes a patre ad se avertit; rex illum intra Maguntiam conclusum obsedit.

953. Bellum fuit super Mosam inter Conradum et Rhaginerium comitem Aginensium. Mortuo Wichfrido Coloniensium archiepiscopo, successit ei Bruno frater Othonis regis, cujus vitam Rogerus scripsit. Hujus Brunonis studio translata sunt a Roma Coloniam corpora sanctorum Eligii, Patrocli, Privati, Gregorii, cum baculo sancti Petri.

954. Rex Otho uxorem secundam ducit, relictam D Ludovici Italorum regis, et per eam Papiam accipit. Rhaerius bis episcopatu Veronensi depulsus ordinatur Leodiensium episcopus, post Falabertum, agente Brunone archiepiscopo.

955. Lidulpho ad gratiam sui patris reducto, Conradus dux Dei et regis transfuga, ad Hungaros se transferens, eos in Lotharingiam usque ad Carbonarium sylvam perduxit, et virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa, ultra prodire prohibiti inanes redierunt. Berengarius rex Italiæ in Germania ad regem Othonem venit, eique suis suique filii manibus datis se illi committit. Ludovico Francorum rege mortuo, Lotharius filius ex Gerberga sorore Othonis regnavit annis 31. GUILLELMUS. Hoc anno regnare incepit Edvius filius Edmundi

superioris regis; adolescens petulans et libidinosus, qui cognatam suam duxit uxorem. Ipso quoque die quo in regem sacratus fuerat, in frequentissimo concessu procerum de rebus seriis agentium, e medio quasi ludibundus prorupit in triclinium, et in complexum ganeæ devolutus. Dunstanus autem lascivientem juvenem violenter e cubiculo abstraxit, et pellicem repudiare coactum perpetuum sibi inimicum fecit. Mox enim miserrimis satellitibus subnixus omnes monachos in tota Anglia prius facultatum auxilio destitutos, mox exsilio deportatos calamitatibus indignis affecit. Ipsum Dunstanum in Flandriam expulit. Malmesberiense cœnobium jam plusquam ducentis septuaginta annis inhabitatum a monachis, stabulum clericorum fecit. Tunc corpus beati Adelmi tot annis abditum a clericis de terra levatum, et in scrinio locatum est: cui dedit rex prædium amplissimum; in cætera vero cœnobia nimis inhumanus fuit, tum propter ætatis lubricum, tum propter pellicis consilium. Regnavit annis 4. SIGEBERTUS. A Bajoariis contra Sclavos prospere pugnatur. Joannes XII fit papa centesimus trigesimus quartus et sedit annis 7.

956 In Italia lapis miræ magnitudinis tonitru et tempestate turbulenta de cœlo jactus ingens miraculum videntibus præbuit; templa plerisque in locis valida tempestate concussa sunt; utriusque ordinis sacerdotes ictu fulminis interierunt, et plura horrenda dictu portenta monstrata sunt. Frederico Maguntino episcopo mortuo successit Guillelmus regis Othonis filius. Rhaerio ab episcopatu Leodiensium ejecto substituitur Baldricus adnitente avunculo suo Raginerio comite Montensi. Lidulfus Othonis regis filius in Italia moritur.

957. Hungaris interim regnum Othonis ductu Conradi ducis depopulantibus, Otho eos bello excepit. Conrado ab Hungaris ad eum pœnitendo refugiente, et orante Deum, ut pro pœna perfidiæ suæ ab Hungaris perimeretur: quo bello Hungari in tantum sunt victi et attenuati, ut ultra jam nec mutire ausi fuerint; aut nullus, aut rarus eorum evasit. Conradus tamen secundum votum suum ibi occubuit: tres reguli Hungarorum in bello capti, suspendio perierunt. Bruno archiepiscopus ducatum Lothariensium post Conradum adeptus, cœnobium S. Pantaleonis Coloniæ construxit. Henricus dux Bajoariæ frater regis Othonis moritur: cui successit Henricus filius ejus.

958. Bruno archiepiscopus plures Normannorum cum principibus eorum baptizari fecit. Viemannus a facie regis Othonis trans Albiam fugiens, Sclavos in regnum ejus conduxit: quos rex fortiter debellavit, occiso regulo eorum cum multis, et septingentis captivis capite cæsis.

959. Obiit sanctus Gerardus fundator Broniensis cœnobii, Bruno archiepiscopus et archidux Lotharingiæ secundas partes in regno fratris sui potenter et industrie agens, Raginerium comitem Montensem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentinianas evocatum cepit, et irrevocabili exsilio damnavit, pro eo quod regnum bellis inquietabat, vel quod verius fuisse dicitur, pro eo quod, mortuo Gisleberto duce consanguineo suo, ea quæ Gislebertus uxori suæ Gerbergæ sorori imperatoris in dotem contulerat, violenter ei auferre præsumebat. Bonis Raginerii confiscatis, filii ejus Ragınerus et Lambertus ad Lotharium regem Francorum confugerunt. Prodigiosa res multos terret, et a vitiis coercet, notis crucis in veste plurimorum apparentibus; quorumdam autem vestibus quasi lepra sordentibus Guillelmus. Hoc anno regnare incœpit Edgarus, filius Eadmundi, frater Edwii, juvenculus annorum 16. Quo nascente, Dunstanus audisse fertur vocem Anglicam dicentem: Pax Angliæ, quandiu puer ille regnaverit et Dunstanus noster vixerit sedecim annis regnavit; nullum fere annum regnavit, quo non novum monasterium fundaverit. Regem Scotorum Kynadium Romptorum Malcholinum archipiratam Malcesium; omnesque reges Valnensium numero 5 ad curiam coactos perpetuo sacramento sibi obligavit: quos apud urbem Legionem sibi occurrentes in pompam triumphi per fluvium deduxit una navi impositos: in cujus prora sedebat ipse, et illi remigabant. Fama ejus exciti venerunt eum videre Saxones et Flandrenses et Dani: a quibus didicerunt tunc temporis Angli inconditam animi ferocitatem a Saxonibus, a Flandrensibus enervem corporum mollitiem, a Danis potationem. Florebat tunc in Anglia Dunstanus, prius abbas Glastoniæ, post episcopus Vintoniæ, mox archiepiscopus Cantuariæ, multæ in sæculo potentiæ, magnæque apud Deum gratiæ: post regem Elfredum excitator mirificus artium liberalium et locorum regalium reparator magnificus: qui ut potationem compatriotarum refrenaret, clavos aureos vel argenteos jussit vasis affigi, ut, dum metam suam quisque cognosceret, non plus subserviente verecundia vel ipse appeteret, vel alium appetere cogeret. Hujus discipulus fuit Athelvoldus, ex monacho Glastoniensi abbas Altendoniensis, et post episcopus Wintoniensis, qui talia et tanta fecit caput urbis unius, quot et quanta vix posse facere videretur rex Angliæ totius. Hic clericos expulit de Wintonia, et pro eis monachos introduxit. Floruit etiam tunc Osvaldus nepos Odonis archiepiscopi, qui ante Dunstanum fuerat ex monacho Floriacensi Vigorniæ episcopus, et post Eboraci archiepiscopus: qui monasterium Ramesiæ in quodam palustri loco ædificavit, clericos a Vigornia expulit, et posuit pro eis monachos regulares.

960. SIGEBERTUS. Hoc tempore per industriam Othonis regis meliorato imperii et Ecclesiæ statu, multa monasteria et cœnobia ad laudem Dei aut restaurantur, aut ampliantur, aut ædificantur.

961. Gallia et Germania jam bene pacatis, intendens rex Otho etiam Italiam pacare, præsertim ad

hoc enim anxie evocantibus Joanne papa cæterisque episcopis, ut eos liberaret de manibus tyrannorum Berengarii et Adelberti filii ejus, filium suum Othonem puerum septennem Aquisgrani die sancto Pentecostes in regem fecit inungi : eoque commendato archiepiscopis, fratri Brunoni, et filio Guillelmo, ad Italiam tendit. Apud Constantinopolim Romano imperatore defuncto Nicephorus imperat annis 10.

962. Sanctus Wibertus fundator Gemmelacensis cœnobii apud Gorsiam, ubi Deo militabat propter amorem ferventis ibi religionis, dormivit in Christo. Corpus ejus relatum est ad cœnobium Gemmelacense.

963. Otho Italia pervagata et tyrannis metu ejus perterritis, ita ut in locis natura munitis laterent, aut Sarracenorum auxilia quærerent, Romæ a Joanne papa in imperatorem benedicitur : tyranni et Joanne papa et a Romanis abjurantur. Eo repatriante Adelbertus a papa Joanne a Fraxineto Romam revocatur, sed imperatore redeunte refugiunt. Collecto autem a tota Italia episcoporum concilio Joannes papa de nefariis causis infamatur : qui tertio evocatus, dum se excusatum venire cunctatur, post multa tandem eo a cunctis præjudicato, Leo adhuc laicus electione omnium, et consensu imperatoris papa substituitur. Sicque Leo præsidens apostolicæ sedi fecit ordinationes, et ea quæ erant apostolica. Nec longum Romani alterata fide apud imperatorem, Joannem papam recipiunt. Ille, synodo collecta, Leonem deposuit, et ejus gesta cassavit. Statutumque est publico omnium judicio synodum a Leone habitam nec nominandam synodum ; sed prostibulum favens adulteris. Quicunque ergo ab eo ordinati erant, damnati, jussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta hæc verba continente : *Pater meus nihil mihi dedit*. Et sic depositi remanserunt in gradibus, quos prius habuerunt. Si qui autem digni judicantur, iterum ordinantur, non accepta priori consecratione : indicto illis eodem decreto, quod et damnatis a Constantino neophyto. Romani igitur a papa Joanne pecunia illecti, imperatorem cum paucis Romæ morantem subito aggressi, ita ab imperatoris exercitu sunt attriti, ut nisi ab imperatore et papa Leone milites imperatoris a cæde revocarentur, usque ad internecionem Romani delerentur. Quibus per Leonem imperatori reconciliatis, post abscessum imperatoris Leo papa sibi insidias parari sentiens, ad imperatorem fugit. Joannes autem ex papa se cum uxore cujusdam oblectans, a diabolo in tempore percutitur, ac sine viatico moritur. Romani vero contra juramentum quod imperatori fecerant, se nunquam electuros papam sine ejus et filii sui Othonis consensu, Benedictum sibi papam statuunt. Imperator autem, Roma obsessa, Romanos cæde et fame adeo afflixit, ut Leonem papam se recepturos promitterent. Sic Benedictus rejectus est a papatu et sacerdotio, et a Leone exordinatus est Guillelmus. Hoc anno Domini 963 sedit Benedictus V papa centesimus trigesimus quintus, mensibus 2, post quem Leo VIII papa centesimus trigesimus sextus, anno uno, mens. 4.

964. Adelberone Metensi episcopo mortuo, qui frater fuerat Frederici ducis, succedit Deodoricus consobrinus imperatoris. Hic, ut legitur, inspiciens litteras nominum omnium episcoporum Metensium, quas angelus Domini dicitur dedisse sancto Clementi primo Metensium episcopo, et notatas alias auro, alias argento, alias viliore metallo, pro meritorum qualitate : cum videret etiam primam litteram sui nominis argento prænotatam, dixisse fertur, se in episcopatu tanta bona facturum, ut ipsa nominis sui littera auro deberet adnotari. Cujus bonæ intentionis initium ostensum est in cœnobio S. martyris et levitæ Vincentii fundato in ipsius urbis insula Arnulpho sene Flandrensium comite mortuo. Lotharius rex Francorum graviter infestat et vastat.

965. Joannes XIII fit papa centesimus trigesimus septimus, vel trigesimus sextus, Benedicto priore non computato, et sedit annis 7, mensibus 11. Otho imperator Pentecosten Aquisgranis celebravit, concurrentibus ibi a Francia sororibus suis Gerberga regina Francorum, matre Lotharii regis et Caroli ducis, et Hawide uxore Hugonis Parisiensium comitis, quorum filius fuit Hugo, qui postea regnavit in Francia. Ubi omnis illa regalis prosapia multo congratulationis gaudio est affecta. Bruno archiepiscopus et dux in Franciam pergens, ad pacificandos nepotes suos, Lotharium regem, et filios Hugonis, febre correptus apud Compendium, Remos redit ; ibique quidquid in re mancipi habebat, per testamentum ecclesiis sanctorum delegatis, mortuus est. Cujus corpus a Deoderico Metensium episcopo Coloniam relatum est. Otho Italiam repetit. Guillelmus dicit Joannem papam hoc anno generalem synodum congregasse.

966. Guillelmus archiepiscopus imperatoris filius Maguntiæ moritur. Hoc tempore Danis, qui Christum simul et idola colebant, cum Popone clerico in convivio altercantibus super cultura Dei et deorum, Danis asserentibus, Jesum Christum esse quidem Deum, Deos vero majores et antiquiores esse illo ; Popone contra affirmante Jesum Christum solum esse verum Deum, qui Deus unus est in substantia, et trinus in personis ; rex Danorum Alradus condidit clerico, ut fidem propositam a se probaret testimonio veritatis. Quo annuente, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illius ferendum imponitur. Quod cum clericus usque ad placitum omnium tulisset absque ulla læsione, rex abjecta penitus idololatria, se suosque ad colendum solum verum Deum convertit ; clericus vero episcopus factus est. Vicmanus diu contra imperatorem rebellis a Misaca Sclavorum regulo imperatoris amico et milite perimitur. GUILLELMUS. Etgarus, rex Angliæ, dum quadam die in venatione esset, fessus somnoque resolutus jacebat sub malo silvatica, cum ecce canis femina venatica prægnans,

et juxta pedes illius accubitans, dormitantem exterruit. Nam, ipsa tacente, catuli alvo inclusi multiformes et sonoros latratus edidere. Attonitus rex oculos ad cacumen arboris intendit, et videt poma unum et alterum delapsa in fluvium : quorum collisione bullis æqualibus inter se crispantibus voce articulata sic insonuit : *Vel his te*, id est bene est tibi. Non multo post undarum voluminibus agentibus, urceolus super aquam apparuit, et post urceolum urceus exundans aqua : nam alter prior vacuus erat, et quamvis crebro gurgitis impulsu major minorem urgeret, ut scilicet aquas suas in illum infunderet : nunquam id obtinere potuit, quin urceolus vacuus recederet, iterumque quasi superbo gestu victor urceum impeteret.

Regressus rex post hanc visionem domum anxius, patefecit omnia matri suæ : cui tanquam sanctæ feminæ Deus multa solebat revelare. Hæc dicebatur Elfiga : quæ tam pia et dulcis erat, ut etiam reos quos judicium palam damnaverat, occulte redimeret; quamlibet pretiosam vestem conspecto pauperi statim dabat, corpore speciosissima, et artificio manuum prudentissima, et omnibus operibus bonis intenta. Postero igitur mane dixit filio suo : « Latratus catulorum quem matre quiescente dedere, significat quod post obitum tuum quiescentibus illis qui modo valent et vivunt, nondum nati nebulones contra Dei Ecclesiam latrabunt. Quod autem unum pomum secutum est alterum, ita ut ex collisione secundi in primum videretur vox sonuisse : vel his te, hoc innuit, quod ex te qui ad instar arboris magnæ totam in umbras Angliam, duo procedent filii : fautores secundi exstinguent primum : tunc diversæ partis incentores dicent pueris utrisque, vel his te; quia mortuus regnabit in cœlo, vivus in sæculo. Quod autem urceus major minorem implere non poterat, signat quod gentes aquilonares, quæ numerosiores sunt quam Angli, Angliam post mortem tuam impetent : et quamvis crebro compatriotarum adventu rumas suas impleant, nunquam tamen hunc angulum mundi poterunt implere; sed Angli nostri cum maxime victi videbuntur eas expellent. » Hic Etgarus rex adeo in sanctitate sua severus fuit, ut temporibus ejus nullus fuerit privatus latro, nullus popularis prædo, nisi qui mallet propriæ vitæ dispendio in fortunas alienas grassari. Quin etiam omnis generis feras sanguinis avidas ex regno exterminare cogitavit. Widialo regi Vallensium indixit, ut sibi quotannis tributum trecentorum Luporum solveret. Quod cum ille tribus annis fecisset, quarto destitit, nullum se ulterius posse invenire professus. Gracillimi corporis fuit, et virtutis immensæ, ita ut ultro ad congrediendum lacesseret quemcunque audacem; hoc maxime timens, ne in tali colludio timeretur. Omni æstate pro Pascha naves per omnia littora coadunari præcipiebat ad occidentalem insulæ partem, cum orientali classe : et rursus cum occidentali ad borealem; inde cum boreali ad A orientalem remigrare consuetus, ut exploraret, ne quid piratæ turbarent. Hieme et vere per omnes provincias equitabat, judicia potentiorum exquirens, ne jus violarent.

Venit aliquando, cum esset adolescens, in monasterium, quod situm est Vultumniæ; ubi quædam puella de nobilibus Anglorum orta, inter sanctimoniales in communi habitu nutriebatur; quam videns et concupiscens, misit pro illa ; quæ timens pudori suo, raptum velum a quadam sanctimoniali capiti suo imposuit, et sic ad regem ivit. Quam videns ille, quam subito, inquit, sanctimonialis effecta es ! Et ablato velo, renitenti vim intulit. Hoc sciens Dunstanus, contristatus valde venit ad regem. Cui venienti cum rex occurreret, et eum, ut solebat, B per manum ducere vellet, Dunstanus manum suam turbato vultu retraxit, nec ea contingi a rege passus est. Quem de adulterio increpans, ait : « Lava prius manus tuas per pœnitentiam, ut possis tenere manum pontificis. » Ad hoc rex territus cecidit ad pedes ejus, veniam petens. Cui Dunstanus septennem pœnitentiam injunxit, quam ille devote complevit. Ex illa virgine, quæ dicebatur Vulfrida, genuit rex Etgarus sanctam Edigtam. Aliam cujusdam ducis filiam pulcherrimam adamavit; et eam ad se nocte adduci præcepit. Mater autem indignata etiam regis concubinatum in filiam, ancillam suam pro filia subornavit, quæ et ipsa pulchra erat. Quodam tempore rex venatum perrexerat, et Dunstanum, qui tunc forte secum erat, missam rogavit C differre, donec rediret. Appropinquante hora tertia, vir Dei sacris induitur vestibus, regemque exspectat, stans cubitis innixus altari, et lacrymis deditus. Tunc subito sopore leviter pressus rapitur in cœlum, immistus angelis, audit eos sanctæ Trinitati modulatis vocibus canere ! *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*, quorum cantum retinens, ad se reversus est, et interrogat, si rex advenisset, respondetur : Non. Iterum ergo orat, et iterum in cœlum raptus audit ibi altisona voce dici : *Ite, missa est;* cumque responderetur : *Deo gratias*, accurrerunt clerici regis, regem adesse dicentes. Quibus ille respondit, quod jam missam audierat, nec aliam eo die vel auditurus esset, vel celebraturus. Interrogatus D quare; visionem aperit, et sumpto ex hoc sermone, prohibuit regi ne ulterius in die Dominica venatum pergeret. *Kyrie eleison* quod in cœlo audierat, suos clericos docuit, et in multis locis hodie per Angliam cantatur.

Hoc Edgaro nato mandavit pater ejus Edmundus Dunstano, quod volebat cum eo loqui. Ad quem dum iret, obvium habuit diabolum mimo similem, ludentem et subsilientem. Agnoscens per spiritum quid significare vellet, jussit eum coram omnibus apparere visibiliter, sicut apparebat sibi ; quod et factum est. Requisitus Dunstanus quid significaret gaudium dæmonis, dixit regem in proximo moriturum, et regnum multas tribulationes passurum. Igitur antequam transirent septem dies, occisus

est rex a latrone in convivio, sicut supra diximus: A cui successit Edredus frater ejus. Qui diligens Dunstanum, facere voluit eum episcopum Wentanum, defuncto jam Elfego episcopo, cognomento Calvo, qui fuerat cognatus Dunstani; ille autem noluit. Rex ergo rogavit reginam, ut eum rogaret episcopatum suscipere. Qui respondit se vivente rege non futurum episcopum. Tunc substitutus est Elfinus quidam. Septimo die vidit Dunstanus in somnis, se Romam pervenisse, et beatum Petrum in sua Ecclesia, et B. Paulum in sua adorasse, et mox urbe relicta in patriam redisse. Cumque Montem gaudii attigisset, apparuerunt ei Petrus et Paulus, et Andreas, singuli in manibus suis singulos gladios auro inscriptos præferentes, et ei pro munere benedictionis apostolicæ conferentes. In gladio Petri scri- B ptum erat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). In gladio Pauli scriptum erat nomen Pauli; in gladio Andreæ, nomen Andreæ. Cui Andreas, blande illum intuens, modulata voce canebat: *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* II). Petrus autem jubens illum manum extendere, percutiebat eum virga leni ictu in palma, dicens: « Jugum Domini ulterius ne abjicias. » Expergefactus retulit regi Edredo visionem: qui exposuit eam, dicens eum futurum Cantuariæ episcopum; quia ibi ecclesia constructa est in honorem Fili Dei, qui est Verbum in principio. Post hæc idem rex infirmatus mandavit Dunstano, ut veniret ad se. C Qui pergens, dum medium viæ peregisset, audivit vocem de cœlo dicentem: « Rex Elredus in pace quiescit. » Ad quam vocem equus viri Dei sine omni læsione ad terram corruens, exstinctus est. Veniens ergo Dunstanus ad regem, invenit eum defunctum, et ab omnibus solum relictum, omnibus subtrahentibus se ab exsequiis defuncti: et ipse eum sepelivit.

Post quem regnavit Edmundi filius Eduvius, quem Dunstanus reliquit, videns eum incorrigibilem. Erat tunc quædam mulier nobilis formosa, filiam habens formosam; utraque impudica regis erat concubina; et laborabant, ut alterutra illarum regina fieret. Per illam mulierem ejectus est Dun- D stanus de monasterio suo; quam etiam adjuverunt quidam fratres ejusdem monasterii, invidia moti, et eo carere cupientes. Cumque res Ecclesiæ diriperentur, dæmon in atrio templi risum excussum edidit. Quod cognoscens Dunstanus ait: « Tu gaudes, unde doleo; sed certe scias, quod nihil est gaudium, quod nunc habes me recedente, respectu tristitiæ, quam habiturus es me revertente. » His auditis, dæmon aufugit. Deinde Dunstanus fugit in Flandriam; post quem misit præfata mulier, qui ei oculos eruerent; sed non potuerunt eum consequi. Qui mansit apud Gandavum, in quo loco sæpe visitavit eum, et confortavit sanctus Andreas apostolus: cujus apostoli dentem circumferebat in baculo. Nam quodam die cum dæmon illi esset infestus in specie ursi, Dunstanus illum baculo quem tenebat verberavit, ita ut baculus ipse in tres partes frangeretur. Et dicebat verberando: *Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus* (*Psal.* LXVII), et addidit: « Si vivat Dunstanus, scias inimice, quod faciet talem baculum, qui pro gracilitate non frangetur, ut iste. » Fecit ergo alium baculum fortem et grossum, cujus summitatem argento circumposito decoravit, in modum sphæræ concavæ formato; in qua reposuit dentem sancti Andreæ apostoli, cujus sæpe familiari fovebatur alloquio. Quadam igitur die, dum oraret apud Gandavum, obdormivit, et vidit se esse apud Glastoniam cum fratribus vespertinam horam psallentibus, et post *Magnificat* cantabatur Antiphona: *Quare detraxistis sermonibus veritatis:* quam cum cantassent usque ad illum locum: *Verumtamen quæ cogitasti explete* (*Job* VI), subito omnes conticuerunt. Quibus tacentibus, dum vultu et voce et signis instaret Dunstanus, ut totam percantarent, et e contrario illi muti et confusi persisterent, audita est vox de transverso in sublimibus, dicens: « Nequaquam, nequaquam fiet hoc, ut quod cogitaverint, opere expleant. Nunquam enim se a tua potestate, o Dunstane, evellent. Nunquam te ab illius cœnobii prælatione deponent. » Post hæc fugatus est Eduvius ultra Tamisiam, et nefanda meretrix ejus occisa.

Tunc Edgarus frater ejus factus est rex a fluvio Humbre usque ad fluvium Tamisiæ, et divisum est regnum in duo. Hic Dunstanum a Flandria revocavit: tunc electus est Dunstanus in episcopum Wiciorum. Quem dum consecraret Odo Cantuariensis archiepiscopus, omisso Ecclesiæ Wiciorum titulo, titulavit eum ad archiepiscopatum Cantuariensem. Interea rex Eduvius mortuus est, cujus anima Dunstano oranti a quibusdam teterrimis hominibus præsentata est; qui pro eo tantum ploravit et laboravit, injuriarum ejus immemor; donec se exauditum cognovit. Unde facto non grandi intervallo Mauri illi ad Dunstanum redierunt sua præda vacui, dicentes se vindicaturos de illo; quorum minas Dunstanus nihili pendens, gratias egit Deo. Post hæc factus est episcopus Londoniensis, et gubernabat duas simul Ecclesias, Wigorniensem et Londoniensem, sed coactus. Sic impleta est prior ejus visio. Nam Ecclesia Wigorniensis in nomine Petri apostoli, Londoniensis in nomine Pauli consecrata est. Postea mortuo Odone archiepiscopo, ad Cantuariæ sedem translatus est. Hanc sedem obtinuerat prius a rege Elfinus Vuentanus episcopus per regni principes, quos muneribus demulserat et promissionibus. Qui cum Romam pro palleo pergeret, in Alpibus præ nimio frigore mortuus est. Post hunc substitutus est Birtelmus Dorsetensis episcopus, modestus et humilis; sed quia non erat constans ad corrigenda vitia, jussus est redire ad Ecclesiam suam. Eo tempore quidam comes duxe-

rat cognatam suam; correptus a Dunstano, parere noluit, ut eam relinqueret; excommunicatur. Ille adiit regem, conquerens de Dunstano. Rex mandavit archiepiscopo, ut eum absolveret; qui noluit, sed eum gravius excommunicavit. Ille Romam cum multis muneribus misit; apostolicus mandavit Dunstano, ut eum absolveret. Absit hoc, inquit Dunstanus, ut causa alicujus mortalis hominis contemnem legem Dei mei! Quod videns comes pœnituit, et uxorem suam repudiavit, nudisque pedibus et laneis indutus, virgam in manu gerens, cecidit ad pedes Dunstani, generale concilium celebrantis, et tunc primo absolutus est.

Quodam tempore capti sunt tres fabricatores falsæ monetæ: qui mox adjudicati sunt ad sustinendam pœnam tali crimini promulgatam per Angliam, id est ad manuum abscissionem. Quod Dunstanum non latuit. Die ergo Pentecostes celebraturus missam percunctatus est; utrum lex impleta esset; et responsum est, propter reverentiam diei festi dilatam esse pœnam usque in diem alterum. « Nequaquam, inquit; ego ad altare hodie non accedam, donec debitam sustinuerint pœnam: nam negotium ad me respicit, » ipse enim viri in potestate ejus erant. Dixit, et pro eis qui manus perdituri erant multum plorans, ostendit, de qua affectione hoc dixerit. Quibus punitis, ascendit ad altare læta facie, dicens: « Nunc confido, quod sacrificium de manu mea suscipiet Omnipotens. » In qua missa dum diceret: *Ecclesiam tuam, quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris* (37), nivea columba multis videntibus super eum descendit, et alis expansis super caput ejus sic mansit in silentio, usque dum sacrificium perficeretur. Quo completo, divertit super tumbam Odonis præfati archiepiscopi, alis suis eam complexans, et rostro deosculans. Unde Dunstanus quoties postea ante sepulcrum ejus transivit, semper genua flexit; et eum postea appellavit Odonem sododem, id est Odonem bonum. Dum autem digrederetur ab altari, ministris pro signo quod acciderat in diversa euntibus, non fuit qui casulam illius susciperet: quæ pependit in aere, nec terram tetigit, ne servum Dei a sua intentione turbaret. Is dedicabat aliquando ecclesiam cujusdam nobilis; ubi dum aqua deficeret ad ministerium, et ille nobilis turbaretur, vir Domini percussit baculo terram præmissa prece, et fons erupit. Aliam quamdam ecclesiam dedicabat, quam inspiciens non esse conversam versus orientem, humero suo parum suppressit eam; et mox eam ad orientem convertisse fertur. Quadam nocte cum dormiret, per visum raptus est in superna, et videre sibi visus est matrem suam cuidam potentissimo regi conjugio copulatam, sub immensa confluentium magnatorum lætitia, resonantibus undique hymnis et laudibus in gloriam illius regis, diversis organis con-

(37) In canone missæ.

A crepantibus; quibus dum ipse magnifice delectatus intenderet, accessit ad eum juvenis qui jam candidissimo tectus amictu, dicens: « Quare, aliis omnibus gaudentibus et cantantibus, tu solus taces in nuptiis matris tuæ? » Cui respondit, se nescire quid in laudem regis cantaret. Cui ille: « Vis, inquit, instrui, quid cantare debeas? » Respondit: « Cupio. » Et ille: « Canta: O Rex gentium, Dominator omnium, propter sedem majestatis tuæ da nobis indulgentiam, Rex Christe, peccatorum, alleluia (38). » Quam sæpius ille cantans et repetens, miro modo delectabatur. Exspergefactus statim illam antiphonam jussit scribi.

Hic Dunstanus natus fuit de nobili Anglorum genere. Pater ejus Herstanus, mater Kynederta dicta B est. Hæc eo prægnans, in die Purificationis B. Mariæ cum marito suo ibat ad ecclesiam Glastoniensem, portantes cereos in manibus, quos offerrent. Incepta missa, sereno cœlo, subito luminaria omnium exstincta sunt: et ecce, omnibus stupentibus et attonitis et se invicem respicientibus, subito ignis de cœlo lapsus cereum Kynedertæ accendit: a quo omnes alii lumen mutuati sunt. Baptizatus puer vocatus est Dunstanus, quod interpretatur *montanus lapis*. Quadam die parentes ejus duxerunt eum ad præfatam ecclesiam: ubi dum pro eo pernoctarent, apparuit eis quidam vultus angelici, puerum per manum accipiens, et hinc inde modesto discursu per atrium ducens, dixit illis: « Sic C ædificabitur locus ad conversationem illorum, qui in servitio Dei nutriendi sunt, vel a pueritia, vel a morum pravitate in novitatem gratiæ per hunc puerum convertendi. » Igitur in ipsa ecclesia magistro commendatus est. Quodam die infirmatus est valde; cumque videretur spiritum exhalare, media nocte subito lecto desiliit; et pro reddita sibi sanitate gratias acturus ad ecclesiam currit. Invidens autem illius devotioni diabolus, simulavit magnum globum canum latrantium. Qui dæmonum sciens esse figmenta, signavit se, et invocato nomine Christi, virgam, quam in via jacentem invenit, vibravit contra eos, et fugere compulit. Veniens autem ad ecclesiam, invenit eam clausam, et scalam D parieti affixam: quam ascendens, nullumque aditum reperiens, cœpit descendere ex altera tecti parte. Deus delectatus in ejus devotione et innocentia, disponebat gressus ejus: et subito per angelum sublatus, ante altare depositus est, Ecclesia undique clausa, et ipso ignorante, quod circa se ageretur: et ibi mane inventus est dormiens. Inquisitus, quomodo illuc advenisset, simpliciter respondit, se nescire.

Erat tunc Athelmus Cantuariensis archiepiscopus, patruus ejus, qui eum regi Ethelstano commendavit. Erat autem idem Dunstanus peritus scribendi, pingendi, sculpendi, in cera, ligno, osse,

(38) Antiphona.

auro, argento, ære, et præter hæc in instrumentis musici generis. Dum ergo veniret ad domum cujusdam matronæ, ut borarium ei inauraret in opus Ecclesiæ, et haberet jam opus in manibus, cythara quam suspenderat ad parietem cœpit per seipsam nullo tangente psallere vocibus modulatis : *Gaudent in cœlis animæ sanctorum*, antiphonam totam. Inviderunt ei curiales, et eum de magica apud regem infamaverunt. Quod videns ipse, ivit tunc ad cognatum suum Elfegum Wentenum episcopum. Ad quem cum iret, ab insidiatoribus invidis præventus est, et equo dejectus, et egregie verberatus ; sed ne perimeretur, gratia Dei multitudo canum obstitit, quæ ex insperato in eos irruens, illum defendit. Veniens igitur ad episcopum, factus est ab eo monachus, quamvis proposuisset uxorem ducere. Deinde factus presbyter venit in Glastoniam, et fecit sibi cellulam, in eo loco, ubi cereus matris ejus divinitus accensus fuerat ; quatuor tantum pedum in longitudine, duorum et semis in latitudine ; altitudo staturam hominis capiebat. In medio ostii fenestra erat : ibi orabat, et manibus, mirabile dictu ! operabatur. Ubi quadam die dum fabrili intenderet operi, venit ad eum dæmon in humana effigie, rogitans, nescio quid, sibi fieri. Qui cum se pararet ex charitate ad faciendum, quod ille rogabat, dæmon cœpit mutare formam et verba : ut nunc senex, nunc puer, nunc puella lasciva videretur. Quod videns Dunstanus, intellexit præstigias, et dissimulans cœpit patienter ferre motus ejus : sumptisque tenaculis fortiter ignitis, dæmonem per nasum fortiter arripuit, et stringendo tenuit : cumque ille conaretur evadere, traxit illum intus, et tandem diu vexatum cum dedecore projecit. Qui per plateam currens, clamitabat ejulans : « Utquid fecit diabolus ille calvus ? Me misericordiæ opus ab eo petentem misere afflixit, et longo igne combussit. » Post hoc in eo loco non est ausus inimicus ulterius eum aggredi. Audiens hoc rusticus quidam, qui sedebat ad focum, æmulus beati Dunstani, et libenter audiens detractationem dæmonis, quasi miserationis obtentu suscepit dæmonem hospitio : qui paulo post arripiens filium ejus projecit in ignem, et exiit.

Circuire solebat idem sanctus post vigilias loca sancta, uno tantum comite comitatus. Quod dum faceret, audivit in ecclesia Beatæ Mariæ, quæ est juxta ecclesiam, in qua sanctus Augustinus quiescit, alta voce cantari : *Gaudent in cœlis animæ sanctorum*, antiphonam totam. Appropinquans autem ostio, et introspiciens per rimas, vidit totam ecclesiam immenso lumine plenam ; et cuneum candidatorum ipsam antiphonam lætis canentem vocibus. Alio tempore præfatam Virginis ecclesiam simili causa petebat, et ecce beata Virgo Maria numeroso virginum choro comitata illi occurrit ; quem cum summo honore exceptum ad ecclesiam suam ducere cœpit, præcinentibus duabus de choro puellis :

Cantemus Domino, sociæ, cantemus honorem,
Dulcis amor Christi personet ore pio.

A Quos versus chorus virginum resumendo cantabat. Postea prædictæ puellæ binos versus, qui sequuntur, cantabant :

Primus ad ima ruit magna de luce superbus.
Sic homo cum tumuit, primus, ad ima ruit.
(SEDULIUS.)

Sicque donec vir Dei in oratorium perductus est, virginum chorus primos, et virgines binæ binos, sicut se habent in præfato Sedulii carmine, cantaverunt. Eo tempore idem Dunstanus impetravit a Joanne papa, ut clerici qui nollent caste vivere, a suis ecclesiis pellerentur, et monachi pro eis introducerentur. Quod audiens Athewoldus Wentanus episcopus sæpe monuit clericos suos, ut feminas relinquerent. Qui promittebant se facturos, sed B nunquam faciebant. Quod ille cernens, paravit plurimas monachorum cucullas, et die quo canitur postcommunione : *Servite Domino in timore*, etc. vestes quas paraverat fecit deferri in chorum : quibus projectis in medium, ait : « Animadvertistis quid modo cantaveritis ? — Animadvertimus, » inquiunt : « Ergo, inquit, *servite Domino in timore*, *et apprehendite disciplinam*, vestem scilicet monachilem : *ne*, sicut cantastis, *pereatis de via justa*. » Illi inducias petunt, ille autem amplius dare noluit ; sed omnes qui monachi fieri noluerunt, ejecit. Aliqui ex illis statim facti sunt monachi, ad quos instruendos vocati ab eodem pontifice monachi de Abendonia : reliqui ad regem abierunt, sibi fieri C justitiam postulantes. Cogitur concilium apud Winthoniam : Dunstanus allegat ea quæ ecclesiis data sunt, ideo data, ut sancte et recte viventes clerici exaudiri possint pro dantibus, a donis fidelium sustentati. Orat rex, ut hac sola vice clericis parcat, et, si se non correxerint, tunc eos expellat. Tunc Dunstanus siluit, demisso capite in terram de negotio pertractans ; siluerunt omnes responsum ejus exspectantes. Tunc imago Crucifixi in altum affixa cunctis audientibus dixit : « Non fiet : inde facta bene mutaretis non bene. » Tremefactis omnibus, ait Dunstanus : « Quid amplius vultis, fratres mei ? Divina sententia negotium diffinivit. » Aiunt : « Audivimus vere. » Igitur resederunt monachi Winthoniæ in pace, quandiu clerici illi vixerunt.

D Quibus mortuis, filii ipsorum cupientes recuperare, quæ in parentibus perdiderant, conduxerant quemdam virum qui erat in Scotia, prægrandis, ut ferebatur, eloquentiæ, Bernelmum nomine, contra Dunstanum. Conventum est igitur apud Kalnam, ubi cum veterem querimoniam deposuissent, respondit Dunstanus : « Calumnia jam Dominico ore definita est : ego jam senex et laboris impatiens, causam Ecclesiæ suæ Domino Deo committo. » Quod cum dixisset, cecidit solarium cum omnibus qui aderant, excepta illa sola parte in qua Dunstanus et sui sedebant. Sic calumnia illa sopita est. Igitur 48 monasteria monachorum vel sanctimonialium per Dunstanum in Anglia constituta sunt ; cooperantibus Osvaldo episcopo Wigorniensi, qui fuit post episco-

pus Eboracensis, et Athewaldo episcopo Winthoniensi. Post hæc coronavit Dunstanus Etgarum regem, qui a 16 anno ætatis suæ usque ad annum 30, sine insigni regio vixit : anno 30 magnifice Bathoniæ coronatus est in Pentecoste, nec nisi triennio supervixit. Quadam autem die, cum a Cantuaria discederet Dunstanus, comitatus duobus episcopis, Athewoldo supradicto, et episcopo Roffensi : illi discedentes ab eo singuli in viam suam, postulantes ab eo benedici, cum in lacrymas commoverunt; qui sciscitantes cur ploraret, « Quia, inquit, cito morituri estis, et me amplius non videbitis, nec ego vos; » quod et ita contigit. Roffensis enim episcopus, mox ut civitatem suam intravit infirmatus est, et non multo post obiit. Winthoniensis antequam ad urbem suam perveniret infirmatus est, et non multo post mortuus. Post quem constitutus est episcopus Elfegus abbas Bathoniensis, mandante hoc domino servo suo Dunstano per sanctum Andream apostolum.

967. Eo tempore Bulgaribus dominabantur filii Simeonis Petrus et Bajanus, quorum Bajanus in arte magica adeo valebat, ut quoties vellet, lupus, vel quælibet fera fieri videretur.

968. Otho junior a patre evocatus Romam, a papa Joanne in imperatorem benedicitur. Otho pater Beneventanos duces potentia sua ad subjectionem sui inflexit : qui etiam in terra Saxonica venas auri et argenti industria sua primus aperuit.

969. Quidam comes Othonis imperatoris ei familiaris, Romæ ante oculos omnium a diabolo arreptus, ita ut seipsum dentibus discerperet, jussu imperatoris ad papam Joannem adductus, ut catena sancti Petri collo ejus circumdaretur, dum a fallacibus clericis semel et bis alia catena furenti adhiberetur, nec quidquam remedii proveniret, ubi nihil virtutis inerat; tandem vera sancti Petri catena allata, et collo furentis circumdata, diabolus clamans, et multum spumans abscessit. Qua catena Deodericus Metensis episcopus arrepta, cum diceret se eam, nisi manu abscissa, non dimissurum, tandem imperator sedato litigio a papa Joanne obtinuit, ut annulum hujus catenæ exsectum episcopus mereretur. Otho imperator dum partem exercitus ad Græcos misisset, ut uxorem filio suo Othoni acciperent, Græci super eos irruunt, castra diripiunt ; plures occidunt, plures capiunt, et Constantinopolim mittunt.

Ad hoc dedecus vindicandum, Otho eminentiores ex suis in Calabriam mittit, qui Græcos aggressi, plures occidnut; plures truncatis naribus dehonestant, et per Apuliam et Calabriam a Græcis tributum exigunt. Constantinopolitani audientes hoc, contra imperatorem suum Nicephorum insurgunt.

970. Deodericus Metensium episcopus dum per triennum Italica expeditione sub Othone imperatore militaret, de diversis Italiæ locis quocunque modo potuit corpora sanctorum collegit : a Marsia san- A ctum Elpidium confessorem, cujus socium Euthychium episcopum ipse imperator jam sustulerat : ab Amitermis Eutychetem martyrem, cum reliquiis Maronis et Victorini sociorum ejus; a Fulginis Felicianum episcopum et martyrem ; a Parisio Asclepiodorum martyrem : a Spoleta Scenam martyrem cum Gregorio martyre Spoletano · a Corduno pignora Vincentii levitæ et martyris ; ab Hispania olim a duobus monachis Capuam, a Capua vero illuc deportata ; a Mevania alterum Vincentium episcopum et martyrem; a Vinoritia Leontium episcopum et martyrem; a Florentia Mincatem martyrem, ab urbe Tudertina Fortunatum episcopum et confessorem, a Corsinio Luciam Syracusanam virginem et martyrem, a Faraoldo duce Spoletanorum olim illuc translatam a Syracusis; a Sabinis partes corporum Prothi et Hyacinthi. Hæc omnia cum parte catenæ sancti Petri apostoli, cum capillis ejusdem, et sanguine sancti Stephani protomartyris et cum parte craticulæ sancti Laurentii martyris a papa Joanne sibi data, cum aliis multis sanctorum pignoribus, præsul Deodericus in Galliam hoc anno transtulit ; et in ecclesia Sancti Vincentii martyris a se in insula urbis constructa locavit.

B

971. Apud Constantinopolim Nicephorus imperator timens a filiis suis imperio expelli, quia senex erat, volebat eos eunuchisare : quorum mater regina, quia nullo modo aliter poterat eos liberare, suasit Joanni Nicephorum occidere, et imperare. Joannes itaque occulte cum funibus intravit palatium, et occiso Nicephoro, imperavit annos 6.

C

972. Otho imperator Othoni filio et imperatori neptem Joannis imperatoris Constantinopolitani, Theophaniam nomine, a Joanne papa coronatam in legitimo matrimonio sociavit. Naugerus fit episcopus Leodiensis. Hic urbem muro circumcinxit, ædificiis honestavit, majorem ecclesiam corpore sancti Lamberti insignitam a fundamentis renovavit. Cœnobium Sancti Joannis Evangelistæ in insula fundavit.

973. Benedictus VI fit papa centesimus tricesimus septimus, qui sedit anno 1 et mensibus 6. Otho senior imperator obit; cujus vitam Widinchindus monachus descripsit : qui etiam historiam Saxonum usque ad hunc annum conscripsit. Post D quem Otho filius ejus imperat an. 10. Raginerius et Lambertus filii Raginerii Longicolli, paulatim resumptis viribus a Francia redeunt ; et cum Garno et Ranneldo, qui comitatum patris ejus occupaverant, bello apud Parronam confligunt, eosque cum multis perimunt; et super Hagnam fluvium castello Buxidæ munito Lotharingiam infestant. Wenceslaus princeps Bohemiæ a fratre suo Bolislao propter præripiendum principatum interfectus, urbem Pragam in qua requiescit, multis miraculis illustrat.

974. Donus fit papa centesimus tricesimus octavus, qui sedit anno 1, et mens. 7 Ratherius apud Lobias moritur ; de quo est illud monostichon :

Veronæ præsul, sed ter Raterius exsul.

Contra Othonem rebellat patruelis ejus Henricus dux Bajoariæ. Otho imperator castellum Buxidis obsidet, captum diruit, captos in eo exsiliat, nec tamen Raginerius a rebellione desistit.

975. Bonifacius VII sedit papa centesimus trigesimus nonus, anno 1, mense 1. Otho Henricum ducem sibi subjugat. Majolus abbas Cluniacensis sanctitate et religione claret. Gelu magnum a Kal. Novemb. usque ad æquinoctium vernale. Guillel Etgarus rex moritur, et sepelitur Glastonia. Post quem regnavit Eduardus filius ejus 8 annis et dimidio. Tunc visus est cometes. Apud vicum regium, qui vocatur Calna, clerici quondam ab ecclesiis suis expulsi nova prælia suscitarunt; quorum unus Olferius omnia pene monasteria, quæ reverendissimus Athevoldus construxerat, evertit. Conventum est primo apud Winthoniam, ubi imago Domini, ut supra diximus, aperte contra clericos locuta est, non sedatis illis. Conventum est iterum apud Calnam, ubi solarium, ut supra dictum est, corruit. Absens erat rex propter ætatem, sed considebant in cœnaculo totius Angliæ senatores, cum quibus repente solarium totum cum asseribus et trabibus cecidit; omnibusque ad terram allisis, solus Dunstanus super unam trabem, quæ superstes erat, evasit : reliqui vel mortui sunt, vel perpetuo languerunt. Omnes Angli tunc et deinceps in sententiam Dunstani, relictis clericis, transierunt. Idem Dunstanus Eduardum regem fecerat contra voluntatem optimatum, et novercæ, quæ puerulum nondum 7 annorum regem volebat facere, ut ipsa pro eo regnaret, unde irata redeunti de venatione Eduardo, dispersis hac et illac sociis, cum sitiret valde, poculum porrexit, et bibentem satelles sica transfodit. Ibi ostensa sunt de cœlo lumina, et claudus gressum, mutus verbum recuperavit. Cumque illuc Elfreda regina venisset, equus ejus ibidem stans, nullis stimulis moveri potuit. Mutatur equus, secundus quoque moveri non potuit. Tunc Elferius ille clericus, qui monasteria destruxerat sacro corpore de ignobili loco levato, regales inferias apud Scestaniam solvit; sed post annum vermibus, quos pediculos dicimus, consumptus est. Elfrida vero dure pœnituit, cilicio ad carnem induta, et solo dormiens sine cervicali. Mulier pulchra et casta, sed insolens; cujus insolentia in Eduardum longam patriæ acquisivit servitutem. Est autem apud Scestoniam monasterium feminarum Deo devotarum.

976. Sigebertus. Otho imperator contra Slavos proficiscitur. Filii Reghinerii Longicolli auxilio Francorum, et maxime Caroli postea ducis fulti, lacessunt bello Godefridum et Arnulfum comites; qui post Warnerum comitatum Montensem invaserant. Montem Castrilocum obsident, multis utrinque in conflictu fusis, obsidio remota est, victoria anceps; datur tamen palma comitibus. Obiit sanctus Waldricus Ansburgensis episcopus : cujus vita qualis fuerit, mox miraculorum gloria patefecit.

A Benedictus VII sedit papa centesimus quadragesimus, an. 9, mens. 6.

977. Gens Leuticiorum ad idololatriam revolvitur. S. Vuitcoth Pragensis episcopus, cognomento Adebertus, sanctitate et doctrina apud Winidos claret. Filii Raghinerii animati Francorum consilio, ut pro se viriliter agerent : Raghinerus quippe Hauvidem filiam Hugonis postea regis, Lambertus vero Gerbergam filiam Caroli ducis uxores duxerant, in terra patrum suorum relocati sunt. Ducatus Lotharingiæ datur Carolo fratri Lotharii Francorum regis, multis insuper conducto beneficiis, ut et ipse ab insolentiis desistat, et fratris sui Lotharii motibus obsistat. Abhinc de Constantinopolitano imperio tacet Sigebertus. Magister Hugo in B Chronicis dicit, quod Joan. Simbolius, qui interfecit Nicephorum, imperavit pro eo cum Basilio et Constantino pueris. Joanne autem defuncto, regnaverunt prædicti Basilius et Constantinus.

978. Pacato undique regno, cum Otho imperator Aquisgrani moraretur, Lotharius rex Francorum subito ad invadendam Lotharingiam contendit, et cedente imperatore, quia ad pugnam imparatus erat, rex post multam vastationem repatriavit. Quem cum inæstimabili exercitu Otho prosecutus, condicto die scilicet Kal. Octob. Franciam intravit, quam usque ad Kal. Decemb. pervagatus, fines Remensium, Laudunensium, Suessionum, Parisiensium, diversa clade vastavit, Ecclesiis tantum Dei C omni immunitate concessa. In redeundo tamen circa Axonam fluvium partem impedimentorum amittit. De his quidam reclusus prædixit quod omnes hujus mali incentores ante septennium morerentur.

979. Igneæ acies in cœlo visæ sunt per totam noctem v Kal. Novemb. Hoc anno complentur mille anni a Nativitate Christi, secundum veritatem Evangelii : qui secundum cyclum Dionysii anno abhinc vicesimo primo finiuntur : sicque in anno Dominicæ passionis veritati evangelicæ contrariatur. Guillelmus. Hoc anno regnare incœpit Ethelredus filius Etgari et Elfridæ, qui regnavit annos 36. Hic pusiolus cum baptizaretur, circumstantibus episcopis, in sacro fonte cacavit, et sacramenta in- D terpolavit. Unde Dunstanus turbatus : Per Deum, inquit, et matrem ejus, ignavus homo erit ille. Hic decennis cum fratrem suum necatum conclamari audiret, fletu suo furentem matrem adeo commovit, ut quia flagellum ad manum non habebat, arreptis candelis innocentem cæderet, nec prius desisteret, quam pene exanimem et ipsa lacrymis infunderet. Quapropter tota vita sua ita candelas exhorruit, ut nunquam ante se pateretur inferri lumen earum. Hujus coronandi capiti cum B. Dunstanus diadema imponeret, ait coram omnibus : « Quia per mortem fratris tui aspirasti ad regnum, propterea audi verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus : Non delebitur peccatum ignominiosæ matris tuæ, et peccatum virorum, qui interfuerunt consilio

ejus nequam, nisi multo sanguine miserorum provincialium : et venient super gentem Anglorum mala, qualia non est passa ad tempus illud. »

980. Otho imperator Italiam petit. Otho et Lotharius rex convenientes super Carum fluvium pacificantur, datis invicem sacramentis : et rex Lotharius Lotharingiam abjurat. Corpora sanctorum Landoaldi, Adriani, Amantii, a Wentresono Asbaniæ vico transferuntur Gandavum, cum multa miraculorum gloria.

981. Otho imperator Apuliam et Calabriam Italiæ provincias ad jus regni Græcorum appendentes transferre ad imperium Romanum conatur, maxime propter affinitatem, quam per uxorem suam Theophaniam cum imperatore Græcorum habebat.

982. Græci infensi, quod imperator Otho provincias Græcorum invaderet, conducto sibi Sarracenorum auxilio, imperatori in Calabria bello congrediuntur. In quo bello omnes Romanorum copiæ pene usque ad internecionem deletæ sunt. Imperator natando nitens evadere, a nautis ignorantibus eum, capitur; a quodam eorum, qui negotiator Sclavorum erat, agnitus, nec proditus, per illum re delata ad imperatricem, et Deodoricum Metensem episcopum, qui in civitate Rosan rei eventum præstolabantur, difficulter per Sclavum et episcopum liberatur. Nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus, imperator ascenso equo vix evasit : omnibus autem pro infortunio reipublicæ animo consternatis, sola imperatrix feminea et Græca levitate insultabat eis, quod ab exercitu nationis suæ victi essent Romani; ac per hoc cœpit primatibus exosa haberi.

983. Otho imperator tædio et angore animi deficiens Romæ moritur, et de imperatore substituendo inter primates dissentitur : aliis filio ipsius Othoni imperium deberi certantibus, aliis odio imperatricis imperium a filio ejus transferre volentibus ad Henricum ducem filium Henrici, qui fuit frater primi Othonis. Hic Henricus ipsum Othonem puerum facetiose raptum in custodia tenebat; sed principes puerum de manu ejus extorquentes in regnum sublimant; qui regnavit an. 19.

984. Lotharius rex Francorum ad invadendam Lotharingiam rursum laborans, urbem Virdunum et Godefridum ipsius urbis comitem cepit. Joannes XIV sedit papa centesimus quadragesimus primus, mens. 9. Deodericus Metensium episcopus obit, et secundum prophetiam viri Dei, vix aliquis principum, qui in bello Calabrico evasit, diu supervixit. Episcopatum Metensem suscepit Adelbero, vir sanctus et nobilis, filius Frederici ducis.

985. Joannes XV sedit papa centesimus quadragesimus secundus ann. 10, mens. 7. Lotharius rex videns Othonem regem virtute militum suorum proficere, urbem Virdunum et Godefridum reddit.

986. Lothario rege Francorum mortuo, Ludovicus filius ejus regnat anno 1. Guillelmus istum Ludovicum et Ludovicum patrem Lotharii quasi pro uno computat. Sic enim ait : *Filius Caroli illius qui dedit filiam suam Gislam Rolloni, fuit Ludovicus. Is a quodam Isambardo, qui ad paganismum versus, fidem luserat, irritatus, ad singularem pugnam proceres suos de suffragio convenit; quibus nec responsum referentibus, Hugo quidam non magni nominis tyro, filius Roberti comitis Montisdesiderii ultro pro domino duellum expetiit, et provocatorem interemit. Ludovicus cum toto exercitu apud Pontoium subsecutus, omnibus barbaris, quos ille adduxerat, vel occisis, vel elapsis, opimam lanceam obtinuit. Sed non multo post pro expeditionis illius labore extrema valetudine debilitatus, hæredem regni Hugonem illum instituit, vel quia uxor ejus sterilis fuerat, vel quia pro brevitate vitæ sine prole erat. Ita defecit prosapia Caroli Magni.*

987. Ludovico rege Francorum mortuo, Francis regnum transferre volentibus ad Carolum ducem fratrem Lotharii, dum ille rem ad consilium defert, regnum Francorum usurpat Hugo filius Hugonis comitis Parisiensis ex Havide sorore I Othonis imperatoris. Ecce quanta diversitas. Guillelmus dicit istum Hugonem fuisse filium Roberti Montisdesiderii : Sigebertus vero dicit eum fuisse filium Hugonis Parisiensis. Item Guillelmus dicit hunc Hugonem duxisse uxorem filiam Eduardi regis Anglorum, sororem Athelstani regis, qui longe ante hoc tempus regnavit, tempore videlicet Henrici regis Teutonicorum, patris Othonis primi, qui Otho primus duxit uxorem unam sororem ejusdem Ethelstani, alteram vero Ludovicus Aquitanorum princeps; tertiam quæ pulcherrima erat, duxit iste Hugo; misitque patri pro ea munera amplissima, aromata, et gemmas pretiosas, et præcipue smaragdos, equos currales plurimos cum phaleris, et vas quoddam ex onychino ita cœlatum, ut in eo et fluctuare segetes, et gemmare vites, et hominum moveri imagines viderentur : et ita lucidum et politum, ut vice speculi imagines intuentium redderet. Ensem quoque Constantini Magni, in quo litteris aureis nomen antiqui possessoris legebatur. In capulo quoque super crassas auri laminas clavus ferreus affixus erat, unus ex quatuor qui Dominico corpori fuerant affixi, lanceam quoque Caroli Magni, quam imperator invictissimus contra Sarracenos exercitum ducens quoties in hostem vibravit, victor rediit. Ferebaturque eadem esse quæ Dominico lateri manu militis impacta paradisum mortalibus aperuit; vexillum quoque beatissimi martyris Mauritii, principis Thebeæ legionis, quo idem rex Carolus in bello Hispano quamlibet confertos inimicorum cuneos dirumpere et fugare consueverat. Diadema quoque ex auro multo et gemmis pretiosis, quarum splendor oculos intuentium reverberabat. Particulam quoque sanctæ crucis crystallo inclusam; ita ut per ipsum crystallum posset discerni color, et quantitas ligni; portiuncula quoque coronæ spineæ eodem modo inclusam. Princeps hujus legationis

fuit Adulphus, filius Balduini comitis Flandriæ, ex filia regis Eduardi Helvida sorore ipsius Ethelstani ex patre. Hæc sunt verba Guillelmi, qui dicit hunc ipsum Ethelstanum Eduardi filium regnasse anno Domini 924, et non regnavit nisi annis 16. Hic autem Hugo regnavit primum hoc anno, id est anno Domini 987, fere 60 annis tardius, quam ille Ethelstanus, pro cujus sorore dicit eum parti ejus Eduardo tot munera misisse; nec video quomodo utriusque regis tempora concordari possint. Regnavit autem Hugo iste annis 9. Herluinus primus abbas Gemmelacensis obiit.

988. Carolus dux regnum Francorum ex paterna et avita successione sibi debitum contra Hugonem nepotem suum repetit, eumque bello perurgens, urbem Laudunum capit. Hugo Carolum in Lauduno B obsidet; sed secundo obsidionis mense obsessi prosilientes castra obsidentium incendunt, et rex plurimis peremptis vix fuga evasit. GUILLELMUS. Hoc anno mortuus est sanctus Dunstanus, cujus Vitam descripsit Osbernus Cantuariæ cantor, nulli nostro tempore stylo secundus, in musica omnium primus. Osbernus de morte ejusdem sancti sic scribit : Instabat, inquit, dies Ascensionis Dominicæ, et peractis vigiliis remansit solus in oratione in ecclesia Dunstanus, et vidit, et ecce innumera candidatorum multitudo coronas aureas in capitibus gestantium inæstimabili fulgore micantium per ecclesiæ januam irrumpens, ante ipsum conglobata constitit, una voce eum salutans hoc modo : « Salve, Dunstane noster, salve! Mandat tibi, quem C tantopere desideras, Filius Dei, quatenus si paratus es, venias, et diem hanc, ad cujus gaudium suspiras, nobiscum celebres. » Ad quod ille imperterritus manens sciscitatus est, qui essent. « Cherubini, inquiunt, ac seraphini sumus : et responde quid velis. » Tunc ille : « Hodie dies solemnissimus est, et incumbit mihi pane verbi Dei plebem reficere, et ostendere illi quomodo ad hoc gaudium possit pervenire : propter quod et multi convenerunt, nec debeo illos decipere : et ideo hodie venire non possum. » Qui dixerunt : « Eia paratus esto, ut die Sabbati præsto sis hinc nobiscum Romam venire, et coram summo pontifice *sanctus*, *sanctus*, *Sanctus*, æternaliter canere. » Annuit ille, et illi recedunt. D

Lecto igitur eo die ad missam Evangelio, locutus est ad plebem, qualiter nunquam locutus fuerat, et reversus ad altare celebravit mysteria. Ubi autem ventum est ad benedictionem super populum, iterum ab altari prædicaturus regreditur : ita ut non hominem, sed angelum loqui putares. Iterum ad altare revertitur, et data benedictione, iterum ad populum redit, cunctis stupentibus : et mox ut ad loquendum os aperuit, tanta claritate vultus ejus resplenduit, ut nemo in eum intendere posset, obitumque suum illis instare prædixit, promittens se illis nunquam defuturum. Et tunc ad mensam Domini regressus est. Eadem die cum a mensa, A sumpto cibo, surrexisset, oratorium petiit et designavit locum in quo se voluit sepeliri. Mox languor eum invasit, sexta feria lecto decubuit, omnes adventantes ad sequenda Christi vestigia incitabat. Sabbato iterum communicatus est : et cum horam suam exspectaret, subito e lecto, in quo jacebat, usque ad superiora levatus est, et trabibus obsistentibus, ad terram leniter demissus. Quo demisso, dum quasi ad quiescentem qui aufugerant, reverterentur, iterum usque ad trabes cum lecto suo raptus est, ut prius, et iterum leniter demissus. Hoc usque tertio factum est. Tunc ait ad circumstantes : « Vos videtis quo vocor. Si mecum vultis venire, ite via qua incessi. Deus qui me vocat, ipse dirigat corda et corpora vestra ad suam voluntatem in pace. » Et responso ab omnibus « Amen, » transiit. Presbyter quidam inter suos nobilis paralyticus factus, ad corpus sancti delatus est, sensitque quemdam, manum per totum corpus suum ducentem, et membra sua resolidantem. Sanatus igitur grande convivium celebrabat. Exsultantibus convivis, et Dunstanum laudantibus, tumens ille, ait : « Nunquid me inter pauperes numeratis? Etsi Dunstanus non esset, sanatus fuissem. » Quo dicto, statim pristino morbo correptus est : et cum miserabiliter clamaret, emisit spiritum.

Teutonicus quidam ab episcopo sancto excommunicatus fuerat pro crimine voluptatis et arrogantiæ, et per 7 annos Satanæ traditus, sensu perdito toto corpore tremebat. Qui tandem ad sepulcrum Dunstani pertractus, in nocte Purificationis B. Mariæ, quando responsorium *Videte miraculum* inchoabatur, dæmonem suum cum multo cruore evomuit. Quædam virgo a nativitate cæca, erat juxta tumbam sancti ad vigilias festivitatis sancti Andiceni, II Kalendas Septembris; quæ, dum cantaretur responsorium : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (*Luc.* XII), illuminata est. Quidam puer claudus ab utero, a matre sua illuc delatus est; qui cum, matre sua orante, pomum teneret, subito pomum illud rotari cœpit usque ad tumulum sancti; quod ille perdere nolens, statim sanus post illud cucurrit. Moris erat in eodem monasterio pueros omnes verberari ante quintum diem Natalis Domini, non pro culpis eorum, sed pro usu tantum. Rogati sunt magistri, ut condonarent illum diem; qui noluerunt, sed omnes ad virgas se præparaverunt. Ea nocte astitit in visu uni puerorum Dunstanus, dicens : « Cur tantum pavidi estis, o pueri? — Quia, inquit, domine, furor magistrorum sedari nequit. — Ne timeatis, ait, ego eum sedabo. Ego sum Dunstanus, pater hujus monasterii : hoc erit tibi signum, quia liberabo vos. Vade, et dic custodibus ecclesiæ ut auferant de juxta me et ab ecclesia corpus filii Alredi, quem gentilem odibilis quorumdam adulatio juxta me ausu temerario sepelivit. Quod si cito non fecerint, tota hæc ecclesia grave damnum sustinebit. » Jam aurora illucescebat, hora pueris tremenda, et magistri stabant

armati corrigiis nodatis, exspectantes pueros ante A se transituros: et ecce subito omnes magistri obdormierunt, et pueros per medium transeuntes non fuit qui tangeret. Adolescens autem detulit mandata ad custodes, qui contempserunt. Postea a quibusdam monachis Dunstanus a loco discedere visus est. A quibus cum detineretur, et cur recederet quæreretur, respondit se fetorem paganæ carnis, et quorumdam illic viventium iniquitates ferre non posse: « Quæ res, inquit, si emendata non fuerit, tota hæc civitas, et hæc ecclesia luet. » Non multo post civitas combusta est, et tota ecclesia cum suis officinis, excepto refectorio et dormitorio cum claustris, quæ ibi appendebant. Quidam archidiaconus Londoniæ conversus est in eodem monasterio, litterarum scientissimus, et cœpit reli- B giose conversari. Post annum quo monachus factus est, secretarii officio functus est, et cœpit paulatim a religione tepescere, dum majori libertate cæteris potiretur. Tandem fugam parabat, cum quodam juvene sibi conscio; tamen adhuc animo fluctuabat de hoc, quod facturus erat. Statuit autem apud se, non se discessurum a monasterio, sine licentia sancti Dunstani. Venit itaque ad tumbam ejus, querelam faciens de illis: et suam benedictionem petens, ut iter suum prosequerentur; dicens se ipsius futurum quocunque pergeret. Veniensque post chorum, invenit ibi monachum quemdam reverendissimum virgam tenentem, et ei innixum stantem, et se vividis oculis intuentem. Quo viso, expavit et ab eo divertere voluit. Qui, virga oppo- C sita, ait: « Quo vadis? » Innuit ille non esse loquendum. At ille: « Si loquor ad te, dic quo vadis. — Quo, inquit, mea interest. » At sanctus: « Nihil est, revertere ad sepulcrum, ubi modo fuisti, et mutata voluntate intentius ora. » Reversus ille, oravit sicut oraverat prius. Rediens obvisum habuit quem prius in eodem loco; qui quo tenderet requisivit. Cui ille: « Quid hoc ad te? — Multum, inquit, quod et tu, si te non correxeris, in proximo experieris. Nunc igitur redi iterum, et muta mentem, muta precem. » Cumque ille transire conaretur, potius quam redire, ille vibrata contra eum virga, redire illum coegit. Qui rediens multum pavidus, oravit tertio eumdem D sermonem; et rediens, ibi non invenit illum quo invenerat prius; putansque se bene orasse, properavit ad ostium claustri, ubi offendit quem prius offenderat, turbato vultu contra se stantem, et interrogantem quo pergeret. Qui respondit: « Quis es tu, qui me tanta auctoritate constringis? » Ait: « Quæris, quis? Audi: Ego sum Dunstanus, provisor et archiepiscopus hujus loci, amator illorum et adjutor qui vere filii sunt hujus ecclesiæ. Et tu, quomodo suffragium meum quæris, qui me et locum istum vis deserere? Mea licentia hinc nunquam exibis, sed velis, nolis, hic remanebis, hic morieris; et quia me audire contempsisti, ecce in pœna tua probabis quod non bene fecisti; » et levans virgam percussit eum tertio acriter, et in terram prostravit, et disparuit. Ille jacens ibi inventus est, et portatus in infirmitorium, et cœpit quotidie augmentari infirmitas, nec poterat dignosci qualis esset; ille autem revelare nolebat. Tandem positus est super cilicium, et cœpit litania pro eo dici; cumque diceretur: *Sancte Dunstane, ora pro eo*, rogavit se poni super lectum suum, dicens se modo non moriturum; et accersito priore Henrico confessus est ei omnia, et quod mori non poterat antequam hoc confessus fuisset, et accepta pœnitentia et benedictione a priore, reddidit spiritum.

Casula sancti Dunstani, in qua cantare solebat, erat apud Londoniam sine ullo auri apparatu. Matrona quædam Londoniensis graviter infirmata, credebat se nunquam deinceps sanandam; cui, ut putabatur, mox morituræ sanctus Dunstanus apparuit, sciscitans utrum vellet convalescere. Qua respondente, se maxime velle, ait: « Tolle aurifrigium quod in arca tua est, et pone illud in casula, quæ est apud Westmonasterium: et convalesces. » Et factum est ita: et quod mirabile fuit aurifrigium illud, nec minus nec majus inventum est, quam casulæ ornatus exigebat. GUILLELMUS Non multo post mortem beati Dunstani Dani infestaverunt Angliam, sicut ipse prophetaverat; urbem Cantuariam combusserunt, archiepiscopum reverendissimum Elfegum adduxerunt in vinculis; quem cum rusticos suos expilare cogerent, ut se redimeret, et nollet, lapidatum securi percusserunt, et martyrem fecerunt. Cujus sanguine stillante aridum mox reviruit. Cujus corpus pro tanto miraculo permiserunt Dani reportari Londoniam, ubi et sepultum est, et post 10 annos incorruptum repertum usque ad hoc tempus durat et recens sanguis, et corporis illibata integritas. In Anglia vero sunt 32 pagi, quorum 16 tunc Dani invaserunt. (989.) SIGEBERTUS. Inundatio aquarum frequens et diutina ultra solitum: æstas postea ferventissima, pluribusque perniciosa; unde et fruges immoratæ sunt. Carolus dux Montem acutum expugnat, Suessionis usque vastando procedit. Inde Remis aggreditur, et Laudunum cum multa præda revertitur. Siccitas magna vernalis, unde et satio prima impedita est, et fames ingens secuta. Nix nimia decidit, et imber postea continuus, qui autumnalem sationem omnino impedivit. (990.) Carolus dux Remis occupat; archiepiscopum, quem Hugo rex præfecerat, et quosdam primates capit, et Lauduno relegat.

991. Carolus dux moritur, cui succedit Otho filius ejus. Remis synodo totius Franciæ congregata Arnulphus nepos Caroli ducis, quem ipse Carolus episcopum Remis substituerat, omnium judicio exordinatus damnatur, et Adelgarius presbyter, qui urbem prodidit, et portas Carolo aperuit, insolubiliter excommunicatur; Gerbertus vero substituitur. Sed quibusdam causam ventilantibus, non potuisse degradari Arnulphum, absque conscientia et auctoritate Romani papæ, Gerbertus depositus ad im-

peratorem Otnonem se contulit : quem imperator A Ravennæ archiepiscopum, et post papam constituit Romanum. Unde factum est monosticon illud :

Transit ab R. Gerbertus ad R. fit papa vigens R.

GUILLELMUS. Hic Gerbertus ex Gallia natus, monachus a puero apud Floriacum adolevit : deinde adolescens claustrum exiens, perrexit Hispaniam, quæ olim a Romanis possessa, tempore Honorii imperatoris in jus Gothorum concesserat. Gothi autem usque ad tempora Gregorii papæ Ariani fuerant ; sed tunc per Leandrum Hispalensem episcopum catholici facti sunt, et per Recaredum regem fratrem Hermenegildi, quem pater nocte Paschali pro confessione fidei interfecit. Leandro autem successit Isidorus vir sanctus et doctus, cujus corpus nostra ætate B Alfonsus Galliciæ rex Toletum transtulit ad pondus auro comparatum. Saraceni autem qui Gothos subjugaverant, ipsi quoque a Carolo Magno victi, Galliciam et Lusitaniam maximas Hispaniæ provincias amiserunt : possident autem usque hodie superiores regiones; et sicut Christiani Toletum, ita ipsi Hispalim, quam Sibiliam vulgariter vocant, caput regni habent, divinationibus et incantationibus more gentis intenti. Ad hos veniens Gerbertus, vicit scientia Ptolomæum in astrolabio, Alcandrum in astrorum interstitio, Firmicum in fato. Ibi didicit et cantus avium, et volatus mysterium, et tenues ex inferno excire figuras. Quadruvium quoque ita ebibit, ut illas in Galliam revocaret C jamdudum obsoletas. Abacum primus a Sarracenis capiens, regulas dedit, quæ vix intelliguntur a sudantibus abacistis. Hospitabatur apud quemdam philosophum, quem primo multis expensis, deinde multis promissis demeruit. Hic philosophus unum habebat codicem totius artis conscium; quem nullo modo Gerbertus extorquere potuit a magistro. Tandem illum nocte furatus est, auxiliante filia philosophi, cum qua familiaritatem assiduitate paraverat, sub cervicali positum, et cum furto aufugit. Philosophus somno excitus indicio stellarum persecutus est fugientem. Profugus autem eadem scientia periculum comperiens, sub ponte ligneo qui proximus erat, se occultabat, pendulus inter pontem et aquam : et pontem am- D plectens, ut nec terram nec aquam tangeret : et ita quærentem elusit (39).

Quantus labor est ista considerare! certe nulla utilitas. Nam responsa dæmonum fallere homines desiderantium semper per ambages feruntur, duabus de causis : tum quia incerti sunt de futuris omnibus per liberum arbitrium ; tum quia, etiamsi certi essent, semper tamen homines consulentes se per ambiguitatem suam decipere magis gauderent, quam per certitudinem suam, quæ nulla est, instruere. Non solum autem nulla utilitas nosse ista curiosa, sed etiam magna pernicies. Unde B. Augustinus in lib. *De civitate Dei* x, cap. 9 : « Fiebant, » inquit, « miracula in Veteri Testamento simplici fide atque fiducia pietatis, non incantationibus et carminibus nefariæ curiositatis arte compositis, quam vel magiam, vel detestabiliore nomine goetiam, vel honorabiliore theurgiam vocant ; qui quasi conantur ista discernere, et illicitis artibus deditos alios damnabiles, quos et maleficos vulgus appellat (hos enim ad goetiam pertinere dicunt) ; alios autem laudabiles videri volunt, quibus theurgiam deputant ; cum sint utrique ritibus fallacibus dæmonum obstricti sub nominibus angelorum. Nam et Porphyrius quamdam quasi purgationem animæ per theurgiam, cunctanter tamen et pudibunda quodammodo disputatione promittit ; reversionem vero ad Deum hanc artem præstare cuiquam negat, ut videas eum inter vitium sacrilegæ curiositatis et philosophiæ professionem sententiis alternantibus fluctuare. Nunc enim hanc artem tanquam fallacem, et in ipsa actione periculosam, et legibus prohibitam, cavendam monet : nunc autem velut ejus laudatoribus cedens, utilem dicit esse mundandæ parti animæ, non quidem intellectuali, qua rerum intelligibilium percipitur veritas, nullas habentium similitudines corporum ; sed spirituali, qua corporalium rerum capiuntur imagines. Hanc enim dicit per quasdam consecrationes theurgicas, quas teletas vocant, idoneam fieri atque aptam susceptioni spirituum et angelorum, ad videndos deos. Ex quibus tamen theurgicis teletis fatetur intellectuali animæ nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad videndum Deum suum, et perspicienda ea quæ vera sunt. Ex quo intelligi potest, qualium

(39) Hæc, quæ ex Guill. Malmesberiensi auctor exscripsit, fabulosa merito judicant viri docti ; et multo amplius sequentia, quæ resecuimus, de Gerberto sese dæmoni devovente, de ejus horrenda nece Romæ in ecclesia S. Crucis a dæmone illata : quæ hauserunt Sigebertus, et præfatus Malmesber., aliique ex Bennone schismatico, qui post annos fere centum ab obitu Silvestri II seu Gerberti scripsit. Fuit autem rudi sæculo occasio quædam fingendæ hujus fabulæ, quod mathematicæ, ac præsertim astrologiæ scientissimus esset Gerbertus. Sane nullus ante Bennonem de Silvestro talia scripsisse reperitur, qui etiam eadem malitia alios Gregorii VII prædecessores magiæ accusavit. At contra qui tempore Silvestri vixerunt, honorifice de eo scripserunt, ut Ditmarus scriptor gravis, episcopus Merseburgius in *Saxonia*, lib. VI ; Helgaldus Floriacensis monachus in *Vita Roberti Francorum regis*, cujus magister fuit Gerbertus. Et quod penitus fabulam illam destruit est epithaphium Silvestri sepulcro Romæ in basilica Lateranensi a Sergio ejus successore positum, dignum quovis magni nominis pontifice Romano, ut nullo modo tanto elogio commendari potuerit homo tam probroso exitu, qualem Benno fingit, palam a dæmone exstinctus. Ex seipsa quoque satis arguitur fabula ipsa, dum de thesauro in Campo Martio arte magica reperto, et curia immensis opibus referta disserit, seu potius garrit. Hujusmodi enim somnia ad anus deliras pertinent, potius quam ad historicum. Vide Baron. ad annum 909, et Bellarm. libro IV, *De pontifice Roman.*, c. 12. Porro auctor magicas observationes postea improbat verbis sequentibus :

deorum, vel qualem visionem fieri dicat theurgicis consecrationibus, in qua non ea videntur quæ vera sunt. Denique animam rationalem, sive quod magis amat dicere, intellectualem in superna dicit posse evadere; etiamsi quod ejus spiritale est, nulla theurgica fuerit arte purgatum: porro autem a theurgo spiritalem purgari hactenus, ut non ex hoc ad immortalitatem æternitatemque perveniat. Quanquam itaque discernat a dæmonibus angelos, aerea esse loca dæmonum, ætherea vel empyrea disserens angelorum, et admoneat utendum alicujus dæmonis amicitia, quo subvectante, vel paululum possit elevari a terra quisque post mortem, aliam vero viam esse perhibeat ad angelorum superna consortia: cavendam tamen dæmonum societatem, expressa quodammodo confessione testatur, ubi dicit animam post mortem luendo pœnas, cultum dæmonum a quibus circumveniebatur horrescere. Ipsamque theurgiam, quam velut conciliatricem angelorum deorumque commendat, apud tales agere potestates negare non potuit; quæ vel ipsæ invideant purgationi animæ, vel artibus serviant invidorum, querelam de hac re Chaldæi nescio cujus expromens: « Conqueritur, » inquit, « vir in Chaldæa « bonus, purgandæ animæ magno molimine, frustratos sibi esse successus, cum vir ad eadem potens « tactus invidia, adjuratas sacris precibus potentias « alligasset, ne postulata concederent. Ergo et ligavit « ille, inquit, et iste non solvit. » Quo indicio dixit apparere theurgiam esse tam boni conficiendi quam mali, apud deos et apud homines disciplinam, pati etiam deos, et ad illas perturbationes passionesque deduci, quas communiter dæmonibus et hominibus Apuleius attribuit. » Hæc Augustinus.

993. In Burgundia Odilo Alvernis oriundus, ex clerico Brivatensi monachum professus, in Cluniacensi cœnobio fit abbas post Majolum, per annos 56, miro religionis fervore spectabilis: qui præter cætera pietate insignis, non solum vitæ exemplis, sed etiam miraculis in vita sua claruit. Qui cum reprehenderetur, quod in peccantes justo misericordior esse videretur: «Si damnandus sum, inquit, malo damnari de misericordia quam de duritia. » Otho in imperatorem benedicitur.

994. Florebant hoc tempore in scientia litterarum: in Lotharingia, Herigerus abbas Lobiensis, Adelboldus episcopus Ultrajectensis; in Francia Fulbertus episcopus Carnotensis, Abbo abbas Floriacensis: qui super calculum Victorii commentatus est. Hugone rege Francorum mortuo, Robertus filius ejus regnat annis 34. (995.) Iste rex Robertus fuit in ecclesiasticis canticis non mediocriter doctus. Denique et pulcherrimam sequentiam fecit: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, et responsorium istud: *O Juda et Jerusalem*: sed et hoc *Alleluia* fertur fecisse: *Eripe me de inimicis meis*: et cum quadam die esset Romæ in vigilia apostolorum Petri et Pauli, obtulit schedulam quamdam super altare. Putantibus illis magnum aliquid obtulisse, repererunt illum nihil aliud super altare posuisse nisi schedulam, in qua scriptum erat responsorium istud cum versu suo: *Cornelius centurio*, quod ipse rex composuerat cum cantu suo. Joannes autem, cognomento Belet, dicit Naugerum abbatem de Sancto Gallo de terra Teutonicorum primum composuisse sequentias, et Nicolaus papa eas cantari instituit: post quem Hermannus Contractus inventor astrolabii, fecit: *Rex omnipotens*, et: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*. Videat ergo lector cui magis cedere velit, Guillelmo an Joanni.

996. Gregorius fit papa centesimus quadragesimus tertius, annis 2.

997. Herbertus ordinatur Coloniensium episcopus, qui multa claruit sanctitate: clarebat etiam hoc tempore inter Gallos Ansfridus, qui cum fuisset comes Bratuspensium, non minus justitia quam potentia sæculari famosus, deposito militiæ cingulo tonsuratus in clericum, eo provectus est ut fieret episcopus Ultrajectensis.

998. Joannes XVI fit papa centesimus quadragesimus quartus, mens. 10. Post quem, ut ait Sigebertus, Gerbertus, qui et Silvester, fit papa centesimus quadragesimus quintus, qui et ipse inter claros scientia litterarum egregie claruit. Quidam tamen transito isto Sylvestro Agapitum in hoc loco ponunt; quia Sylvester non per ostium intrasse dicitur, qui etiam a quibusdam necromantiæ arguitur, a diabolo autem percussus dicitur obiisse. GUILLEL. Ducum defectio ex superbia regis Ethelredi processit. Anglos enim nullis causis exstantibus, afflicto crimine opibus emungebat; Danos levibus suspicionibus omnes in uno die per Angliam trucidari jusserat: in uxorem adeo protervus erat, ut vix eam cubili dignaretur; cum pellicibus volutabatur. Illa quoque conscientiam alti sanguinis spirans, in maritum tumebat. Erat enim filia Richardi comitis Normanniæ, filii Guillelmi, qui post patrem 52 annis illi ducatui præfuit, et octavo decimo anno hujus regis Ethelredi vitam finivit. Jacet apud Fiscanum cœnobium, quod ipse aliquantis redditibus ampliatum per Guillelmum abbatem Divionensem regula monastica insignivit: vir eximius, qui etiam Ethelredum regem injuriis sæpe pulsavit. Quod cum Romæ auditum esset, non est passa Sedes apostolica duos christianos principes inter se digladiari; sed misit in Angliam Leonem Treverensem episcopum, ut pacem componeret. Actum est hoc anno Domini 991. SIGEBERTUS. Hoc tempore quidam religiosus ab Hierosolymis rediens in Siciliam, reclusi cujusdam humanitate aliquandiu recreatus, didicit ab eo inter cætera, quod in illa vicinia essent loca flammas eructantia, quæ vocantur ab incolis ollæ Vulcani, in quibus animæ defunctorum luebant diversa pro meritorum qualitate supplicia, ad ea exsequenda deputatis ibi dæmonibus; quorum se crebro voces, iras et terrores, sæpe etiam ululatus audisse dicebat, plangentium, quod animæ fidelium de manibus eorum eriperentur

per eleemosynas et preces vivorum fidelium: et hoc tempore magis per orationes Cluniacensium indefesse orantium pro requie defunctorum. Hoc per illum religiosum abbas Odilo comperto, constituit per omnia monasteria sibi subjecta ut, sicut primo die Novemb. solemnitas Omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die omnium in Christo quiescentium celebretur. Qui ritus ad multas Ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoriam solemnizari fecit. (999.) In Italia Crescens patriciatu Romanorum arrepto, contra Ottonem imperatorem rebellat.

1000. Anno Jesu Christi 1000, secundum computationem Dionysii multa prodigia visa, terræmotus factus est permaximus. Cometes apparuit XIX Kal Januar. circa horam nonam, aperto cœlo quasi facula ardens illapsa est terris, cum longo tractu et cum tanto splendore, ut non modo qui in agris erant, sed etiam qui in tectis irrupto lumine ferirentur. Quia cœli scissura sensim evanescente, interim visa est figura quasi serpentis capite quidem crescente cum cæruleis pedibus.

1001. Otto imperator Romæ Crescentem patricium aggreditur; victus Crescens, et ex fuga retractus capitur, vilique jumento averse impositus circumducitur. Et paulatim membris truncatu ad ultimum ante urbem suspenditur.

1002. Otto imperator Romæ degens, dum se cum Romanis remissius agit, tractans qualiter jura regni et Ecclesiæ ad antiquum statum reformaret, Romani per hoc ad contemptum ejus adducti, subito contra eum conspirant: et aliquot militum ejus peremptis eum in palatio obsident; unde per industriam Henrici ducis Bajoariæ, et Hugonis marchionis Italiæ simulato pacto vix extractus Roma recedit cum Sylvestro papa; et quia uxor Crescentis imperatorem spe regnandi ad amorem sui pellexerat, dolens pro ejus discessu, venenum ei immisit: quo ille consumptus inter remeandum n Italia moritur. Milites transalpini corpus imperatoris cum insignibus imperii ad Galliam referentes, crebris Italorum incursibus lacessiti, armis sibi viam parant. Sed cum jam res in tuto putaretur, dux Bajoariæ Henricus injuriato Heriberto Coloniensi episcopo, a cujus ore omnes pendebant, insignia ab eo violenter extorsit; quasi jure hæreditario sibi competentia, Erat enim filius Henrici ducis, qui fuit genitus de Henrico fratre primi Othonis imperatoris. Henricus igitur dux, conciliatis sibi animis quorumdam principum regni, ungitur in regem a Vuilligialso Moguntino episcopo, et imperat. an. 21.

1003. Joannes XVII sedit papa centesimus quadragesimus sextus mens. 11, post quem Joannes XVIII sedit papa centesimus quadragesimus septimus annis 5. Abbo Floriacensis abbas in Vuasconia martyrizatur. Henricus rex potentiores viros regni bella contra se concitare volentes celeriter divincit, et reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui dicuntur Vuinidi, tributarios sibi facit.

1004. Gerardus Cameracensis episcopus, et Adelboldus Ultrajectensis, magni in Ecclesia habentur, et in palatio. Henricus rex Bambergensem Ecclesiam episcopalis sedis honore sublimat: et quia libris carebat, eam omnium rerum suarum hæredem facit. Unde Deodericus Metensium episcopus dolens dotem, et patrimonium sororis suæ Chunigundis imperatricis, delegari ab imperatore Bambergensi Ecclesiæ, rebellat.

1005. Cometes horribilis in austro visus est. Mortuo Ottone duce, ducatus Lotharingiæ datur comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennensis. Helpericus de Ratione compoti hoc anno scripsit.

1006. Fames et mortalitas pene per totum orbem invaluit, ita ut sepelientium tædio vivi adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Castrum Valentianas situm in marchia Franciæ et Lotharingiæ, quod Balduinus comes Flandrensium invaserat, Henricus imperator obsidet: concurrentibus ad auxilium ejus Roberto rege Francorum, et Richardo comite Normannorum.

1007 Henricus imperator quia de obsidione Valentianensi inefficax redierat, contra Balduinum profectus, castrum Gandavum invadit: et devastata terra aliquot primores Flandrensium capit; unde Balduinus perterritus illi satisfacit. Valentianas reddit, datisque obsidibus cum sacramento fidelitatis, manus ei dedit. Postea imperator seditione suorum coactus, Valentianas Balduino comiti beneficiavit; ut sibi contra motus suorum auxilio esset; præterea ei etiam Valacras addidit.

1008. Baldricus Leodicensium episcopus ordinatur, et Burcardus Wormacensium: qui in Scripturis studiosus magnum illud canonum volumen edidit, collaborante Ausberto abbate viro undequaque doctissimo.

1009. Eclipsis solis facta est hora diei 2. Sergius IV sedit papa centesimus quadragesimus octavus, an. 2, m. 9. Normanni Frisiam infestantes Tilæ oppidum incendunt. Henricus imperator, Metis urbem obsidet, propter Deodericum fratrem uxoris suæ, contra se rebellantem: qui episcopatum ipsius urbis usurpaverat. Dux enim Mosellanorum Deodericus post fratrem suum Alberonem, dato episcopatu Metensium filio suo adhuc puero, tutorem ei substitueràt ipsum Deodericum: qui, puero urbe excluso et episcopatu usurpato, ipsum etiam Deodericum ducem bello cepit. Urbe ergo per obsidionem pene desolata, tandem pax convenit.

1010. Bruno episcopus martyrizatur. Normanni Frisiam repetunt, et multis cæsis Ultrajectum oppidum incensum est. Gens Hungarorum hactenus idololatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Christi convertitur per Gislam sororem imperatoris, quæ nupta Hungarorum regi, ad hoc sua instantia regem adduxit, ut se et totam Hungarorum gentem baptizari expeteret; qui in baptismo Stephanus est vocatus; cujus merita per Hungariam multa miraculorum gloria commendat.

1011. In Lotharingia juxta montem Castrilocum fonticulus aquæ multis saluberrimus in sanguinem conversus, quod probavit mulier, quæ faciem suam ex hujus fontis aqua lotam ostendit multis sanguinolentam. (1012.) Albertus ordinatur abbas Gemmelacensis. Benedictus VIII fit papa centesimus quadragesimus nonus, et sedit annis 12. GUILLELMUS. Hoc anno contigit in quadam villa Saxoniæ ubi erat ecclesia Magni, martyris, tale quid: In vigilia Natalis Domini Robertus presbyter primam missam de nocte inchoaverat: at in cœmeterio Otbertus quidam cum 18 sodalibus, viris quindecim, feminis 3, choreas ducens, cantilenas sæculares perstrepens, ita sacerdotem impediebant ut ipsa verba eorum inter sacra missarum solemnia invitus resonaret. Ille mandat eis, ut tacerent; quo neglecto, imprecatus est, dicens: « Placeat Deo, et sancto Magno, ut ita cantantes permaneatis usque ad annum » Verba pondus habuerunt. Filius presbyteri Joannes sororem suam cantantem per brachium arripuit, et statim illud a corpore avulsit, sed gutta sanguinis inde non exiit: illa vero toto anno cum cæteris permansit, choros ducens et cantitans. Pluvia non cecidit super eos, non frigus, non calor, non fames, non sitis, non lassitudo eos affecit; indumenta vel calceamenta non sunt attrita; sed quasi vecordes cantabant. Primum usque ad genua, deinde usque ad femora terræ demersi sunt. Fabrica tecti aliquando super eos nutu Dei erigebatur, ut pluvias arceret. Evoluto anno Herbertus Coloniensis episcopus eos absolvit a nodo, quo manus eorum ligabantur, et ante altare Sancti Magni reconciliavit. Filia presbyteri cum aliis duobus continuo exanimata est; cæteri cæteris continuis proximis 3 diebus et noctibus dormierunt; aliqui postea obierunt, et miraculis, ut fertur, coruscarunt, quia valde pœnituerunt. Cæteri pœnam suam membrorum tremore prodiderunt. Hoc ita scriptum reliquit Otbertus ipse, qui fuit unus ex ipsis; in cujus scripti finesic scriptum est: *Datæ sunt nobis litteræ a domino Peregrino, beati Herberti successore, anno Domini* 1013.

1013. Henricus imperator Italiam petens, ut subveniret suis, quos Græci premebant, circa Beneventum, Salernum, et Capuam debacchantes, Trojam civitatem capit. Baldricus episcopus cum in villa Duguardis dicta castellum muniret, Lambertus comes Lovaniensis eum aggreditur, et episcopus Lamberto vincente, multis suorum captis et occisis, gravi atteritur infortunio. Terræ motus factus est maximus circa meridiem XIV Kalendas Decembris.

1014. Henricus rex in imperatorem benedicitur; qui Godefridum ducem in fines Bratuspensium cum exercitu misit ad obsidendum castrum Lovanium; sed inefficax rediit. Baldricus episcopus in insula Leodicensi cœnobium Sancti Jacobi apostoli fundavit. Dux Godefridus Girardum comitem multis modis regnum inquietantem bello vicit. In quo filio ejus cum multis occiso, complices ejus deterruit. Hoc tempore S. Guiteth, qui et Adelbertus, Pragensis episcopus martyrizatur. Comitatus Belvacensis datur Rogerio episcopo.

1015. Dux Godefridus comitatum Montensem depopulatur, quem Raginerus cum patruo suo Lamberto Lovaniensi insecutus, apud Florinas pugnam conseruit, ubi plusquam 500 viri occisi sunt, et ipse Lambertus occubuit. Ubi res mira contigit. Cum enim Lambertus spem victoriæ jam haberet, habebat enim philacterium a collo usque ad pectus pendens sanctorum reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat. Instante ei termino vitæ philacterium a collo ejus exiens, super tumulum campi exsilivit, et mox comes antea invictus perimitur. Quidam vero militum philacterium accipiens in caliga sua abscondit; sed coxa ejus et crure intumescente rem prodidit, et philacterium domino suo Etheloni dedit, fratri scilicet ducis.

1016. Simeon Syracusis Siciliæ oriundus, et postea monachus in monte Sina, hoc tempore clarebat: qui Hierosolymam veniens, longam pro Christo peregrinationem suscepit; et cum Popone Trevirorum archiepiscopo ad Gallias veniens, Treviris in altitudine turris inclusus est: ibique post multas hominum persecutiones, et tentationes dæmonum, beato fine quievit: cujus meritum frequens miraculorum gloria monstravit.

1017. Cometes solito mirabilior in modum trabis maximæ per 4 menses apparuit. Goboldus post Baldricum fit Leodicensis episcopus.

1018. In Frisonia Deoderico comite filio Arnulphi Gandavensis debellante Frisones, in vindictam patris sui ab eis occisi, Godefridus dux ad eum debellandum ab imperatore mittitur, et, conserto prælio, repente voce, nescitur unde emissa: *Fugite, fugite*, cunctis fugientibus, multi a paucis *Frisonibus* perimuntur, dux vero capitur.

1019. Dux Godefridus impetrata Frisonibus ab imperatore totius injustitiæ impunitate, a captivitate solvitur; et non multo post moritur. Cui succedit in ducatu frater ejus Gothelo.

1020. Rodulphus rex Burgundiæ Burgundionum insolentiis irritatus, regnum Burgundiæ Henrico imperatori dare tractat; sed eum ab hac intentione revocat simulata Burgundionum satisfactio. Benedictus papa in Galliam ad Henricum imperatorem venit.

1021. Henricus imperator Natale Domini celebrans Coloniæ, Heribertum archiepiscopum olim a se injuriose tractatum humili satisfactione placat: cui reconciliatus archiepiscopus, prædixit se propediem moriturum; qui non multo post mortuus, magnis cœpit clarere virtutibus; cui Pilegrimus episcopus successit. Hic Pilegrimus superius peregrinus appellatus est ab Otberto illo, qui fuit unus de choreas ducentibus; sed mirandum est, quomodo idem Otbertus in fine scripti sui dicat, datas

sibi fuisse litteras a domino Peregrino, beati Herberti successore an. Domini 1013, cum beatus Herbertus hic a Sigeberto dicatur mortuus fuisse anno Domini 1021. GUILLELMUS. Colonia prius dicta est Agrippina ab Agrippa genero Augusti : postea a Trajano, qui ibi in Imperium allectus, colonias civium Romanorum eo deduxit, Colonia. In hac fuit quidam episcopus, clarus religione, sed turpis corpore, qui factus est episcopus hoc modo : imperator Dominica Quinquagesimæ venatum pergens, solus ad aream silvæ devenit, comitibus hac et illac dispersis : ibi habebat ecclesiam presbyter ille agrestis, deformis valde, et quasi portentum naturæ. Imperator se militem mentitus suppliciter missam rogat. Ille confestim se parat. Imperator interim cogitabat, quare Deus, a quo formosa cuncta procedunt, tam deformem hominem conficere sacramenta sua sineret. Ventum est ad illum versum tractatus : *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus* (*Psal.* XCIX). In quibus verbis cum discordaret puer presbyteri, sacerdos concitatiori voce respondit, quasi imperatori cogitanti : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Quo dicto repercussus imperator, et propheticum virum æstimans, invitum eum fecit episcopum. Hujus hic factor fuit. Erat in monasterio sanctimonialium ejusdem urbis virgo quædam, quæ specie et dulci ad omnes sermone amatores suos incendebat : quorum unus dives et generosus eam abduxit, et loco justæ conjugis habuit. Mandat episcopus, ut mulier monasterio restituatur, et fit. Iterum, absente pontifice, repetitur; excommunicatur raptor, ita ut nullus civium cum eo convivari aut colloqui auderet. Tunc excommunicatus in prædia ruris sui abiit. Veniente autem episcopo ad exitum vitæ, convenerunt compatriotæ, orantes pro excommunicato. Quibus ille respondit : « Si miser ille maledictam illam mulierem deseruerit, sit absolutus; si autem persliterit, sequente anno hac eadem die et eadem hora qua ego decedam, sit ante Dominum reddere rationem paratus. Videbitis autem me, quando signum ad sextam insonuerit, spiritum efflare. » Sic omnia impleta sunt, utroque sic moriente. Anno enim sequente eodem die et hora qua prædixerat, excommunicatus ille cum amica sua ictus et exanimatus est. Item GUILLELMUS.

Eo tempore Ethelredus Danos fugiens, venit Normanniam ad Richardum fratrem uxoris suæ Emmæ, filium Richardi ducis, qui cœnobium Fiscanense, quod pater inchoaverat, perfecit. Hic noctibus custodias famulorum fallens, ad matutinas monachorum ibat, genua flectens in oratione usque ad lucem. Quadam nocte pergens ad ecclesiam, ostium reperit obseratum : qui excesso violenter pessulo soporem sacristæ turbavit. Qui surgens a somno, et videns eum plebeio amictu vestitum, in capillos involat, et multos illi colaphos impegit. Postridie in capitulo querelam deposuit, et monachum illum..... Dic dicto monachus a judicibus.....

A qui optimi vini ferax est, officio sacristæ addixit, pronuntians illum bonum esse monachum, qui bene custodiens munus injunctum, nec etiam iratus fregit silentium. Iste rex 28 anno ducatus sui mortuus est, jussitque se sepeliri ante ostium ecclesiæ, ut ab omnibus conculcaretur, et super se plueret. Quem postea Guillelmus abbas tulit inde, et ante altare locavit. Hujus frater Robertus archiepiscopus Rothomagi fuit; qui honore abusus, multa flagitia commisit; sed postea in senium vergens, multis eleemosynis quædam delevit. Richardus iste filium habuit sui nominis, qui fuit dux anno uno; dicitur fuisse invenenatus a fratre suo Roberto. Unde ipse Robertus post 7 annos Hierosolymam perrexit : qui domum revertens, apud Nicæam urbem
B Bithyniæ veneno interceptus est. Huic Roberto successit Guillelmus puer. Edmundus fuit filius Ethelredi regis ; non ex Emma uxore, sed ex alia quadam, quam obscura fama recondidit. Hic magni roboris fuit, et animo, et corpore : unde ab Anglis vocabatur ferreum latus. Hic cum Cinitone partitus est Angliam : sibi Westsaxoniam retinens, illi concedens Merciam. Non multo post obiit, sepultus Glastoniæ. Fertur Edricum mortem ei per ministros porrexisse; ejus scilicet consilio ferreum uncum ad naturæ requisita sedenti in locis posterioribus adegisse. Frater ejus ex matre Edwinus, per proditorem Edricum, jubente Cinitone, Anglia cessit, qui diu jactatus, et tandem furtivo reditu
C delitescens obiit; sepultus apud Canistochium. Filii ejus Edwius et Edwardus missi sunt ad regem Suevorum, ut perimerentur; sed miseratione ejus conservati sunt, et regem Hunorum petierunt, ubi major diem obiit, minor Agatham reginæ sororem uxorem accepit. Fratres ex Emma Elfredus et Edwardus, quandiu Cinito vixit, in Normannia tuto latuere. Avunculus eorum Richardus sororem suam Cinitoni uxorem dedit. Hinc Cinito anno ab Incarnatione Domini 1017 regnare cœpit et 20 annis regnavit.

1022. Durandus fit Leodiensium episcopus, ex humillimo, et pauperrimo, et servilis conditionis genere; ut esset jam dominus dominorum suorum carnalium. Aquisgrani conventu regali synodali
D per aliquot dies celebrato, tanta siccitas et intemperies aeris excanduit, ut multi præ nimio ardore deficerent; multa etiam animalia subito interirent; pavimento et columnis marmoreis tanto sudore madentibus, ut aqua esse respersa a nescientibus crederentur. (1023.) Henricus imperator, et Robertus rex Francorum super Carum fluvium apud Evosium conveniunt, de statu Ecclesiæ, et regni, et imperii tractaturi : et condicto, ut super his confirmandis etiam papam Romanum simul ambo Papiæ opportune convenirent; imperator regem et suos, multos etiam, qui tantum ad demirandam imperatoriam majestatem convenerant, tanta liberalitate donavit, ut opibus regum Persarum aut Arabum posset comparari regis munificentia.

1024. In Pascha eclipsis solis facta est. Joannes Portuensis episcopus, frater Stephani nuper defuncti, fit papa centesimus quadragesimus nonus, ut vult Sigebertus. Sed mirandum est, cujus Stephani papæ nuper defuncti frater iste fuerit; cum inter Benedictum præcedentem et istum sequentem nullus Stephanus, imo nullus alius papa ponatur. Magister Hugo in chronicis suis sic dicit: Anno Domini 1024 sedit Joannes XIX papa centesimus quinquagesimus, annis 9, et mens. 9. Sigebert. Rogerius inclytus Belvacensis episcopus obiit: qui inter alia beneficia dedit ecclesiæ S. Petri, cui præsidebat, Abacum in Normannia, et Monciacum in Vermandensi patria; comitatum quoque ejusdem urbis ab Odone Campaniensi comite impetravit, dato ei pro commercio castro Sincratio in Bituricensi territorio sito, quod sibi jure matrimonii competebat. Henricus imperator moritur, delegans regem post se futurum Conradum virum regii generis et egregiæ libertatis et liberalitatis; qui nunquam se submiserat alicujus servituti. Cono dux præpotens cum ad imperium aspirare vellet, repudiatur instinctu Abbonis Maguntini episcopi, et aliquorum regni primatum: et Conradus ad imperium sublimatus imperat annos 15.

1025. Joanni papæ Stephanus frater suus apparens dixit se infernalibus pœnis cruciari; sed sperare se interventu Odilonis abbatis Cluniaci veniam posse consequi. Pro quo Odilo tandiu orando laboravit, donec illi revelaretur se pro illo esse exauditum. Reginaudus fit Leodicensium episcopus, qui Leodii in monte publico instituit cœnobium Sancti Laurentii, eique Stephanum abbatem præfecit.

1026. Robertus rex Francorum ad invadendam Lotharingiam animum intendit, sed cito ab hoc conatu desistit. Gantelone duce, qui propter privatum odium gravabat regnum Conradi, et aliis principibus ad pacis unitatem adductis, regi prosperitas et regno accrevit utilitas.

1027. Conradus rex filium suum adhuc puerum Henricum in regnum sublimat Aquis. Ipse autem in Pascha in imperatorem consecratus, quorumdam Italorum contra se sævientium motus compescit. Florebant hoc tempore abbates, Odilo Cluniacensis pietate insignis, Guillelmus Divionensis severitate reverendus, Richardus Virdunensis pia gravitate, et gravi pietate discretus, Popo Stabulacensis, Elias Coloniensis, Albertus et Stephanus Leodicenses, Berno Augiensis.

1028. Claruit etiam hoc tempore Guido Aretinus, magni inter musicos nominis: in hoc etiam philosophis præferendus, quod ignotos cantus etiam pueri facilius discunt per ejus regulam, quam per vocem magistri, aut per usum alicujus instrumenti: dum sex litteris vel syllabis modulatim appositis ad sex voces quas solas regulariter musica recipit hisque vocibus per flexuras digitorum læva

A manus distinctis per integrum diapason se oculis et auribus ingerunt intentæ et remissæ elevationes, vel depositiones earumdem sex vocum.

1029. Conradus imperator rebellantibus Sclavis ad eos debellandos proficiscitur, et eodem anno similiter contra Hungaros rebellantes.

1030. Guillelmus, Cinito rex Angliæ Romam profectus, navigio in Angliam rediit: et mox Malcholinum regem Scotorum rebellantem subegit. Erat tunc in Anglia vir sapientissimus Egelnotus archiepiscopus Cantuariensis, secundus post Livingum, post Elfegum martyrem ex decano assumptus in episcopum; qui sanctum Elfegum a Londonia revexit Cantuariam. Qui Roma rediens, apud Papiam brachium sancti Augustini doctoris magni
B 100 talentis argenti, et talento auri comparatum, apud Conventuriam misit. Hujus etiam monitu rex Cinito ad transmarinas Ecclesias pecunias misit: et maxime ad Ecclesiam Carnotensem, ubi tunc florebat Fulbertus episcopus, sanctitate et philosophia nominatissimus: qui fundamenta Ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis fecit: et eamdem perfecit miro lapideo tabulatu: qui etiam ab eadem Dei Genitrice in infirmitate sua visitatus fuisse dicitur, et de ejus lacte sanctissimo recreatus. Hic enim multo amore et felicissimo in honorem beatæ Virginis Dei Genitricis exarsit: quod ostendunt cantus de ea, quos ille edidit cœlestia vota sonantes. Inter cætera ejus opuscula exstat Epistolarum volumen; in quarum
C una gratias agit Cinitoni, quod largitatis suæ viscera in expensis Ecclesiæ Carnotensis effuderit. Hujus Cinitonis an. 15, mortuus est Robertus rex Francorum Hugonis filius; vir eleemosynis deditus, adeo ut festis diebus cum exueret se vel indueret vestibus regiis, si non aliud ad manum haberet, ipsas vestes pauperibus distribueret: nisi ex industria vestiarii egenos importune petentes arcerent. Hic duos filios habuit, Odonem et Henricum. Odo major natu hebes erat; minor astutus et vehemens. Pater majorem, minorem mater fovebat; quæ nummis et pollicitis ingentibus, sicut sunt feminæ in incœpto pertinaces, omnes duces Francorum in sua vota traduxit. Qui coronatus est, maxime annitente Roberto Normanno, priusquam
D plene pater exspiraret. Cujus beneficiis obnixus idem Henricus, Guillelmum filium Roberti puerulum, cum pater suus Jerosolymam iret, contra desertores obnixissime juvit. Qui Henricus regnavit an. 30, Cinito autem rex Sceptoniæ defunctus, Winthoniæ sepultus est. Sigebertus. Hoc tempore jussu Conradi imperatoris regali et synodali conventu apud Triburias habito, inter cætera episcopi hoc capitulum decernere voluerunt: Ut si quando jejunium primi mensis eveniret infra hebdomadam, qua caput jejunii in 4 feria constat, amborum jejuniorum celebritas officii expletione compleretur. Sed Girardus Cameracensis, et pauci cum eo huic multorum decreto contradicentes, obtinuerunt, ut jejunium primi mensis in altera hebdoma-

da in qua habetur officium, secundum antiquam consuetudinem celebretur.

1031. Sanctus Bardo fit Maguntinus episcopus. Robertus et Richardus minuendæ domo multitudinis causa hoc tempore a Normannia Francorum digressi Apuliam expetunt; et Italis inter se dissidentibus, dum alteri contra alterum auxilium præstant, hac opportunitate Italos callide et fortiter debellant, et successus suos urgendo nomen suum dilatant, et futuræ prosperitatis sibi viam parant, eclipsis solis facta est circa meridiem III Kalendas Julii.

1032. Istiusmodi decretum ab episcopis Franciæ datum est subjectis sibi populis servari. Unus eorum dixit, cœlitus sibi delatas litteras, quæ pacem monerent renovandam in terra: quam rem mandavit cæteris, et hæc tradenda populis dedit. Arma quisquam non ferret, direpta non repeteret: sui sanguinis vel cujuslibet proximi ultor minime existens, percussoribus cogeretur indulgere, jejunium in pace et aqua omni feria sexta servarent, sabbato a carne et liquamine abstinerent, soloque hoc contenti jejunio, in omnium peccatorum remissionem nullam sibi aliam scirent adjiciendam pœnitentiam: et hoc se servare sacramento firmarent. Quod qui nollet facere, christianitate privaretur, et exeuntem de sæculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Alia quoque importabilia quamplurima dedere præcepta, quæ oneri sunt replicare. Hanc mandatorum novitatem cum multi cupidi novarum rerum libentius justo amplecterentur, Girardus Cameracensis episcopus, qui solus Lothariensium appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc suscipienda. Sed singula capitula refellebat dicens, genus hominum ab initio trifariam esse divisum, in oratoribus, propugnatoribus, agricultoribus. Ut unum duorum, et duos unius egere auxilio. Ideo debere arma ferri, et rapinas reddi; per auctoritatem legis et gratiæ ultorem percussi vel occisi non exacerbari cogendo, sed sanctum Evangelium ei reconciliari. Jejunium in 6 vel 7 feria, nec omnibus unum esse imponendum; quia non est una omnium possibilitas: nec omnes hoc uno jejunio contentos esse debere, quia non est una omnium pœnitendi necessitas. Hæc autem sacramento firmare, vel sacramenti violationem perjurio augere, non esse utile. His contradicentes excommunicari, infirmis visitationes, vel mortuis sepulturam negari, aperte contra Evangelium esse, et omnino detestabile: sufficere authentica Patrum decreta: et super his neglectis impositum congruenter pœnitentiæ modum. Benedictus IX sedit papa centesimus quinquagesimus unus annis 14. Frederico duce Mosellanorum mortuo, quia mares filia non habebat, quibus ducatus competeret, Gothelo dux impetrato ab imperatore etiam Mosellanorum ducatu, potentius in Lotharingia principatur.

Burgundionibus non desistentibus a consueta A contra regem suum insolentia, rex Rodulphus regnum Burgundiæ Conrado imperatori tradit; qui a tempore Arnulfi imperatoris per annos plusquam 130 gentis suæ reges habuerant; et ita Burgundia iterum redacta est in provinciam. Guillelmus. Post Cinitouem filius ejus secundum famam ex filia Esfelmi comitis, regnavit annis 4, et mensibus 4, qui confirmatus in regno novercam exsiliavit. Quæ in Flandriam transiit ad Balduinum comitem; post Arnoldum vero regnavit Handenuclus biennio, decem dies minus. Spiritum misit inter pocula apud Lamundum juxta Blindavam. Wintone juxta Patrem sepultus est, Haroldi cadaver defossum capite truncari fecit, et in Tamensem projici. Quod a quodam piscatore captum in sagena, Lundoniæ tumulatum B est. Tributum inexorabile et importabile Angliæ imposuit. Primogenitus Egelredi Elfredus inter mortem Eroldi et exspectationem hujus Hardenucti, regnum, ut fertur, ingressus, compatriatarum perfidia, et maxime Godwini, luminibus orbatus, est apud Giblinghebam. Inde ad Eliense cœnobium directus, miseram vitam pauco tempore pane cibario sustentavit, omnibus comitibus, præter Decimes decapitatis. Hac de causa Hardenuctus Hungo Ernuditunensi episcopo infensus, cujus consilio hoc factum dicebatur, illum episcopatu expulit, sed post annum mercede corruptus restituit. Godwinus quoque coactus est sacramentum purgationis afferre: qui etiam post sacramentum dedit ei pro munere ratem auro rostratam habentem 80 milites qui C habebant in singulis brachiis armillas duas, unamquamque sexdecim unciarum auri et in capitibus cassides deauratas, et securim Danicam in humero sinistro, et hastile ferreum in dextera manu.

1034. Odo Campaniensis regnum Radulphi regis avunculi sui a Conrado imperatore nepote suo repetens, ut sub eo regat Burgundiam efflagitat. Henricus rex Conradi filius uxorem ducit filiam regis Anglorum.

1035. Guillelmus. Hardenuctus rex sororem suam Gunhildam Tinitonis ex Emma filiam Henrico Conradi filio misit; quæ ad navem ducta est stipantibus omnibus Angliæ proceribus, et in expensas multa conferentibus; quæ ad sponsum perveniens, multo tempore cum eo fuit; tandem D adulterii accusata, puerulum quemdam sui alumnum, quem secum ex Anglia duxerat, contra delatorem giganteæ molis hominem ad monomachiam opposuit, cæteris clientibus timore refugientibus. Concerto duello insimulator per miraculum Dei succiso poplite enervatus est. Gunildis autem post victoriam viro suo repudium dedit; et nec nimis nec blanditiis cum eo manere ulterius consensit; sed sanctimonialis habitum sumens, in servitio Dei permansit.

Sigebertus. Odo contra imperatorem rebellans Lotharingiam incursat, castella oppugnat; urbem Leucorum, quæ Tullus dicitur, obsidet, et in nullo temperat furori suo.

1036. Odo Barrum castrum obsidet et capit. Gothelo autem dux ægre ferens insolentiam Francorum, cum Lotharingis occurrit Odoni, et conserto prælio apud Barrum, Odo perimitur, et Francorum exercitus gravi cæde attritus a Lotharingia fugere compellitur.

1037. Northmanni in Apulia copiis suis paulatim adductis, ad invadendam Apuliam fortitudine sua et Italorum imbecillitate animati, castellis et urbibus aut vi aut dolo captis, in Apulia potenter agunt, vicinisque gentibus terrorem sui nominis incutiunt. Henricus Lovaniensis comes domi suæ perimitur a captivo Hermanno : cui succedit filius suus Otho; cui immatura morte perempto successit patruus ejus Baldricus, qui et Lambertus.

1038. In mense Aprili octavo Idus ejusdem mensis, visa est in cœlo inter australem et orientalem plagam ignea trabs miræ magnitudinis ; quæ currens super solem jam ad occasum vergentem, visa est in terram cadere: cujus vestigia diu videri potuerunt.

1039. Conradus imperator Italiam abit, ut rebellionem meditantes debellet; et quia omnes Longobardi conjuraverant, ut non paterentur quemlibet dominum, qui aliud vellet quam ipsi, et qui aliud quam ipsi vellent, ageret contra se; quosdam episcopos in vincula conjecit; et quia episcopus Mediolanensis fuga lapsus est, imperator suburbia Mediolani incendit; die vero Pentecostes cum imperator in parva ecclesia secus urbem coronaretur ad missam, tam gravia fuerunt tonitrua et fulgura, ut aliqui mente excederent; aliqui etiam spiritum exhalarent. Bruno vero episcopus, qui missam canebat, et secretarius imperatoris, cum aliis tribus, dixerunt se inter missarum solemnia vidisse sanctum Ambrosium imperatori comminantem. Tunc imperator Italia discessit. Pridie Idus Maii ecclipsis solis fuit, et pridie Nonas Junii imperator obiit. Post quem Henricus filius ejus imperavit annis 17 secundum Guillelmum 18.

1040. Hic Henricus Vindelicos subegit, populos Suevis conterminos : qui Vindelici, ut ait Guillelmus, usque hodie Fortunam adorant; cujus idolum in loco nominatissimo ponentes, cornu dexteræ illius apponunt plenum potu illo, quem ex aqua et melle confectum hydromellum vocant. Idem fecisse Ægyptios, et omnes pene Orientales populos, affirmat sanctus Hieronymus super Isaiam. Unde ultimo die Novembris mensis sedentes in commune prægustant, et si cornu plenum invenerint, magno strepitu applaudunt; qui eis scilicet in futuro anno pleno cornu copia responsura sit in omnibus: si contra sit, gemunt. Hos populos Henricus tributarios fecit, ita ut omnibus solemnitatibus qui us coronabatur, quatuor reges eorum lebetem, quo carnes condiebantur in humeris suis duobus vectibus per annulos 4, inductis ad coquinam vectitarent. Idem Henricus jucundus et hilaris erat. Habebat sororem sanctimonialem, quæ dum hieme quadam, quæ nivibus et pruinis inhorruerat, uno in loco diu detineretur, clericus quidam curialis. familiarior justo puellæ crebras in cubiculo ejus protelabat vigilias; et quoniam difficile est, crimen non prodere vultu, advertit hoc aliquis, et jam rem vulgo ventilante, solus imperator non credebat. Quadam nocte dum diutius simul dormirent usque in mane, ecce nix totam terram operuerat. Tunc clericus, qui se deprehendendum in nive per vestigia timeret, persuasit amicæ, ut dorso illius impositus angustias illas evaderet; quæ a tergo levans amisium extra curiam extulit; et forte tunc imperator mictum surrexerat, et vidit eos per fenestram. Postea evenit occasio, ut episcopatum vacantem daret clerico, ita ei insusurrans : «Accipe episcopatum hunc, et vide ne ulterius inequites mulieres.» Similiter dans abbatiam germanæ : «Esto, ait, abbatissa, et ultra non patiaris clericum equitem » Confusi illi a flagitio destituerunt. Idem imperator habebat clericum satis litteratum, et bonæ vocis, sed vilem meretriculam ardentius amantem, cum qua nocte quadam solemni volutatus, mane ad missam imperatoris astabat. Imperator dissimulata scientia mandat ei, ut se ad Evangelium legendum pararet, quod scilicet ejus melodia delectaretur; erat enim diaconus. Abnuit ille, ut male sibi conscius; urget imperator, ut probaret ejus constantiam; ad extremum parere recusantem jubet a patria exsulare. Quam sententiam amplexus continuo recessit. Mittitur post eum, qui jam compilatis omnibus, et in sarcinulam compositis, iter maturaverat. Qui lætum subridens: Probe, inquit, fecisti, et ego gratulor probitati tuæ, qui timorem Dei pluris pendis quam patriam, plus iram Dei quam meam. Quapropter habeto episcopatum, qui primus in imperio vacaverit, tantum indecenti amori renunties.

Idem Henricus celebrabat Pentecosten apud Maguntiam. Paulo ante missam cum sedilia pararentur, in ecclesia ortum est jurgium inter cubicularios archiepiscopi et abbatis Fuldensis cœnobii, utrorum dominus juxta imperatorem sederet. Nam Fuldense cœnobium in Saxonia sancti Galli corpore insigne, et prædiis ditatum est permagnificis; cujus loci abbas sexaginta millia armatorum præbet in hostem imperatori; et habet ex antiquo privilegium, ut in magnis festivitatibus ad dexteram ejus sedeat. Itaque ventum est ad pugnam, furoreque per ecclesiam grassante pavimentum sanguine inundavit: sed statim episcopis convolantibus pace inter reliquos dissidentes statuta, templum purgatum, et missa festivis clamoribus acta. Sequentia autem percantata, et ultimo ejus versu dicto: *Hunc diem gloriosum fecisti*, vox ab aere lapsa est : *Hunc diem bellicosum ego feci.* Rigentibus omnibus præ timore, imperator diligenter intendens lætitiam inimici, «Tu, inquit, omnis malitiæ inventor simul et incentor, diem bellicosum et arrogantibus luctuosum fecisti; sed nos, per Dei gratiam, qui illum glorio-

sum fecit, pauperibus gratiosum reddemus, » et mox reincepta sequentia solemni ploratu Spiritus sancti gratiam invitabat, intelligens illum adventasse illis plorantibus, illis cantantibus, omnibus simul pectora tundentibus. Finita missa, egenis per præcones clamatis, omnes dapes quæ sibi et curialibus dabantur, in usus eorum exhausit, ipse obsonia apponens, ipse juxta disciplinam ministrorum de longe consistens; ipse superflua ciborum abstergens. Idem Henricus tempore Conradi patris sui a quodam clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludentes aquam jaculantur, pactus ei episcopatum, cum foret imperator. Adultus repetenti pollicitum impigre dedit. Non multo post aspero morbo correptus decubuit, et morbo crescente triduo exsensis et mutus jacuit. Episcopi præsentes triduano indicto jejunio pro vita ejus Domino supplicabant. Convalescens accitum episcopum, quem pro fistula fecerat, sententia concilii deposuit; professus se toto illo triduo dæmones infestos sibi vidisse, flammam in se per fistulam jaculantes; flammam dico adeo pertinacem, ut noster ignis respectu illius jocus putetur: interim vero juvenem semiustulatum adventasse, ferentem calicem aureum immensæ magnitudinis, aqua plenum; cujus visione et laticis aspergine exstinctos ardores evaserat. Hic erat beatus Laurentius martyr gloriosus, cujus ecclesiæ tectum longa carie dissolutum compaginari fecerat, et præter alia munera calice aureo eamdem ecclesiam honoraverat. Eumdem Henricum aliquando inimicos fugitantem cerva quædam ultra invadabilem fluvium evexit. SIGEBERTUS. Henricus imperator vadit ad debellandum Odelricum ducem Bohemanorum, sed Bohemanis viriliter resistentibus inefficax redit.

1041. Henricus imperator per orationes sanctorum virorum auxilio Dei sibi procurato superioris anni infortunium ultus, Odelricum ducem Bohemiæ superat.

1042. Bello intestino inter Hungaros moto, Petrus rex ab eis depulsus regno, auxilium ab imperatore Henrico petit; qui propter eum Hungariam devastat. Gualtho ex clerico Sancti Lamberti, vir spiritu sapientiæ et scientiæ et fervore religionis insignitus, fit Leodiensis episcopus.

GUILLELMUS. Hoc anno regnare incepit Edwardus Egelredi filius, qui regnavit annis fere viginti quatuor. Hic adeo mansuetus fuit, ut nec viles homines verbo lædere nosset; et tamen erat ei apud domesticos reverentia vehemens, apud exteros metus ingens. Nam fovebat ejus simplicitatem Deus ut posset timeri, qui nesciret irasci. Die sancto Paschæ apud Londoniam magna pompa coronatus est ab Edisio archiepiscopo. Egitham filiam Godwini duxit uxorem; in quam omnes pene liberales artes confluxerant; quæ vivo et mortuo marito probri suspicione non caruit; sed moriens tempore Guillelmi ultro jurejurando de integritate satisfecit. Rex ita eam tractavit, ut nec toro amoveret, nec virili more cognosceret. Godwinus iste aliquando sedens ad mensam juxta regem orto sermone de Effredo fratre regis: « Tu, inquit, o rex, ad omnem memoriam fratris tui rugato, ut video, vultu me aspicis. Sed nec patiatur Deus, ut istam offam transglutiam, si fui conscius alicujus rei, quæ spectat ad ejus periculum, vel tuum incommodum. » Hoc dicto, offa quam in os miserat suffocatus, oculos invertit ad mortem. Inde ab ipso filio ejus Aroldo, qui regi astabat, sub mensa abstractus est. Hic Godwinus habuit prius uxorem sororem Cnutonis, ex qua puerum genuit; qui dum equo puerili jactanter superbiret, ab eodem portatus in Tamensem fluvium, suffocatus interiit. Mater quoque ejus ictu fulminis exanimata est. Hæc dicebatur agmina mancipiorum in Anglia coempta Danemarchiam solere mittere, maxime puellas pulchras. Iste rex Edwardus miraculis et prophetiæ spiritu claruit. Pauperibus hospitibusque, maxime transmarinis, benignus et munificus. Die sancto Paschæ sedens ad mensam apud Westmonasterium diademate coronatus, et optimatum turba vallatus, cæteris avidius comedentibus, avocato a terrenis animo divinum quiddam speculatus, effusus est in risum. Remotis mensis ejus optimates cum prosecuti sciscitantur cur riserit. Cunctatus multum diuque, respondit: « Septem dormientes in monte Cœlio requiescunt, et jam 200 annis in dextero tacentes latere, nunc in ipsa hora risus mei latus inverterunt sinistrum, futurumque est, ut 74 annis ita jaceant, dirum nimis miseris mortalibus omen. Nam in his 74 annis omnia ventura sunt, quæ Dominus circa finem mundi prædixit ventura: gentem contra gentem surrecturam, et regnum adversus regnum, et terræmotus, et pestilentiam, et famem, et terrores de cœlo, gentilium in Christianos bella, Christianorum in eosdem victorias. » Talia mirantibus inculcans, septem dormientium passionem, et habitudines singulorum, quod nulla docet littera, ita eis disseruit, ac si quotidie cum eis victitaret. Erant autem ejus optimates, qui eum sciscitabantur, Aroldus et abbas unus et episcopus unus. His auditis, comes Aroldus misit ad inquirendam veritatem militem unum, abbas monachum, episcopus clericum, ad imperatorem Constantinopolitanum; adjectis regis sui litteris et muneribus. Quos ille secum benigne habitos ad episcopatum Ephesi destinavit, epistola, quam sacram vocant, comitante, ut ostenderentur legatis regis Angliæ septem dormientium corpora. Factumque est secundum prophetiam Edwardi regis. Nam Græci omnes tunc jurarunt se accepisse a patribus, illos septem super dextrum latus quiescere; sed post introitum Anglorum in speluncam super sinistrum eos invenisse. Nec mora omnia illa secuta sunt, quæ prædixerat. Agareni enim, Arabes et Turci, Syriam et Lyciam, et Minorem Asiam, et majores multas urbes, inter quas Ephesum et Jerosolymam, depopulati sunt. Septem annis postea proximis tres papæ, id

est Victor, Stephanus et Nicolaus mortui sunt. A Apud Constantinopolim Constantinus monachus imperat. 1043. Magister Hugo in Chronicis, post Basilium et Constantinum fratres, quos superius prænominaverat, ponit Constantinum fratrem Basilii solum: post hunc Romanum generum ejus; cum uxore Zoe, deinde Michaelem Etheriarchum cum Zoe, deinde Michaelem Archontopantui cum Zoe, deinde istum Constantinum monachum cum Zoe, sed non ponit annos illorum. Henricus imperator iterum Hungariam ingressus cum paucis, Albonem regem bello fugavit, et lanceam insignem regis recepit. Petrum vero, quem Alba expulerat, Hungarorum regno restituit, et Hungariam sibi tributariam fecit.

1044. Fames valida Galliam et Germaniam vexat. B Obiit dux Gothelo, cujus filius Godefridus, dum ei ducatus Mosellanorum denegatur, altero ducatu repudiato, contra imperatorem rebellat.

1045. Godefridus hortatu quorumdam fidelium ad recuperandam imperatoris gratiam adductus, ab imperatore capitur, et custodiæ mancipatur: sed filium suum dans obsidem, relaxatur; quo defuncto in obsidatu, iterum rebellat. Benedictus, qui Simoniace papatum Romanum invaserat, cum esset rudis litterarum, alterum ad vices ecclesiastici officii exsequendas fecit papam Silvestrum consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius superducitur Gregorius, qui duorum vices solus impleret.

Magister Hugo. Silvester III sedit papa centesimus quinquagesimus secundus diebus quinquaginta C sex post quem Gregorius VI sedit papa centesimus quinquagesimus tertius, annis duobus. Iste Benedictus IX, ut ait Petrus Damianus, nepos fuit superioris Benedicti VIII, et dictus est Benedictus minor, respectu illius majoris; de quo majore Benedicto idem Petrus Damianus sic refert: «Episcopus, inquit, quidam Capuanus vidit Benedictum majorem papam nigro quasi corporaliter equo insidentem. Heu, inquit, nonne tu es papa Benedictus, quem jam defunctum novimus? «Ego sum, inquit, infelix ipse. — Quomodo, inquit, est tibi, Pater? — Graviter, inquit, torqueor; sed de Dei misericordia non despero, si mihi adjutorium præbeatur. Sed perge ad fratrem meum Joannem, qui D nunc apostolicam sedem occupat, eique de mea parte dic, ut illam potissime summam quæ in tali theca reposita est, pro me in pauperes distribuat, sicque me redimendum esse. Quandocunque tamen hoc miseratio divina decreverit, cognoscat. Nam cætera quæ pro me indigentibus tradita sunt, nil mihi penitus profuerunt; quia de rapinis et injustitiis acquisita sunt.» His auditis, episcopus Romam impigre adiit, et Joanni papæ fratris verba narravit; et episcopatum mox deseruit, et monachum induit. Ejusdem vero Benedicti nepos Benedictus, qui post eum tertius, Joanni vero papæ II in papatu successit, ut Humbertus archiepiscopus mihi narravit, apparuit cuidam Vasso juxta molendinum equo insidenti, et iter agenti. Apparuit autem in speciem monstruosi animalis, cujus aures et cauda asini erant, cætera ursi. Cumque Vassus tremefactus fugam iniret, clamavit monstrum illud: «Noli, o vir, expavescere; scito me hominem fuisse, sicut tu es. Sed quia bestialiter vixi, post mortem præsentem bestiæ speciem indui.» Ad quem Vassus: «Quisnam fuisti? — Ego, ait, solo nomine Benedictus fui; qui nuper apostolicam sedem indignus obtinui.» Ad quem ille: «Quid habes retributionis? — Nunc, inquit, usque ad diem judicii per dumosa et squalentia et sulfurea loca et fetida et bullientia raptor et pertrahor: post extremum vero judicium corpus meum simul animam irremediabilis cruciatus et irrevocabilis olla gehennalis barathri me deglutiet; ita ut mihi nulla spes inposterum recuperationis restet.» Post hæc verba disparuit. Fuerat autem ab ipso pontificatus exordio usque ad finem vitæ in cœno luxuriæ conversatus, et ideo ab auribus asini in caudam desinebat; duxerat autem per totum vitam carnalem, ideo cætera ursus erat. O quam melius illi fuerat, ut episcopatum deseruisset! Post hunc Benedictum sedit Silvester triginta sex, ut supra dictum est, diebus quinquaginta quinque. Post quem Gregorius VI ante dictus Gratianus, magnæ religionis et sanctitatis vir, de quo Guillemus hoc modo refert: Is ita Romani apostolatus statum per inertiam antecessorum diminutum invenit, ut præter pauca oppida urbi vicina, et oblationes fidelium, nihil haberet, quo se sustentaret. Civitates et possessiones in longinquo positæ, quæ ad jus Ecclesiæ pertinebant a prædonibus ablatæ erant: tramites publici et strata viarum per totam Italiam a latronibus stipabantur, ut nullus peregrinus nisi cum majori manu impune transiret. Cessatum est ab omni provincia Romam iter aggredi. In ipsa Urbe in medio foro vagabantur sicarii. Apostoli ecclesiam videre cupiens in sicarios incidens, nullo modo sine substantiæ vel salutis damno domum revertebatur.

Super ipsa sanctorum apostolorum et martyrum corpora, super sacra altaria gladii nudabantur. Oblationes accedentium vixdum appositæ de manibus abripiebantur, abreptæ in comessationes et scortorum abusiones insumebantur. Tantis malis Gregorius primo leniter, et ut pontificem decet, occurrere cœpit, amore plusquam terrore; verbis, plusquam verberibus agens. Mandat urbanis, ut a peregrinorum infestatione cessarent, et a rapina sacrorum. Alterum enim est contra naturam, ut ille qui communi vescitur aere, non communi fruatur pace: et Christianus inter Christianos libere progredi debet: dum omnes sint ex uno famulitio, et omnes unius sanguinis conjuncti coagulo, redempti pretio. Alterum vero contra præcepta Dei qui præcepit, ut qui altari deserviunt, de altari vivant (*I Cor.* IX). Domum Dei debere esse domum orationis, non speluncam latronum (*Matth.* XXI), non gladiatorum conventiculum. Permitterent oblatio-

nes fidelium in usus transire sacerdotum, vel in expensas pauperum; se aliquo modo provisurum illis, quos egestas ad rapinas compellebat. Quos autem cupiditas exagitabat, ipsi sibi pro timore Dei, et sæculi honestate modum ponerent. Invasores ecclesiastici patrimonii mandatis et epistolis invitavit, ut aut indebita redderent, aut se jure illa tenere in senatu Romano probarent. Si neutrum facere vellent, Ecclesiæ membra se non esse cognoscerent. Talia frequenter concionatus, aut nihil, aut parum profecit. Tunc excommunicavit omnes, qui aut talia agerent, aut agentibus convivio vel colloquio participarent. Illi autem excommunicati contra furere, minis aures territare, muro urbis armis circumsonare, adeo ut pene papam occiderent. Tunc papa ferro abscissionis utendum judicans, arma et equos undecunque conquisivit, milites et equites adornavit. Ac primum ecclesiam B. Petri præoccupans, raptores oblationum vel exstinxit, vel effugavit. Occisis itaque sibi resistentibus, prædia et oppida multo tempore amissa in antiquum jus restituit. Quirites interea rapto vivere assueti, sanguinarium illum vocabant, et indignum, qui Deo offerret, tot cædium conscius. Ipsi etiam cardinales hæc dicebant: adeo ut, cum ille valetudine, qua defunctus est, decumberet, consilio prius inter se habito, auderent eum admonere, ne se in ecclesia S. Petri cum cæteris apostolicis tumulari præciperet, qui tot hominum mortibus officium fœdasset.

Tunc ille, recollecto spiritu, torvisque luminibus minax, hanc orationem habuit: « Si in vobis vel scintillula humanæ rationis, vel scientia divinæ auctoritatis esse, tam præcipiti suasione non conveniretis pontificem vestrum. Qui quantum vixi, et patrimonium meum in vestra commoda effudi, et famam mundi pro vestra liberatione neglexi: et si alii hæc quæ proscinditis attexerent, par erat, vos obsistere; opiniones stultorum melioribus interpretationibus lenientes. Cui, quæso, thesaurizavi? Forsitan mihi. At thesauros antecessorum meorum habebam, qui cujuslibet avaritiæ sufficerent. Quibus salutem, quibus libertatem restitui? Referretis quidem mihi. At adorabar a populo, et libere quæ volebam actitabam; applaudebatur mihi totis orationibus, acclamabatur in laudes meas totis diebus. Has laudes, hos plausus abstulit mihi vestræ tenuitatis contuitus; ad vos flexi animum, et severius agendum existimavi; fortunarum vestrarum loculos prædo impius baligurriebat. Vos inopem vitam diurno pane agebatis; ille de oblationibus vestris pretiosa sibi serica mercabatur; vos populari et dissuto amictu occultos movebatis jocos. Itaque cum hæc nequirem pati, bellum aliis indixi, ut damno civium emerem gloriam clericorum. Sed, ut modo experior, in ingratos collata beneficia perdidi. Quod alii per angulos mussitant, vos in publico evomitis; et libertatem quidem probo, sed pietatem requiro. Morientem patrem filii de sepultura sua exagitant. Communem mortalium domum mihi negabitis? Non arcetur ab introitu ecclesiæ meretricula: non usurarius, non latro; et vos papam ingredi prohibebitis? Quid refert, an mortuus, an vivus sacrarium intueat, nisi quod vivus multis adhuc tentatur illecebris, ut nec in Ecclesia a macula sit immunis; ibi sæpe peccandi reperiens materiam, ubi venerat diluere culpam. Mortuus peccare nescit, imo nequit, supremo carens viatico. Quam immanis igitur barbaries est, ut hunc a domo Dei excludas, cui peccandi desit et voluntas et facultas! Quapropter, filii, tam præruptæ audaciæ pœnitentiam agite. Stulte enim et amare locuti estis. Sed ne sola me niti auctoritate putetis, et rationem accipite. Omnis actus hominis secundum cordis intentionem debet examinari; ut eo vergat facti judicium, unde processit faciendi consilium. Ut enim Veritas dicit: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam, totum corpus tuum erit tenebrosum* (*Matth.* VI). Crebro miserabilis interpellavit egenus, ut ejus levarem inopiam. Ego futurorum nescius non abnui, sed diversis monetis onustum dimisi; discedens ille latronem offendit, qui videns eum nummos portantem, clava quam ferebat percussum occidit. Nunquid inde judicandus sum, qui peregrino dederim, unde causam mortis incurrit? In legibus ecclesiasticis et forensibus idem factum diverso respectu et punitur et laudatur. Animadvertitur in latronem, qui hominem occidit in occulto; probatur in milite, quod fuderit hostem in bello. Itaque homicidium in isto laudabile, in illo vituperabile. Laudatus est olim prædecessor noster, Adrianus I, prædicandæ memoriæ, quod investituras ecclesiarum Carolo Magno concessit; ita ut nullus electus consecraretur ab episcopo, nisi prius a rege insigniretur baculo et annulo. Erat enim animus Caroli invictus adversus avaritiam: nec facile tunc invenisset aditum aliquis, nisi intrasset per ostium. Præterea per tot terrarum interstitia nequibat requiri sedes apostolica, ut unicuique electo assensum suum commodaret, dum esset prope rex qui nil per avaritiam disponeret. Nunc omnia regum palatia luxus et ambitus occupavit; quare merito sponsa Christi libertatem suam asseverat, ne illum tyrannus ambitioso usurpatori prostituat; laudaturque in nostri sæculi pontificibus, quod has donationes tulerint principibus. Certe non est episcopi officium, ut ipse jubeat committi prælium. Cæterum spectat ad munus episcopi, ut si naufragium innocentiæ videat, et manu et lingua occurrat. Ezechiel sacerdotes accusat, quod non steterint ex adverso, non se opposuerint murum vel clypeum pro domo Israel. Duæ sunt personæ in Ecclesia ad resecanda vitia constitutæ; una quæ exacuat eloquium, altera quæ præstet gladium. Ego, ut vos mihi testes estis, non neglexi partes meas. Quoad speravi proficere, armavi linguam; illum cujus interest rem agere gladio, certificavi nuntio. Occupatum se rescripsit bello Vindelicorum,

rogans ut meis laboribus, et suis expensis non gravarer latronum conciliabula deturbare. Si renuissem, quam excusationem Deo afferrem, cum imperator suas in me refudisset partes? Viderem cædem civium, damnum peregrinorum, et dormitarem? Quisquis parcit latroni, occidit innocentem. Sed objicitur, non esse sacerdotis, ut se cæde cujusquam commaculet. Verum est: sed non se inquinat, qui sontem premens, insontem liberat. Imo vero *beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore* (*Psal.* CV). Sacerdotes fuerunt amplissima laude famosi Phinees et Matathias; qui ambo in delinquentes manu sua ulti sunt. Alter amplexus venereos pugione confodit; alter idolis immolantem immolatitio cruori commiscuit. Zacharias sacerdos thurificantem regem expulit; et procul dubio non dubitasset occidere, nisi Deus illum accelerasset cædere, prævenit eamdem manum plaga divina, ut illius cadaver depasceret lepra, cujus animus usurpasset illicita. Deturbatur regis devotio; et non deturbabitur latronis cupido? Parum est quod excuso; etiam laudandum est, quod feci. Contuli enim illis beneficium, quibus videor intulisse exitium. Pœnam minui, dum mortem acceleravi. Sceleratus enim quanto plus vixerit, tanto plus peccabit, nisi forte sit aliquis, quem Deus exemplo singulari respexerit. Mors in commune bona est omnibus; per eam justus reponitur in cœlestibus, injustus ferias ponit sceleribus. Malus per eam dat flagitiis terminum, bonus pertendit ad bravium. Sanctus propinquat ad palmam, peccator spectat ad veniam, quia figit flagitiis metam. Gratiæ mihi habendæ sunt illorum vice, qui tantis miseriis exempti sunt meo munere. Hæc habui, quæ pro me dicerem, ut vestras assertiones evacuarem. Sed quoniam meæ et vestræ comminationes falli possunt, committamus nos divino examini. Corpus meum antecessorum more compositum ante januas ecclesiæ sistite; januæ seris et repagulis damnentur. Si Deus voluerit ut ingrediar, applaudatis miraculo; sin minus, de cadavere meo faciatis quidquid vobis placuerit. Sic factum est. » Mox enim ut corpus ejus ante portas ecclesiæ seris occlusas positum est, turbo ingens divinitus emissus repagula et obstacula dirupit, et ipsas valvas vehementi impetu patefactas ad parietem cum magno fragore impulit.

Eodem tempore mulier apud Bertheleriam Angliæ villam auguratrix et malefica, cum quadam die comminaretur cornicula quam habebat in deliciis, vocalius solito nescio quid comminata est. Quo audito, dominæ cultellus de manu excidit, simul et vultus expalluit, et ingemiscens diutissime ait: « Hodie ad ultimum sulcum pervenit aratrum meum; hodie audiam et accipiam grande incommodum. » Adhuc ea loquente venit nuntius ad eam, dicens: « Mortuus est filius tuus, et tota familia subita ruina interiit. » Quo audito continuo dolore saucia decubuit; vocarique fecit superstites liberos, monachum et monacham, quibus singultiendo, ait: « Ego miserabili quodam fato meo dæmoniacis artibus semper inservii. Ego vitiorum omnium sentina, et illecebrarum magistra fui, et sperabam tamen in religione vestra, a me ipsa desperavi. Nunc ergo quia scio me dæmones habituram exactores in pœna, quos habui suasores in culpa; rogo vos per materna viscera, ut mea tentetis alleviare tormenta. Nam de anima sententiam damnationis non revocabitis. Corpus ergo meum insuite in corio cervino, et includite in lapideo sarcophago, et operculum ferro et plumbo constringite, et lapidem ipsum tribus magnis catenis circumdate. Si tribus noctibus ita secure jacuero, quarta die infodietis me humo: quanquam verear ne terra nolit me recipere, pro maleficiis meis, psalmicines L, sint noctibus, et missæ cantentur pro me tot diebus. » Factum est, ut præceperat, et nil valuit. Primis enim duabus noctibus cum chori clericorum psalmos canerent circa corpus, singuli dæmones ostium ecclesiæ immani obice clausum leni negotio confringentes duas extremas catenas diruperunt, media quæ operosius elaborata, illibata durante. Tertia nocte circa galli cantum strepitu advenientium hostium omne monasterium visum est a fundamentis moveri. Unus autem cæteris et vultu terribilior, et statura celsior, januas majori vi concussas in fragmenta dejecit; et arroganti gestu accessit ad sarcophagum. Inclamatoque nomine, ut surgeret imperavit. Qua respondente: « Nequeo pro vinculis, solveris, inquit, et malo tuo. » Statimque catenam quæ cæterorum ferociam eluserat, nullo conatu ille ut stupam dirupit, operculumque tumbæ pede depulit, et apprehensam manu palam omnibus ab ecclesia extraxit ad fores, ubi paratus erat equus niger superbum hinniens, uncis ferreis per totum protuberantibus. Super quos misera illa imposita, mox ab oculis intuentium cum toto sodalitio disparuit: audiebantur tamen clamores per quatuor fere milliaria miserabiles suppetias orantis.

1046. Hucusque GUILLELMUS. Hinc SIGEBERTUS. Instinctu Godefridi comes Flandrensium Balduinus contra imperatorem rebellat. Romæ uno contra duos, et duobus contra unum altercantibus de papatu, imperator Romam vadit; et eis canonica et imperiali censura depositis Suidegerus Babenbergis episcopus, qui et Clemens, fit papa centesimus quinquagesimus quartus, et ab eo rex Henricus in imperatorem benedicitur. Sedit autem mensibus 10, diebus 7. Juraverunt autem Romani se sine consensu Henrici imperatoris nunquam papam electuros. Deoderico Metensium episcopo defuncto succedit Adalbero fratruelis ejus, vir magnæ prudentiæ et sanctitatis. Ecclesia Sanctæ Gertrudis Ningellensis, quæ ante aliquot annos per negligentiam et injuriam Dominici sanguinis effusi concremata fuerat, in novam reædificata benedicitur, præsente imperatore.

1047. Nix tanta in occidente decidit, ut silvas

frangeret. Damasus II fit papa centesimus quinquagesimus quintus, qui sedit diebus 24. Godefridus palatium Neomagi incendit, et irreparabiliter destruit. Urbem Clavorum, quæ Virdunus dicitur, cum majori sanctæ Mariæ ecclesia similiter incendit. Franco scholasticus Leodiensium, et scientia litterarum, et morum probitate claret : qui ad Hermannum episcopum scripsit librum de quadratura circuli (40), de qua re Aristoteles ait : « Circuli quadratura est scibile : scientia quidem nondum est, illud vero scibile est. »

1048. Berno Leucorum episcopus fit papa centesimus quinquagesimus sextus, et vocatur Leo IX qui sedit annos 5, menses 2, dies 6. Hic cum ad capescendam sedem apostolicam Romam pergeret, audivit voces angelorum cantantium : *Dicit Dominus : Ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis.* Hic de multis sanctis cantus composuit, et multa fecit et scripsit Ecclesiæ utilia. Hic cum in papatu pauperem leprosum ante fores offendisset, fotum diligenter in lecto suo collocavit : quæ cum reserato ostio non invenisset, in paupere se Christum suscepisse obstupuit.

Sciendum tamen quod hunc Leonem ponit magister Hugo duobus annis tardius, id est anno Domini 1050, quod et verius est, sicut postea probabimus. Obiit Odilo Cluniacensis abbas, cui successit Hugo Augustodunensis territorii indigena, patre Dalmatico consulari, domino castri Sumnum. Mater eo prægnans fastidio partus laborans, quemdam religiosum consuluit. Qui ad missam positus in contemplatione, vidisse fertur speciem infantilem supra humanum modum mirifice radiantem. Hic adolescens missus est in expeditione quamdam in prædam cum coævis, et cujusdam rusticuli substantiolam diripuit invitus ; cui postea annuatim reddidit, quod semel perdiderat. Mortuo Odilone, qui monachorum archangelus vocabatur, cum esset prior, in abbatem electus est, primo eum nominante Adalmanno, qui senex et cocus, 40 annis claustralis provisor exstiterat, plerisque suorum id injunxerat officii, ut foras circuirent, panes et carnes, diversaque edulia compararent, cum pannorum multiplici textura. Circa lectum ejus inveniebantur, diversæ supellectiles ad usus pauperum coemptæ : hinc calceorum vel interularum, sive tunicarum fasces ; illinc panum massæ, et carnium acervi. Tunicas quoque pauperum cum monachis vel familiaribus ipse sarciebat. Pater ejus facto ducis Burgundiæ, qui sororem ejus habebat peremptus, spatium pœnitentiæ perdidit ; pro quo piissimus Hugo ita se mactare studuit, ut præter jejunia et eleemosynas et missas, etiam loricam gestaverit. Aliunf quemdam militem fratris sui Dalmatii homicidam in Cluniaco suscepit. Angelum sui custodem nonnunquam videbat. Hildefonsus rex Hispaniarum plus omnibus illum excolebat, quia ejus precibus de captione fratris sui evaserat. Qui frater ejus nomine Sancius per quemdam episcopum admonitus est ex parte S. Petri qui ei apparuerat, ut fratrem suum Hildefonsum relaxaret, et eum usque ad sceptrum proveheret. Postea ipse B. Petrus apostolus eidem Sancio comminando mortem, nisi hoc faceret, intimavit. Qui mox surgens exturbatus fratrem emancipavit, duplicato censu paterno. Hildefonsus autem emancipatus, intercessoribus suis Cluniacensibus ducentas auri uncias annuatim solvere decrevit ; et diem liberationis suæ celebrem eis reliquit. Quadam die dum dormiret, vidit per somnium sub capite suo cubare serpentium multitudinem : subitoque capitale suum excutiens, invenit librum Virgilii suppositum, abjectoque codice sæculari in pace quievit. Aliquando fratres monasterii B. Mariæ de Charitate ex consuetudine pacis osculo confortabat. Dum ergo eum singuli per ordinem oscularentur, venit quidam monachus in ordine suo ad eum osculandum, quem sanctus rejecit. Interrogatus postea a patre suo, respondit se esse mecanicum, et nigromantiæ præstigiis infectum, quem, mox sanctus Hugo de monasterio expelli fecit. Dormiens quadam die apud S. Joannem Baptistam Angeliacensem, vidit in spiritu fulgur de sublimi veniens, auditorium Cluniaci scindere. Mox ei venit in mentem, aliquem de fratribus aliquid offendisse, quod imputandum esset conventui, nisi e vestigio concurreretur. Continuo rebus incœptis interceptis, suos urget ad reditum, et cunctis admirantibus Cluniacum improvisus advenit. Ingressusque capitulum circumspectis omnibus, illum qui scandalum fecerat severius increpavit. Petre, inquiens, revela priori culpam, denuda vulnus, ut sentias medicinam. Sic Petrus de Tarnaco quod commiserat confessus est. Quidam frater, nomine Durannus de Brendon, prius idiota apparens postmodum Moysiacensis abbas, demum episcopus Tolosanus, circumspectus per cætera, verba risum moventia sæpe incautius proferebat. Qua de re sanctus multoties eum increpans, et non satis proficiens, de cætero interminatus prophetice sic eum commonuit. « Certe, inquit, frater, nisi verba ludicra monacho prorsus interdicta vivens dimiseris, post obitum districtius correptus, spumantibus labiis ad superos rediens enormiter apparebis. » Qui postera taliter apparuit Siguino capellano ejusdem patris ; flebiliterque, ut sanctus Hugo pro eo intercederet, exoravit. Quod cum idem Siguinus sancto Hugoni referret, præcepit ut septem fratres una hebdomada pro defuncto silentium continuum tenerent. Quorum unus silentium interrupit. Rursumque idem pontifex eidem denuo revelatus, valde conquestus est super illo fratre, qui dum non siluit, sanitatem illius interpolavit. Quod audiens sanctus præcepit, ut illa fractura silentii aliorum septem dierum silentio sarciretur. Quo facto idem pontifex in habitu apostolico se ostendens, purgatori

(40) Vide *Patrologiæ* t. CXLIII, col. 1373.

suo gratias reportavit. In Silviniaco quidam frater a diabolo deceptus manum sibi inferens, quasi ad anticipandam coronam martyrii, se in silva necavit. Erat autem gravis iracundiæ; et ideo forte adversarius in eum prævaluit. Hujus anima ad judicium rapta accusatorem prætendentem cultellum necatorium infestum habuit. Miser suæ prodigus animæ exutus cuculla apostolica intercessione obtinuit, quatenus ante introitum claustri Cluniacensis tandiu maneret cucullam habens in manibus, donec precibus sancti Hugonis et fratrum illam induere mereretur; et ordinem suum recipere. Confestimque pius pater tandiu precibus, et eleemosynis, et hostiis præcepit insistere, quousque spiritus defuncti alia visione cum habitu suo apparuit; et corpus cœmeterio non judicatur indignum. Hanc visionem frater quidam conspiciens, non statim ut debuit, indicavit. Quocirca in tempore Rogationum cæteris ad processionem directis, solus in choro remanserat, utpote claudus. Apparuit ergo illi vigilanti S. Odilo forma visibili cum duobus viris. Et ecce facta oratione ante altare, illo vocato ingressus est in capitulum, fratrisque illius pigritiam increpavit magna asperitatis vehementia, præcipiens assessoribus suis, acerrimam illi inferri disciplinam. Post litanias correptus nuntiavit abbati tam visionem quam suam correptionem et afflictionem. Planetam beati Petri apostoli apud Antiochiam gestatam habebat secum; de qua tangens ipse Robertum virum illustrem paralyticum apud Parisius, dixit: Petrus apostolus dixit paralytico: *Sanet te Dominus Jesus Christus: surge et sterne tibi* (41); et statim sanus factus est. Urigo vir laudabilis et voce festivus in Natali Domini raucitatem incurrerat, dolensque quia cantare non poterat, cum sederet ad suppedaneum abbatis, misit manum post dorsum ejus, et tulit pileum ipsius et collo suo circumdedit corrigiam capilli; et mox ei vox reddita est. Reparavit Cluniacensem ecclesiam, ita ut sit millenis fratribus capiendis idonea; inductus ad hoc monitu beati Petri apostoli, qui cuidam veterano apparuerat, et hoc ei injunxerat, ut abbati diceret ex parte ejus, quatenus ecclesiam repararet et novam inciperet. Deinde visus est ipse apostolus tenere funiculos, et tendere, et terminos ponere circumscribendæ quantitati. In illa ecclesia in die Natalis Domini, post exhortationem fratrum in capitulo hanc visionem narravit: « Vidit aliquis misericordiæ matrem in oratorio beatissimam Dei Genitricem divinum infantem gestantem in sinu nitido, qui mundis manibus applaudens gaudenter dicebat: « Eia nox ista tota mihi dedicata Nativitatem meam recolit, cœlis gloriam, pacem hominibus, prophetis absolutionem advenisse pronuntiat. Nox ista meæ militat gloriæ, nox ista fulgoris magni luce radiabit. Ubi est modo, nequissimi hostis nequitia, qua solebat gaudere, antequam orirer ego
A Sol justitiæ? Ortus sum de te, mater inclyta, meo partu divino et regali dignissima. » Dum hæc, inquit, diceret, qui dictum in potestate habebat, visus est videre diabolum prope assistentem, quem ita corripuit: « Erubesce, tentator, et fuge: præconia mea, quibus domus dilectæ resultant, te turpiter excludunt. His verbis increpatus, confusus ille longius abcessit. Puer autem e Genitrice pia stipatus exercitu angelorum vobiscum, dilectissimi, celebrat solenne præclarum: occurrite Salvatori, voce jubilantes et animo. » Contigit aliquando eumdem sanctum Hugonem eucharistiam sacrosanctam cuidam leproso dare, communioni hominum corporaliter subtracto, tunc vero communicanti. Qui tumentibus labiis et ore ulceroso corpus Domini
B injuriose masticans, quamdam portiunculam importuna secatione rejecit, sequente nausea et spuma horribili. Aderat ibi quidam Goderannus Beati Remigii alumnus, qui locum suum Cluniaco mutaverat. Hic præfatæ secationi manus utrasque supponens, totam in os suum projecit, vomitum nauseantis fideliter absorbens. Stupefactus Hugo tolerabiliorem fuisse Laurentii craticulam indubitanter asservit. Idem Hugo per totam Quadragesimam singulis diebus Psalterium decantare consueverat.

1049. Leo papa in Gallias veniens, ut motus imperii a Balduino concitatos sedaret, Godefridum quidem imperatori reconciliavit: Balduino autem pertinacius agente, imperator contra eum exerci-
C tum duxit. Tandem Balduinus flexus, condicto die Aquis imperatori satisfecit. Leo papa, in Gallia et Germania synodis habitis, statum Ecclesiæ melioravit. Eo tempore Remis translatum est corpus beati Remigii. In quo concilio interrogatus beatus Hugo de sui promotione, respondit: Caro voluit, spiritus repugnavit. Ibi ergo Simoniaci tam populares quam clerici, presbyterique uxorati, persuasione sancti Hugonis a catholicorum communione, et ab ecclesiis eliminati sunt. In quo etiam concilio idem Hugo jussu domini papæ et persuasione cujusdam nominatissimi viri sancti Constantii Remensis canonici laudabiliter egit.

1050. Leo papa dum Normannos a Romanorum
D terminis deturbare satagit, multam calamitatem incurrit; quia cum multis etiam ipse capitur. Sed tamen relaxari noluit, nisi etiam suis relaxatis. Sanctus Theobaldus inter nobiles Francorum non infimus hoc tempore clarebat: qui mundum et semetipsum abnegans, et sequens Christum, in Vincentia Venetiæ urbe reclusus, 12 conversationis suæ anno beato fine quievit. Qui quam accepte Deo servierit, post mortem ejus miraculorum prodidit magnitudo. Ossa ejus in Gallias translata multam multis in locis venerationem meruerunt. Bardo Maguntinus episcopus obit; cujus sanctitas per multam miraculorum gratiam patuit. Balduinus comes

(41) Antiphona Ecclesiæ.

Laudensis, invaso Hagionensium comitatu, contra imperatorem rebellat.

1051. Guillelmus. Eo tempore erant duæ aniculæ in strata qua Romam itur, uno in tugurio morantes, uno imbutæ maleficio: quæ hospitem, si quando solus supervenerat, in equum, aut asinum, aut suem mutabant, et mercatoribus vendebant, pretium bibentes. Quadam die juvenem quemdam gestibus histrionicis exigentem victum, susceptum hospitio asinum fecerunt, multum inde lucrantes, per asinum scilicet, qui miraculo gestuum transeuntes detinebat. Nam quomodocunque præcepisset anus, movebatur asinus. Non enim amiserat intellectum, sed loquelam. Multum inde quæstum conflaverant vetulæ. Audiens hoc vicinus dives, asinum emit magno pretio: dictumque est ei ab illis vetulis, ut custodiret eum, ne in aquam intraret. Servatus est asinus diu ab aqua: tandem incautiorem nactus custodiam in proximum lacum se projecit, et ibi se diutius volutavit, et figuram recuperavit humanam, et asininam perdidit. Custos ejus sciscitatur ab eodem obvio, si vidisset asinum. Ille dixit se esse. Famulus refert ad dominum suum, dominus ad apostolicum Leonem, virum nostro sæculo sanctissimum. Convictæ anus id fatentur. Dubitantem papam confirmavit Petrus Damianus, producto exemplo de Simone Mago, qui Faustinianum videri fecit in figura Simonis. Hinc apparet quod illi qui per nigromantiam fit, non potest in aqua fallere intuentem; sicut de pulvere illo, de quo superius diximus, qui in aurum vertebat, quidquid contingebat; non quod ita pro vero esset, sed quod ita videbatur, donec aqua dilueretur. Romæ per idem tempus erat juvenis quidam locuples, et nobilis qui uxorem noviter duxerat, et sodalibus suis convivium frequens paraverat. Post cibum itur in campum, ut luderent. Rex convivii ludi signifer pilam poposcit. Interim annulum sponsalitium digito extento statuæ Veneris æreæ, quæ proxime astabat, composuit: et cum pene omnes solum impeterent, suspiciosus extis incalescentibus primus se a lusu removit. Repetensque annulum invenit statuæ digitum usque ad volam curvatum, diuque ibi luctatur, nec annulum exuere potest, nec digitum frangere; tacitusque discedens rem celavit sodalibus. Nocte intempesta cum famulo rediens, digitum invenit extentum, et annulum subreptum. Dissimulato damno ad nuptam rediit: cumque se in lecto juxta eam collocasset, sensit quiddam nebulosum et densum inter se et illam volutari, quod sentiri quidem, sed non videri poterat. Hoc obstaculo ab amplexu prohibitus audivit et vocem. Mecum concumbe; quia hodie me desponsasti. Ego sum Venus, cujus digito posuisti annulum; habeo illum, nec reddam. Territus ille tanto prodigio, nihil referre vel ausus est, vel potuit. Insomnem ducit noctem illam, multum secum deliberans. Sic factum est per multum tempus, ut quacunque hora cum sponsa concumbere vellet, illud idem sentiret et audiret. Erat sane alias valens, et domi aptus et militiæ. Tandem querelis uxoris commonitus rem parentibus detulit. Illi, habito consilio, Palumbo cuidam presbytero suburbano rem produnt. Is erat nigromanticus et potens in maleficiis. Illectus ergo promissis multis, compositam epistolam dedit juveni, dicens: « Vade illa hora noctis ad compitum, ubi quatuor viæ concurrunt et stans tacite considera. Transibunt ibi figuræ hominum utriusque sexus, omnis ætatis, et gradus, et conditionis, equites et pedites; quidam læti, quidam tristes. Quidquid audieris, non loquaris. Sequetur illam turbam quidam statura procerior, forma corpulentior, et ipse Deus. Tunc accedens, huic tacitus epistolam trades legendam, statim fiet quod postulas. » Sic factum est. Inter cæteros transeuntes vidit ibi mulierem ornatu meretritio mulam inequitantem, crine soluto per humeros jactato, vitta aurea superius constricto, auream virgam gerentem in manibus; qua mulam regebat, præ tenuitate vestium pene nuda apparebat, gestus exsequens impudicos. Ultimus dominus turbæ terribiles in juvenem oculos exacuens, ab axe superbo smaragdis et unionibus composito, causas viæ ab eo requirit. Nihil ille contra, sed pertenta manu porrigit ei epistolam. Dæmon notum sigillum non ausus contemmere, legit scriptum. Moxque brachiis in cœlum elatis: « Deus, inquit, Omnipotens, quandiu patieris nequitias Palumbi presbyteri? » Nec mora, satellites a latere suo mittit, qui annulum extorquerent a Venere. Illa multum tergiversata, vix tandem reddidit. Ita juvenis voti compos sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus. Palumbus autem, ubi dæmonis clamorem ad Deum audivit, intellexit præsignari sibi finem dierum. Quocirca omnibus membris intus truncatis miserabili pœna defunctus est, confessus coram populo Romano inaudita flagitia. (1052.) Gallicana turbatur Ecclesia per Berengarium Turonensem, qui asserebat eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse revera corpus Christi et sanguinem, sed figuram corporis et sanguinis: contra quem multum a multis et verbis et scriptis disputatum est. Inter quos domnus Guido abbas de Cruce Sancti Leufridi contra eum de corpore et sanguine Domini elegantem edidit librum.

Guillelmus. Leo papa Vercellis contra eum celebravit concilium. Sed post Leonis obitum Hildebrandus, archidiaconus cum esset Turonis, mox papa, Romæ adunatis conciliis, eum compulit ad sui dogmatis anathema. Responderunt ei Lanfrancus archiepiscopus, sed præcipue et fortiter Guimundus, prius monachus de sancto Leufredo Normandiæ, postea episcopus Aversanus Apuliæ, nostri temporis eloquentissimus. Berengarius autem in fine ita resipuit, ut sine retractatione a quibusdam sanctus habeatur; plenus eleemosynis et humilitate, magnarum possessionum dominus dispertiendo, non famulus abscondendo et adorando, nullam feminam conspectui suo patiebatur admitti. Berengarius ta-

men, quamvis se correxerit, eos quos depravaverat convertere nequivit : adeo pessimum est alios exemplo vel verbo a bono infirmare; quia fortassis peccatum te gravabit alienum, cum deletum fuerit tuum. Quod episcopum Carnotensem Fulbertum prædixisse aiunt. Hic autem cum eum in extremis positum multi visitarent, et ædium capacitas vix confluentibus capiendis sufficeret, ille inter oppositas catervas oculos longe rimatus, Berengarium nisu quo potuit expellendum censuit; protestatus immanem dæmonem prope eum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu, et illico anhelitu corrumpere. Sed et ipse Berengarius die Epiphaniarum moriens, recordatus quot miseros quondam adolescens primo sui erroris calore secta sua infecisset, producto gemitu; « Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam. » Hoc anno corpus Edgari regis Glistoniæ sepulti invenit abbas Adilpradus incorruptum; et quia locellus, quem paraverat, magnitudine corporis angustior erat, regales exuvias ferro ausus est temerare; unde continuo sanguis undatim emicuit. Tunc regium corpus in scrinio, quod ipse ecclesiæ contulerat, super altare locatum est cum capite S. Apollinaris martyris, et reliquiis S. Vincentii martyris, quæ ille magno emerat; abbatem vero temeratorem sacri corporis mox animus reliquit, nec multo post de ecclesia egressum mors invenit. Sanatus est ibi furiosus et cæcus. Nusquam gentium, ut opinor, reperies, tot sanctorum post mortem illibata corpora, ut in Anglia, quæ futuræ incorruptionis speciem prætendunt. Quod ideo divinitus factum existimo, ut natio pene extra orbem posita, in spem resurrectionis animetur, ex consideratione tot corporum, quæ incorrupta perdurant. Hæc sunt : Teocam, Beldrica, et Vulburga virgines. Rex Edmundus, archiepiscopus Elphegus, Cutbertus antiquus Pater : omnes inviolatis cute et carne, flexibilibus articulis : extremus autem vitali quodam tepore, speciem dormientium indicantes. Kenulfus rex Merciorum filium septennem Kenelmum Quendridæ sororis fidei alendum commiserat. Illa falso sibi regnum præsagiens, infantulum tollendum e medio satelliti qui alumnus erat mandavit; qui puerum venatum ducens inter fruteta obtruncavit : quem celatum in Anglia statim Romæ divinitus innotuit. Nam membrana super altare sancti Petri superne delapsa elementis Anglicis scripta columba deferente, et necem et sepulcrum per ordinem prodidit; quæ a quodam Anglo interpretata est : et mox epistola papæ regibus Angliæ compatriotam martyrum indicavit. Unde frequenti cultu corpus innocentis solemniter levatum est. Cumque deferretur Wintoniam, clericorum cantu et laicorum plausu excitata, Quendrida parricidalis femina, ex fenestra cœnaculi, in quo stabat, caput extulit, et forte psalterium præ manibus habens continuatione lectionis pervenerat ad psalmum; *Deus laudem meam ne tacueris* (*Psal.* CVIII). Quem a fine nescio quo præstigio retrograde dicens, nitebatur cantantium lætitiam infirmare. Tunc vero vi divina oculi venefic æ a cavis orbibus evulsi cruore polluerunt versum illum : *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum* (*ibid*). Exstant usque hodie cruoris signa immanitatem mulieris, et ultionem Dei spirantia.

In Selesiensi cœnobio pestis exorta multos interemit. Indictum est triduanum jejunium : secunda jejunii die puero eadem valetudine decumbenti apparuerunt apostoli Petrus et Paulus, dicentes, non eum debere metuere mortem, quæ est et languoris exitus, et vitæ perennis introitus. Cæterum neminem de illo monasterio hac pestilentia moriturum, quod Deus præclari regis Oswaldi *concesserit* meritis, pro compatriotis eadem die supplicantis. Hunc enim esse diem, quo idem rex occisus a perfidis aulam cœli intraverit. Quæsitus est dies mortis ejus; ita inventus. Ex tunc inter martyres annumeratus est.

Duces Danorum Hinguar et Hubba orientalium Anglorum depopulabantur provinciam : quorum primus regem Edmundum non resistentem, sed projectis armis solo prostratum et orantem post aliqua tormenta decapitavit; caput autem a lictore inter dumeta projectum est. Quod dum cives quærerent, audierunt vocem capitis omnes ad se invitantis, quod lupus lacertis circumplexus custodiebat : qui bajulos post tergum ad tumulum usque secutus est, neminem lædens, et a nemine læsus. Super corpus ejus primo exstructa est capella lignea; quam cum fures expilare vellent, invisibilibus lotis in ipsis conatibus irretivit. Caput ejus reliquo corpori compaginatum, signum martyrii coccinea cicatrice prætendit. Ejusdem sancti crines et ungues sensim pullulant; quos Osunen quædam sancta mulier quotannis tondere et resecare consueverat, sacra veneratione posteris profuturos. Hujus sancti corpus cum sibi minaciter ostendi præciperet, Leostanus adolescens famæ, ut dicebat, incertum oculorum fide explorare desiderans; mox ut vidit, amens effectus est : post modicum vermibus scaturiens mortuus est. Etheldrita, ut Beda auctor est, duobus viris nupta virgo permansit. Pater ejus fuit Anna rex orientalium Anglorum. Habuit quoque alias duas filias, Ethelburgam, et Sexburgam; quarum prima in monasterio Galliæ, quod dicitur Brigis, sanctimonialis primum, post abbatissa fuit, semper incorrupta, ante mortem, et post mortem, sicut et soror sua. Altera Ercumberto regi Cantuariorum uxor data est : ex quo genuit filias duas, Ercumgotam, de qua Beda multa scripsit, et Hermenildam, quæ Vulfio regi Merciorum data est in conjugem : ex quo habuit filiam Witerburgam virginem : mater apud Belinum post matrem Sexburgam abbatissa fuit. Filia apud civitatem Legionem pausat, quæ maxime orationes feminarum et pue-

rorum exaudire traditur. Frater Vulfi Merevuardus et Ervatburga filia Ermenredi fratris Ercumberti, habuit filias duas, Mildritham et Milburgam : quarum prima in cœnobio Sancti Augustini Cantuariæ, altera apud Weneloch requiescit. Cujus mausoleum quodam tempore effractum multum odorem velut balsami profudit. Edvardus senior ex uxore Edel pira habuit filias multas : quarum una Edburga, dum vix adhuc trima esset, sic a patre probata est. Posuerat ille in triclinio diversarum professionum ornamenta, hinc calicem et Evangelia, inde armillas et monilia. Illuc virguncula ablata est a nutrice, et genibus parentis assedit. Jussaque utrum vellet eligere, primo aspectu sæcularia despiciens, prompte manibus reptans, Evangelium et calicem puellari innocentia adoravit. Exclamat cœ- B tus assidentium, futuræ sanctitatis auspicium, exosculatus in puella, pater ipse arctioribus osculis eam dignatus : « Vade, inquit, quo te vocat divinitas. » Itaque sanctimonialium habitum induta in urbe Wintoniæ sanctitate multa enituit, ita ut singularum sociarum soccos furtim nocte subriperet, et diligenter lotos et inunctos lectis earum rursus apponeret.

Edgari regis filia Egitha virgo sancta in Wiltunnensi cœnobio jacet. Beatus Dunstatus dum consecraret basilicam Sancti Dionysii, quam ille in amorem martyris ædificaverat, vidit istam juvenculam pollicem dextrum frequenter protendere, et signum crucis fronti suo imprimere. Quo signo delectatus episcopus, ait ad eam : « Nunquam putrescat hic C digitus. » Continuoque inter missarum solemnia flere cœpit. Requisitus causam ait : « Cito hæc florida rosa marcescet, cito avis dilecta Deo avolabit. » Sic factum est. Mortua est illa die prædicto, post sex scilicet ab illo die septimanas, cum esset annorum viginti trium. Nec multo post idem Dunstanus vidit per somnium sanctum Dionysium eamdem virginem manu tenentem, et ex oraculo divino constanter jubentem, ut a famulis honorificaretur in terris, sicut a sponso et domino venerabatur in cœlis. Hæc etiam in professione sanctimonialis auratis vestibus utebatur. Unde palam increpita est a sancto Ethelwaldo episcopo : quæ respondit : « Verax et irrefragabile judicium Dei sola mortalium op- D peritur conscientia. Nam et in sordibus luctuosis potest esse jactantia. Quapropter puto quod tam incorrupta mens potest esse sub istis vestibus, quam sub tuis discissis pellibus. » Hujus corpus virgineum cum levaretur altius, inventum est totum in cineres solutum præter dextrum pollicem, et alvum, et alvo subjecta. Unde disputantibus nonnullis, uni ex his qui viderant dormienti virgo ipsa astitit, dicens : « Non mirum si partes illæ corporis mei putruerunt. Nam usus habet, mortua corpora sic defluere; et ipsa utpote puella, membris illis peccavi. Sed juste venter corruptus non est, quem libido non tetigit. Immunis fui a crapula, et carnali copula. » Sigebertus rex Hungarorum ab imperatore Henrico dis- A sentit. Pro quo reconciliando Leo papa ad imperatorem venit; sed amicis discordiæ interturbantibus, id frustra fuit. Leo papa Girardum Leucorum supra se quintum episcopum vitæ sanctitate mirabilem, synodo habita per auctoritatem apostolicam decrevit in numero sanctorum confessorum in Ecclesia solemniter habendum.

1053. Balduinus comes terminos Lotharingiæ incursans, Hoyum oppidum incendit. Godefridus iterum rebellat; quia ducta uxore Bonifacii marchionis jussu imperatoris a Longobardia expellitur. Græci in hæresim multiformem declinant, auctore Michaele patriarcha Constantinopolitano, et Leone Aldano Bulgarorum episcopo : quorum errores Leo papa redarguit, scribens contra eos librum firmis Scripturarum testimoniis roboratum. Nicetas autem monachus Constantinopolitanus, qui agnominabatur Peccoratus, scripsit contra Romanos librum plenum erroris et stultitiæ, prætitulatum, *De azymo, de Sabbato, de nuptiis sacerdotum.*

Guillel. Eo tempore corpus Pallantis filii Evandri Romæ integrum repertum est, cum hoc epitaphio :

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

Quos versus non tunc factos crediderim, quamvis Carmentis litteras Latinas invenisse dicatur; sed vel ab Ennio, vel ab aliquo alio antiquo poeta. Ea quidem natura est conditorum corporum, quod carne tabescente cutis exterior nervos, nervi ossa continent. Hiatus vulneris, quod in medio pectore Turnus fecerat 4 pollicibus et semis mensuratus est. Ardens lucerna ad caput inventa est. Quam cum nulla liquoris aspergine, aut flatus violentia exstinguere valerent, quidam subtilioris ingenii subtus flammam foramen fecit, et mox introducto aere ignis evanuit. Corpus muro applicatum vastitate sui magnitudinem mœnium vicit. Sed procedentibus diebus stillicidiis roris infusum, communem mortalium corruptionem agnovit, cute soluta, membrisque fluentibus.

1054. Sigebertus. Leo papa per epistolam ad imperatorem Constantinum scriptam animum ejus sibi concilians, apocrisarios suos, Humbertum videlicet cardinalem, episcopum Silvæ candidæ, Petrum Amalfitanorum archiepiscopum, Fredericum quoque septimum levitam et cancellarium, dirigit Constantinopolim, ad confutandas Græcorum hæreses, qui ut Simoniaci donum Dei vendebant; ut Valesii, hospites suos castratos etiam ad episcopatum promovebant; ut Ariani, Latinos baptizatos in nomine sanctæ Trinitatis rebaptizabant; ut Donatistæ in sola Græcia catholicam esse Ecclesiam jactabant; ut Pneumatomachi processionem Spiritus sancti a symbolo abscindebant; ut Nazareni judaismum observabant; parvulos morientes ante octavum diem a nativitate baptizari, mulieres in partu vel menstruo periclitantes communicari, vel si paganæ essent, baptizari prohibebant; Latinos vocabant azymitas, et eos nimis persequentes eccle-

sias eorum claudebant, de fermentato sacrificabant, in filiis suis Romanam Ecclesiam anathematizabant, eique Constantinopolitanam Ecclesiam præponebant. Legati igitur domini papæ ab imperatore benigne habiti, Nicetam monachum ante eum vincunt; adeo ut librum, quem contra Romanos scripserat, anathematizaret et incenderet. Michaele autem patriarcha nolente eis colloqui, charta excommunicationis ejus coram clero et populo super altare sanctæ Sophiæ posita, recedunt. Michael chartam ipsam corripiens et corrumpens, populoque legens, illos ab imperatore revocatos ad synodum, absente imperatore convocavit, ut a populo lapidarentur. Quod imperatore prohibente commovit populum contra eum; sed convictus chartam excommunicationis falsasse, Michael omnesque sui a gratia imperatoris et palatio remoti sunt. Humbertus vero Silvæ candidæ hæc decripsit; et scripta Nicetæ monachi et Leonis Anidani confutavit, quæ de Latino in Græcum translata jussu Constantini imperatoris, a Græcis recepta sunt. Henricus imperator Henrico filio suo puero quinquenni in regem sublimato Aqui , contra Balduinum proficiscitur : qui Scaldum fluvium Balduino fugiente transiens, omnia depopulatur : insuper apertis sibi clausulæ [f. Mosæ] portis multam cædem inimicorum facit : et ultra progressus Lambertum comitem Balduini satellitem cum multis perimit. Multos etiam Flandrensium primates exercitum suum persequentes intra urbem Tornacum concludit et obsessos capit. Leo papa moritur; ad cujus sepulcrum multa Romæ miracula ostensa sunt.

Guillelmus dicit hunc Leonem prius dictum Brunonem et de Spirensi episcopo factum fuisse papam Leonem et magnæ sanctitatis exstitisse. Sigebertus dicit eum vocatum esse ad papatum ex Leucorum episcopo, id est ex urbe Tullo. Videat lector, cui magis credendum sit. Uterque autem sanctitati ejus testimonium præbet. Petrus tamen Damianus vir magnæ sanctitatis et scientiæ, qui eo tempore florebat, scribens ad papam Hildebrandum, inter cætera ait : « Tu referre soles de papa Leone, quod contra meritum miraculorum gratiam a Domino fuerat consecutus, etiam dæmones effugando. Cui simile est illud, quod narravit Novarriensis episcopus, quod dum in Teutonia cuidam episcopo conviator incederet et, imminente refectionis hora, ille quod apponeret, non haberet, volantibus desuper gruibus fide confortatus, ait : Præcipe, domine, unam de gruibus istis ad nos dejici; quod statim factum est. Erat tamen episcopus ille, qui hoc oravit et impetravit, carnalis vitæ. » Ecce Petrus iste Damianus aperte objicit papæ Hildebrando, ipsum dixisse, Leonem istum miraculorum gratiam contra meritum a Domino consecutum fuisse. Hoc utrum verum sit, Hildebrandus viderit. Hic iterum dicit Sigebertus : Bellum fuit apud mare Mortuum, sed quod fuerit bellum, vel quod sit illud mare Mortuum, non dicit.

A **1055.** Anno ordinatur Coloniæ episcopus. Gebehardus Estredensis episcopus fit papa centesimus quinquagesimus septimus, et dictus est Victor II. Hic sedit annis 2, mensibus 3, diebus 13. PETRUS DAMIANUS. Hildebrando Romanæ Ecclesiæ archidiacono referente didici, quod cum ipse a Victore papa apocrisarius ad Gallias esset directus, synodum congregavit : in qua sex episcopos pro diversis criminibus deposuit. Inter quos quidam erat episcopus Simoniace factus, qui Spiritum sanctum verbis exprimere non valebat; quamvis Patrem et Filium libere et expedite pronuntiaret : qua difficultate convictus episcopatum deposuit. Hic Hildebrandus archidiaconus in Cluniacensi capitulo mundi judicem Christum perhibuit sancto Hugoni B se vidisse collateralem; qui sedens a dextris ejus regularem disciplinam favore prosequebatur. Postea papa factus blandum tyrannum eum vocitabat, sævis leonem, mitibus agnum. SIGEBERTUS. Imperatore in Italia constituto, milites ejus Sclavis et Luntianis bello congressi, multi capiuntur aut pereunt. Balduinus Flandrensis cum Godefrido avunculum suum Fredericum ducem intra Ardreverperum obsidet; sed accurrentibus Lotharingis ab oppugnatione desistit.

1056. Victor papa in Gallias veniens, gloriose ab imperatore suscipitur, et eo præsente non multo post imperator Henricus moritur. Guillelmus dicit eum obiisse 18 imperii sui anno completo. Apud C Spiram conditus est, quam ipse ex antiquissima et diruta Nemeto sic nominavit. SIGEBERTUS. Post quem filius ejus Henricus imperavit annis 50.

1057. Coloniæ generali conventu habito, Balduinus et Godefridus mediante papa Victore refrenantur et ad gratiam regis et pacem reducuntur, et omnes bellorum motus sedantur.

1058. In Frisonia, captis ab imperatore Henrico aliquibus castellis, Frisones a rebellione refrenantur. Fredericus filius Gothelonis ducis ex clerico sancti septimus Levita Ecclesiæ Romanæ, quia exosus erat imperatori Henrico, pro odio fratris sui Godefridi ducis, post legationem Constantinopolitanam apud Cassinenses monachus et post abbas factus alteratus nomine Stephani fit papa cen-D tesimus quinquagesimus octavus. Qui Stephanus IX sedit mensibus 9. Padeburna Germaniæ civitas combusta est cum majori Ecclesia. In monasterio autem monachorum Scotus quidam monachus, nomine Paternus, multo tempore reclusus, qui etiam hoc incendium sæpe prædixerat, propter propositum reclusionis exire nolens, se comburi passus. Hoc sic refert Petrus Damianus : In quadam urbe Teutonica erat quidam servus Dei juxta monasterium in cellula : cui revelatum est quia, nisi populus per pœnitentiam Deum cito placaret, infra 30 dies tota civitas incendio periret. Promulgata est visio. Noluerunt converti. Ille autem pretiosa quæque monasterii jussit auferre, ut salva essent. Tandem a septem urbis regionibus subito ignis exoritur,

pervenitque usque ad cellam viri Dei; cumque rogaretur exire, noluit; sed omnia judicio Dei committens, combustus est cum sua cellula.

1059. In pago Bracharensi juxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsecus congregatæ, prodigioso prælio inter se concurrerunt; et multis utrinque occisis victa pars fugiens cavo arboris se abscondit. Altera pars vincentium more insequens, cum sibilo circumstrepebat, donec, circumjecto ab hominibus igne, omnes crematæ sunt. Stephanus in civitate Florentina infirmatus, adveniente sancto Hugone Cluniacensi abbate, dicebat inimicum recedere, abeunte accedere.

1060. Magister Hugo. Post Stephanum Benedictus X fit papa centesimus quinquagesimus nonus, qui sedit mensibus 9. Hunc Benedictum transit Sigebertus et Guillelmus similiter, qui statim post Stephanum ponit Nicolaum. Henricus rex Francorum obit, miles strenuus et bonus, potionis haustu. Non multo post cometes longos et flammeos crines per inane ducens apparuit; de quo quidam monachus Malmesberiæ, Elmerus nomine: « Venisti, inquit, venisti multis matribus lugende, dudum est, quod te vidi; sed nunc multo terribiliorem te intucor patriæ hujus excidium minantem. » Is erat litteris bene imbutus, ævo maturus; qui immanem audaciam in prima juventute conatus fuerat. Nam pennas manibus suis et pedibus nescio qua arte innexuit, ut Dedali more volaret; et fabulam pro vero amplexus, collectaque a summo turris aura spatio stadii unius et plus volavit. Sed venti et turbinis violentia, simul et temerarii facti conscientia tremulus cecidit, perpetuo post hoc debilis, crura effractus; ipse vero ferebat fuisse causam ruinæ suæ, quod caudam in posteriori parte oblitus fuerat aptare.

1061. Sigebertus. Post Henricum filius ejus Philippus regnat in Francia annis 49. Girardus Florentiæ episcopus, qui et Nicolaus IX fit papa centesimus sexagesimus qui sedit annos duos et menses sex. Marianus chronographus claret; qui a Scotia in Galliam veniens, Coloniæ primo Fuldensis monachus, deinde apud Maguntiam reclusus est. Guillelmus. Is longo vitæ otio chronographos scrutatus, dissonantiam cyclorum Dionysii ab Anglica veritate deprehendit. Itaque ab initio sæculi annos singulos recensens, 22 annos, qui circulis prædictis deerant, superaddidit; sed paucos aut nullos sententiæ suæ sectatores habuit. Sic enim nostri temporis doctus sæpe reperit hoc infortunium, ut vix aliquis plenam scientiæ laudem referat; adeo nullus fere novis, licet probabiliter inventis serenitatem assensus pro meritis indulget; totis conatibus in sententiam veterum raptatur. Omne recens sordet; et quia solus favor alit ingenia, cessante favore obtorpuerunt omnia. (1062.) Guillelmus. Eo tempore in confinio Normanniæ et Britaniæ portentum visum est in una, vel potius duabus mulieribus. Duo erant capita, et quatuor brachia, cætera gemina omnia usque ad umbilicum; inferius singularia omnia. Ridebat, comedebat, loquebatur una; flebat, esuriebat, tacebat altera. Ore gemino manducabantur, sed uno meatu digerebatur. Una defuncta supervixit altera, pene triennio mortuam portans, donec et pondere molis, et nidore cadaveris defecit. Putatum est a quibusdam, et litteris traditum, quod hæ mulieres Angliam et Normanniam significarent; quæ divisæ licet fuerint, tamen sub uno domino sunt unitæ. Hæ quidquid pecuniarum avidis faucibus sorbuerint, in unam lacunam defluit, quæ est vel principum avaritia, vel circumpositarum gentium ferocia. Mortuam et pene exhaustam Normanniam vigens pecuniis sustentat Anglia, donec et ipsa fortassis exactorum violentia succumbat.

Sigebertus. Ano Coloniensis episcopus consilio primorum regni indigne ferentium per Agnetem matrem imperatoris Henrici regnum non viriliter gubernari, puerum violenter et injuste captum sub tutela sua accepit et imperii regimen a matre ejus amovit: et de hac re coram cunctis ratione reddita gratiam domini sui imperatoris recepit, et per ipsum filium ad gratiam matris ejus rediit. At imperatoris necessitatem vertens in voluntatem, ut obstrueret ora loquentium de se iniqua, non solum honore regni, sed et onere sæculi rejecto, Romæ ad limina apostolorum se contulit; ibique usque ad finem vitæ omnibus exemplo et miraculo fuit

1063. Anselmus episcopus Lucensis fit papa Alexander II et sedit annos 11, menses 6, dies 25. Papa centesimus sexagesimus primus, contra quem Cadelo Parmensis episcopus papatum ambiens, magno scandalo Ecclesiæ; quia longa inter eos concertatio, etiam usque ad homicidia prorupit. Exercitus multus a Galliis in Hispanias contra Saracenos proficiscitur; sed omni regione a Saracenis vastata, urgente fame inefficax revertitur. Rex Edwardus moriens Guillelmo comiti Normanniæ successionem Angliæ dedit. Progenies autem Westsaxonum, quæ in Britania a Ceronio quingentis septuaginta et uno annis, ab Ecberto ducentis sexaginta et uno annis regnaverat, in ipso defecit. Die Natalis Domini apud Lundoniam portavit coronam: ibidemque morbo ictus, quo se moriturum sciret, Ecclesiam Westmonasterii die sanctorum Innocentium dedicari præcepit, et in eadem die Epiphaniæ sepultus est. Quam Ecclesiam illo compositionis genere primus in Anglia ædificavit.

1064. Hæc Guillelmus, Sigebertus autem sic: Heraldus rex Anglorum obit; cui succedit Aroldus. Hoc anno finitus est tertius magnus cyclus annorum quingentorum triginta duorum a Nativitate Domini bis exactus, continens cyclos decemnovennales viginti octo; qui ad omnem rationem Paschalis compoti omnino utilis ab ævo in ævum in semetipsum sine errore revolvitur. Sed hoc in eo reprehensibile videtur, quod annis Dominicæ Incarnationis ei inconsiderate præscriptis, discordat ab Evangelii veritate, in anno Dominicæ passionis præ-

ferens decimam quartam lunam Aprilis eo anno in prima feria fuisse; quod omnino falsum est, quia secundum fidem Evangelii eo anno luna 14 fuit in 5 feria, et in 6 feria, luna 15, passus est Dominus octavo Kalendas Aprilis.

Frederico rege mortuo, Godefridus ducatum recepit. Tertius magnus cyclus hoc anno incipit, cujus initium in aliis falso anno præcedenti inscribitur. Bis enim quingenta triginta duo, sunt mille sexaginta quatuor, non mille sexaginta tria. Hoc idcirco dico quia omnia fere Chronica hujus falsitatis damnanda sunt. Cometes apparuit tota Paschali hebdomada, Harwic rex Normannorum pene A cum mille navibus venit in Angliam regnaturus; et in Eboraca civitate plusquam mille laicos, et 100, presbyteros occidit. Cui Araldus rex Anglorum cum septem legionibus superveniens, eum cum multis occidit. Interim Guillelmus comes Normannorum cum Francis in Angliam intrat; et conserto cum Anglis prælio, Aroldum cum multis perimit, et regnat ibi annis 26. Hoc quomodo factum sit, latius prosequendum est sub alterius libri principio. Nam de isto Guillelmo, ut ait Guillel. Malmesberiensis, narrari possunt, quæ sint inertibus incitamento, promptis et alacribus exemplo, præsentibus usui, jucunditati sequentibus.

LIBER XLVII.

Guillelmus. Robertus alter filius Richardi II mulieris in choreis saltantis speciem conspicatus, non abstinuit, quin sibi eam nocte conjungeret. Quam deinceps unice dilexit; et aliquandiu justæ conjugis loco habuit; puer ex ea editus est Guillelmus, nomine Albani. Cujus magnitudinem futuram mater somnio prævidit: quæ intestina sua per totam Angliam et Normanniam extendi vidit et dilatari. Ipso quoque quo puer natus humum primo attigit, ambas manus junco, quo pavimenti pulvis cavebatur implevit, stricte quod corripuerat compugnans obstetrix fausto omine acclamavit eum regem futurum. Hic septennis ætate, quando pater ejus Hierosolymitanum iter aggressus est, Gislebertus comes tutor pueri constituitur. Concilio apud Fiscanum proceribus indicto, tutela tutoris regis Francorum Henrico assignatur. In nomen et fidem pueri, jubente patre, ab omnibus juratur. Qui mox ut adolevit, a rege Francorum militiæ insignia accepit; duxitque uxorem Mathildem filiam Balduini comitis Flandriæ. Annis 30 comes fuit Normanniæ. Monasterium Sancti Stephani ædificavit Cadomis, magnificeque ditavit; ubi Lanfrancum abbatem instituit, qui postea fuit Conoturiensis archiepiscopus, vir antiquis scientia et religione comparandus. Alterum monasterium Hastingis Sancti Martini fuit: cum adhuc pene puer esset, patruum suum Malgerium archiepiscopatu Rothomagensi removit. Is erat litteratus satis, sed pro conscientia natalium professionem oblitus, venationibus, et avium certaminibus justo sæpius intendens, et gazas ecclesiasticas conviviis profusioribus insumens. Cujus rei fama crebrescente tota vita sua usu pallei caruit; quod negaret sedes apostolica hujusmodi privilegium ei qui sacrum negligebat officium. Unde crebro conventus expostulante nepote suo adversus eum, et eo nihilominus irreverentius agente, cogente ultima necessitate degradatus est. Ferunt quidam, depositionis arcanam causam fuisse, quod idem Malgerius nepotem suum cum uxore Mathilde B excommunicaverat, quia consanguinei juncti erant; et ideo nepotem excogitasse occasiones depositionis in persecutorem flagitiorum suorum, pro cujus sceleris expiatione idem Guillelmus postea ædificavit monasterium Sancti Stephani Cadomis; et illa monasterium Sanctæ Trinitatis. Malgerio successit Maurilius Fiscannensis monachus, multis plenus virtutibus, et maxime abstinentia. Is ad extrema deveniens, vitali privatus halitu, fere dimidia die latuit defunctus: tandem cum pararetur in ecclesiam ferri, resumpta anima ait ad circumstantes: « Ultima pastoris vestri verba suscipite. Naturaliter mortuus fui, sed ut vobis nuntiarem quæ vidi, reductus sum; nec diu subsistam, quia dormire in Domino delectat. Ductores mei vestibus ornati, et C vultibus ad omnem elegantiam erant. Nihil delectabilius illorum nitido sermone. Gaudens cum eis ibam, ut mihi videbatur, versus orientem; promittebatur mihi sedes paradisi non multo post intranda. In momento præterita Europa ingressi Asiam venimus Hierosolymam. Ibi, sanctis adoratis, Jordanem pertendimus. Citerioris ripæ accolæ ductorum meorum misti contubernio lætiorem cœtum fecere. Ego studio visendi ulteriora transitum maturabam. Tunc comites mei Dominum præcepisse referunt, ut ante dæmonum visione terrificarer, quatenus veniales culpæ, quas confessione non dilueram, pavore illo horrendarum formarum purgarentur. Adhuc eis loquentibus, astitit ex adverso tanta vis D dæmonum hastilia acuta vibrantium, et ignes efflantium, ut ager ferreus, et aer flammeus videretur. Ita horrore concussus sum, ut nec in cœlo, nec in terra tutum refugium æstimarem. Ita meticulosus ego dum quo evadam dubito; ut hæc dicens saluti vestræ nihil negligens consulerem, recepi halitum, confestim effusurus. » Dixit, et pene cum verbo spiritum emisit. Corpus ejus in ecclesia Sanctæ Mariæ sepultum, miraculo, ut aiunt, divino tribus diebus altius super terram elevatum est.

Alexander papa audita causa Guillelmi, vexillum

ei in omne regnum Angliæ misit. Conventum est apud Sanctum Walaricum, exspectaturque aura multis diebus ad transfretandum. Qua tardante nimis, et populo Guilielmi murmurante, jussit corpus Sancti Walarici foras efferri pro vento postulando. Mox prosper ventus carbasa implevit, Hastingis appulerunt. In egressu navis pede lapsus, audivit acclamari sibi a proximo milite. Tenes Angliam comes rex futurus. Aroldus revertens a bello, quo regem Noricorum vicerat; misit exploratores. Qui intra castra deprehensi, jussi sunt ab Willelmo circumduci per tentoria, et mox large pasti ad Dominum suum incolumes remitti. Redeuntes nuntiant ducis magnificam confidentiam, et addunt, pene omnes in exercitu illo presbyteros videri; quia scilicet totam faciem cum utroque labio rasam habent. Angli enim superius labrum pilis incessanter fluctuantibus intrusum dimittunt. Willelmus legatum monachum misit, tria ferentem, ut scilicet Aroldus vel regno secundum conditiones discederet, vel sub eo regnaret; vel certe spectante utroque exercitu, gladio rem ventilaret. Aroldus legatum nec responso dignatus turbide abegit. Illam noctem, ut accepimus, Angli totam in cantibus et potibus insomnem duxerunt; Normanni autem confessioni, postea somno parum vacantes, mane Dominico corpori communicarunt. Comes arma poscit, et casu loricam inversam induit, ministris tumultuantibus. Quem casum risu corrigens: « Vertetur, inquit, comitatus meus in regnum. » Tunc cantilena de Rollando inchoata, prælium commissum est; pugnatum est utrinque acriter. Fossatum quoddam præruptum Angli fugientes noto sibi compendio invaserunt; ubi tot Normannos conculcavere, ut tumulo cadaverum planitiem campi æquarent. Aroldus a longe ictu sagittæ in cerebro percussus interiit. Jacentis femur unus militum gladio proscindens ignominiæ notatus est a Willelmo, et militia pulsus. Idem Willelmus ea die discurrendo, pugnando, hortando, tres equos fortissimos sub se confossos amisit. Susurrabant ei custodes corporis, ut se a periculo subtraheret; sed perstitit usque in noctem. Nihil sanguinis ex ejus corpore tractum est, quamvis multis jaculis impeteretur. Corpus Aroldi matri repetenti sine pretio remisit, licet illa per legatos multa obtulerit. Die Natalis Domini coronatus est ab Alredo Eboracensi archiepiscopo, nolens hoc munus suscipere a Regando Cantuariensi, quia non legitime factus fuerat archiepiscopus. Vexillum regium Aroldi Romam misit ad papam; quod erat in hominis pugnantis figura, auro et lapidibus arte sumptuosa contextum. Urbem Exoniam rebellantem subegit levi negotio, parte muri ultro cadente, et ingressum illi dante, quam ille audacius assilierat, protestans homines irreverentes dejiciendos Dei auxilio; quia unus eorum supra murum stans nudato inguine aurem sonitu inferioris partis turbaverat in contemptum Normannorum. Hujus autem Aroldi Harugar frater clam imperatori Constantinopolitano militavit: cujus jussu pro stupro illustris feminæ leoni objectus est: qui belluam nudo laterum nisu suffocavit.

1067. Obiit sanctus Theobaldus in Vincentia Venetiæ urbe inclusus. Multi usque ad 7 millia Hierosolymam orandi voto petentes ab Arabibus in Parasceve in quodam castello obsessi sunt, et tot occisi aut vulnerati, ut de 7 millibus et eo amplius, vix duo millia reversi sint. Cono, qui et Conradus, primicerius Coloniensis ab imperatore Henrico ad suscipiendum archiepiscopatum Treverensem missus, capitur a comite Treverorum Deoderico, et a satellitibus ejus in silvam ductus, de rupe tertio præcipitatur, et adhuc illæsus gladio transverberatur. Corpus ejus silvæ foliis obtegitur; quod a quodam rustico inventum ad villam defertur et sepelitur. Inde a Deoderico Virdunensi episcopo transportatum ad Tolegium monasterium, multis statim miraculis a Deo glorificatur. His temporibus Belvacensis civitas suo destituta antistite, Guido decanus custos Ecclesiæ Sancti Quintini Viromandensis, et archidiaconus Laudunensis constituitur Belvacensium episcopus, et a Gervasio Remensi metropolitano consecratur. Qui graviter ferens carere se præsentia Quintini martyris, in ejus honore et memoria ædificavit ecclesiam haud longe a mœnibus Bellovacæ urbis. Romæ duobus de papatu contendentibus Mantuæ synodus colligitur, et mediante Annone Coloniensi archiepiscopo, Alexander se de Simonia purgans, in sede apostolica confirmatur; Cadelo vero ut Simoniacus repudiatur.

1068. Joannes in *Policratico*. Rex Willelmus assumpto diademate et pace composita, legatos misit ad exteras nationes, ut a præclaris omnium domibus quidquid magnificum et mirificum videretur, afferrent. Non sic Caius Cæsar, qui sumptuariæ legis insistens vestigio, domum civilem potius quam imperatoriam in mensa prima tribus solemnibus pulmentis sive ferculis statuit esse contentam; dum tamen bellaria parentetica pro necessitate aut dignitate personarum, aut exercenda liberalitate, aut solemnitate dici primis mensis licuerit immiscere. Solemnia pulmenta sunt, quæ in omnes pertranseunt; quæ a Græcis catholica nuncupantur. Parentetica sunt, quæ ex causa necessitatis aut urbanitatis in præceptam partem aliqua ratione veniunt, sic dicta, quoniam solemnibus solent interponi. Bellaria dicuntur omne genus mensæ secundæ; quoniam ibi solent apponi, quæ pulchriora sunt et delicatiora. Unde Varro. Bellaria illa maxime mellita sunt, quæ mellita non sunt. Quod forte eo referri potest, quia utenti gratiora sunt ea quæ necessitas appetit, quam quæ irritatio gulæ invenit. Sigebertus. Deodoricus comes Treverorum de martyrizato Conone apud Deum et homines reus, exsiliatur ab imperatore, et suscepta peregrinatione eundi Hierosolymam, quid de eo, et de omnibus qui in comitatu ejus pergebant, advenerit, adhuc nescitur. Hinc Francis, hinc Scotis Angliam incur

santibus Angli fame consumuntur, multi eorum humanis carnibus vescuntur.

1069. Guido Belvacensis episcopus duobus annis perfectam dedicavit ecclesiam in honore advocati sui Quintini martyris, IV Nonas Octobris. Fluminibus glaciali rigore constrictis Imperator Henricus terram Lutitianorum ingressus, eos nimia cæde prostravit, terram eorum nimium depopulatus.

1070. Gerardus dux Mosellanorum moritur, et dux Godefridus. Girardo succedit filius ejus Odericus, Godefrido Godefridus filius ejus. Godefridus gibbosus corpore quidem exiguus, sed animo eximius. Hungari contra Salomonem regem suum rebellionem meditantur; sed terrore Henrici imperatoris, cujus soror nupserat Salomoni, refrenantur.

1071. Godefridus dux ulteriores Frisones bello aggressus, eos pene ad internecionem delet. Treveris in ecclesia Sancti Paulini in crypta subterranea invenitur corpus ejusdem sancti Paulini, quæ olim a Phrygia, ubi exsulaverat, reportatum, ibi a Felice episcopo catenis ferreis fuerat suspensum, et juxta eum multa corpora sanctorum. Ad dexteram ejus Palmacius consul et patricius Treverorum: ad sinistram Tyrus, unus de principibus Thebææ legionis, cum multis Thebæorum in eadem urbe a Rictiovaro martyrizatus. Ad caput 7 senatores ejusdem urbis, Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, et tres fratres, Leander, et Alexander, et Sother. Ad pedes Hormisda, Papirius, Constans, Jovianus. Et cum multi alii ibi jacerent, horum tantum nomina, et tempus, et dies passionis æreæ litteræ in pariete scriptæ signabant: eosque omnes passos fuisse sub Rictiovaro dicebant.

1072. Balduino juniore Flandrensium comite defuncto, Robertus frater ejus Flandrensium consensu contra Arnulfum fratruelem suum Flandrias occupat. Arnulfus autem cum Philippo Francorum rege occurrit patruo suo Roberto, et pugna conserta Arnulfus perimitur, Philippus rex fuga liberatur: et multis occisis, hinc Richildis mater Arnulphi, illinc Robertus capitur; et altero pro altero relaxato, bellum inter eos vario eventu protrahitur.

1073. In hoc anno duobus magnis annis a 15 anno Tiberii revolutis, omnia secundum cursum solis et lunæ concordant illi anno, quo baptizatus est Dominus, id est octavo Idus Januarii, die Dominico Epiphaniæ, initium jejunii ejus in II feria, tentatio ejus XV Kalendas Martii, in VI feria. Duobus fratribus Russorum regibus de regno contendentibus, alter eorum a consortio regni pulsus interpellat Henricum imperatorem, se et regnum Russorum ei submittens, si ejus auxilio regno restitueretur; sed id frustra fuit, quia gravissima in imperio Romano orta dissensio monebat, magis sua tueri quam aliena acquirere. Saxones enim multis et magnis injuriis et injustitiis ab imperatore affecti contra eum rebellant: ad quos debellandos imperator instanter contendit. Alexander papa venienti Romam Lanfranco archiepiscopo dignanter assurrexit, professus se illud insigne reverentiæ detulisse non honori archiepiscopi, sed amori magistri. Hic Lanfrancus ex abbate Cadomensi factus fuerat archiepiscopus Cantuariæ. Ad hujus Lanfranci missam quidam juvenis monachus legerat Evangelium: qui cum patenam pontifici post *Pater noster* offerret, vidit coram se quosdam vultus teterrimos malignorum spirituum: ad quorum aspectus perterritus, pontificem inter manus sacra tenentem utrisque brachiis strictim amplectitur, horribiliter clamans et dicens: *Christus vincit, Christus imperat*. Conterriti sunt omnes qui aderant, et portatus est ille a militibus in cameram pontificis. Post missam convenitur in capitulo. Adducitur ille dæmone plenus fortiter ligatus. Sermonem facit Lanfrancus de illo, et jubet communiter pro eo orationem fieri. Mox, ut videbatur, sanus effectus est, et pro agendis gratiis ad sepulcrum sancti Dunstani præsentatus. Cumque Completorium cantaretur, subito ille raptus de stallo suo accurrit ad priorem Henricum: quem ille statim apprehendens, duxit in dormitorium, et noctem insomnem ante illum duxit. Media nocte exclamans omnes inquietavit. Ductus est ad sepulcrum sancti Dunstani nimium reniteus. Ubi cum venisset, furere cœpit, et in Christum infinitas blasphemias usque ad diem evomuit. Mane refertur in domum infirmorum, ubi per multos dies cruciatus est. Quicunque ad eum accedebant, si crimen aliquod habebant, de quo nondum confessi erant, publice detegebat illos in pœnis perpetuis sibi sociandos. Unde nonnulli erubescentes pure confessi sunt. Qui cum iterum illi se præsentassent, quærebat qui essent, et unde venissent, et quomodo tam subito loti essent, et suam societatem amisissent. Post hæc cum positus esset in medio sanctarum reliquiarum, exsiliens cum lecto in quo jacebat, volebat fugere sanctos: cumque illic retineretur, dæmon per ventrem ejus tanquam catus parvulus currebat, nunc versus os, nunc versus inferiora, quærens exitum. Cumque fratres reficerent, frater qui relictus erat ad custodiendum eum, multum devotus erga sanctum Dunstanum, confisus de Dei adjutorio accepit crucem, quam sanctus Dunstanus solebat facere portari ante se more archiepiscopi, et posuit eam super dæmoniacum, clamans cum lacrymis: Sancte Dunstane, succurre. Mox dæmon exiit. Tunc æger levatis oculis in cœlum, et perfusus lacrymis, ait: « Gratias tibi ago, sancte Pater Dunstane, et tibi, frater dilectissime, quia tuis meritis, sanctissime domine, et tua charitativa prece, frater charissime, liberatus sum ab hoste. » Post hæc Bajocasensis episcopus, qui erat comes Cantiæ, movit quasdam calumnias adversus Lanfrancum super terras et consuetudines Ecclesiæ Cantuariensis. Cumque adesset dies placiti, Lanfrancus sollicite invocavit sanctum Dunstanum. Ea nocte astitit ei sanctus in visu, dicens: « Lanfrance, ne tristeris, ego tibi adero, et si illos non viceris, scias me non

esse, qui tecum loquor. » Sic factum est. Lanfranco in crastinum omnia quæ objiciebantur, cunctis stupentibus, annihilante.

1074. SIGEBERTUS. Hildebrandus archidiaconus Romanorum fit papa centesimus sexagesimus primus Gregorius VII, et sedit annos 12, mensem unum, dies 3. GUILLELMUS. Hic Hildebrandus, ut audivi a quodam, qui hoc audierat referre abbatem Cluniaci Hugonem, cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu nuntiabat, quem ideo papa Alexander cancellis apostolicorum præfecerat; pro cujus officii intuitu Hildebrandus tanquam cancellarius circuibat provincias, ut perperam acta corrigeret. Die quadam cum equitaret cum multa turba obsequentium, abbas Hugo in extremo agmine cum suis monachis prosequebantur. Visoque eminus tanto B viri honore, cœpit cogitare in animo suo, unde esset tantus honor homuncioni exsilis staturæ, despicabilis parentelæ: procul dubio hoc ex superbia ei accidere, quod tot obambulatores haberet. Vix hoc mente versarat, cum archidiaconus, reflexo equo, et calcaribus concitato, a longe clamans, et abbatem advocans: « Tutu, inquit, male cogitasti. Non enim mihi hanc gloriam, si gloria dici potest, quæ cito transit, vel imputo, vel imputari volo, sed beatis apostolis, quorum privilegio mihi exhibetur. » Erubescens abbas, hoc solum respondit: « Quæso, domine, quomodo nosti cogitationem meam? » — « Ab ore, inquit, tuo quasi per fistulas ad aures meas productus est. » Item Ecclesiam aliquando simul ingressi C abbas et archidiaconus, ut orarent, continuatis et junctis lateribus prostrati devotius orarunt: tunc respexit archidiaconus abbatem turbulento rictu infrendens. Abbas foras egressus causam commotionis inquisivit. Cui ille: « Si me amare vis, cave ne ulterius hac me injuria expungas. Dominus enim meus Jesus, speciosus ille præ filiis hominum (*Psal.* XLIV) postulationibus meis visibiliter astabat, intendens dictis, et serenis favens oculis. Sed orationis tuæ addictus violentia, me deseruit, ad te conversus. Puto esse genus injuriæ, amico eripere auctorem salutis suæ. Præterea noveris mortalitatem hominum, et huic loco imminere excidium. Vidi enim angelum Dei stantem super altare evaginato D

A gladio, et jam provinciam istam spissus et nebulosus aer circumvolat. Fugiamus ergo quantocius. » His dictis, introientes diversorium, ad curam corpori assedere, continuoque dapibus appositis exortus est in domo luctus, pluribus ex familia subito exstinctis. Qua peste per vicinas ædes grassante, mox ascensis mulis diffugerunt. Idem archidiaconus in Gallia consederat in concilio vice papæ; ibi plures episcopi per Simoniam, quorum unus hujus criminis insimulatus nullis testibus argui, nullis argumentis poterat confutari, ita dicendi arte callebat. Tunc archidiaconus: « Cesset humanum eloquium, producatur oraculum divinum. Certum est quod episcopalis gratia Spiritus sancti donum est; et quisquis episcopatum mereatur, donum sancti Spiritus comparari posse pecunia opinatur. Coram nobis ergo qui judicio Spiritus sancti congregati sumus, dicat iste: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Quod si expresse et sine titubatione dixerit, constabit apud me, non esse illum Simoniacum. » Accepit ille libens hanc conditionem, nihil minus ratus, quam hoc dicere. Et certe *Gloria Patri et Filio* ex integro protulit; sed in Spiritu sancto hæsit. Suscitato cunctorum strepitu nullo conatu vel tunc vel deinceps tota vita sua Spiritum sanctum nominare potuit. Hunc dejectum ab episcopatu abbas prædictus pro testimonio miraculi sæpe secum duxit. Hic Gregorius excommunicavit omnes electos, qui investituram Ecclesiarum de manu laici acciperent.

SIGEBERTUS (42). Gregorius papa, celebrata synodo, Simoniacos anathematizat, uxoratos sacerdotes a divino officio removet, et laicis missam eorum audire interdicit, novo exemplo, et ut multis visum est, inconsiderato judicio, contra sanctorum Patrum sententiam, qui scripserunt, quod sacramenta, quæ in Ecclesia fiunt, baptismus, chrisma, corpus et sanguis Christi, Spiritu sancto latenter operante, eorumdem sacramentorum effectum seu per bonos seu per malos intra Ecclesiam Dei dispensantur, tum quia Spiritus sanctus mystice illa vivificat, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur, nec malorum peccatis attenuantur. Unde est: *Hic est, qui baptizat* (*Joan.* I). Similiter hic est, qui conse-

(42) Si quæ videntur in nostro auctore pontificibus quibusdam injuriosa, maxime Hildebrando, seu Gregorio VII, illa sunt Sigeberto ascribenda, imo sunt ipsa Sigeberti verba, qui huic pontifici infensus fuit, fovens partes imperatoris, quo cum pontifici Gregorio summæ inimicitiæ fuerunt. De hoc Sigeberto cardin. Bellar. lib. *De scriptoribus ecclesiasticis*: « Sigebertus, inquit, in sua Chronologia iniquior fuit Gregorio VII, ob studium erga imperatorem; qua de causa non pauca mentitus est, et præsertim cum narrat obitum ipsius Gregorii. » Ipse Sigebertus ad annum 1074 ait a Gregorio VII prohibitos fuisse uxoratos sacerdotes divina officia celebrare, novo exemplo et inconsiderato. Quæ etiam verba refert Helinandus, nec ea damnat. At quale crimen est hoc? Quis hodie ferret hujusmodi sacerdotes astare altari, et divina officia celebrare? Ideo etiam in defensionem Gregorii papæ, ut ait Bellar. cit. contra calumnias Sigeberti scripsit sanctus Anselmus in epistola ad Guillelmum abbatem, quæ est numero octava, ubi sic ait: « De presbyteris qui se aperte reproba libidinis conversatione Deo reprobabiles exhibent, omnino tenendum est quod apostolica providentia ecclesiastico justoque rigore constituit. Nempe nullatenus convenit, ut ibi irreverenter astent, ubi pertinaciter aperta et impudenti libidine fetentes, Dei et sanctorum prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deserviunt; imo non deserviunt, sed quantum ad ipsos, commaculant: non quo quis ea quæ tractant contemnenda, sed tractantes exsecrandos existimet: ut qui Dei et angelorum præsentiam non reverentur, vel hominum detestatione repulsi, sacra contaminare desistant. » — Vide quæ ad hunc locum Sigeberti adnotavimus, *Patrologiæ* t. CLX, col. 217, 218, 221. EDIT.

erat. Ex qua re tam grave scandalum ortum est, ut A nullius hæresis tempore sancta Ecclesia graviori schismate divisa sit : his pro justitia, illis contra justitiam agentibus; aliis a Simonia non declinantibus, aliis notam avaritiæ honesto nomine prætexentibus; dumque se gratis dare jactant, sub charitatis nomine vendunt. Et ut de Montanis dicit Eusebius, sub nomine oblationum artificiosius munera accipiunt. Porro continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modo causa quæstus ac jactantiæ simulantibus, multis incontinentiam perjurio, aut multiplici adulterio cumulantibus. Ad hæc hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines, et se ab omni Ecclesiæ subjectione excutientibus, laici sacra mysteria temerant, et de his disputantes infantes baptizant, sordido humore B nonnunquam pro sacro oleo et chrismate utentes. In extremo vitæ viaticum Dominicum, et usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ a presbyteris conjugatis accipere parvipendunt; decimus presbyteris deputatas igni cremant, et ut in uno cætera perpendas, laici corpus Domini a conjugatis presbyteris consecratum sæpe pedibus conculcaverunt, et sanguinem Domini in altari effuderunt, et multa talia contra jus et fas gesta in Ecclesia sunt : et hac occasione multi pseudomagistri exsurgentes in Ecclesia, profanis novitatibus plebem ab Ecclesiæ disciplina avertunt.

1075. Henricus imperator Saxones gravissimo prælio vincit, eosque iterata expeditione perurgens, C cunctos eorum principes, episcopos, duces, comites, cæterosque potentes ad deditionem coegit. Hungari contra imperatorem rebellant, regemque suum Salomonem regno deturbatum sub diuturna custodia excruciant. (1076.) Gregorius papa totus in Henricum imperatorem invehitur, et quoscunque potest, ab eo scriptis et verbis avertit : animum etiam Agnetis matris ipsius imperatoris ab eo alienat. Sicarius in Frisonia Godefridum ducem perimit. Balduinus puer frater Arnulfi occisi ad Davengium bellavit contra exercitum patrui sui Roberti : quem pugnando devicit. Magnum gelu, et glacies validissima a Kalendis Novembris usque ad medium Aprilis. Hoc anno, qui est 13 annus novi cycli decemnovennalis in repetito magno anno Dionysii, duobus D magnis annis a passione Domini revolutis, omnia quæ ad cursum solis et lunæ spectant, anno Dominicæ passionis concordant. Unde apparet quod Dionysius non recte annos Domini cyclo suo annexuit. Quia ab anno Domini 532 cyclum suum orditus est. Nimirum ipse intendit ipsum natum fuisse anno 2 prioris magni : ac per hoc hic annus anno Dominicæ passionis concordat : sic debet esse magni cycli annus non 13, sed 32, quia is fuit annus passionis Domini : et per hanc consequentiam solaris et lunari, cursus concordantem Evangelicæ veritati, Dionysius posuit Nativitatem Christi viginti et uno anno tardius quam debuit.

1077. Henricus imperator coacto Wormatiæ concilio episcoporum 34 et multorum primatum regni, decerni jubet, omnia decreta et facta Hildebrandi papæ irrita esse debere, ibique omnes, præter paucos, Hildebrandum abjurant, eumque papatu abdicandum esse judicant. Hildebrandus econtra imperatorem excommunicat, ut primates regni, quasi justa ex causa excommunicato regi contradicant. Dominica in Palmis circa horam sextam sereno cœlo stella apparuit. Principibus Saxonum, qui in deditionem imperatoris erant relaxatis, per eosdem quibus commissi fuerant, Saxones instinctu Hildebrandi papæ rebellant. Ipse papa occurrens imperatori in Longobardia, sub falsa eum spe absolvit. Omnes enim qui prius Hildebrandum abjuraverant, perjurium perjurio cumulantes, imperatorem abjurant, et Rodulphum regem Burgundiæ super se regem statuunt, corona ei a papa missa, cui erat inscriptum :

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Hunc Sigefridus archiepiscopus Maguntiæ in regem benedixit, et facta a Maguntinis seditione contra eos, Rodulphus cum archiepiscopo noctu aufugit. Hildebrandus papa omnes adversantes imperatori absolvit ab infidelitate et perjurio. Imperator, Alpium aditibus contra se munitis, ubique eorum insidias frustratus, per Aquileiam venit Ratisponam, et Rodulphum adorsus, eum fugere compulit, et iterata expeditione Sueviam depopulatur. (1078.) Henricus imperator Sueviam depopulatus castella frangit, omnia vastando inimicis suis formidinem, amicis addit fortitudinem; et multos, qui ex desperatione rerum a se defecerant, ad se retrahit. Hermannus episcopus Hildebrando papæ ad animam confœderatur, ac per hoc imperatori rebellis urbe Metensi pellitur. Ab hoc tempore cœpit reflorere in Ecclesia B. Quintini Belvacensis ordo canonicus, primum ab apostolis, postea a B. Augustino episcopo regulariter institutus, sub magistro Ivone venerabili ejusdem ecclesiæ præposito, postea episcopo Carnotensi. Hoc tempore Petrus Damianus scripsit ad papam Hildebrandum, reddens rationem, cur episcopatum dimiserit.

Erat enim vir religione et sapientia nominatissimus. Qui quædam ibi narrat, quæ in hoc loco expendenda decrevi : « Quia, inquit, refutavi ecclesiasticum regimen, centum annorum pœnitentia mihi injuncta est, secundum remedia regulæ monasteriorum (43). » Forte de talibus remediis loquitur hic, de qualibus, ubi dicit : « Dominicus, inquit, lorica

(43) Nota Bellarminum lib. *De scriptoribus Eccl.*, ubi de Petro Damiani agit, ejusque mortem anno 1072, consignat, hæc consequenter notare. « Ex quo, inquit, refellitur fabula Helinandi et Vincentii Bellovacensis, de pœnitentia centum annorum illi imposita a Gregorio VII papa ; obiit enim Petrus (Damiani) antequam Gregorius VII pontifex eligeretur. Verum non fabula est, sed certa historia, quæ a nostro Helinando refertur. Verba enim ipsa Petri Damiani, quæ et in ejus operibus editis leguntur, exscripsit

ferrea vestitus erat ad carnem, duobusque circulis ferreis cinctus in corpore, et duobus per armos brachiorum. Hic armata scopis utraque; manu, duodecim psalteria vestibus exutus, totam noctem ducens pervigilem, cum die altera persolvit, et de tertio decimo usque ad *Beati quorum.* » Hujus viri exemplo mos inolevit in nostris partibus, ut non solum viri, sed et nobiles mulieres hujus purgatorii genus inhianter arriperent. Nam relicta Tethaldi, mulier magni generis, et magnæ dignitatis retulit mihi, se per præfixam hujus disciplinæ regulam centum annorum pœnitentiam peregisse, tribus disciplinarum millibus pro uno anno computatis. Talis igitur centum annorum pœnitentia illi injuncta est; quia episcopatum dimiserat amore religionis, cum esset valde idoneus Ecclesiæ regimini. Sed ipse rationem reddens, multos sanctos ante se hoc idem dicit fecisse Valerius, inquit, Hipponensis Augustinum sibi successorem constituit. Lucidius Evodensis imminente obitu ad cœnobium convolavit : cui, ut ait Gregorius in *Registro*, beatus Andreas apparuit, et horam obitus nuntiavit. Adelbertus Veniensis episcopus monachum induens martyrii palmam invenire promeruit. Item quidam sanctus pœnitens episcopatu dimisso tandem ab angelo visitatur, et jubetur ad episcopatum redire, sed noluit ; donec admonente eodem angelo beatus Remigius celeriter advenit, qui hoc ei imperavit, et tunc primo obedivit. Et infra : Melius est, pondus abjicere, quam cum detrimento Domini, cujus servus sum, fractis cervicibus interire. Unde scriptum est. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens exegissem cum usuris utique quod meum est ?* (*Luc.* XIX.) Id est, inquit Hieronymus, deposuisses ad altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignavus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti. Nonne apud quosdam episcopos quotidie regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale convivium ? et unde refrigerare debuerant indigentes, recreant milites, et ad eorum mensam deliciis affluentibus alieni ructant : cum illi, quorum est tota substantia foras exclusi, famis inopia contabescunt : et quod diabolicam videtur æquare malitiam, prædiis in militia profligatis, omnique possessione terrarum, insuper et decimæ et plebes adduntur in beneficiis sæcularibus. Quæ liberalitas pessima et egentibus adimit, unde vivant ; et diœcesaneos deterret, ut decimas non persolvant ; illos occidens in corpore, istos in anima. Florentinæ civitatis episcopus ludo schaccorum præfuit. Quem ego increpans adhuc episcopus, injunxi ei, ut percurreret tria psalteria, ac 12 pauperum pedes lavaret, et eos reficeret, et singulis singulos denarios daret ; ut manibus ablueret, quod manibus polluerat. Hujus temporis quosdam casus mirabiles, quos idem Petrus Damianus sparsim in libris suis narrat, hic inserere dignum duxi. Dux Venetiæ Constantinopolitanæ urbis habebat uxorem, quæ tam tenere et tam delicate vivebat, et tam artificiosa voluptate se mulcebat, ut se communibus aquis dedignaretur abluere ; sed ejus servi de rore cœli undique collecto laboriosum ei balneum præparabant. Cibos suos non tangebat ; sed ab eunuchis ejus alimenta quæque minutius concidebantur in frustula : quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis et bidentibus ori suo liguriens adhibebat. Cubiculum ejus tot aromatibus et thymiamatibus redolebat, ut etiam dictu fetidum sit, et auditu incredibile. Sed dum adhuc viveret, vibrato super eam judicii mucrone corpus ejus omne computruit, ita ut totum cubiculum intolerabili fetore compleret ; nullusque illam ferre potuit, non cosmeta, non servulus. Vix una sola ancilla non sine specierum redolentium auxilio in ejus servitio remansit ; quæ tamen raptim accedens, cursim recedebat. Diutius hoc languore decocta, et miserabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus diem clausit extremum. Huic illud potest aptari. *Quantum se exaltavit, et in deliciis fuit, tamen date illi tormentum et luctum* (*Apoc.* XVIII). Et rursus : *Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortis instat cruciatio* (*Sap.* VI).

Sophia fuit duorum marchionum Ugozonis soror, et Raineri filia. Hæc dum sana esset et incolumis, petiit abbatem Sancti Christophori, ut sibi sepulturam in eodem monasterio pararet. Quo renitente, et illam delitare dicente, illa tamen, licet difficile, impetravit. Factum est ergo sepulcrum ejus in claustro monachorum. Quod illa mox ut ingressa conspexit, nescio quo Dei judicio ægritudinem incurrit ; et paulo post abortiit et obiit, et ibidem se-

Helinandus. Quia, inquit, refutavi ecclesiasticum regimen (id est quia meum episcopatum dimisi), centum annorum pœnitentia mihi injuncta est, secundum remedia regulæ monasteriorum. » Verba sunt non Helinandi, sed Petri Damiani ad Hildebrandum. At non dicit Petrus, nec item Helinandus, pœnitentiam illam fuisse ab ipso Hildebrando injunctam, imo oppositum innuit, cum et hoc scribat, quasi illi minus notum. Deinde potuit imponi pœnitentia illa ab Hildebrando, tanquam pontificis legato quo munere ante pontificatum fungebatur. Dices, narrat Petrus illam pœnitentiam Hildebrando pontifici ; et tamen obierat antequam Hildebrandus fieret pontifex. Respondeo, narrat eam Hildebrando qui fuit postea pontifex, non qui tunc esset. Quod si Helinandus putavit illum tunc pontificem fuisse, erravit solum in circumstantia actionis illius, quam refert, nec propterea fabula est pœnitentia illa 100 annorum Petro imposita. Quæ pœnitentia quomodo impleretur etiam a delicatis et nobilibus feminis, vide apud eumdem Petrum in ipsa epistola ad Hildebrandum. Sed adverte nullam mentionem apud hunc nostrum auctorem fieri pontificis feminæ, seu papistæ Joannæ, quia fabula illa nondum erat fabricata : sed nec doctoris Parisiensis qui e feretro caput erexerit, cum orationes pro eo nondum tumulato fierent in ecclesia. Quæ actio tam memorabilis si ei et Sigeberto nota fuit, mirum valde est ab eis fuisse prætermissam ; ignotam autem eis fuisse, magis mirandum.

pulta est. Cujus tumulus cum esset gypseus, et arte A cæmentariorum studiosissime communitus, tantam tamen illuviem per continuum circiter annum exhalavit; ut fratres in tota illa medietate claustri morari non sineret. Omnis enim caro quanto tenerius et mollius educatur, tanto deterius in putredinem vertitur. Quidam monachus dum frixuras quasdam in refectorium deferret in vasculo, pruriente gula mox unam in os projiciens furtive comedit. Moxque tantus eum libidinis ardor invasit, ut quod nunquam ante fecerat, nulla se ratione comprimeret, donec propriis manibus semen ejiceret. Sic post buccellam introivit in eum Satanas. In monasterio Beati Vincentii non procul a monasterio, quod dicitur Petra Pertusa, constituto, regulare constitueramus edictum, ut in Quadragesima B per triduum nonnisi modicum panis cum aqua omnes sumerent, nulla verba proferrent nec lectionem, nec orationem in audientia, nudis pedibus incederent: expleto Psalterio mutua se scoparum castigatione quotidie purgarent. Hanc regulam quidam frater edendo violavit, qui peritus erat scribendi, notandi, tornandi, fabricandi. Augur, cenobates, medicus, magus, omnia noverat. Media Quadragesima ille crassus et nitidus et obesus repente infirmatus est. Audieram autem illum pro peccatis suis a missarum celebratione sequestratum. Super qua re eum admonui, sed hoc negavit: secunda die corpus Dominicum sedens in lecto anxius a me flagitabat. Cumque abbas eum super hoc corriperet, qui præsens nobiscum astabat, pro C eo scilicet quod nulla signa mortis in eo apparerent; ille nihilominus perstitit, et sacerdote jam cum sacramento astante, applicans ad se unum de fratribus, nescio quod grave peccatum ei insusurravit in aurem: qui attonitus et nesciens quam ei pœnitentiam injungeret, tandem 15 annos pœnitentiæ ei injunxit. Moxque ille ut corpus Domini suscepit, animam cum felle simul evomuit. Quod fel usque ad sepulturam fluere non cessavit. In præfato monasterio statutum erat, et per triennium jam servatum, ut horis canonicis beatæ Mariæ semper virginis officia dicerentur: de quo cœpit murmurare monachus quidam, nomine Gozo, reprobæ vitæ, sed dicacis et accuratæ facundiæ, D et obtinuit per quæstiones suas, ut horæ beatæ Virginis amplius non dicerentur. Mox innumeræ adversitates adversus idem monasterium exortæ sunt, deprædationes, rapinæ, conflagrationes, servorum et familiarium ejusdem loci trucidatio. Itur ad imperatorem Teutonicum, sed frustra. Venitur ad me; dico eis hæc accidisse, quia matrem pacis a se projecerant: et mox in terram prostrati nuntii, dicunt se nunquam de cætero laudes beatæ Virginis omissuros. Sic in brevi postea pacem recuperant.

Monachus quidam nobis cohabitaturus cohæsit, et per octo annos nobiscum mansit, caste et laudabiliter juxta fratrum testimonium; et nobis multa volumina scripsit. Erat enim peritus scribendi. Post hæc cum obesus esset corpore, et robustior solito videretur, cœpit obstinate deposcere, ut ad suum monasterium reverteretur, suadente hoc diabolo, ut postea patuit. Nam mox ut monasterium petiit, cum aliquo alio monacho dierum malorum sene, litteris æque perito atque librario, incestum incurrit, et ægritudine mox irruente decubuit, et non multo post confessus et confusus decessit. Quidam monachus Faventinæ civitatis ardere fecit aquam in lampade pro oleo; et postea in luxuriam incidit, et publice virgis cæsus, turpiter decalvatus est.

Ejusdem civitatis presbytero angelus Domini ex consuetudine adveniebat, et sacramentum Dominici corporis de offerentis manibus assumebat, vidente principe. Tandem idem presbyter in luxuriam incidit, et ecce angelus Domini eo offerente, ut consueverat, venit, et inspectante principe spongiam impletam aqua super caput ejus expressit; omnesque sordes atque squalores, quos ex corpore illius ante contraxerat, membris ejus omnibus iterum superfudit. Obstupescens princeps secrete presbyterum admonuit: qui primo negans, postea confessus est, se præterita nocte in quadam cubicularia ejus corruisse. Duo viri de primoribus ejusdem civitatis cuidam diacono simul apparuere per visum, qui ferreis casulis in modum sacerdotum taloteuus videbantur induti. Percunctante illo, et dicente, utrum vos qui in illa vita estis, jugiter Dominum benedicitis, responderunt: « Nos qui apud inferos æterno igne cruciamur, nunquam benedicimus Dominum. » Quidam princeps Salernitanus, cum quadam die prospexisset de monte Vesuvio flammas erumpere, protinus ait: « Procul dubio aliquis sceleratus dives in proximo moriturus est, et in infernum descensurus. » Est enim talis consuetudo in illis partibus ut, imminente morte divitis reprobi, mons ille flammas evomat piceas et sulphureas. His dictis, superveniente proxima nocte, dum idem princeps securus cum meretrice concumberet, expiravit: quem illa, ut postea referebat, quid contigisset ignorans, durius pertulit, et vix tandem a se non hominem, sed cadaver projecit. Quidam presbyter Neapolitanus volens certius quod non licebat addiscere, illuc ubi gehennale barathrum ferventius eructabat, propinquare præsumpsit; post missarum solemnia infulatus quasi armatus procedens. Sed dum ultra quam solebant homines, temerarius scrutator accessit, redire non valens, postea non comparuit. Alius presbyter matrem suam Beneventi ægrotantem reliquit. Qui dum perduceret dominum suum per fines Neapolis, exundantibus flammis intendens, audivit clamorem, quem matris suæ esse cognovit. Notavit horam, et tunc comperit matrem suam obiisse.

Quidam clericus cum pellice sua per quinquennium luxurians, incensa urbe fortuito incendio, simul in una domo combustus inventus est. Quidam presbyter conversionem promittens, et differens, in parvo fluviolo de equo cecidit, et submersus est.

Joannes Commiclensis episcopus porcum viduæ abstulit, ploravit illa, non est exaudita. Qui dum comederet, percussus est in gutture: quod vulnus quandiu vixit a medicis sanari non potuit. Tunc ergo conversus est ad religionem, quod multo ante promiserat, et implere non volebat. Diu tamen postea in conversione vixit, tanta laborans gutturis molestia, ut cum magna difficultate alimenta perciperet; et ad gemmam refectionem fratrum sibi succedentium discumberet; vixque in tanto spatio caperet, unde stomachum recrearet.

Vir quidam dives Harduinus certa devotione mihi spoponderat, quod si non posset ante, saltem expleto decennio transiret ad religionem in monasterio Beati Vincentii, quod in Arpingia situm est. Expleto termino tergiversari cœpit, et abbas ejusdem monasterii votis ejus favebat, et dissuadebat converti; cujus nimirum necessariis sustentabatur auxiliis. Interea languore correptus, confessus, et pauperibus et ecclesiis multa largiens, quasi cunctis bene dispositis securus, assistentes sibi cognatos et affines sub hac attestatione constrinxit: « Obsecro vos, inquit, per charitatem, quæ Deus est, ut nemo me huic mortali vitæ reddi deposcat, ne me imparatum, quod absit! mors improvisa reperiat. » Mortuus est ergo, et aliquanto tempore post mortem suam abbati illi apparuit nocte per visum. Videbar, et ecce in spatiosa campi planitie imperatori vel quemlibet excelsa potestas cum totius regni copioso conveniebat exercitu. Cumque ille stupefactus huc illucque oculos deduceret, ecce Harduinus a quibusdam custodibus celeriter deducebatur: « Heus, inquit abbas, siste gradum parumper. Mihi non loqueris, Harduine? Eia, frater, quid tibi est? Lætaris, an pateris? In pœna es, an in gloria? » Tunc ille tristis et flebilis: « Quid me, inquit, interrogas de gloria, qui jugibus pœnis afficior? » Ad quod abbas: « Quid ergo tibi fecit beatus Vincentius? » At ille: « Sanctus, inquit, Vincentius diu me fecit suum sperare colloquium; sed quia dudum fatigatus hoc obtinere non merui, spem hanc omnino jam frustratus amisi. » Sic plane promissionibus frustrabatur ab eo, quem similiter promittendo frustraverat.

In monasterio quod beatus Gregorius infra Romanæ urbis mœnia condidit, quidam puer a parentibus oblatus est. Qui cum adolesceret, ad sæculum rediit, et uxorem duxit. Cumque juvenis factus esset, divino judicio percussus in gutture, cœpit ægrotare usque ad mortem. Tandem se petiit ad monasterium reportari. Ibique pœnitudinem de suis pravitatibus, et habitum monachi recepit. Cumque uxor ejus cum nonnullis aliis lecto jacentis assisteret, cœpit ille gemens et ululans inordinata voce garrire; cumque increparetur, quare non quiesceret, « Nonne, inquit, videtis beatum Andream apostolum et sanctum Gregorium acerrimis me suis verberibus flagellantes? » Postea paululum quiescens respirabat, et dicebat: « Modo verberaverunt me, A quia monasterium dimisi, et uxorem accepi. » Et iterum post fletus et rugitus dicebat quiescens: « Modo verberaverunt me, quia pauperibus mendicantibus, maximeque Scotigenis non modo nihil dedi; sed etiam, quod pessimum est, frequenter irrisi. » Rursusque: « Modo castigatus sum, quia sex nummos a quadam vidua paupercula mutuo accepi et reddere nolui. Quot passus fecit illa in laborando, dum veniret illos a me requirens, tot modo ictus de amborum sanctorum manibus pertuli, dum me pariter verberarent. Ut sciatis autem, inquit, quia non mentior, perendie hora sexta de hoc sæculo migraturus sum. » Erat tunc sexta feria. Nocte vero qua Dominicus illucescebat dies in Ramis palmarum, de lecto cunctis migrantibus exsiliens, scapulare et cilicium, B quæ juxta se erant, repente corripuit, et mox Ecclesiam Beati Andreæ attonitus et festinus intravit; ubi strato compositus, his qui aderant fratribus ait: « Ecce sanctorum verberibus flagellatus, ita purificatus de corpore egredior, sicut de fonte baptismatis mundus exivi. » Igitur inter sacra missarum solemnia Dominica passione vix perlecta, hora quam prædixerat, obiit. Nudato ejus corpore ad lavandum, inventæ sunt in eo vibices, et stigmata plagarum. In eodem monasterio crypta est, et in eodem fons, unde beatus Gregorius bibebat, et cubile lapideum, in quo æstate quiescebat. Quam aliquando cryptam prægnans canicula ingressa est, ut in ea parturiret. Quæ mox ut præfato cubiculo C appropinquavit, moriens corruit. Desiderius Cassinensis abbas narravit mihi. Servus, inquit, Dei Neapolitanæ regionis in prærupta rupe juxta viam publicam solitarius habitabat. Qui dum nocturno tempore psalleret, et fenestram cellulæ horarum explorator aperiret, vidit multos Æthiopes iter carpere, et longo tractu onustos feno saginarios comminare: cumque eos inquireret, qui essent, et cujus rei gratia hæc jumentorum pabula vectarent: « Maligni, inquiunt, spiritus sumus. Hæc autem paramus, non pabula pecoribus alendis, sed fomenta potius ignium hominibus comburendis. Præstolamur enim in proximo principem Capuæ, qui jam decumbit, et Joannem magistrum militum Neapolitanæ D civitatis, qui adhuc vivit incolumis. » Illico vir Dei Joannem festinus adiit, quæ viderat et audierat, narravit. Per idem tempus Otto secundus contra Sarracenos ibat Calabriam. His auditis, Joannes ait: « Modo necesse habeo imperatori occurrere, et de statu terræ hujus diligenter tractare. Post ejus abscessum spondeo, quod sæculum deseram et monachus fiam. » Ut autem probaret, utrum verum esset, quod ille narrabat, nuntium direxit ad Capuam, qui Pandulfum jam mortuum invenit. Ipse quoque magister militum Joannes, antequam imperator ad illas partes attingeret, vix diebus 15, supervivens, mortuus est. Martinus, qui in Camaldulensi eremo commoratur, vir multarum virtutum, et præcipue gratiæ lacrymarum, narravit.

Monarchus erat maritimi territorii in cœnobio, quod dicitur Adpinum, multis peccatorum nexibus involutus: cui cum magna et longa pœnitentia fuisset injuncta, ille a quodam familiari suo auxilium petiit, ad comportandum pondus pœnitentiæ. Quod onus ille devote suscipiens, præcepit eum secutum manere de tanta parte persolvenda. Qui sic obligatus non multo post mortuus est. Erat autem vitæ inter fratres irreprehensibilis et opinionis honestæ. Non multis post diebus pœnitenti monacho in somnis apparuit. Qui inquisitus, quomodo se haberet: «Male, inquit, et dure, sed propter te. Nam liber a propriis, quia tuis me vinculis innodavi, et alienam cautionem non persolvi, flagellis duris attestor. Sed quæso te, ut vigiles pro te, et liberes me. Vade itaque, et deprecare conventum, ut quod spopondi persolvant, et me eruant.» Quod cum factum esset, ille rursus præfato monacho apparuit, vultu festivo et sereno; dicens se per orationes fratrum a pœnis erutum, et sanctis conjunctum.

In partibus Galliarum inter abbatem et quemdam sæculi potentem orta est magna contentio de possessione; ita ut utriusque partis fautores post longa jurgia ad arma condixerint. Potens ille sæcularis turmis armatorum stipatus, campum prœliaturus ingreditur. Abbas autem cunctis qui pro se dimicare venerant suum prohibuit comitatum, solos monachos suos equis imposuit, capita cucullis operiri præcepit, et sic armatus ad locum certaminis venit. Protinus adversarii tanto horrore concussi sunt, ut mox equis desilirent, arma projicerent, terræ se humiliter sternerent, indulgentiam flagitarent. Si objiciatur, Leonem papam bella gestasse, respondeo, non ideo Petrum factum esse apostolorum principem, quia negavit; nec David ideo prophetam, quia mœchatus est. Mala vel bona non de meritis hominum, sed de propriis debent qualitatibus æstimari. Gregorius multas rapinas et violentias a Longobardis passus est, Ambrosius ab Arianis: uterque sola patientia dimicavit.

Dusinus episcopus, capite jejunii feria quarta, fecit sibi et militibus sumptuosum convivium præparari; cujus vultum repente paralysis corripuit, et faciem, et os, et cum tali morbo diu postea vixit. Quidam alienam suem furatus est. Erat autem vir ille hospitalis valde. Interea adest Jesus in effigie pauperis, et tanquam prolixo crine egebat tonsore. Ille protinus reverenter assurgens, assumptis forcipibus eum tondere cœpit. Quod dum faceret, reperit in occipitio ejus duos oculos latitantes. Expavit ille, et inquisivit, quid hoc esset. Cui ille: «Ego, inquit, Jesus vocor, qui undique cuncta contemplor; et isti sunt oculi, quibus vidi suem, quam in cavea modo conclusisti, moxque disparuit.»

Quidam episcopus valde sitiens, vinum sibi afferri præcepit, cumque pincerna totum quod erat vasculo exhausisset in poculum, et episcopo detulisset; ecce pauper importunus illud sibi dari poposcit, dicens,

A quod si statim non biberet protinus exspiraret. Præcepit episcopus illud pauperi dari; cumque amplius sitiret episcopus quam ante, jussit iterum vas vinarium inspici, si forte aliquid superesset, et repertum est plenum. Abbas quidam jussit emi lampredam; empta est una viginti nummis Papiensibus; coacta et apposita; et ecce pauper ad januam id maxime sibi dari postulat, quod abbati appositum erat. Mittit ei abbas integrum adhuc piscem. Illico pauper cum paropside plena pisce in sublime se extulit, et cœlum cunctis videntibus penetravit. Ecce probatio, quod illud, quod in sinu pauperis occultamus, in cœlum reponimus. Episcopus quidam lampredam præparari jussit, cumque missam cantaret, illecebroso gustus ejusdem piscis

B tentatus est affectu. Erubuit ille, expletaque missa, febreticum piscem pauperi dari *jussit*. *Quidam pater* familias unum solum nummum habebat in loculo ad emendum aliquid, quod cum pane comederet. Interim pauper advenit, et misericordiam postulavit. Dat ei nummum illum. Redit domum, panis solitus ei apponitur. Et ecce vir quidam ignotus, et quem nunquam antea viderat, festinus et anxius viginti solidos denariorum in linteo ligatos, in manu ejus posuit, dicens ei a domino suo missos, et tanquam qui exspectaretur, mox recessit. Quidam nobilis genere, sed degener moribus, duxit consanguineam suam in Clavomaco regno. Excommunicatus est ab episcopo pio, contempsit. Ad divinæ vero indignationis indicium contingit, ut pa-

C nes de nuptialibus mensis in plateas ante omnes projecti, a canibus non tangerentur. Non multo post ille in cubiculo dormiens fulminatus est. Cum apud Parmensem urbem studerem, in vigilia sanctorum martyrum Gervasii et Protasii vir quidam maturius surrexit, et boves suos in remotiora pascua duxit. Cujus vicinus quidam domum ingressus, et febricitare se simulans, lectum uxoris ejus intravit; cumque dentibus strideret et tremeret, illa velut febricitanti marito compatiens, illum amplexa est, et lodice contexit. Quam ille violans continuo recessit; nec multo post maritus redit, stratum reperit; cui uxor exprobrans, ait: «Optime poteris hodie sanctorum martyrum ecclesiam in-

D gredi, quæ tibi contigua est cum cæteris Christianis.» Cumque ille attonitus inquireret, quid loqueretur, et rem totam per ordinem cognovisset, et cognoscentes uterque se esse delusos, valde consternati sunt. Tandem resumpto spiritu, et omni rubore postposito, conveniunt cum cæteris ad nocturnum officium; et querelam coram omnibus deposuerunt; et vindictam de tanto scelere poposcerunt a Domino, ut latentem adulterum notum faceret. Mox adulter dæmone plenus, et seipsum lacerans intravit ecclesiam: modo in altum volans, modo gravissimo impetu in ima se præcipitans; modo ad parietem caput elidens, modo in pavimentum se insaniendo prosternens; tandem infelicem animam coram populo exhalavit.

Fertur in regione Puteolis in Apulia, inter aquas nigras et fetidas, saxosum esse promontorium et scrupeum; ex quibus aquis consueto more teterrimæ videntur aviculæ consurgere, et a vespertina Sabbati hora usque ad ortum feriæ secundæ humanis aspectibus apparere, et velut solutæ a vinculis libere spatiari, alas extendere, plumas deperdere: nec unquam videntur vesci, nec quolibet aucupis ingenio possunt capi. In matutino feriæ secundæ ingens corvus ad instar vulturis eas persequitur, et post illas crocitat, quæ protinus se immergunt, nec ulterius apparent usque ad vesperam sequentis Sabbati. Has nonnulli perhibent animas esse hominum gehennæ deputatas, sed Dominico die cum adjacentibus noctibus pro gloria resurrectionis Dominicæ refrigerio potiri. Cui assertioni Prudentius (44) in hymno consentit dicens :

Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum.... feriæ.

Illa nocte factæ, qua rediit Deus victor ab inferis Acherontis. Sed Desiderius Cassinensis abbas rem sic se habere funditus abnegat. Stambertus tamen archiepiscopus præsente Desiderio retulit, se hoc audisse ab incolis Apuliæ. Idem Humbertus retulit, quod in monasterio Sancti Silvestri in territorio Urbinate quidam monachus obiit, et ab incipiente gallicinii nocturnalis articulo usque ad secundam diei horam cadaver exanime fratribus circumquaque jacentibus jacuit. Cumque ad missam pro eo *Agnus Dei* diceretur surrexit; cumque fratres attoniti propius accessissent, ut ab ore illius verba audirent, ille maledicta et contumelias in Deum cœpit evomere, crucem oblatam ei, ut oscularetur, conspuere, et intemeratam Dei Genitricem ignominiosis opprobriis lacerare, et dicebat : « Quare pro me psallitis, vel sacrificia offertis? Ego in ipsa flamma Tartari fui, ibique magister meus et dominus Lucifer coronam suam æream inexstinguibili semper ardore candentem mihi in capite posuit; ejusdemque metalli chlamydem qua induebatur, me vestivit. » Erat autem clamys tam longa, ut talo tenus flueret; tam ferventer ignita, ut guttas emittere videretur. Cumque fratres, cum ut pœnitentiam ageret, admonerent, ille anathematizabat, et omnia Redemptoris nostri mysteria ore sacrilego condemnabat. Tunc monachi toto corde pro illo orantes, exutis vestibus, se verberantes, et pugnis pectora tundentes, omnibus quibus valebant precum generibus insudabant, et ecce desperatus ille ad se redit, Salvatoris omnipotentiam laudat, Satanæ ludificationes abrenuntiat, crucem adorat, pœnitentiam flagitat. Confessus est autem, quod post abrenuntiationem sæculi in fornicationem inciderat, quam eatenus celaverat, laudansque et benedicens Deum usque in die altera vixit, et in sancta confessione migravit.

Hildebrandus mihi retulit, quod in Teutonia erat quidam comes bonæ opinionis, et vitæ innocentis secundum opinionem hominum, qui ante decennium defunctus fuerat; post cujus obitum quidam religiosus vir per spiritum ad inferiora descendens, vidit eumdem comitem in supremo gradu cujusdam scalæ. Quæ scala inter stridentes et crepitantes flammas videbatur erecta, ad suscipiendos omnes, qui ex eadem comitatum genealogia descenderent. Surgebat autem scala illa de immenso barathro. Hoc autem ordine succedentium singuli texebantur; ut qui novus adveniebat, supremum gradum tenebat scalæ; et qui in eo repertus erat, ad inferiorem proximum descendebant. Cumque vir, qui hoc aspiciebat, quæreret, quare comes ille sui temporis, qui tam juste vixerat, illic torqueretur, audivit. Propter quamdam possessionem Metensis Ecclesiæ, quam beato Stephano proavus ejus abstulerat; et ille jam decimus in hæreditate successerat. In partibus Babyloniæ habebat possessionem sedes apostolica, unde tantum balsami redditum annuatim capiebat, quod sufficeret illuminandæ lampadi ante altare sancti Petri appensæ, et semper ardenti. Hanc possessionem, accepta pecunia, papa distraxit, et pensionem aromatis quam accipere solebat, amisit. Aliquanto post cum idem papa ante sanctum altare quasi devotus astaret, orans; ecce terribilis et grandævus senex, in cujus etiam facere barbilæsium videbatur, elato brachio colaphum illi vehementer incussit et ait : « Tu exstinxisti lucernam meam ante me : et ego exstinguo lucernam tuam ante Deum, » moxque disparuit. Protinus ille corruit et paulo post obiit.

Puerulus quidam quinquennis Hubaldi nobilissimi viri, qui mecum degit in eremo, filius, in meo monasterio factus fuerat monachus. Hic cum in stratu suo quievisset vespere, mane in pistrino clausis utrinque januis inventus est. Dicebat se illuc a quibusdam hominibus ad magnum convivium deductum, ubi omnes epularum deliciæ videbantur; ibique eum manducare fecerunt. Dicebat etiam, quod eum usque ad castellum, quod supereminet monti, deferentes, super ipsum tintinnabulum, quod juxta in excelso dependet, deposuerunt. In Bononiæ partibus duo quidam amici ac compares discumbebant; quibus allatus est gallus. Quod pulmentum unus illorum, accepto cultello, ut mos est, in frusta desecuit, tritumque piper cum liquamine superfudit. Quo facto, alter ait : « Profecto compater, sic explicuisti gallum hunc, ut ipse Petrus, etiamsi adveniret, curare non possit. » Cui mox intulit alter : « Plane non modo si beatus Petrus, sed etsi ipse Christus imperet, gallus hic nunquam resurget. » Ad hanc vocem repente gallus vivus, et plumis coopertus exsilivit, alas perussit, et cecinit, plumas excussit, totumque liquamen super eos qui convescebantur aspersit. Illico sacrilegi blasphemi in consoersione piperis lepra percussi sunt; quæ

(44) Cathemerinon, hymn. v, vers. 125, 26.

plaga lepræ etiam in posteros eorum hæreditaria permansit usque ad obitum. Unde in famulatum subacti sunt Bononiensis ecclesiæ, quæ beati Petri insignitur vocabulo.

Quidam institores Venetiæ cum applicuissent, viderunt leonem spiris draconis non procul a littore involutum, trahi violenter a dracone in speluncam. Pandoces autem, qui repente ad hoc spectaculum convenerant, audacter draconem invadunt, et perimunt et leonem liberant. Qui non ingratus, per aliquot dies, quibus pandoces illic morati sunt, quotidie pellem unam animalis a se capti advexit. Quidam cum convictore suo ad ligna cædendà pergebat; et ecce serpens trabalis magnitudinis, duobus attollens colla capitibus, in eos impetum fecit. Unus autem eorum qui tenebat securim unum caput ejus abstulit, et mox ei securis ad terram cecidit; quam serpens iratus mox altero capite mordicus apprehendit, et spiris suis eum involvens in speluncam suam tulit. Qui dum traheretur, clamabat ad socium, ut eum defenderet, vel ei securim quam tenebat in manibus daret. Qui timens noluit, sed fugit; et idcirco a sacerdotibus tanquam mortis reus exsilium subire coactus est. Hucusque de Petro Damiano. Nunc ad historiæ consequentiam redeamus. SIGEBERTUS. Hoc anno incœptum est cœnobium Sancti Salvatoris in insula quæ dicitur Aquicinctus, a viris illustribus Sichero et GaItero. Hoc tempore in Oriente Turci super Arabes et Saracenos invaluerunt, et Armeniam et Syriam incursantes, multas urbes et ipsam Antiochiam ceperunt. Henricus imperator in Pentecoste conventu habito Maguntiæ decrevit Hildebrandum a papatu deponendum; et Longobardiam petens, Guibertum Ravennæ episcopum pro Hildebrando papam designat.

Hildebrandus papa quasi divinitus revelatum sibi prædixit, hoc annò falsum regem esse moriturum: verum quidem, sed fefellit eum de falso rege conjectura, secundum suum velle super Henrico rege interpretata. Rex enim Henricus Saxonibus gravi prælio congreditur, et in congressu falsus rex Rodulfus cum multis Saxoniæ principibus exstinguitur.

1081. Magnus terræ motus cum gravi mugitu terræ factus est 6 Kalendas Aprilis prima hora noctis, portendens imminens malum, quod in toto orbe insonuit, et unde terra dolet et doluit. Henricus enim imperator ad debellandum papam Hildebrandum Italiam petit: contra quem papa urbibus et castellis munitis se ad rebellandum accingit, eumque Romam hostiliter adeuntem non recipit. Henricus autem, expugnatis urbibus et castellis, quæ contra se pro Hildebrando erant, Romam Leonianam obsidet. GUILLELMUS. Quo audito, Guiscardus Boimundi Romam tetendit; cujus fama territus Henricus cum falso papa fugit. Rediit Hildebrandus, sed non multo post iterum ab Henrico fugatus est.

1082. In Gallia Hermannus miles corona sibi imposita post Rodulfum in Saxonia tyrannidem exercet, Marianus Scotus chronicam suam a nativitate Christi inchoatam usque ad hunc annum perduxit; qui erat ætatis suæ annus 56, multum laborans errorem corrigere de annis Domini, qui invenitur in cyclo Dionysii; quem facile est videre, hinc positis ab eo annis Domini secundum cyclum Dionysii, altrinsecus autem secundum veritatem Evangelii.

1083. Henricus imperator, rupta Roma Leonina, Romam obsidet. Condicto inter imperatorem et papam die, ad causam inter eos discernendam, cum pax, dissimulante papa, inter eos non conveniret, Romani et multi Italiæ populi a papa desciscunt. Qui fugiens ad Normannos in Apulia se contulit. (1084.) Romani imperatorem urbe recipiunt, et eorum judicio Hildebrandus papatu abdicatur: Guibertus papa efficitur, et Clemens nominatur. His qui pro imperatore erant contendentibus juste Hildebrandum esse depositum, tanquam majestatis reum; qui contra imperatorem, alium regem ordinaverunt, et rebellandi audaciam assumpserunt: his autem qui contra sentiebant reclamantibus, universalem papam, non universali judicio, sed paucorum indicio, laicali tonsura, imperiali potentia non posse amoveri a pontificatu; et quod gravius est, in locum venientis episcopi alium suffectum contra canonicam auctoritatem agere, et cætera id genus. Henricus rex patricius Romanorum constituitur, et a Clemente suo in imperatorem benedicitur. Comes Montensis Balduinus uxorem ducit Idam.

Henricus imperator Maguntiæ regali et synodali conventu habito, exigit ab omnibus, ut Hildebrandum deponant, et Guiberti ordinationem subscripto approbent: cujus aliqui manu et ore faventes, corde tamen Hildebrando adhærebant. Hermannus Metensis sibi absenti abjudicato episcopatu, iterum urbe pellitur imperator in episcopatu Metensi....... mercenarium supposuit, sed non audierunt oves Christi vocem alienorum: imperator Saxones aggreditur. Illi pacem petunt et impetrant, pacti quod omnibus pro hac rebellione proscriptis sua restituerentur. Quod quia factum non est, iterum rebellant, incentore præ cunctis Echerto comite imperatoris consanguineo, Galterus ex clero sancti Lamberti in Anglia episcopus Anglorum odiis innocens impetitur, et in celebrando missam ab eis quasi alter Stephanus papa martyrizatur. Non dicit in qua civitate hoc factum sit: et mirum est quod Guillelmus, qui historiam Anglorum hujus temporis scribit, nihil de isto refert. Hildebrandus papa, qui et Gregorius VII, apud Salernum exsulans moritur.

GUILLELMUS. Vir apud Deum felicis gratiæ, et apud homines austeritatis fortassis nimiæ. Denique fertur quod inter eum et imperatorem primi tumultus initio illum audipedem et forfices cum scopis portantem, nec saltem foribus admiserit, abo-

minatus hominem sacrilegum, et sororii incesti reum. Quæ repulsa multorum necis causa fuit. SIGEBERTUS. De hoc ita scriptum reperi. Volumus vos scire, qui ecclesiasticæ curæ solliciti estis, quod dominus apostolicus Hildebrandus papa, qui et Gregorius VII, nunc in extremis positus vocavit ad se unum de 12 cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris; et confessus est Deo et sancto Petro, et toti Ecclesiæ, se valde peccasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat; et suadente diabolo contra humanum genus odium et iram concitasse. Postea vero frumentinam, quæ in orbe terrarum effusa est, pro augmento charitatis cœpisse dicebat. Tunc demum misit prædictum confessorem suum ad imperatorem, et ad totam Ecclesiam, ut optaret illi indulgentiam; quia finem vitæ suæ aspiciebat, et jam cito induebat se angelicam vestem, et dimisit ac dissolvit omnia jura... bannorum suorum imperatori, et omni populo Christiano, vivis et defunctis, clericis et laicis; et jussit suos abire de domo Deoderici, et amicos imperatoris ascendere. (1086.) Saxones urbem Linaburch obsidentes, ut episcopum ipsius Alberonem expulsum a civibus sedi suæ restituant, Henricus imperator aggreditur; sed exercitus divinitus exterritus cessit; et ceciderunt ex eis plusquam quatuor millia, quatuordecim tantum a parte Saxonum occisis. Nimia aquarum inundatio multis in locis damno et periculo fuit. Nam et in Italia tanta fuit illuvies, ut rupes liquescentes plures villas ruina sua destruerent. Desiderius abbas Cassinensis fit papa centesimus sexagesimus tertius, et sedit mensibus duobus; qui et Victor tertius, ut ait Sigebertus, dyssenteria dissolutus, non multo post moritur. GUILLELMUS. Ad primam missam exagitatus nescio quo discrimine cecidit; calice, si dignum est credere, veneno infecto. SIGEBERTUS. Anselmus Lucensis episcopus Hildebrandi cooperator indefessus, apud Mantuam exsulans moritur, qui in Jeremiam et in Psalmos tractatus edidit; et doctrinam Hildebrandi libro luculento confirmavit. Cujus sanctitas miraculis declarata est. Domesticæ aves, pavones, galiinæ et anseres a domibus se extraneantes, omnes fiunt sylvaticæ. Augustinus, in lib. III *De civitate Dei*, simile portentum narrat contigisse, dicens: « Antequam se adversus Romam sociale Latium commoveret, omnia animalia humanis usibus subdita, canes, equi, asini, boves, et quæcunque alia pecora sub hominum dominio erant, subito efferata, et domesticæ lenitatis oblita, relictis tectis libera vagabantur; et omnem non solum alienorum, verum etiam dominorum aversabantur accessum; nec sine exitio vel periculo audentis, si quis de proximo urgeret. Quanti mali signum fuit, si hoc signum fuit; quod tantum malum fuit, si etiam signum non fuit. »

1087. Inter imperatorem et Saxones vario eventu sæpe pugnatur. Venitianis meditantibus auferre corpus sancti Nicolai a Myrrhea, Lyciæ a Turcis desolata, Barenses cives præoccupaverunt eos, numero 47 ab Antiochia Myrrham venientes, qui a quatuor tantum monachis ibi inventis extorserunt sibi ostendi tumbam sancti. Qua effracta, ossa Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerunt, et Barim cum gloria detulerunt. Facta est hæc translatio anno 745 a depositione sancti Nicolai. Translationem ejus scripsit Joannes archidiaconus Barinæ ecclesiæ, jubente Ursione Barensis et Canusinæ ecclesiæ archiepiscopo. Missus est tunc temporis quidam ex Palatinis magnatibus ab imperatore suo, cui parebat terra Myræorum. Hic veniens oravit sanctum Nicolaum, ut ei aliquam sui particulam dignaretur ostendere, quam osculari valeret. Minister igitur ecclesiæ cum peniculo extraxisset aliquid de liquore urnæ, dens unus extractus est; quem in aurea pyxide magnatus ille abscondit, et super altare quod ibi erat posuit. Paululum post aspiciens, vidit de pyxide oleum manare, et involvit eam pallio, putans sic posse stare oleum; sed tanto magis manavit. Desperavit igitur se posse habere in occulto, quo sibi Dominus manifestaverat. Cui sanctus Nicolaus in visione apparuit, dicens: «Ecce postulationi tuæ satisfeci, sed extra ferre non poteris, quia non permitto sic minutam particulam a membris aliis separari.» In crastino dentem ubi posuerat non invenit. Igitur Barenses cum tribus navibus negotii causa ibant Antiochiam, insulam Cacavam adierunt, deinde ad insulas Magestras venerunt, deinde ad loca Macri... portus sancti Georgii a Barinis quinque milliariis distat. Positum est corpus sancti Nicolai a transferentibus in ecclesia Sancti Benedicti: ubi primo die plusquam trigiuta infirmi sanati sunt. Homo quidam de Anconitanis partibus curvato corpore, manuum et pedum carens officiis, osculans capsellam sanatus est. Sacerdos de Camerino territorio, guttam patiens in spina, veniens Barum ad sanctum; ex quo venit ad eum locum, unde Barum potest aspici, cœpit paulatim erigi, pervenitque totus sanus. Parentes advexerunt pulchrum dæmoniacum ab Amalfa, qui sanatus est in loco supradicto, unde Barum primo videtur; ubi crux erat posita ab iis qui sanati erant. Sanati sunt de quodam castello infantula una toto corpore debilis; et puerulus, qui nullum edulium poterat in stomacho retinere. Quidam pauperculus a Dirachio uxorem suam omnibus membris debilem, præter linguam, sanam reduxit. Sanata est mulier de Dalmatia leprosa. Ancillula Sipontini cujusdam dorso incurvata sanata est. Sanata est mulier feta, et lacte carens; sanatus puerulus cujusdam de Maceriensibus, qui nunquam gressus potuerat movere naturales; sanatus quidam pauper Tarenti manens, pedibus non valens incedere, et vix potens sedere; dicente ad eum in somnis quadam imagine: «Quare non vadis Barum?—Quomodo, inquit, possum?-Vade, inquit, quia potes; et surrexit sanus. Miles quidam perdiderat res aliquas; suspicans autem hoc fecisse

quemdam suum satellitem, tibiam ejus sica percussit ictu ancipiti. In quo vulnere vermes innati, tibiam reddebant ulcerosam. Qui veniens ad sanctum, sanatus est. De Gallia Cisalpina sanatæ sunt duæ mulieres, una cæca et altera dæmoniaca. Quæ autem fuerat cæca, obtulit sancto oculos argenteos, cum lapidibus pretiosis.

1088. Sigebertus. Eodem anno pisces in aquis mortui sunt. In Hispania rex Galliciæ Aufal. Saracenos fortiter debellat, et Toletum maximam eorum urbem per aliquot annos obsessam tandem expugnat, et cultum Christianitatis in eo dilatat. Urbanus II papa centesimus sexagesimus quartus, sedit annos 11, menses 4. Guillel. Hic Odo prius fuit archidiaconus Remensis, deinde prior Cluniacensis, post episcopus Ostiensis. Sigebertus. Odo ex monacho Cluniacensi episcopus Ostiensis contra imperatorem et Guibertum fit papa, nomine Urbanus. Hinc in Ecclesia scandala, et in regno augescunt dissidia; dum alter ab altero dissidet; dum regnum et sacerdotium dissentit; dum alter alterum excommunicat; alter alterius excommunicationem, aut ex causæ, aut ex personæ præjudicio contemnit; dumque alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex suo libitu, quam ex justitiæ respectu abutitur, auctoritas illius qui dedit ligandi et solvendi potestatem despicitur. Nimirum, ut pace omnium bonorum dixerim, hæc sola novitas, ne dicam hæresis, necdum in mundo emerserat, ut sacerdotes illius, *qui dicit regi apostata* (*Job* XXXIV), et qui facit regnare hypocritam propter peccata populi, doceant populum, quod malis regibus nullam debeant subjectionem; et licet eis sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem; nec perjuri dicantur, qui contra regem senserint; imo qui regi paruerit, pro excommunicato habeatur: qui contra fecerit, a noxa injuriæ et perjurii absolvatur.

1089. Godefrido Godefridi gibbosi ex sorore nepoti tandem ducatus datur. Annus pestilens, maxime in occidentali parte Lotharingiæ: ubi multi sacro igne interiora consumente computrescentes, exesis membris instar carbonum nigrescentes, aut miserabiliter moriuntur, aut manibus et pedibus putrefactis et truncatis miserabilior vita reservatur. Multi vero membrorum contractione distorti dementantur. (1090.) Henricus imperator ad debellandos adversantes sibi Italiam petit. Hermannus tyrannus a Saxonia Lotharingiam repetens, ad concitandos regni motus laborat. Qui dum muro cujusdam castelli incaute approximat, jacto e turri saxo in capite percutitur, et moritur. Metis corpus S. Clementis primi episcopi ab apostolis illic ordinari inventum levatur. In Saxonia Ecbertus comes, dum fideles imperatoris bello insequitur, et ipse perimitur. Sterilitas frugum terræ augescit, et fames paulatim irrepit. Henricus imperator in Italia castella et munitiones adversantium sibi expugnat; Mantuam quoque obsidet et capit. (1091) Robertus filius Guiberti regis Angliæ, vivente adhuc patre, Normanniam sibi negari ægre ferens, in Italiam iratus abiit, ut duceret filiam Bonifacii marchionis, cujus auxiliis patri adversaretur. Hac vero spe frustratus, Philippum regem Francorum contra patriam excitavit: quare benedictione genitoris, et Anglia caruit, post mortem ejus Normannia vix retenta. Richardus alter filius Guillelmi cervos in nova foresta venans, rabidi æris nebula morbum lethalem fertur incurrisse. Locus est, quem Guillelmus pater, desertis villis, et subrutis ecclesiis, per 30 et eo amplius milliaria in saltus et lustra ferarum redegerat. Pro quo peccato Guillelmus filius ejus, qui post eum regnavit, et Richardus nepos ejus, filius Roberti comitis Normanniæ ibidem perierunt: primus sagitta pectus ictus, secundus arboris ramusculo collum trajectus: vel, ut quidam dicunt, equo pertranseunte faucibus appensus. Filiæ *Guillelmi fuere* Cecilia, Cadomensis abbatissa; Constantia, Britanniæ comitissa, quæ austeritate justitiæ provinciales in mortiferam sibi potionem exacuit, Adala Blesensis comitissa, quæ apud Marcenniacum sanctimonialis habitum sumpsit. Quarta Aroldo promissa, ante nuptias obiit. Quinta Adelfonso Gallæciæ regi jurata, virgineam mortem impetravit a Deo. In cujus defunctæ genibus callus repertus est ex crebra oratione. Igitur extremo vitæ tempore habitans rex Guillelmus in Normannia, contraxit inimicitias cum rege Francorum Philippo: qui de illo ait: « Rex Angliæ jacet Rothomagi more ablutarum partu feminarum cubile fovens; jocatus in ejus ventrem, quem potione alleviarat. » Quo perstrictus convicio, respondit: « Cum ad missam post partum iero, centum millia candelarum ei libabo. »

Non multo post mense Augusto Franciam aggressus, Medaucum oppidum injectis ignibus cremavit: ubi ipse, dum propius flammas succenderet, calore foci, et autumni inæqualitate morbum nactus est. Dicunt quidam, quod præruptam fossam sonipes ejus transiliens, interranea sessoris diruperit; quia in anteriori parte venter protuberabat. (1092). Incentoribus Saxonici belli omnibus pene peremptis, Saxones pertæsi malorum, composita inter se pace quiescunt ab omni motu bellorum. Domnus Ivo S. Quintini Belvacensis præpositus ab Urbano papa consecratus, fit Carnotensis episcopus. Guillel. rex Anglorum II singularis censuræ et severitatis obit: cui succedit Guillelmus filius ejus. Auctor. Guillelmus dicit: Mortuus est Guillelmus Rothomagi VIII Idus Septembris, anno regni sui 22, vitæ 59, anno Domini 1087. Corpus ejus per Sequanam Cadomum delatum est, et ibi humatum: quem tamen locum quietis sine calumnia impetrare non potuit. Nam miles quidam, ad cujus patrimonium locus ille pertinuerat, clara voce rapinam contestans, sepulturam inhibuit, dicens locum sibi ab eo violenter ablatum. Unde ab Henrico, qui solus ex filiis regis aderat, centum libræ argenti militi persolutæ sunt. Robertus primogenitus tunc in

Francia contra patrem bellabat; Guillelmus, antequam pater exspiraret, in Angliam enavigaverat. Eo tempore in provincia Walarum inventum est sepulcrum Walveni, qui fuit Arturi nepos, et regnavit in ea parte Britanniæ, quæ adhuc Walveia vocatur. Hic a fratre et nepote Hengestii regno pulsus est, licet miles fuerit nominatissimus. Sepulcrum ejus super oram maris inventum est 14 pedes longum. Sepulcrum autem Arturi nusquam visitur. Guillelmum filium regis Guillelmi Lanfrancus archiepiscopus nutrivit, et militem fecit: et die Cosmæ et Damiani in regem sacravit. Erat ita liberalis, ut prodigus; ita magnanimus, ut superbus; ita severus, ut sævus. Verum Deum reverebatur, homines nihil: cum Deus timendus sit omni tempore, homo pro tempore. Vestium suarum pretium in immensum extolli volebat, dedignans si quis alleviasset.

Quodam mane calceaturus novas caligas, quæsivit a cubiculario, quanti constarent; cumque ille respondisset tres solidos, indignabundus et fremens: « Fili, ait, meretricis, ex quo habet rex caligas tam exsilis pretii. Vade et affer mihi emptas marca argenti. » Ivit ille, et multo viliores afferens, quanti præceperat emptas, mentitus est. « Atqui, inquit rex, istæ regiæ majestati conveniunt. » Itaque ex eo cubicularius pretium vestimentorum ejus pro voluntate numerabat, multa perinde suis utilitatibus nundinans. Tandem exhaustus expensis, ad rapinas convertit animum, adjuvante eum in hoc scelere Ranulfo clerico, ex infimo genere hominum lingua et calliditate provecto ad summum: quo auctore sacri Ecclesiarum honores, mortuis pastoribus venundati. Nam audita morte cujuslibet episcopi vel abbatis, confestim clericus regis eo mittebatur, qui omnia inventa scripto exciperet, omnesque in posterum redditus fisco regio inferret. Substituebaturque in loco defuncti quilibet, non pro morum, sed pro nummorum experimento. Sequebantur curiam effeminatorum manus, et ganeonum greges, ut recte a quodam sapiente dictum sit: « Curia regis Angliæ non est majestatis diversorium, sed exoletorum prostibulum. » Ad dedecus illius temporis pertinet, quod Anselmus archiepiscopus ista corrigere conatus, sed societate suffraganeorum destitutus, sponte discessit, nequitiæ temporis cedens. Qui cum jamjamque navigaturus in portu ventos exspectaret, jussu regis, ut prædo publicus expilatus est, manticis omnibus et bulgis in medium prolatis et exquisitis. Judæos quos a Rothomago pater ejus Lundoniam transtulerat, cum in quadam solemnitate cum adirent, munera offerentes, ausus est animare ad conflictum contra Christianos, pronuntians quia, si vicissent, in eorum sectam transiret. Magno ergo timore episcoporum et clericorum res acta est, pia sollicitudine fidei Christianæ timentium. De quo certamine Judæi nihil præter confusionem retulerunt, quamvis multoties jactitarint, se non ratione, sed factione superatos. Robertus frater ejus cum aggredi vellet iter Jerosolymitanum, Normanniam ei invadatus est pro pecunia decem millium marcarum. Quapropter importabilis pensionis edictum per totam Angliam cucurrit. Cumque episcopi et abbates frequenter regem adirent, de hoc querimoniam facientes, respondit ille: « Nunquid non habetis scrinia auro et argento composita, ossibus mortuorum plena? » Igitur capsas sanctorum nudare coacti sunt, crucifixos despoliare, calices conflare, non in usus pauperum, sed in fiscum regium. Venationes quas primo indulserat, adeo prohibuit, ut capitale esset, cervum prendidisse. Propter hæc et hujusmodi sæpe a ducibus contra eum conjuratum est. Guillelmus de Oy proditionis apud regem accusatus, delatoremque ad duellum provocans, exoculatus et extesticulatus est. Hæc delatio plures innocentes involvit, quorum unus fuit Guillelmus de Alderia, homo decorus et compater regis. Qui patibulo affigi jussus, Osmundo episcopo Salesberiæ confessus, et per omnes ecclesias oppidi flagellatus, dispersis ad inopes vestibus, ad suspendium nudus ibat, delicatam carnem frequentibus super lapides genuflexionibus cruentans, episcopo et populo sequenti ad locum supplicii, ait: « Sic Deus adjuvet animam meam, et a malis liberet, sicut de re qua accusor, immunis sum. » Audita discordia, quæ erat inter Urbanum papam et Guibertum Ravennatem, debitum Romanæ sedi negavit, pronior tamen in Guiberti gratiam: quæ fuit prima causa dissidii inter eum et Anselmum.

Secundo anno regni ejus ingens terræ motus III Idus Augusti totam Angliam exterruit, horrendo miraculo, ut ædificia omnia eminus resilirent, et mox pristino modo residerent. Secuta est inopia omnium fructuum, tarda maturitas frugum, ut vix ad festum S. Andreæ messes reconderentur. Quarto ejus anno fuit tumultus fulgurum, motus turbinum. Idibus Octobris apud Vincelrumbam ictus de cœlo emissus turris latus tanta vi impulit, ut debilitata materia in confinio tecti [foramen] ingens ad humanæ grossitudinis modum efficeret. Quo ingressus, trabem maximam in fragmina per totam disjecit ecclesiam, et crucifixi caput cum dextra tibia, et imaginem sanctæ Mariæ dejecit. Secutus est fetor intolerabilis. Tandem monachi felici ausu irrumpentes, benedictæ aquæ aspergine inimici præstigias effugarunt. Fuit quoque discordia ventorum inter se dissidentium ab Euro austro veniens XVI Kalendas Novembris, qui Lundoniæ plusquam sexcentas domos effregit. Curilerabantur ecclesiæ cum domibus, maceriæ cum parietibus. Idem furor ventorum tectum ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ ad arcus dicitur, pariter sublevavit, et duo ibi homines obruti: ferebanturque tigna cum trabibus per inane, mirantibus qui longe, timentibus qui prope stabant. Quatuor tigna sex et viginti pedes longa tanta vi pariter in humum impacta sunt, ut vix quatuor pedes exstarent, mirabile visu, quomodo duritiem stratæ publicæ perruperint, eo ibi ordine posita, quo in tecto ab artifice fuerant collocata; quæ ob impedimentum transeuntium ad planitiem terræ desecta sunt, quod aliter

rrui nequirent. Quinto ejus anno eadem violentia fulminis apud Salesberiam tectum turris ecclesiæ omnino disjecit, multamque materiam labefactavit; quinta die postquam eam dedicaverat Osmundus, præclaræ memoriæ episcopus. (1093.) Conradus filius imperatoris Henrici in Italiam se ad patris sui adversarios contulit. Quæ res priores patris sui victorias multum obscuravit, et vires ejus attenuavit. Baculus ignitus a meridie ad aquilonem per cœlum ferri visus est Kalendis Augusti, prima hora noctis. GUILLELMUS. Sexto Guillelmi regis anno tantum fuit in Anglia diluvium, ex abundantia imbrium, quantum nullus meminerat. Mox accedente hieme, fluvii ita sunt congelati, ut essent pervii equis et quadrigis et plaustris. (1094.) Gelu resoluto ex impetu glacialium frustrorum pontes effracti. Gerardus episcopus Cameracensis obit, cui Gualcherus succedit: sed ipso postea ab episcopatu pulso Manasses ordinatur episcopus. In Gallia et Germania gravis hominum mortalitas facta est. In Italia, illi qui ad imperatorem ab hostibus ejus se transtulerant, eo ad Galliam reverso omnes pene ad hostes ejus rursum transeunt, et munitiones ab eo expugnatas contra eum muniunt. GUILLELMUS. Septimo anno Guillelmi regis propter tributa, quæ rex in Normannia positus edixerat, agricultura defecit; qua deficiente, secuta est fames; qua crescente successit mortalitas hominum, adeo crebra, ut deesset morituris cura, mortuis sepultura. Tunc etiam Walnenses in Normannos efferati, Cicestrensem pagum, et partem Selesberiensem depopulati sunt, et Anglesiam armis obtinuerunt.

1095. SIGEBERTUS. Fames diu concepta validissime ingravatur, et fit annus calamitosus, multis fame laborantibus, pauperibus per furta et incendia ditiores graviter vexantibus. Cum valido ventorum turbine etiam terræ motus factus est media nocte IV Idus Septembris. Rex Anglorum a fratribus suis sollicitatur in Normannia et Anglia. In multa terrarum parte secundo Nonas Aprilis circa diluculum stellæ perplures de cœlo in terram cecidisse visæ sunt.

Inter quas unam maximam labi in terram cum quidam in Francia stuperet, et notato loco ubi labi visa est, cum aquam ibi fudisset, fumum cum fervoris sono inde exire magis stupuit. Henricus Lovaniensis comes perimitur. Rex Hungarorum moritur. In comitatu Namurcensi panem subcinericium quasi sanguine infectum vidimus. Urbanus papa, per Burgundiam et Franciam conciliis habitis, Hildebrandi decreta renovat et confirmat: et Philippum regem Francorum, qui, vivente uxore sua, alterius viventis uxorem superduxerat, excommunicat. GUILLELMUS. Fulco fuit antiquus comes Andegavorum; qui senex Hierosolymam adiit. Ibi a duobus servis sacramento coactis, ut quæ juberet facerent, per publicum tractus est nudus ad sepulcrum Domini, Turcis inspectantibus. Alter restem ligneum collo ejus inserat, alter flagris terga exspoliata urgebat. Inter hæc ille clamabat: « Accipe, Domine, miserum Fulconem perjurum tuum, fugitivum tuum. » Domum tamen contra desiderium suum placide regressus est. Post aliquot annos filium habuit Gofridum, cognomento Martellum. Quod cognomen sibi usurpaverat, quia videbatur omnes sibi obsistentes felicitate quadam contundere. Nam dominum suum comitem Pictaviensem aperto Marte cepit, ferreisque vinculis innodatum ad ignobilis pacis conditiones coegit ut Burdegala civitate cederet, et finibus ejus; et de cæteris annuum vectigal pensitaret. Qui captus pro ferri injuria, et ciborum inopia post triduum defunctus est. Cujus novercam Martellus duxit, fratres in tutelam suscipiens. Mox Theobaldi comitis Blesensis ingressus limites, urbem Turonicam obsedit, et ipsum in eadem. Qui captus, et in ergastulo reclusus, urbem sibi omnibusque suis hæredibus in perpetuum abjuravit. Iste Gaufridus moriens Gaufrido sororis suæ filio comitatum dedit; qui simplex fuit et imbellis. Hujus frater Fulco ducatum corripuit; cognominatus est Rethur; quia germani simplicitati crebro infrendens, ad ultimum honore spoliatum perpetua tenuit in custodia. Hic Fulco habuit uxorem, quæ relicto eo Philippo nupsit regi Francorum. Qui amore ejus ita captus est, ut illa sibi in omnibus imperaret, cum ipse omnibus aliis imperare cuperet. Denique omnium digitis se notari, et ab omni orbe Christiano se excommunicari propter ejus libidinem aliquantis annis passus est. Filii ejus Fulconis fuerunt Gelfridus, Martellus et Fulco. Primus insidiis suorum necatus est. Erant eo tempore in Nannetis civitate duo clerici nondum patientibus annis presbyteri, litteris affatim instructi, inter se multum amici. Hi pactum inierunt inter se, ut uter eorum prior moreretur, alteri vel vigilanti vel dormienti appareret infra 30 dies, data acceptaque corporali fide. Nec multo post unus obiit. Trigesimo die astitit alteri vigilanti, et nescio quid operis molienti mortuus vultu exsangui et pallido. Qui prior vivum compellans, « Agnoscis me, » inquit? « Agnosco, ait ille, et miror, quid tandiu moratus fuisti. » Ille prius moram excusans, « Tandem, ait, tandem venio; et adventus meus si volueris tibi fiet commodus, mihi omnino infructuosus. Nam sempiternis deputatus sum suppliciis. — Ego, ait alter, te juvabo precibus, jejuniis et eleemosynis multis. » At ille respondit: « Sine pœnitentia sunt judicia Dei. In inferno dum rotat astra polus, dum pulsat littora pontus, pro criminibus meis puniar. Si totus mundus mihi remedia exquireret, æterna tamen et innumera pœnarum genera patiar. Et ut aliquam ex meis innumerabilibus pœnis agnoscas, en una: protenditque « manum sanioso ulcere stillantem. » « Videturne, inquit, tibi levis? » Cumque ille levem sibi videri referret; ipse mortuus curvatis in volam digitis, tres guttas defluentis tabi super eum jaculatus est. Quarum duæ tempora, una fron-

tem contingentes, cutem sicut ignito jaculo penetrarunt, foramen nucis capax efficientes. Illo magnam pœnam esse, doloris clamore protestante, « Hoc, inquit mortuus, erit tibi quandiu vixeris, et pœnarum mearum grave documentum ; et nisi neglexeris, salutis tuæ singulare monimentum. Vade ergo dum licet, et muta habitum simul et animum ; et esto monachus Rhedonis apud S. Melanium. » Cumque vivus ad hoc respondere nollet, mortuus eum oculi vigore perstringens, « Si dubitas, inquit, converti, miser, lege litteras istas. » Et hoc dicens, manum tetendit tetris notis inscriptam : in quibus Satanas, et omne inferorum satellitium omni ecclesiastico cœtui gratias de tartaro emittebant ; quod cum ipsi in nullo suis voluptatibus decessent, tum tantum numerum subditarum animarum paterentur ad inferna descendere, prædicationis incuria, quantum nunquam retroacta viderant sæcula. His dictis, loquentis aspectus disparuit : audiens omnia vemlens, et dans pauperibus, sanctum Melanium adiit, et monachus ibi factus optime conversatus est. Item GUILLELMUS. Hoc anno, id est anno Domini 1095, Urbanus papa venit in Galliam, et celebravit concilium, apud Clarum montem : in quo inter cætera statutum est, ut episcopi, abbates, vel aliquis de clero, aliquam ecclesiasticam dignitatem de manu principum vel quorumlibet laicorum non accipiat : et ut clerici in duabus civitatibus vel ecclesiis præbendas non habeant. Ut nemo simul sit abbas et episcopus. Ut ecclesiastica dignitas a nullo vendatur aut ematur. Ut nullus cujuslibet sacri ordinis carnali commercio utatur ; ut eis auferantur Ecclesiæ dignitates, qui scienter a se vel a parentibus suis emptas habuerint. Ut eis ignoscatur, qui hoc ignoraverint a canonibus prohibitum. Ut nemo laicorum a capite jejunii, nemo clericorum a Quinquagesima usque in Pascha carnes comedat. Ut in Sabbato Paschæ nonnisi post nonam officium celebretur. Ut ab adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, et a prima die Rogationum usque ad octavas Pentecostes, et a 4 feria occidente sole omni tempore usque ad feriam 2, oriente sole. . . . custodiatur. Ut qui episcopum ceperit, omnino exlex habeatur. Ut qui sacri ordinis viros, vel eorum famulos ceperit, anathema sit. Ut qui episcoporum vel clericorum morientium bona ceperit, anathema sit. Ut nemo in episcopum eligatur, nisi presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus : et cui natalium dignitas suffragetur, nisi maxima necessitate, et licentia papæ. Ut filii presbyterorum vel concubinarum ad presbyteratum non provehantur, nisi prius ad religiosam vitam intraverint. Ut qui ad ecclesiam vel ad crucem confugerit, data membrorum impunitate justitiæ tradatur, vel innocens liberetur. Ut unaquæque ecclesia decimas suas habeat, nec ad alteram transeant. Ut laicus decimas non vendat, nec retineat. Ut pro sepultura mortuorum pretium non

A exigatur. In eodem concilio excommunicavit papa regem Francorum, et omnes qui eum vel regem vel dominum suum vocaverint, et ei obedierint. Similiter et illam maledictam conjugem ejus ; et qui eam reginam vel dominam vocaverint, donec ad emendationem venerint ; ut alter ab altero discedat. Similiter Guibertum Ravennatem, qui se papam appellarat, et Henricum imperatorem, qui eum manutenet, et cæteros, qui eis consentiunt. Post hæc sermonem habuit ad populum, exhortans eos ad crucem sumendam, inter cætera dicens : « Ut ait Salomon : Nihil timidius nequitia, nihil laboriosius (*Sap.* XVII). Nunc a vobis par labor atque metus pretio meliore petuntur. An nescitis, quod vivere hominibus calamitas, mori felicitas

B est ? Mors enim bonis accelerat patriam, malis resecat malitiam. » SIGEBERTUS. Eclipsis lunæ facta est III Id. Februarii, et rursus III Idus Augusti. Occidentales populi dolentes loca sancta Hierosolymis a gentilibus profanari, Turcos etiam Christianorum jam multa ex parte invasisse ; innumerabiles una inspiratione commoti, et multis signis sibi ostensis alii ab aliis animati, duces, comites, potentes, nobiles et ignobiles, divites et pauperes, liberi et servi, episcopi et clerici, senes et juvenes, pueri et puellæ, omnes uno animo, nullo angariante, undique concurrunt : ab Hispania, a Provincia, ab Aquitania, a Britannia, a Scotia, ab Anglia, a Normannia, a Francia, a Lotharingia, a Burgundia, a Germania, a Longobardia, ab Apulia,

C et ab aliis regnis, virtute et signo sanctæ crucis signati et armati, ultum ire parant injuriam Dei in hostes Christiani nominis : et quanto quisque hactenus ad exercendam mundi militiam erat pronior, tanto nunc ad exercendam ultro Dei militiam fit promptior, firmissimaque pace interim ubique composita, et primo Judæos in urbibus in quibus erant agressi, eos ad credendum in Christum compellunt. Credere nolentes bonis privant, trucidant, urbibus eliminant. Aliqui Judæorum zelo tenendæ legis patriæ ducti, se mutuo trucidant ; alii ad tempus se credere simulantes, post ad judaismum revolvuntur. Eminebant in hoc Dei hostico dux Lotharingiæ Godefridus ; et fratres ejus Eustachius

D et Balduinus, Anselmus de Ribodi monte, Balduinus comes Metensis, Robertus comes Flandrensis, Stephanus comes Blesensis, Hugo Magnus frater Philippi regis Francorum, Robertus comes Normannorum, Raimundus comes Sancti Ægidii, Boamundus dux Apuliæ, GUILLELMUS. Nunquam tot gentes in unam coiere sententiam. Opinionem hominum vincebat numerus ; quamvis æstimaretur sexagesies centum millia ; qui omnes Hierosolymam pergebant. Raymundus fuit filius Vuilelmi, antiquissimi Tolosæ comitis : cujus uxor Almodis multinuba primum nupsit Arelatensi comiti, mox huic Guillelmo ; cui cum duos peperisset filios, Barcinonensem comitem præ hoc elegit. Guillelmus iste moriens Guillelmo filio suo dedit comita-

tum Tolosanum, Raimundo Caturcensem : cui idem A postea adjecit virtutibus suis Arelatensem, et Narbonensem, et Provincialem, et Lemovicensem. Tolosam quoque a germano suo postea emit. Ex una pellicum suarum filium habuit Bertranum, quem hæredem sibi constituit. In ultima ætate sua uxorem duxit filiam regis Tarraconensis. In hac via Hierosolymitana primus omnium laicorum crucem accepit, animatus ab episcopo Podii, qui curam Urbani papæ susceperat in prædicatione, postquam idem Urbanus in itinere ad concilium Claromontense obiit. Erat autem inter alios comes Moricoliensis, vir omni corporis obscœnitate infamis, nec ideo minus in aliorum delicta inexorabilis : qui pro delicto patris modico puerulum in obsidatum accipiens, eum excæcavit, oculos miselli nefandis un- B guibus abrumpens.

SIGEBERTUS. Cometes in occidente apparuit tota prima hebdomada Octobris. Nimia aquarum inundatione autumnalis satio impeditur ; et sterilitas frugum terræ sequitur. Exercitus Dei terminos paganorum aggressus viriliter agit. Primum bellum fuit eis ad pontem Farfar fluminis, IX Kalendas Martii : ubi multi Turci occisi sunt. Secundum bellum fuit eis apud Nicæam III Nonas Martii ; in quo etiam pagani victi, Nicæa capta, et Laodicia. Et cum essent plusquam trecenta millia armatorum in exercitu Christiano, tanta eis rerum omnium suppetebat copia, ut aries uno nummo, bos vix duodecim nummis venderetur. GUILLELMUS. Turci jam XL annis Bithyniam possederant, quæ est pars C Minoris Asiæ, quam Romaniam dicunt. Hujus dominus erat tunc Solimannus. Abjectis autem arcubus, continuis tribus diebus fugerunt Turci. Soldanus autem apud Persas est, qui apud Romanos Augustus, totius Orientis et omnium Sarracenorum rector. Quorum, id est Persarum imperium, ideo ut æstimo, tandiu durat ; quia gens illa parum bellicosa, et vivacis sanguinis inops, semel acceptum dediscere nescit servitium ; ignorans, ut ait Lucanus, ideo datos, ne quisquam serviat, enses. Hoc anno, qui fuit annus 10 Guillelmi regis Angliæ II, apparuit cometes Kalendis Octobris 15 diebus, majorem crinem emittens ad Orientem, minorem versus Euroaustrum. Apparuerunt et aliæ stellæ, D quasi jacula inter se emittentes. Eodem anno Anselmus primas Angliæ tenebras erroneorum fugiens Romam ivit. Baldricus ex Burguliensi abbate Dolensium archiepiscopus, qui scripsit historiam Hierosolymitanam, dicit, quod Turci, qui Hierosolymis erant, sepulcrum Domini sinebant paulo honorificentius servari ; non quia multum de religione Christiana curabant, sed quoniam sic utilitatibus et cupiditatibus suis satisfaciebant, per oblationes adventantium, qui imperium suum jam usque Antiochiam dilataverant. Dicit etiam quod episcopus Podiensis, nomine Haimarus, primus omnium in ipso concilio Claromontensi licentiam ab Urbano papa accepit eundi Hierosolymam. Dicit etiam, quod anno Domini 1095, pridie nonarum Aprilium feria 4, luna 25, visus est ab innumeris inspectoribus in Galliis tantus stellarum discursus, ut grando, nisi lucerent, pro densitate putarentur, quas quidam opinati sunt cecidisse. Quidam motum earum motum Christianitatis interpretati sunt. Anno enim subsequente et synodus Avernis habita est, et via incheata. Porro ante hanc synodum generale concilium celebraverat idem Urbanus papa apud Placentiam. Excessit autem medicina modum ; quia, plusquam debuit, in quibusdam voluntas eundi Hierosolymam subrepsit. Nam et multi eremitæ, et reclusi et monachi, domiciliis suis non satis sapienter relictis, ire viam perrexerunt. Quidam tamen orationis gratia ab abbatibus suis accepta licentia profecti sunt ; plures autem fugiendo se subduxerunt. Multi enim de gente plebea crucem sibi divinitus innatam jactitando ostentabant ; *quod et idem* quædam de mulierculis præsumpserunt ; quod omnino falsum esse deprehensum est. Alii vero ferrum calidum instar crucis sibi adhibuerunt, vel peste jactantiæ, vel bonæ voluntatis ostentatione. Boamundum vero Roberti Guiscardi filium, Rogerii ducis fratrem secutus est Tancredus nepos suus, et Richardus de principatu. In duobus primis præliis prævaluerunt Turci contra gentem sine rege et sine duce. Primo apud Castellum Exerogorga, quod omnibus incolis vacuum Christiani intraverant omnibus copiis refertum.

Quod utrum timore an industria incolæ reliquissent, incertum est. Fons et puteus quo castellum sustentabatur, extra erat. Quo Christianis ablato, Rainaldus quidam, quem ducem sibi fecerant, cum Turcis consiliatus est, ut fratres suos illis proderet, si posset, et transfugeret ad eos. Multi ibi apostatæ facti sunt; alii vel sagittati ad signum, vel venundati, vel captivi abducti. Hanc primam persecutionem passi sunt Christiani, 3 Kalendas Octobris. Audientes autem Turci, quod Petrus eremita, et Galterus, cognomento Sinehabere, in civitate, cui nomen Cinitot, prope Nicænam essent, ierunt contra eos, et accurrentes obviaverunt Galtero, quem cum multis peremerunt, Petrus vero jam Constantinopolim redierat; quoniam illi acquiescere gens litigiosa nolebat. Turci autem castellum Cinitot obsederunt, et ceperunt, et Christianos ibi inventos vel occiderunt, vel captivaverunt. Et hoc item passi sunt Christiani mense Octobri. Dum hæc agerentur, Godefridus cum fratribus suis Balduino et Eustachio, et Balduinus de Monte cum turmis suis per Hungariam commeantes, Constantinopolim appropinquabant, Podiensis episcopus, et comes Raimundus per Sclavariam gradiebantur. Hugo Magnus, et comes Flandrensis Robertus, et alius Robertus comes Normannorum cum suis Romam præeuntes, in Apuliam devenerunt. Audiens Boamundus famam adventus eorum, singulorum probitatibus signisque perscrutatis, pallium optimum sibi præcepit afferri; quod per particulas

concisum, crucem unicuique suorum distribuit, suamque sibi retinuit. Imperator Constantinopolitanus Alexis malum exercitui Dei machinabatur. Ventum est Castoriam, ubi Natale Domini celebrarunt. Inde in Palagoniam castrum munitissimum hæreticorum, omnibus bonis refertum. Quo radicitus diruto, venerunt ad flumen Bardarum; ubi Tancredus cum suis imperatoris satellites fugavit; et quosdam peremit, quosdam vinctos Boamundo præsentavit. Hoc bellum factum est feria IV, in Capite jejunii. Inde ventum est ad Surram civitatem, ubi sufficiens habuere mercatum. Ibi Boamundus cum duobus Corpalatiis amicitias iniit. Inde ventum est ad civitatem Cusa feria IV, ante cœnam Domini. Venerunt Nicæam pridie Nonas Maii. Obsessa est civitas per septem hebdomadas: et tres dies, et tandem capta, et a Christianis imperatori Alexio reddita: qui Turcos, qui ab ea ad se refugerant, in pace susceperat. Inde ad quemdam pervenit pontem exercitus Dei. Tertia die Turcos innumeros ostenderunt, Sarracenos, Angulanos, Persas, trecenta et sexaginta millia, et Arabes innumeros. Cæsa sunt ibi barbarorum multa millia. Cecidit ibi Guillelmus marchisus frater Tancredi, et Gaufridus de Monte scabioso, et multi alii. Turci jactitant se de Francorum stirpe genitos, et eorum proavos a Christianitate descendisse; nullosque naturaliter militare debere, nisi se, et Francos. Factum est hoc prælium Kalendis Julii. Inventum est in eorum tentoriis auri et argenti plurimum, equi, boves, et cameli, mulæ, verveces, et asini, et copiosa supellex. Solimanus autem Solimani senioris filius de Nicæa fugiens invenit Arabum decem millia; quibus fugam persuasit; et venientes ad civitates et castella, in quibus morabantur Suriani Christiani, dicebat eis subdole, devicimus Francos, et sic intra portas eorum recipiebantur. Ingressi autem domos eorum et ecclesias deprædabantur, et auferebant eis omnia concupiscibilia, et filios et filias. His auditis, Christiani eos insequentes venerunt Iconium, inde ad civitatem Erachiam, quæ, Turcis abjectis, illis se reddidit. Deinde venerunt Tharsum Tancredus et Balduinus frater ducis Godefridi, et ceperunt eam. Ibi per contentionem Balduinus Tharsum solus obtinuit. Tancredo autem non multo post redditæ sunt duæ civitates, Azera, et Mumistia, et castella plurima. Aliis optimatibus reddita est civitas Alphia. Quam petiit miles quidam terræ illius indigena, nomine Simeon, et accepit. Deinde venerunt ad Cæsaream Cappadociæ, quæ ad solum usque diruta erat, Ruinæ tamen adhuc demonstrabant, quid fuerit. Deinde venerunt ad pulchram et opimam civitatem Plastentiam, quam Turci tribus hebdomadibus obsederant, sed erat inexpugnabilis. Hæc illico patuit Christianis. Hanc Petrus de Alfia petiit, e accepit. Deinde ventum est ad Copon nobilem et copiosam civitatem quæ illis reddita est. Deinde venerunt in vallem Antiochiæ. Petrus autem de Roasa declinans ab aliis, introivit vallem de A Rugia; inventosque ibi Turcos quam plurimos superavit et fugavit; et Armenii reddiderunt illi Ruzam civitatem, et quædam castella. Major autem exercitus cum magna difficultate venit in vallem Antiochiæ, quæ est Syriæ metropolis. GUILLELMUS. Hæc post Romam, et Constantinopolim, et Alexandriam, quarto in loco cunctis per orbem civitatibus prælata est. Fluvius ibi est, qui modo Fannus, olim Orons dictus est, duodecimo ab urbe milliario pelago influens, fluentis rapacibus, et ipso impetu frigidioribus, salubris auræ temperie civitati medetur, commeatum navium oppidanis invehens. Perseverantiam obsidentium quantolibet tempore deridet. Est præterea ipsa civitas mœnibus tuta, montibus ardua. Ecclesia Beati Petri et ecclesia Beatæ B Mariæ, quandiu ibi Turci fuerunt, illibatæ manserunt. BALDERICUS. Hanc primo obsedit Boamundus III Kal. Novembris, IV feria a tribus portis. Erant in civitate Armenii multi, et Suriani Christiani quidem, sed Turcis obnoxii. Qui fugam simulantes audacter exibant in castra mendicantes, et castrorum explorantes consilia, in urbem reportabant. Quod multum nocuit Christianis. Ibi in castris tanta fames facta est, quod aselli onus vendebatur octo puratis, qui valent denariorum 120 solidos. Guillelmus carpentarius et Petrus eremita latenter aufugerunt; quos inventos Tancredus apprehendit, et inhoneste conviciatos et coactos redire compulit. Quintum bellum factum est ante Antiochiam, in C quo multi Turci occisi sunt, et equi eorum capti; in quo bello nulli fuerant Turci pedites, sed omnes equites. Centum capita peremptorum missa sunt legatis Admirabilis Babyloniæ. Factum est hoc prælium Idibus Februarii feria III ante Caput jejunii. Præterea Turci in alio bello peremerunt plusquam mille Christianos. In sexto iterum prælio victi Turci, ubi mortui sunt principes Turcorum duodecim, quos Adnatalios vocant, et mille quingenti milites fortissimi, defensores civitatis. Christiani burdones quatuor cæsorum capitibus onustos miserunt ad portum, ubi erant legati de Babylonia. Armenios et Surianos, qui necessaria in civitatem abundanter deferebant, Tancredus cepit, et omnia eis abstulit. Facta est ergo fames in civitate.

D SIGEBERTUS. Ex cœnobio Molismensi viginti et unus monachi cum patre ipsius monasterii Roberto Cistercium devenerunt. Qui venerabilis Hugonis Lugdunensis archiepiscopi, et sedis apostolicæ tunc legati, et religiosi viri Galteri Cabilonensis episcopi, et Odonis ducis Burgundiæ freti consilio, auctoritate roborati, inventam eremum in abbatiam constituere cœperunt, præfato Roberto constituto in abbatem ab episcopo Cabilonensi ordinato; aliis sub ipso in eodem loco stabilitatem firmantibus. Sed non multo post idem Robertus requirentibus eum monachis Molismensibus, jussu Urbani papæ, et Galteri Cabilonensis episcopi licentia Molismum reducitur, et Albericus in locum ejus substituitur. GUILLELMUS. Tempore Guillelmi II, regis Angliæ

cœpit religio Cistellensis. Pertinet autem ad gloriam Angliæ, quod talem virum genuerit, qui hujus religionis auctor fuit et mediator. Is fuit Hardingus nomine, a puero Sorebarnæ monachus. Postea pannos illos pertæsus, Scotiam, mox Franciam contendit: ubi aliquot annis studuit. Deinde Romam cum clerico consorte profectus est: qui eundo et redeundo quotidie totum Psalterium cantabant. Deinde Burgundiam regressus, Molismo novo et magno monasterio se totondit. Ibi cum ei quædam proponerentur observanda, quæ non erant de Regula, cœpit eorum rationem inquirere, et tandiu de quibusdam superfluis cum uno et alio disputavit, ut abbatem ipsum et alios 22 in suam sententiam induceret. Igitur Cistellas venere, locum prius salinosum; et ibi steterunt suffragio archiepiscopi Viennensis, qui nunc apostolicus est. Abbas tandem qui cum eis venerat, a suis monachis requisitus, ad eos rediit, quasi coactus, sed volens. Omnes qui cum eo venerant de Molismo, cum illo regressi sunt, præter octo, qui sibi abbatem constituerant Albericum quemdam de suis, priorem vero Hardingum, qui et Stephanus.

BALDERICUS. Erat in obsessa Antiochia quidam admiratus Turcarum, nomine Pyrrhus, qui fœdus amicitiæ per fideles internuntios cum Boamundo inierat. Fama ejus allectus hic Boamundo filium suum misit obsidem, et reddidit ei tres turres quas tenebat, et sic capta est civitas. Cassianus autem dux Turcorum inter fugientes delituit; cujus caput Armeni abstulerunt, et Boamundo detulerunt. Corberannus autem princeps eorum qui ad auxilium Antiochiæ confluxerant, accepta licentia sæviendi in Christianos a califa gentis suæ apostolico, innumeras gentes sibi coagulaverat: inter quas et admiratus Jerosolymitanorum, et rex Damascenorum. His Antiochiam appropinquantibus, Solisadolus Cassiani filius, dedit Corberanno municipium fortissimum, quod urbi imminebat. Quo facto, Corberannus civitatem obsidet: ad quem venit mater ejus centenaria, auguratrix et sortilega, prædicens ei quod si pugnaret cum Christianis, superandus esset ab illis. Metu Sarracenorum aufugerunt de exercitu Christianorum demissi per murum, Guillelmus de Gentamenil, et Albericus frater ejus, Guido Trissellus, et Lambertus pauper perpetuo e proprio; appellati deinceps Funambuli. Fames in civitate prævaluit; cuidam vero sacerdoti apparuit Dominus cum beatissima Genitrice sua, et Petro apostolo, cruce super caput Domini resplendente: exprobrans beneficia quæ Christianis contulerat, et ingratitudinem eorum cum mulieribus fornicantium. Cumque minaretur se vindicaturum de illis, et mala sua illis redditurum; mater misericordiæ, et beatus Petrus ceciderunt ad pedes ejus, supplicantes, ne pro paucorum culpis cunctis irasceretur. Qui precibus eorum acquiescens dixit presbytero.

A Vade et dic populo meo: Lupanar et prostibulum, et omnem a vobis removete abusum, et infra quinque dies, si reversi fueritis ad me, convertar ad vos, et opportunum vobis providebo auxilium; et interim quotidie decantent (15): Congregati sunt inimici nostri, et gloriantur in virtute sua: contere fortitudinem illorum, Domine, et disperge illos; ut cognoscant, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Disperde illos in virtute tua, et depone eos protector noster, Domine. Cuidam etiam peregrino, nomine Petro, apparuit sanctus Andreas apostolus, demonstrans ei locum in ecclesia Beati Petri, in quo invenienda erat lancea Salvatoris. Non multo post ignis de cœlo cadere visus est in castra Turcorum nocte. Panis paximatius B et permodicus Bizantheo vendebatur. Equinæ carnes et asininæ pro imperialibus computabantur. Gallina 15 solidis, ovum duobus *solidis*, *nux juglans* appretiabatur denario. Hanc passionem continuam toleraverunt diebus 36. Stephanus interim comes Blesensis propter infirmitatem secesserat apud Alexandretam, quæ non longe abest ab Antiochia convalescendi gratia. Cujus reditum omnes exspectabant, quia vir consilii erat. Qui ut audivit Turcos civitatem circumvallasse, latenter montana conscendit, et festinanter clandestinus discessit, putans suos defecisse, vel in brevi defecturos fore; et perveniens ad imperatorem, qui cum magna multitudine Græcorum et Gallorum in auxilium C nostrorum veniebat, persuasit ei, ut reverterentur. Hanc offensam et hanc infamiam Stephanus idem tactus postea contritione cordis et confusione, rediens a patria in Jerusalem piavit, et sic omnibus satisfecit. Tredecim homines laboriosi et strenui foderunt a mane usque ad vesperam, et invenerunt lanceam Domini nimis alte infossam.

Nunc apparet illam opinionem falsam esse, quam superius posuit Guillelmus Malmesberiensis de lancea Caroli Magni, quæ ferebatur eadem esse, quæ Dominico lateri centurionis manu impacta, paradisum mortalibus aperuit. Hæc enim lancea modo inventa, ut ait Sigebertus, a tempore apostolorum visa non fuerat. Quomodo autem ibi infossa fuerit, vel a quo, vel quando, non memini me legisse. D Quod autem Guillelmus dicit, illam lanceam Caroli, quæcunque fuit, lateri Dominico centurionis manu impactam, miror valde cur dixerit, cum Evangelium Joannis aperte dicat, quod unus ex militibus lancea latus ejus aperuit (*Joan.* XIX). Unus, inquit, ex militibus, non unus ex centurionibus: nisi forte miles et centurio fuit. At de beato isto sic legitur in martyrologio, Idibus Martii, apud Cæsaream beati Longini militis, qui lancea latus Domini aperuit. De isto sic legitur in actibus ejus: Longinus miles, qui lancea latus Domini perforavit, militabat centurioni, qui astans cruci credidit. Quod dum percussisset, et vidisset mirabilia quæ

(15) Responsorium Ecclesiæ.

flebant, percutiens pectus suum, dixit magna voce: Vere Filius Dei est hic: et recedens a militia credidit, audiens ab apostolis fidem, quæ est in Domino. Non igitur centurionis, sed manu Longini militis impacta est lancea illi lateri Dominico, nec postea ante hoc tempus in usu alius hominis fuit, nec principis, nec privati. Dum autem Christiani exirent de civitate ad pugnam contra Corberannum, quædam dulcis pluviola tanquam roscida stilla cecidit super eos, equos et equites ita lætificans, ut equi hinnirent, et equitum animi exhilarescerent. Erat enim pluvia illa tam subtilis et modica, ut magis sentiri potuerit, quam videri, velut quædam guttulæ rorantes. Non multo post ab ipsis montibus exire visus est exercitus innumerabilis, equis albis insistentes, in manibus vexilla candida præferentes. Cujus agminis duces erant sanctus Georgius, et sanctus Demetrius, et sanctus Mercurius, ille qui Julianum Apostatam interfecit. Victi ergo Turci fugerunt. Ibi capti sunt equi multi, oves et boves, et gazæ innumeræ, et in civitatem reductæ. Factum est hoc prælium IV Kalendas Julii, in vigilia apostolorum Petri et Pauli. Missus est Hugo Magnus ad imperatorem Alexium, ut civitatem Antiochiam acciperet, et pactiones illibatas conservaret. Non multo post mortuus est in Antiochia episcopus Podiensis. Post hæc, comes sancti Ægidii subjecit sibi Albaram civitatem Sarracenorum non ignobilem. Infra civitatem Antiochiam sunt quatuor montanæ satis altæ; in quarum una, sublimiori scilicet, castellum est, quod omni præminet civitati: deorsum civitas est decenter ædificata, et duplici muro circumdata. Murus interior amplus et altus, et quadris lapidibus compactus: in quo sunt quadringentæ quinquaginta [turres] formosis mœniis venustatæ, defensæ propugnaculis: murus exterior non est tantæ celsitudinis, sed tamen admirandæ venustatis. Continet in se trecentas et quadraginta ecclesias; patriarcham habet; cujus patriarchatui subjiciuntur 153 episcopi. Ab oriente 4 clauditur montanis: ab occidente civitatis muros præterfluit fluvius Farfar. Octoginta et quinque reges eam constituendo sublimaverunt; quorum maximus et primus Antiochus a quo denominata est. Hanc Christiani per 8 menses et diem unum obsederant et ceperant. Postea in ipsa civitate jam capta gentiles obsessos eos tenuerunt per tres hebdomadas. In qua obsidione tantus confluxit gentilium exercitus, ut nullus copiosiorem meminerit se vidisse, vel audisse. Requieverunt in ea Christiani 5 mensibus et 9 diebus. Post hæc ventum est ad Martam civitatem opulentam, quæ capta est hora vespertina die Sabbati, III Idus Decembris. Morati sunt Franci in ea mensem integrum et tres dies. Ibi mortuus est Oriensis episcopus. Ibi passi sunt Christiani famem validam, ut Turcorum carnes comederent. Comes sancti Ægidii spreta contentione, quam habebat cum Boamundo de Antiochia civitate, exivit de Maora cum peregrinis hominibus nudis pedibus Idibus Januarii. Rex Cæsareæ fecit cum illis pacem. Post hæc prædati sunt in quodam castello animalium 5 millia, et alimenta multa, et castrenses dederunt exercitui equos, et aurum plurimum, et multam pecuniam. Inde venerunt ad urbem Cephaliam, pulcherrimam, et bonis omnibus plenam, quam cives reliquerunt et fugerunt. Franci ea potiti venerunt in vallem quamdam uberem, ubi dies duodecim quieverunt. Deinde castellum quoddam invenerunt vacuum hominibus, sed bonis omnibus plenum; frumento, vino, et oleo, et farina, et hordeo. Ibi fecerunt Purificationem sanctæ Mariæ. Ibi miserunt ad eos nuntios suos rex de Carmela civitate, et rex Tripolis: cujus dona refutaverunt. Inde venerunt ad oppidum Archæ. Ubi 14 milites Christiani Turcos 60 vicerunt. Post hæc fecerunt pacem cum admiralio Gibelli. Postea rex Tripolis dedit eis trecentos peregrinos, et mercatum eis præstitit. Post hæc venerunt ad civitatem Baruc, et inde ad Sagittam, inde ad Sur, et inde ad Accam, inde ad Castellum Caiphas, et inde juxta Cæsaream, ubi die Pentecostes IV Kalendas Junii quieverunt. Inde ad Ramleram, juxta quam civitatulam honorabilis monstratur Ecclesia, in qua pretiosissimum beati Georgii corpus quieverat, ubi a paganis detentus martyrium, ut dicitur, consummavit. Ibi episcopum de novo restituerunt, cui decimas facultatum suarum obtulerunt; quia non habebat, unde viveret. Ramlera ad Jerusalem 24 milliariis distat. Cum vero ad locum ventum est, unde Jerusalem poterat aspici, præ gaudio nimis fleverunt; et flexis genibus adorantes, terram deosculati sunt, et VII Idus Junii feria tertia eam obsederunt.

1099. SIGEBERTUS. Christianis Turcos fortiter debellantibus, eorumque urbes et castella bellando sibi vindicantibus, contigit ibi apud quoddam munitissimum castrum, nomine Archas, eis Jerusalem octo mansionibus situm multos eorum perire; et Anselmus de Ribodi monte lapide percussus in capite occubuit; hoc solummodo post acceptum vulnus ter verbum repetens: « Deus, adjuva me. » Exercitus autem Dei divino monitu in interiora. Hispaniæ [Palestinæ] profectus, larga Dei manu refocillatus est; quia cives et castellani regionis illius legatos cum multis donariis ad eos præmittebant; parati etiam oppida vel urbes eis tradere. A quibus Christiani securitate accepta, ex tributo urbibus indicto, interim etiam multis eorum, qui se subtraxerant, ad eos apud Tyrum recurrentibus, tandem pervenerunt Jerusalem: eaque obsessa cum laborarent, et maxime aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus quotidie orando circuibant Jerusalem. Octavo igitur talis humiliationis die, obsidionis autem 39. Idibus Julii, sexta feria capta est Jerusalem: et in templo Salomonis, et in porticu ejus Christiani

cum paganis bello conserto, tanta in eos cæde debacchati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum. Cumque ordinatum esset, qui Jerusalem deberent retinere, jam principibus de repatriando tractantibus, ecce rex Sarracenorum ad debellandos eos venit Ascalonem, cum centum millibus equitum, et quadringentis millibus peditum. Quibus cum occurrisset exercitus Domini, in quo non plusquam quinque millia equitum, et 15 millia peditum erant Deo, pro servis suis ad eum clamantibus pugnante, et nube eos ab æstu solis defendente, Sarraceni solum Christianorum impetu territi omnes projectis armis fugerunt; et in hoc 6 bello IV Kalendas Augusti facto cæsa centum millia paganorum. In porta vero Ascalonæ suffocati sunt ad duo millia. Eorum autem qui in mari perierunt, et qui inter spineta silvarum consumpti sunt, incertus est numerus. Capta autem est Jerusalem post annos circiter quadringentos sexaginta, ex quo sub Heraclio imperatore secunda vice capta possessa est a Sarracenis.

GUILLELMUS. Mons Sion intra urbem Jerusalem receptus pro arce eminet. Ibi templum Domini, et templum quod dicunt Salomonis, incertum quibus auctoribus ædificata, Turcorum celebri colebantur frequentia. In templo Domini collocatum erat simulacrum Mahomet. Ibi tereti opere compacta ecclesia Sancti Sepulcri capax, ædificata a Constantino Magno nullam unquam ab inimicis fidei tulit injuriam; metu, ut conjicio, ignis cœlestis, qui quotannis in vigilia Paschæ lampadibus repente serenus infulget. Quod miraculum quando cœperit, vel si ante tempora paganorum fuerit, nullius historiæ relatione cognoscitur. Legitur in libro Bernardi monachi, quod abhinc annis 251, anno scilicet Domini 970, idem Hierosolymam profectus, ignem illum viderit, hospitatusque fuerit in xenodochio, quod ibi Carolus Magnus construi jussit: ubi et bibliothecam ingentis expensæ compegit: tantamque Ægypti, et per id locorum commemorat pacem Christianos sub dominio Sarracenorum habuisse: ut si alicui vianti in mediis forte triviis jumentum, quo necessaria deveheret, moreretur, aut deficeret, ille relictis sarcinis ad proximam urbem expeditus pro auxilio pergeret, omnia quæ reliquerat intacta reperturus. Quindecim primi episcopi Hierosolymitani circumcisi fuere, sequentes incircumcisi. Caius episcopus 21, primus ibi celebravit Pascha more Romanorum. Tempore Macarii episcopi 29, inventa est ibi sancta crux ab Helena. Cyrillus episcopus 42, constituit ecclesiam Sancti Sepulcri, et montis Calvariæ, et Bethlehem, et Vallis Josaphat. Usque ad hunc Cyrillum omnes vocati sunt episcopi. Post hos surrexerunt patriarchæ, quorum octavus fuit Zacharias, in cujus tempore Costroe rex Persarum destruxit ecclesias Judææ et Jerusalem. Cujus exercitus occidit 36 millia Christianorum. Post hunc constitutus est Modestus ab Heraclio imperatore. Post quem fuit Sophronius, cujus tempore venerunt Sarraceni, et ejecerunt omnes Christianos de Jerusalem, excepto patriarcha, quem ob reverentiam sanctitatis ibi dimiserunt. Illud fuit tempus, quo Sarraceni totam Ægyptum, et Africam, Judæam et Hispaniam, et Baleares insulas pervaserunt. Partem Hispaniæ abstulit eis Carolus Magnus: reliquam, et omnes terras quas nominavit, usque hodie possident annis jam abhinc circiter quingentis. Post hunc Sophronium octavo loco fuit Theodosius; quem Bernardus præstatus monachus dicit raptum fuisse a monasterio suo, quod distabat ad Jerusalem 15 millibus, et factum fuisse patriarcham. Tunc etiam dicit fuisse Michaelem patriarcham Babylonis super Ægyptum, translato patriarchatu Alexandriæ in Babylonem. Post hunc octavo iterum loco fuit Horestes, in cujus tempore venit Achim Soldanus de Babylonia, nepos Horestis patriarchæ, et misit exercitum suum in Jerusalem, et dextruxit omnes ecclesias, et avunculum suum patriarcham abduci fecit in Babylonem, et ibidem occidi.

Post hunc fuit Theophilus, et post Nicephorus. Hic ædificavit casam Sancti Sepulcri, quæ nunc est, favente Soldano Achim. Post hunc fuit Sophronius; in cujus tempore Turci venerunt Hierosolymam, et omnes Sarracenos interfecerunt, et obtinuerunt civitatem; Christiani autem remanserunt sub dominio Turcorum. Post hunc fuit Euthymius, et post hunc Simeon; in cujus tempore venerunt Franci, et expugnaverunt Jerusalem, et liberaverunt eam de manibus Turcorum, et regis Babyloniæ. Decimo quinto die Julii capta est Jerusalem. Partem ligni Dominici quidam Syrus avita successione domi custoditam reddidit. Ibi dux Godefridus electus est in regem, filius Eustachii comitis Bononiensis; qui per maternum genus ad Magni Caroli spectabat lineam. Mater ejus Ida Godefridi antiqui Lotharingorum ducis filia, habuit fratrem Godefridum, cognomento Beocardum. Uxor hujus Godefridi fuit Mathildis marchissa, Godefridus autem Idæ filius imperatori Henrico militavit contra papam Hidebrandum; et in oppugnanda Roma partem muri, quæ sibi obtigerat, primus irrupit. Postea præ nimio labore in nimia siti vinum nimium hauriens, febrem quartanam nactus est. Audita autem fama viæ Hierosolymitanæ, illuc se iturum vovit, si Deus ei redderet sanitatem. Quo voto emisso, mox vires ejus penitus refloruerunt. In Antiochena obsidione Turcum quemdam singularem pugnam poscentem medium a lateribus gladio Lotharingo dissecuit. Cujus desecta medietate jam in armis palpitante, reliquam tulit equo cui insederat; adeo firme Turcus ille insederat equo suo. Idem Godefridus alterum Turcum æque congressum, vibrato in caput ense a vertice usque ad inguina diffidit; et ex eodem ictu sellam et spinam equi penitus discidit. In eadem obsidione militem quemdam suum pabulatum progressum, a leone

invasum, et clypeo se defendentem tandem occisum adeo indoluit, ut venabulo feram transfoderit: quæ saucia, et dolore acrius sæviens in eum irruit, ita quod e ferro quod exstabat in vulnere tibiam ejus sauciavit: qui mox gladio bestiam evisceravit. Hoc anno, qui fuit annus Guillelmi II regis Angliæ 12, fluctus marinus per fluvium Tamensem ascendit, et villas multas cum hominibus mersit.

1100. SIGEBERTUS. Guibertus et Urbanus de papatu Romano contendentes, moriendo uterque finem faciunt suæ contentionis. Raginerus, qui et Paschalis fit papa. Magister HUGO. Anno Domini 1108, Indictionis LXXVI octavo, id est Henrici III 16 sedit Paschalis II papa centesimus sexagesimus quintus, annos octodecim, menses V, dies 7. AUCTOR. Sciendum quod Henricus iste tertius fuit Henricorum, sed secundus imperatorum. Nam primus Henricus, ut supra dictum est, imperator non fuit, sed tantum rex; et ideo dicit, anno ejus 16, quia iste Henricus III hoc anno imperaverat annis 16, quamvis jam regnasset annis 44. SIGEBER. Rex Godefridus moritur. GUILLELMUS. Guillelmus factus est rex. Fertur otii desuetudine febrem antiquam revocasse. Anno uno regnavit. Obiit 14 Kalendas Augusti. Tumulatus est sub rupe Godgothana. Interrogatus de successore, nullum nominavit: sed eum tantum, qui dignus esset.

Post quem electus est in regem Balduinus frater ejus. Hujus actus scripsit ex parte Fulcherius Carnotensis capellanus ejusdem. Robertus autem comes Normanniæ genus suum indelebili macula respersit; quia, cum esset filius regis, et ei consensu omnium procerum offerretur regnum Jerosolymorum, noluit accipere, labores metuens. Uxorem in reditu duxit in Apulia filiam Guillelmi de Conversana, elegantissimæ speciei, ex qua tulit filium Guillelmum, qui post paucos annos obiit, morbo, ut aiunt, contracto consilio pellicis ex mammis strictis pro affluentia lactis. Postremo idem Robertus, fatua liberalitate consumptis omnibus, ad tantam redactus est inopiam, ut precarium victum a burgensibus nundinaretur, et tandem a fratre Henrico in vinculis positus. Hoc anno, qui fuit ultimus annus vitæ Guillelmi regis Angliæ, diabolus visibiliter apparuit hominibus in saltibus et devìis transeuntes allocutus. Præterea in pago Bertubesare in villa Hanstede, continuis 15 diebus fons sanguinem tam ubertim manavit, ut vicinum vadum inficeret. Anselmus autem Cantuariensis archiepiscopus, cum quo omnis pariter religio exsulavit, venit hoc anno Macenniacum. Cumque ibi loqueretur cum Hugone abbate Cluniacensis, respondit abbas, proxima nocte regem Guillelmum ante Deum ductum et adjudicatum damnationi. Idem rex pridie quam periret, vidit per quietem se phlebotomiæ ictu sanguinem emittere, radiumque cruoris in cœlum usque pertendi, ita ut lucem obnubilaret. Eadem nocte monachus quidam transmarinus vidit per somnium, quod idem rex in ecclesiam quamdam intraverat, superbe et insolenter, ut solebat, circumstantes despiciens; tunc crucifixum mordicus apprehendens, brachia illi corrosit, crura pene truncavit; crucifixum diu tolerasse, sed tandem regem pede ita depulisse, ut supinus caderet. Ex cujus jacentis ore tanta flamma effusa est, ut fumeorum voluminum orbes etiam sidera lamberent. Hoc somnium cum quidam ei retulisset, respondit: Monachus est, et causa nummorum monachiliter somniat. Date ei centum solidos. Eadem die percussus in saltu pectus sagitta, quam jecerat Galterus Tiriaus miles quidam de Francia, qui cervum volebat percutere; qui prope regem stabat. Obiit anno Domini 1100, regni sui 13, vitæ 41, IV Nonas Augusti. Nullum suo tempore conventum ecclesiasticum fieri permisit. Sacros honores sui juris esse dictitabat. Eo die quo mortuus est, tres episcopatus, et 12 abbatias vacantes in manu sua tenebat.

1101. SIGEBERTUS. Guillelmo successit in regno frater suus Henricus. Robertus comes Flandrensium a Hierosolymis repatrians, detulit secum brachium sancti Georgii martyris, quod ecclesiæ Aquicinensi transmisit. Conradus filius Henrici imperatoris adhuc patri rebellis in Italia moritur. Henricus imperator Henricum Lemburgensem sibi adversantem debellat; et expugnatis ejus castellis eum ad deditionem cogit; sed imperator multa summa gratiam suam redimenti etiam ducatum Lotharingiæ donat. GUILLELMUS. Rex Balduinus coronatus est apud Bethlehem a Daniberto patriarcha die Natalis Domini anno 1101. Vix tunc erant in tota militia Christianorum quadringenti milites, et tot pedites, qui Jerusalem et Ramulam, et Caipham, et Joppen custodirent. Illo anno sacratus ignis in vigilia Paschæ tardavit usque in mane Resurrectionis Dominicæ. Accensa autem divinitus una lampade sepulcri, mox per omnem ecclesiam cæteræ lampades divinitus accensæ sunt. Postea Cæsaream Palestinæ cepit Balduinus. Captus est ibi admiratus urbis, et episcopus eorum, quem Archadium vocant ibi Turcus in collo pugno Christiani percussus byzanteos evomuit. Mares enim intra gingivas, feminæ intra pudenda byzanteos abscondebant. Subegit idem rex postea Tiberiadem, Sidonem, Accaronem, et cunctas urbes maritimas. Venit autem Jerusalem ad illius impetrandum connubium comitissa Siciliæ, infinitas gazas secum afferens. Quam tunc quidem duxit, sed post dimisit; quia, ut aiunt, genitalia ejus cancri morbus exedebat. Roberto Flandrensium comite inquietante urbem Cameracum, Henricus imperator contra eum proficiscitur; et aliquibus ejus castellis expugnatis, asperitate instantis hiemis redire compellitur. BALDRICUS. Dum Boamundus Antiochiæ omni prosperitate frueretur, omnesque affines suos aut vi, aut obsequenti amore sibi subjungeret, contigit mense Julio Gabrielem quemdam Armedium [f. Armenium], ut se et civitatem suam Militinam ei tra-

deret. Ad quam suscipiendam dum Boamundus A cum paucis vadit, circumventus insidiis cujusdam admiraldi Turcorum, Danismanis nomine, non longe a præfata urbe captus et detentus est.

1103. SIGEBERTUS. Legiæ, generali conventu habito Robertus comes Flandrensis in gratiam imperatoris recipitur. BALDRICUS. Boamundus per Dei gratiam a vinculis liberatur. GUILLELMUS. Hic Boamundus adhuc puer nil erat quod retineret; sed etiam puerilia xenia dispergebat. Cum patre suo ad bellum Dyrrachium profectus est. Cumque oppidani fiducia mœnium jactitarent, ideo urbem illam Dyrrachium nuncupatam, quod contra omnes obsidiones imperterrita duraret : et ego, inquit Guiscardus Boamundi pater, vocor Durandus; et ideo eousque in obsidione durabo, quo civitati nomen B auferam, ut non Dyrrachium, sed mollitum amodo dicatur. Cujus responsi constantia pavefacti mox ei portas aperuerunt. Boamundus autem captus et dimissus, argenteos compedes quibus illigatus fuerat, Antiochiam secum detulit. Non multo post in Gallias venit, offerens catenas S. Leonardo. Uxorem duxit filiam regis Francorum. Pro suspicatione noxiæ potionis cultellum habebat paratum, qui ante ora comedentis infixus sudore prodebat manubrii, si aliquid certi allatum esset veneficii. Post hunc Tancredus nepos ejus præfuit Antiochiæ; cui successit Rogerius filius Richardi. BALDRICUS. Guillelmus comes Pictaviensis, et Stephanus comes Blesensis, qui ab obsidione Antiochiæ redierant in patriam, et Hugo Magnus, qui post Antiochiam C captam repatriaverat, et Raimundus comes provincialis, qui post Jerusalem captam Constantinopolim ad imperatorem se contulerat, et Stephanus comes Burgundiæ, et multi alii nobiles et potentes viri, cum innumero exercitu Romaniæ fines ingressi sunt; qui per terram meantes, urbes et castra subjugando Jerosolymam tendebant. His obstitit Soliman admiratus, cui per primos duces itineris Nicæa sublata fuerat. Hic cum innumera manu Turcorum insidias ei tetendit. Mulieres ibi multæ gladio perierunt, plures captivæ ductæ sunt, viri multi trucidati, vel ferreis compedibus mancipati. Ibi perdidit comes Pictaviensis homines suos pene omnes, equos et mulos et jumenta; et pene D omnia quæ habebat; qui tandem Antiochiam lugubris pervenit. Comes Raimundus per devia fugiens cum parte sui exercitus vix evasit. Stephanus Blesensis, et Stephanus comes Burgundiæ, et Hugo Magnus, et Hugo Liciniensis frater Raimundi comitis, in altera parte exercitus tramite devio Tharsum devenerunt. Ibi Hugo Magnus mortuus est. Alii proceres pergentes Jerusalem Tortosam ceperunt, Sarracenos omnes ibi inventos interfecerunt, et de spoliis eorum aliquantulum recreati sunt. Comes Raimundus Tortosæ remansit, et eam sibi obtinuit : quod aliis molestum fuit, quia ipse transitus noverat, per quos transituri erant. Alii venerunt Joppen cum rege Balduino, qui eis obviam ierat. Qui duxit eos Jerusalem, ubi Paschali festivitate peracta redierunt Joppen. Tunc comes Pictaviensis, quia pauper et inops erat, et omnibus carens, domum regressus est, navem conscendens. Alii quoque domum similiter regredi cupientes, ventis se et mari commiserunt; sed vento resistente Joppen redire compulsi sunt. Hi itaque apud Joppen cum rege erant, quando nuntiatum est regi de invasione hostium super Ramulneuses. Rex putans præcursores quosdam missos causa prædæ, et facile intercipi posse, confestim equum ascendit, et cum paucis profectus. Comes autem Blesensis Stephanus eum præmonuit, ne incaute et absque providentia et consilio exiret. Cui rex indignatus respondit, quod si ipse et socii sui tunc essent in Francia, tamen ille non omitteret illos invadere. Et egressus est cum paucis. Mox comites præfati armati cum sua militia illum secuti sunt. Illi vix ducenti milites erant, hostes plusquam 20 millia. Ergo undique ab hostibus cæduntur. Rex fugiens intravit Ramulam, et nocte solo comitatus armigero equum velocissimum ascendens, qui præ velocitate Gazoli vocabatur, per medios hostes se contulit ad montana. Stephanus Blesensis, et Stephanus Burgundiensis sibi capita perdiderunt. Hugo quoque Liciniacensis, et Jofridus Vindomensis, et multi alii ibi trucidati sunt. Alii captivi in Babyloniam ducti sunt. De omni militia, quam rex de Joppe eduxerat, vix tres evaserunt, id est armiger regis, et Luithardus, et vicecomes Joppitarum. Non multo post rex Balduinus cum Hugone de Tiberiade optimo milite, qui ei in auxilium venerat, multos Sarracenos apud Joppen interfecit : et eodem anno civitatem Accaron ceperunt, auxilio Januensium et Pisanorum.

1104. Quidam clericus de Vendopera, cum studeret in scholis apud Lugdunum, vidit in visione noctis quamdam vallem sub quodam monte, super quem civitas quædam pulcherrima sita erat : cujus aspectus nimium delectabat intuentes, ita ut quisquis eam videret, de conspectu illius satiari non posset et modis omnibus laboraret, quomodo ad illam pervenire valeret. Interea vidit fluvium quemdam sub pede montis, imo circa pedem, currentem. Quem dum circuiret, quærens artem, quomodo illum transmearet, vidit super ripam fluminis 12 pauperes, sive 14 lavantes in flumine tunicas suas. Inter quos erat quidam veste candidissima indutus, multum aliis dissimilis, qui adjuvabat illos in tunicarum suarum ablutione : qui postquam adjuverat unum, ibat adjuvare alterum. Tunc clericus qui hæc videbat accessit ad illum, qui cæteros juvabat, et dixit ei : « Quæ gens estis vos? » Qui ait : « Isti pauperes homines sunt pœnitentiam agentes, et se a peccatis suis lavantes : et ego sum Filius Dei Jesus Christus; sine cujus auxilio nec isti, nec alii possunt bene facere. Civitas hæc pulchra, quam vides, paradisus est, ubi ego maneo : et quando quisque tunicam suam laverit, id est

pœnitentiam peregerit, in illam intrabit. Tu ipse A satis diu quæsisti viam, qua itur ad illam; sed nulla alia via quam ista, ducit ad eam » His dictis, clericus a somno evigilavit, et mirari cœpit de visione. Cum autem non multo post redisset a schola in patriam suam, narravit episcopo Cabilonensi, cui familiaris erat, visionem hanc. Qua audita, episcopus suasit ei ut sæculum relinqueret et religionem intraret; commendans ei super omnes ordinem Cisterciensem. Ille venit Cistercium, et invenit locum incultum et desertum et fratres inter bestias conversantes. Ad portam vero monasterii quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus; cujus sonitu ad portam portarius appellabatur ab intrare volentibus. Hoc sonitu vocatus portarius B venit ad eum foras, et inclinans salutavit eum. Quem clericus intuens, statim recognovit eumdem se vidisse inter eos qui tunicas suas in flumine lavabant. Rogavitque eum ut adduceret ad se abbatem. Abbas igitur et totus conventus venit ad eum: et recognovit clericus omnes se vidisse tunicas suas in flumine lavantes: statimque cecidit ad pedes abbatis, rogans cum lacrymis ut susciperetur. Qui susceptus, non multo post factus est prior.

1105. Henricus filius Henrici imperatoris a patre aversus, quoscunque potest ab eo avertit, et sub obtentu meliorandi regni in eum insurgit, contra jus et fas. Qui quam indigne patrem suum tractaverit, declarat epistola ipsius patris ad Philippum regem Francorum scripta (46). Florebat hoc tem- C pore Hildebertus Cenomanensis episcopus, Berengarii Turonensis discipulus, versificator et dictator egregius; qui epitaphium ejusdem Berengarii magnifice scripsit versibus 52, qui de Roma composuit hoc distichon.

Urbs felix, si vel dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe carere fide.

GUILLELMUS. Eo tempore in cœnobio Fuldensi exitialis lues gras ata, prius abbatem corripuit, mox multos monachorum exstinxit. Superstites primo quidem sibi timere, orationes et eleemosynas largiores facere; sed processu temporis, ut est natura omnium, pedetentim metu dempto omittere, præsertim cellerarius qui passim clamitabat, non posse penum tot expensis sufficere: sperasse se semper aliquod D allevamentum, pro tot elationibus funerum: nil ultra spei esse, si quod vivi nequissent, mortui consumerent. Ita cum quadam nocte propter necessaria diu soporem distulisset, tandem elaqueatis morarum nexibus in dormitorium pergebat; et ecce videt in capitulo abbatem, et omnes qui obierant illo anno, eo quo decesserant ordine sedere. Tremens et effugere gestiens, vi retroactus, increpitus, more monastico flagellatus, audivit verba abbatis in hanc sententiam: « Stultum est, de alterius morte emolumento inhiare; cum sors cujusque sub eodem pendeat fato. Impium etiam est, cum monachus omnem vitam suam in Ecclesiæ consumpserit obsequio, ut careat saltem unius anni post mortem stipendio.

Scito ergo te citissime obiturum: sed quidquid pro te fiet, ad aliorum quibus abstulisti referetur commodum. I modo, et alios tuo corrige exemplo; quos corrupisti verbo. Abiit ille, et nil se vanum vidisse, tam recentibus plagis, quam morte proxima demonstravit. Ea tempestate Valstanus Wigorniensis episcopus cum de parva litterarum scientia pulsatus, foras concilium exiisset, ut subtiliori consilio responsum comeret suum, remoto animo a tumultibus, ait ad socios: Credite mihi, nondum cantavimus horam sextam. Sociis autem referentibus, ut prius agerent propter quod venerant; quia satis superque sufficeret cantibus tempus: « Regem et proceres, si hoc audierint, risui se haberi opinaturos, ait. Credite mihi; prius faciemus Dei servitium, et post agitabimus hominum litigium. » Hora igitur cantata, et nulla tergiversatione excogitata, nullo commentato splendore veri, confestim aulam perrexit. Suis eum retinere tentantibus persuaderi non potuit; quin potius illis causæ suæ timentibus, pro certo, ait, «Noveritis me visibiliter hic videre beatos archiepiscopos Dunstanum Cantuariensem, et Oswaldum Eboracensem, qui hodie suis me precibus tuentes, falsiloquorum acumen hebetabunt. » Itaque data benedictione monacho minimæ facundiæ viro, sed Normanniæ linguæ sciolo, rem perorans obtinuit. Sciendum autem quod Doroberniа ipsa est Cantuaria: Dunelmensis Ecclesia Lindifarnensis est. Cestra vero olim dicebatur civitas Legion, et ejus episcopus Clirifeldensis, a villa quadam. Porro Circestrensis episcopus et Sisclicensis, idem; Elmanensis et Norwicensis idem, Scriburnensis et Salsberiensis idem. Dorcestrensis et Lincolniensis idem, Vellensis et Barthoniensis idem. Perierunt autem jamdudum episcopatus Ripensis, et Ligastrecensis, et Sidnacestrensis, et Dommucensis, nescio quomodo, et Augustaldensis, vi hostilitatis. Tempore autem Edwardi simplicis Cornubiensis episcopatus et Cridiensis uniti sunt, et translatus est episcopatus in Oxonium. Archiepiscopus Cantuariæ in concilio præsidens habet a dextro latere archiepiscopum Eboraci, et juxta eum episcopum Wintoniæ; a sinistro Lundoniensem. Si autem Cantuariensis in concilio adesse non poterit, Eboracensis in concilio præsidebit, habens a dextris Lundoniensem episcopum, a sinistris Wintoniensem. Cæteri secundum tempora ordinationum sedilia sua agnoscunt. Cantuariensis archiepiscopus habet sub se episcopos Hiberniæ et Walorum; Eboracensis habet omnes episcopos trans Umbram fluvium ditioni suæ subjectos: Episcopum Rupensem, Augustaldensem, qui jam defecerunt, Lindifarnensem, et de Candida casa, quæ nunc Witerne dicitur, et omnes episcopos Scotiæ, et Orchidum.

(46) Refert hanc epistolam Sigebertus ad an. 1106.

1106. Baldricus et Sigebertus. Rex Balduinus cum Jerosolymi:is innumerabilem paganorum multitudinem gloriosa victoria conterunt inter Joppen et Ramulam.

Sigebertus. Quarto Nonas Februarii stella per diem visa est in cœlo ab hora tertia usque in horam nonam, quasi cubito distans a sole. Henrico imperatore morante Leodii, filius ejus venit Aquisgranum, et volens venire Leodium contra patrem suum, quinta feria Dominicæ cœnæ, præmisit suos milites præoccupare pontem apud Wisatum, ne quis sibi venienti obstaret. Sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandum pontem, milites filii a ponte repelluntur, aliis eorum captis, aliis in Mosam demersis, aliis occisis. Inter quos etiam Bruno comes occisus est. Sicque filius contra patrem veniens rediit inglorius. Coloniensibus fidem imperatori servantibus, eorum tamen archiepiscopo filium imperatoris contra patrem animante, Colonia obsessa oppugnatur, sed non expugnatur. Interim Henricus imperator Leodii moritur. Guillelmus. Hic Henricus Hildebrandi inimicus ore facundus fuit, acer ingenio, eleemosynis largus. Sexagies et bis acie collata dimicavit; plures inimicorum ejus vitam misero exitu finiere. Quidam ex adversariis ejus homo potens et factiosus, dum resupinata cervice in convivio resideret, repente a muribus circumvallatus est, ut nunquam posset effugere; tantus erat numerus bestiolarum, ut in qualibet ampla provincia tot esse non putarentur. Fustibus et subselliis diu repulsæ fugari non potuerunt. Nulli vero nocere tentabant, nisi illi soli, quem dentibus, et terribili quodam occentu persequebantur. Ille autem a famulis ultra jactum sagittæ in pelagus pervectus est, sed frustra. Nam continuo tanta vis murium inundavit, ut marmor paleis constratum jurares: et cum jam tabulata navis corroderent, et naufragium certum aqua per rimulas ingrediens minaretur, famuli puppem ad littus retorquent. Miser ergo ille in terram expositus, mox totus dilaceratus horrendam murium famem explevit. Sed hoc ideo minus mirum judico; quia certum est in Asiaticis regionibus, si leopardus aliquem mordicus attigerit, confestim murium copiam adventare, ut vulneratum comminguant; immundumque urinæ diluvium comitari hominis exitium. Si vero sedulitate arcentium intra 9 dies vitata fuerit pernicies, advocari medicorum industriam, et profecto valituram. Conspicatus est relator meus quemdam ejusmodi saucium, cum desperaret in terra salutem, in altum jactis anchoris processisse; nec mora plusquam mille mures annasse, corticibus malorum granatorum, quorum medullas exederant, inclusos, mirabile dictu; sed obstrepentibus nautis demersos. Nihil enim ille parens rerum creatum destituit ingenio, nil noxium sine remedio.

Sigebertus. Henrico imperatori mortuo successit filius ejus Henricus. Dux autem Henricus, qui ab imperatore ad filium ejus animo transiens eum contra patrem suum consilio suo animaverat, et a filio ad patrem rediens partes filii debellaverat, mortuo imperatore, se ut reum majestatis filio regis reddidit; et ab eo captus custodiæ traditus est; de qua tamen custodia ipse per industriam suam evasit; sed ducatus ejus datus est Godefrido comiti Lovaniensium. (1107.) Henricus exdux affectans repetere ducatum, occupat oppidum Aquisgrani contra Godefridum ducem. Quod non ferens Godefridus, oppidum violenter irrupit; oppidanos a favore Henrici exterruit; aliquos potentes, comites, et multos nobiles cepit. Ipse Henricus cum filiis suis vix fuga evasit. Uxorem ejus capere dux indignum duxit. Comites et honoratiores eorum quos ceperat, per conditionem sub se militandi sibi conciliatos ad fidelitatem suam adduxit. Bellum fuit apud Tenethebrai inter Robertum comitem Normanniæ, et Henricum regem Angliæ. Abbas Cistercii *Albericus* moritur; post quem Stephanus, natione Anglicus, religionis, paupertatis, et disciplinæ regularis ardentissimus amator, et fidelissimus æmulator, abbas factus est. In hujus diebus omnes ordinis Cisterciensis honorabant sanctitatem; sed refugiebant austeritatem; et resiliebant ab eorum imitatione, quibus appropinquabant devotione. Tunc in cellam novitiorum tam clerici quam laici, utrique secundum sæculum nobiles et potentes, 30 pariter ingressi sunt. Infra annos duodecim viginti abbatias creavit.

Tunc facta est Charta charitatis ab ipso Stephano abbate Cisterciensi, et viginti abbatibus, auctoritate sigilli apostolici confirmata. Ab illo ergo tempore rejecerunt ab ordine frocos et pelliceas, staminia et caputia, et feminalia, et pectina, et coopertoria, et stramenta lectorum, ac diversa ciborum in refectorio fercula, et sagimen, et omnia quæ puritati Regulæ adversabantur. Abdicaverunt etiam ecclesias, altaria, oblationes, et decimas, sepulturas aliorum hominum; et furnos, et molendina, et villas, et rusticos; quia nec in vita sancti Benedicti, nec in ejus Regula legebant, eumdem sanctum hujusmodi possedisse, nec feminas monasterium ejus intrasse, nec mortuos ibidem sepultos fuisse, excepta sorore sua sancta Scholastica: dicentes beatum Benedictum præcepisse, ut monachus a sæcularibus actibus se faciat alienum. Decimas quoque dicebant a sanctis Patribus in 4 partitiones distributas; unam scilicet episcopo, alteram presbytero vel clero, tertiam hospitibus ad illam ecclesiam venientibus; seu viduis et infirmis, sive pauperibus alium victum non habentibus quartam restaurationi ecclesiæ. Et quia in hoc compoto personam monachi, qui terras suas possidet, ut de et per se, et per pecora sua laborando vivat, non reperiebant; idcirco hæc veluti aliorum jus, injuste sibi usurpare detrectabant. Memini me audisse magistrum Petrum cantorem Parisiensem, virum justissimum atque doctissimum, referentem de abbate isto Cisterciensi Stephano, quod cum quadam die ei

nuntiatum esset a suo cellerario, nihil haberi in A monasterio, unde vel uno die illa fratrum paucitas sustentari posset, respondit : Sternite nobis duos asinos. Qui cum strati fuissent, fecit secum ascendere conversum suum, et jussit ei, ut in quodam vico panem mendicaret ostiatim ad opus fratrum, et ipse similiter in alio faceret; et postquam sic fecissent, ad unum locum, quem ei designaverat, convenirent. Factum est ita; et in loco prædicto sibi jam redeuntes obviabant; cum ecce abbas videt sacculum conversi multo pleniorem quam suum, et subridendo ait : « Ubi mendicastis? Ut video vos in crassiore platea collegistis, quam ego. Ubi obsecro collegistis? Quis vobis plus donavit? » Respondit conversus : « Presbyter ille, quem vos optime nostis, sacculum meum fere solus implevit totum. » B Quod audiens abbas ingemuit, et ait : « Væ nobis. Quare ibi aliquid accepistis? Nesciebatis, quod presbyter ille Simoniace ibi ordinatus est, et quidquid accipit lepra et rapina est? Vivit Dominus, quod de omni quod dedit vobis, nihil omnino gustabimus. Absit enim, ut peccatum illius comedamus, et nobis incorporemus! » Convocatisque pastoribus ovium, qui non longe erant, totum conversi sacculum in sinus eorum evacuavit.

1108. Sigebertus. Henricus imperator contra Robertum comitem Flandrensem vadit; et pacto pacis utrimque magis simulato, quam composito, inefficax redit. Boamundus dux Apuliæ, contracto undecunque exercitu, accingitur ad invadendum Constantinopolitanum imperium. In parochia Legiensi porca enixa est porcellum habentem faciem hominis. Natus est etiam pullus gallinæ quadrupes. Imperator Henricus contra Hungaros vadit; sed pacto facto, redit. Philippus rex Francorum obit; post quem filius ejus Ludovicus regnat annis 29. (1109.) Obiit Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, et Hugo Cluniacensis abbas, anno ordinationis suæ 60, ut ait Gilo, qui Vitam ejus scripsit. Paucis diebus antequam moreretur, cuidam rusticano homini in agro laboranti apparuit sanctorum visio, quos præcedebat quædam regalis domina, cujus dorsum transeuntis, et non faciem videbat. Illud sanctum agmen quidam senior subsequebatur; qui restitit, et ait : « Cujus est, o agricola, ager iste, quem colis? » Qui ait : « B. Petri et domni abbatis Cluniacensis. » Et senior ad hoc. « Meus est, inquit, ager, abbas, et famulus. Tu autem festina nuntiare meo abbati, ut disponat domui suæ, quam nutrivit, quod post modicum tempus hujus vitæ finem sortietur. Dic autem ei Petrum apostolum hoc tibi nuntiasse. Qui vero me præcedunt, Dei Genitricem, sanctosque denuntia famulantes. » Idem Hugo in articulo mortis positus, recolens anniversarium Gaufridi archiepiscopi, et Widonis abbatis, oblivіosos admonuit; tam tenuis erat memoriæ, et tantæ charitatis, quod ibi fraternæ salutis erat non immemor, ubi raro quisquam reminiscitur propriæ. In ipsa nocte qua mortuus est, benedictiones lectionum lectoribus imposuit. Extremum ejus verbum fuit ad circumstantes : *Benedicite*. Corpus ejus in capitulo a fratribus albis indutis prius aqua, deinde vino ablutum est; ad ultimum modico balsamo, quod supererat in brevi vasculo, ternis vicibus totum corpus magnum affluenter perunctum est; quod vix ad solum lepidum caput sufficeret, nisi benedictione cœlesti multiplicatum inter manus obsequentium superabundaret.

Beatus autem Dionysius apparuit cuidam fratri apud Nongentum, dicens, ut festinaret abire Cluniacum, ut valedicere posset S. Hugoni statim decessuro. « Veni ego infelix, sed sanctum migrantem non inveni. Datum est tamen spiritui, quod negatum est corpori. Vidi enim mistos mortalibus superos, et cum monachorum collegio Matrem Dei maris stellam clarius coruscare; cujus præsentia sagittarios quosdam apparentes ita exterruit, et fugavit, sicut ventus validus autumnales frondes dejicere consuevit. Inter quos Martinus gemma sacerdotum, et Benedictus, sol abbatum, spiritum S. Hugonis deducentes, intra quamdam vineam speciosam et fertilissimam collocarunt, ut ibi jucundaretur, et in modico mansitaret. Ubi me ipse aspicientem S. Hugo ita invitabat : Comede charissime, de candidis racemis, qui nobis superabundant; et fac mecum solemne contubernium. Ego nempe parum hic pausabo, donec quidam tumor subsidat, quem in pedibus pulverulentis de longo C circuitu terrarum contraxi. Sed evestigio curatis gressibus, et excusso pulvere mundano, liber ad potiora transibo. Dic autem successori meo Pontio, ut humilitatis et innocentiæ thesauros custodiat, et necessitates omnium suas reputans, misericordiæ studeat, zelum monastici ordinis exemplo mei sapienter disponat. Sic enim viriliter agens, a Deo consequetur auxilium, qui non deserit sperantes in se. » Eadem quoque nocte, qua Pater beatus dormivit in Domino, vidit abbas quidam in visione duos lectos decenter adornatos, angelorum manibus ad astra sustolli : et audivit voces in sublimi dicentium : Heroas duos sui correctores et sæculi stratis auro radiantibus vitæ merito collocabimus, videlicet Cantuariensem archiepiscopum, et Cluniacensem abba- D tem; qui multorum sunt patres filiorum in gloria. Isti quidem duo pene sub uno tempore decesserunt.

Auctor. De abbatibus Cluniacensibus a primo usque ad hunc Hugonem, facti sunt hi versus :

Ordine Berno prius, stat honore beatior Odo.
Surgit ab his sanctus Majolus forma virorum,
Igneus ardentem vix cohibens animum.
Post fuit Avernis sacer Odilo missus ab oris,
Mitior ingenio, quam ferus imperio.
Proximus, Hugo, venis, discretis usus habenis,
Ordine posterior, utilitate prior.

Sigeber. Hoc anno multi sacro igne accenduntur, membris instar carbonum nigrescentibus. Auctor. Tres plagæ tribus regionibus appropriari solent : Anglorum fames, Gallorum ignis, Norma-

norum lepra. In territorio tamen Belvacensi rarissime solet accidere pœna ignis : quod B. Gommaro speciali dono a Deo datum asserunt.

1110. Sigebert. In mense Junio cometes apparuit, radios dirigens ad austrum : multis conjicientibus, hoc signo portendi futuram regis Henrici expeditionem versus Italiam. (1111.) Rex Henricus Romam vadit, propter sedendam discordiam, quæ erat inter regnum et sacerdotium : quæ cœpit a papa Gregorio VII (47) et exagitata a successoribus ejus Victore, et Urbano, et præ omnibus a Paschali, scandalo erat toti mundo. Rex enim uti volens auctoritate et consuetudine, et auctoralibus privilegiis imperatorum, qui a Carolo Magno jam per trecentos et amplius annos imperaverant, sub 63 apostolicis, et dabant licite episcopatus et abbatias per virgam et annulum, hoc suum jus allegat. Contra hanc majorum auctoritatem censebant papæ synodali judicio, nec posse, nec debere dari per virgam, vel per annulum episcopatum, aliquam ecclesiasticam dignitatem, vel investituram a laicali manu; et quicunque ita episcopatum, aut aliam ecclesiastici juris investituram accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc præcipue causam rex Romam tendebat, et si qui Longobardorum quoquomodo ei resistere volebant, potenter eos proterebat. Magister Hugo. Anno Domini 1111, qui fuit Paschalis papæ 12, imperavit apud Theutonicos Henricus IV. Hic in primo anno regni sui cepit Paschalem papam. Invenitur tamen jam idem Henricus regnasse annis 4. Nam hic est annus 5, regni ejus. Sed hunc annum ideo ponit, ut arbitror, Magister Hugo primum in imperio ejus, quia in hoc anno per reconciliationem quæ facta est inter eum et papam, factus est ipse imperator Romanorum. Unde Sigebertus in Chronicis suis sic infert. In reconciliatione, inquit, quæ facta est inter imperatorem et papam, ipsum papam cum episcopis et cardinalibus cœperat die Paschæ, Henrico in imperatorem coronato; post lectum evangelium tradidit ei papa ante altare beatorum apostolorum Petri et Pauli in oculis omnium principum privilegium de investitura episcopatuum et abbatiarum (48), tam per annulum quam per virgam : scilicet ut regni ejus episcopis vel abbatibus libere et præter violentiam et Simoniam electis, investituram virgæ et annuli conferat. Post investituras vero, canonice consecrationem accipiat ab episcopo, ad quem pertinuerit. Confirmatio pacis inter apostolicum et imperatorem, dum in celebratione missæ traderet ei corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, hæc est. « Domine imperator, hoc corpus Domini natum ex Maria virgine, passum pro nobis in cruce, sicut sancta et apostolica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me, et te. Datum Idibus Aprilis, indictione 4. »

(47) Vide quæ de Sigeberti conviciis in Gregorium VII adnotavimus supra, ad an. 1074

Guillelmus abbas Sancti Theodorici. Anno ab Incarnatione Domini 1111. Anno a constitutione domus Cisterciencis 15, beatus Bernardus annos natus 22, cum sociis plusquam 30 ingressus est cellam noviliorum sub abbate Stephano. Inter quos fuit Hugo Matisconensis, qui Pontiniacense cœnobium ædificavit, qui postea factus est Antissiodorensis episcopus. Pater sancti Bernardi dictus est Tescelinus, dominus oppidi Fontanorum : mater ejus dicta est Alez ex castro Montebarri. Hæc septem liberos habuit, sex mares futuros monachos, et unam feminam futuram sanctimonialem : quos alienis uberibus nutriendos nolebat committere, infundens eis naturam boni materni cum lacte materno. Non patiebatur eos delicatioribus assuescere cibis. Hæc cum haberet in ordine tertium Bernardum in utero, somniavit se habere in utero catellum totum candidum, et in dorso subrufum et latrantem. Responsum est, quod infans ille contra inimicos Dei magnos latratus ederet, et mundam vitam duceret, et magnum patientiæ exemplum præberet. Adultus puer traditus est magistro apud Castellionem; cujus castri ecclesia postmodum per ejus operam a conversatione sæcularium in ordinem regularium canonicorum promota est. In nocte Natalis Domini apparuit ei velut sponsus procedens e thalamo suo, benignus puer Jesus. Prædicta vero Alez mater ejus laborans in extremis, et psallens cum clericis, et dicens litaniam, cum diceretur : *Per passionem et crucem tuam libera eam, Domine*, levata manu signans se, spiritum reddidit; ita quod deinceps manum suam deponere non potuit, quam ad se signandam levarat. Quadam vero nocte instinctu dæmonis injecta est in lectum dormientis Bernardi puella nuda. Quam ille sentiens, vertit se in partem alteram, et dormivit. Illa palpante et stimulante permansit immobilis. Sicque illa victa et confusa aufugit. Alio tempore sollicitatus est a quadam hospita sua, quæ se in lectum ejus jaciens, alliciebat eum ad carnalem copulam. Ille autem consilii non inops clamavit : Latrones! latrones! quod illa audiens aufugit : et factum est hoc per ter. Cum autem arctius implicaretur amore scientiæ sæcularis, videre sibi visus est matrem suam conquerentem et dicentem, quod eum non nutrisset ad hanc nugacitatem. Semper post cibum pensare solitus erat, quantum comederat. Annum in cella novitiorum exegerat, cum adhuc putaret in capite Ecclesiæ unam tantum fenestram vitream esse, cum ibi tres essent. Sic videbantur ei dormientes mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes.

Sigebertus. Deo peccatis hominum offenso Ecclesia Sancti Michaelis de periculo maris fulgurata divinitus arsit cum ædificiis omnibus. Baldricus episcopus Laudunensis cives ipsius urbis a sacramento perperam juratæ communionis revocare ni-

(48) Investituras beneficiorum vi extorsit imperator a pontifice.

sus, a seditiosis ad arma concurrentibus, quod dictu nefas est, gladio confossus interiit, feria quinta paschalis hebdomadæ, 7. Kalendas Maii in Litania majore. Tumultuante etiam impetu confusæ multitudinis domus episcopi succenditur. Unde ipsa etiam mater ecclesia Beatæ Mariæ, et ecclesia Sancti Joannis Baptistæ in abbatia monialium, cum omnibus aliis ecclesiis e vicino appendentibus concremantur. In auctores autem seditionis a Ludovico rege Francorum tam severe vindicatum est, ut tam futuros quam præsentes a simili scelere deterrere possit exemplum. Hanc tribulationem Laudunensium quædam perturbatio præcesserat, quæ futuræ hujus calamitatis seminarium et radix fuit, et quodam modo prænuntia. Quidam enim princeps nobilis, et castellanus Laudunensis, nomine Girardus de Cirisiaco, dum in eadam sanctæ Dei Genitricis ecclesia genibus flexis suppliciter oraret, ab inimicis suis, qui eum alibi aggredi non audebant, dolose circumventus, et ab oratione surgens, diversis gladiorum plagis ibidem est interfectus. Cujus sanguine pavimentum ecclesiæ respersum cum multoties aqua superfusa non posset ad plenum ablui, pluresque spectatum venientes, non parum super hoc mirarentur; magister Anselmus tunc temporis Laudunensis ecclesiæ decanus, vir scientiæ et eloquentiæ fama notissimus, quibusdam secrete colloquens prænuntiasse fertur, illam sanguinis effusionem non nisi ejusdem ecclesiæ concrematione diluendam: quoniam tantum scelus non aqua, sed potius igne esset expiandum : et ita contigit.

SIGEBERT. Mense Junio siligines et arbores sacro igne adustæ spem sui fructus mentitæ sunt, et quædam uvæ insuper arefactæ. Subsecuta est gravis hominum et diuturna valetudo, cum profluvio ventris, et mortalitate. AUCTOR. Sacrum ignem ponit hic Sigebertus, nisi fallor, pro cœlesti corusco. Nam proprie sacer ignis appellari solet genus phlegmonis in hominibus, quod medici erisipilam vocant. Hic ergo ipse ponitur. Item SIGEBERTUS. Apud Ravennam et Parmam civitates Italiæ sanguis pluit Junio mense. AUCTOR. Hic finitur historia chronica Sigeberti, quam scripsit ipse a primo anno Gratiani, id est ab anno Domini 380, usque ad hunc annum Henrici imperatoris 7, Ludovici Philippi filii, regis Francorum 4, Henrici regis Anglorum 13. Abhinc (1113) nullum chronographum reperi, nullumque historicum, de temporibus sequentibus continue scribentem. In quibusdam vero Chronicis Sigeberti post finem historiæ ejus inveni annos chronici adnotatos, et quasdam notulas brevissimas, unius tantum lineæ capaces, super quosdam annos appositas; non continue, sicut fecit Sigebertus, qui nullum annum reliquit, in quo non aliquid adnotaverit, sed interrupte, quibusdam annis absque adnotatione historica vacuis relictis, sicut Hieronymus et Prosper in suis Chronicis faciunt. Tales ergo notulas breves, et interruptas, sicut dixi, reperi ab hoc loco usque ad annum Philippi regis Francorum, qui modo regnat, Ludovici regis filius, et Ludovici nondum regis pater, vicesimum sextum. Quæ igitur ab hoc loco positurus sum, a certis auctoribus diligentissime undecunque collegi. Hic igitur liber quadragesimus septimus finem accipiat.

LIBER XLVIII.

Anno præfato, id est an. Domini 1113, electus est in episcopum Laudunensem Bartholomæus, tam generis nobilitate, quam morum probitate, rerumque opulentia, in tota Laudunensi Remensique provincia famosissimus, et a Radulfo Remensi archiepiscopo consecratus. Qui majorem ecclesiam sanctæ Mariæ Laudunensis, et alias 12. Ecclesias cum domo episcopi, et multis aliis domibus clericorum et laicorum invenit combustas. Electi sunt ergo 7 canonici Laudunensis ecclesiæ, et 6 servientes, qui feretrum sanctæ Mariæ, et alias capsas reliquiarum per diversas circumferrent ecclesias ad expetendas eleemosynas fidelium pro restauratione ecclesiarum. Quæ reliquiæ multis miraculis clarificatæ sunt : quæ miracula scripserunt canonici ecclesiæ Laudunensis. Ex quibus pauca breviter causa ædificationis excerpsimus. Apud Issoldunum duo contracti sanati sunt; quorum calcanei natibus adhærebant. Hos pro Dei amore multo jam tempore paverat in domo sua Galfridus, ejusdem castri dominus. Apud castellum Buscentii sanatus est filius domini castelli, raptoris pessimi puer, annorum 15, a nativitate surdus et mutus. Quo facto pater pueri discalceatis pedibus ad ecclesiam cucurrit, et feretro sanctæ Mariæ 40 solidos obtulit. Non enim multam habebat pecuniam. Qui etiam feretrum sanctæ Mariæ cum cæteris militibus humeris suis imposuit, et illud usque ad castellum proximum duobus milliariis distans nudis pedibus portavit. Quod audientes inimici raptoris illius, et miraculum de filio ejus factum, et ipsi nudis pedibus obviam ruunt, et feretrum ab illis pacifice susceptum in castellum suum deferunt. Inde venerunt Turonos. Ibi quædam femina, quæ de lecto surgere non poterat jam per 8 annos et nusquam ire, nisi portaretur, sanata est hoc modo. Apparuit ei dormienti Mater misericordiæ, præcipiens, ut se ad feretrum suum in ecclesia Sancti Mauritii faceret deferri. Et portata est in vano, suppositaque feretro protinus obdormivit, et sana

surrexit. Ibidem apud Sanctum Martinum sanatus A juvenis, a nativitate surdus et mutus, ex toto corpore sudorem emittens, et venis circa aures inflatis, sanguis ubertim fluxit ex auribus : qui postea cum feretro ivit Laudunum. Post hæc venit illud feretrum ad Sanctum Laurentium de Cala in festo ejusdem martyris. Monachus autem quidam ibi habitans pati non potuit, ut feretrum beatæ Virginis super altare Sancti Laurentii poneretur, sed fecit illud poni super quoddam minus altare in parte ecclesiæ, timens amittere oblationes consuetas in eodem festo. Cum vero Turonenses, qui feretrum subsecuti fuerant referentes miracula quæ viderant, omnes peregrinos supervenientes ad feretrum invitarent, monachus ille livore percussus, fecit feretrum et omnes reliquias de ecclesia ejici. Sed B præpositus castelli tentorium spatiosum, quod sibi paraverat, tradidit deferentibus feretrum, et matronæ plurimas deferentes cortinas idem tentorium decentissime ornaverunt, et luminaribus copiosis tota nocte splendidum reddiderunt.

Præfatus autem monachus ad vesperam epilepsiæ morbo graviter arreptus, coram omni populo in terram cecidit, magnumque terrorem videntibus incussit. Campana etiam major de turre cadens confracta est ; et turris ipsa in superiori parte fissa crepuit. Monachus ergo sero pœnitens, nudis pedibus coram feretro terræ prostratus, cœlesti Reginæ humiliter satisfecit, rogans ut idem feretrum super majus altare referretur; sed Laudunenses noluerunt. Apud Andegavos mulier partu C laborans usque ad mortem, bibens aquam, in qua reliquiæ lotæ fuerant, statim partu edito liberata est : gratias agens cochlear argenteum obtulit. Cenomannis matrona quædam dives et sterilis in eodem anno filium genuit, et venit Laudunum, gratias agens. In Nativitate sanctæ Mariæ venit idem feretrum Carnotum, cui occurrit venerandus Ivo episcopus cum tota processione canonicorum usque ad vineas : positumque est feretrum in majori ecclesia super altare Sanctæ Mariæ. Ibi mulier contracta erat, jam per 5 annos in domo, ubi coquebatur panis episcopi. Huic prima noctis hora apparuit in somnis beata virgo Maria, præcipiens ei, ut quantocius surgeret, et ad majorem eccle- D siam iret, feretrumque Laudunense quæreret. Protinus evigilans sana cucurrit ad ecclesiam, per plateas cum gaudio vociferans, et clamans, et ingeminans : « Domina sancta Maria. » Statim episcopus omnia signa præcepit sonari diutius, et ipsemet incepit : *Te Deum laudamus*. Quod dum cantaretur, altera contracta sanata intravit; duoque scabellula, quibus reptando se circumferre solebat, super altare posuit. Rursus signa pulsantur, et *Te Deum* cantatur, episcopo incipiente. Quod antequam finiretur, quidam juvenis miles, qui in castello quodam catenis religatus captus servabatur, liberatus ex insperato ecclesiam ingreditur, materque sua cum civibus occurrentibus ad altare progreditur, genibusque flexis coram feretro, et dicens, se per beatam Mariam ereptum, obtulit solidos XL. Iterum jubente episcopo per omnes ecclesias signa pulsantur, et ipse tertio *Te Deum laudamus* incepit. Multum ibi præ gaudio ploratum est. Igitur ex oblationibus fidelium per Franciam collectis toto autumnali et hiemali tempore ecclesia Sanctæ Mariæ Laudunensis ex magna parte constructa est.

Sequenti Quadragesima, cum adhuc pars operis maxima superesset, et pecunia paulatim deficeret, electi sunt ex canonicis Laudunensibus septem, quibus traditum est feretrum sanctæ Mariæ cum aliis pluribus sanctorum reliquiis, inter quas eminebat forma et dignitate unum phylacterium, in quo sic scriptum legitur :

Spongia, crux Domini, cum sindone, cum faciali.
Me sacrat, atque tui, Genitrix, et virgo, capilli.

Cum his reliquiis profecti sunt in Angliam, quæ tunc temporis magna divitiarum pollebat opulentia : pro pace et justitia, quam rex Henricus in ea faciebat. Feria II post Dominicam *Isti sunt dies* profecti sunt a Lauduno, et eodem anno circa Nativitatem B. Mariæ Laudunum redierunt, miracula quæ interim contigerant, enarrantes. Apud Nigellam in pago Viromanduensi, quidam Joannes a nativitate surdus et mutus sanatus est, potatus aqua reliquiarum lotarum, toto tempore post dormitionem sub feretro sudans; sanguine de naribus et auribus et venis circa collum inflatis ubertim profluente ; qui prosecutus est feretrum usque ad mare. Circa Parasceven venerunt Atrebatum. Ibi erat senex quidam aurifex, jam per annos 12 lumine oculorum privatus. Hic audiens feretrum sanctæ Mariæ Laudunensis allatum esse, interrogabat formam et qualitatem feretri. Quam cum cognovisset, protinus imo ex pectore alta suspiria trahens, et ubertim plorans, dicebat : « Hoc feretrum ego peccator propriis manibus in juventute mea composui, jussu domini Elinandi Laudunensis episcopi. » In quo idem episcopus pretiosissimas reliquias posuit : inter quas fuit caput S. Valerici abbatis, et caput sancti Montani monachi et reclusi, qui nativitatem B. Remigii prædixit, et de lacte Ciliniæ matris ejus lumen recepit, sicut prædixerat. O si hanc misericordiam faceres mecum, o piissima mater, ut instar S. Montani recepto lumine, rursus feretrum tuum quod composui mererer videre! Hæc dicens et plorans rogabat, ut de lotura reliquiarum oculi sui tangerentur. Quo facto de ipsa aqua bibit, et tota nocte coram feretro pervigil in oratione mansit; mane facto lumen recepit.

Apud Sanctum Audomarum quædam puella manum habens aridam a nativitate, sanata est. In festo sancti Marci evangelistæ venerunt apud Wissant, et a nautis convocati navem intraverunt : et cum eis plures negotiatores, qui propter lanam emendam in Angliam ibant, et cum feretro securius se transire sperabant; plusquam CCC marcas

secum in marsupiis portantes. Magister navis dicebatur Coldistanus. Circa maris medium viderunt piratas navigantes, et in navi eorum lanceas et gladios, et clypeos coruscantes. Tunc singuli ad alterutrum præ timore peccata sua confessi sunt; etiam presbyter laico confitebatur. Prædicti negotiatores de vita jam desperantes, marsupia sua cum tota pecunia feretro obtulerunt; flentes, et orantes beatam Mariam, ut eos de piratarum manibus liberaret, et de periculo mortis, et totam eorum pecuniam ad restaurandam suam ecclesiam retineret. Piratis appropinquantibus, magister navis exhortatus est Bosonem presbyterum, ut assumptis Dei Genitricis reliquiis, piratis sibi nocendi potestatem interdicat. Mox ille phylacterium cum capillis beatæ Mariæ assumens, cum timore et devotione in eminentiorem locum puppis ascendit, ipso magistro navis utraque manu eum sustentante; manuque contra hostes elevata, ex auctoritate Christi et matris ejus fortiter adjurans, ne ultra veniant, nec potestatem sibi nocendi habeant, interdicit. Statim ut signum crucis de eodem phylacterio contra hostem fecit, dicto citius ventus vehemens et contrarius navem eorum retro tulit, malus navis frangitur, pars mali super unum ex ipsis decidens, ipsum excerebrat, et in mare mortuum præcipitat. Post modicum navis cum feretro sana et læta ad portum pervenit. Negotiatores liberati sacculos suos, quos obtulerant, resumpserunt. Cumque tota Anglia circuita magnos acervos lanæ emendo suam pecuniam expendissent, et de ipsa lana magnam domum implessent supra littus maris, quod Douvra dicitur, eadem nocte qua in crastinum transire debuerant, domus illa cum tota lana cremata est. Post hæc feretrum venit Cantuariam. Ibi Laudunenses honorifice suscepti sunt ab Willelmo archiepiscopo; qui dudum pro videndo et audiendo magistro Anselmo Laudunum petens, multis diebus in domo episcopi manserat; ibique filios Raudulphi cancellarii regis Anglorum docuerat. Ibi erat quædam matrona ditissima, jam per 8 dies dolore patiendi cruciata. Quæ cum maritum suum misisset ad Laudunenses, quærendum si quis forte illorum aliquid medicinæ nosset; Bozo presbyter illum admonuit, ut consuleret conjugi suæ veracem peccatorum confessionem presbytero suo facere, et de aqua lotarum reliquiarum confidenter bibere. Illa vero, quæ jam præ dolore loquelam penitus et memoriam amiserat, protinus ex ipso calore fidei aliquantulum roborata, venienti presbytero peccata sua fideliter confessa est, subjungens, eadem nocte sibi in visu quamdam speciosissimam dominam de Francia venientem apparuisse, et ut peccata sua veraciter confiteretur præcepisse; sicque eam sanandam promisisse. Igitur statim postquam aquam reliquiarum biberat, partu edito sanata est, quæ munera et ornamenta multa beatæ Mariæ obtulit. Nemo autem ibi sanari potuit, nisi de ipso episcopatu, et nisi

A peccata sua confessus; si tamen idoneæ ætatis esset.

Apud Wintoniam sanatus est quidam miles, pincerna regis, qui jam per 8 annos cæcus fuerat; et alius ditissimus, Valterus nomine, qui jam sex annis lecto decubuerat, et præter hoc fluxu ventris laborabat. Hic tribus clericis, qui ad eum reliquias detulerant, tres annulos aureos obtulit, et accurrens ante feretrum, tres scyphos argenteos, et multam pecuniam, et alia ornamenta obtulit. Quæ cum in platea delata nonnulli viderent, et dicerent eum pauca obtulisse, secundum multitudinem divitiarum suarum, nam ferebatur plusquam tria millia librarum Angliæ monetæ in thesauris habere, respondit, se ad præsens nolle amplius dare, donec omnes usuras, quas a debitoribus suis
B acceperat, redderet, sicut Deo promiserat. Unde protinus per totam urbem fecit clamare præcones, ut quicunque ei usuras dederat, veniret, et sua reciperet. Præter hunc alii 12 sanati sunt, cæci, claudi, surdi, muti. Post hæc venit feretrum ad Christi-Keccam villam, sic dictam, id est Christi Ecclesiam, in octavis Pentecostes, ubi celeberrimus erat negotiatorum conventus. Ibi erat decanus quidam cum 12 canonicis, qui noluerunt feretrum suscipere, ne perderent oblationes negotiatorum; quia ecclesia eorum nondum perfecta erat. Et quoniam ingens pluvia erat, vix tandem decanus concessit, ut feretrum ponerent super minus altare, in remota ecclesiæ parte. Et cum videret negotiatores
C fere omnes qui miracula Wintoniæ facta audierant, ire ad feretrum, et offerre: iratus præcepit feretrum de ecclesia ejici. Ibi ergo equi Laudunensium, et vestes pluvia madebant, et præ multitudine negotiatorum in tota villa hospitium non invenerunt. Tunc matrona quædam illis compatiens, rogavit maritum suum, ut domum novam quam ædificaverant, et jam duabus marcis negotiatoribus locaverat, reginæ cœli, quæ de ecclesia ejecta fuerat, commodaret; et in ea tam ipsam, quam clericos ejus hospitari sequenti nocte permittat, et interim sibi aliud hospitium quærant. Annuit ille, et clericos jam pene præ pluvia deficientes in domum illam suscipit, vestesque illorum luto perfusas
D ablui, et siccari fecit, et feretrum B. Virginis competenti loco decenter cortinis adornato collocavit, et eis deinceps omnem hospitalitatem exhibuit. Unus ex negotiatoribus tres campanas quas venales habebat, ad domus laquearia suspensas pulsans, socios suos earum sonitu convocat, et locum eminentiorem ascendens, quomodo decanus feretrum de ecclesia ejecerit, enarrat; et ut nullus ad ecclesiam eat, sed potius ad hospitium feretri sanctæ Mariæ divinum officium audituri conveniant, exhortatur. Postremo cuncti unanimiter edictum proponunt, ut si quis ad ecclesiam iret v solidos sociis persolveret.

Erat autem tunc Sabbatum ante octavas Pentecostes. Hospes ille prope oppidum habebat unam

domum, in qua boves et pecora servabantur; ibi- A que manebat pauper rusticus iisdem pecoribus custodiendis deputatus; cujus filia parvula tortum pedem a nativitate habebat, ita ut calcaneus in anteriori parte, digiti vero pedis in posteriori essent. Hæc bibens de aqua reliquiarum, et pedem suum de illa aspergens, vigilans coram feretro, mane sanata est. In crastino draco quidam flammivomus de mari exiens, in villam illam advolavit; et primo ecclesiam, deinde quasdam domos flamma, quam ex suis naribus emittebat, succendit. Feretrum vero sanctæ Mariæ vix dimidio stadio jam recesserat. Post quod cursores super equos advenerunt, rogaveruntque Laudunenses, ut ardenti villæ subvenirent. Qui humana curiositate tantum prodigium videre sitientes, deputatis feretro idoneis cu- B stodibus velociter super equos ad vicum recurrerunt, videruntque draconem incredibilis longitudinis, habentem 5 capita, flammasque sulphureas per nares emittentem, et de loco ad locum volantem, domosque sigillatim succendentem. Ecclesia vero ita concremata est, ut non solum ligna, sed etiam parietes et maximi lapides, et ipsa altaria in cinerem redacta sint, ut nullo modo appareret, ibi fuisse ecclesiam. Decanus autem videns ecclesiam et domum suam succensam, vestes et supellectilem suam festinanter colligens et circumligans, ad navem quæ in proximo maris littore erat defixa, deferri fecit. Sed draco, ac si propter hoc solum venisset, navem volatu petens, cuncta quæ in ea erant succendit, et ipsam navem, incredibile dictu. C Domus autem hospitis illius qui feretrum collegerat, incolumis et illæsa, cum omnibus quæ in ea erant remansit; et illa etiam procul posita, in qua ejus pecora servabantur. Negotiatores etiam illi qui multam Laudunensibus impenderant benevolentiam, ita per Dei gratiam servati sunt, ut de omnibus rebus suis, aut nihil, aut parum perderent. Decanus autem ille qui feretrum de ecclesia ejecerat, sera motus pœnitentia, nudis pedibus, illud prosecutus est, et coram eo prostratus, itaque Dei judicia protestatus, indulgentiam postulabat. Apud Execestriam honorifice suscepit Laudunenses cum feretro Robertus archidiaconus, qui diu Lauduni manserat pro audienda lectione magistri Anselmi. D Ibi 16 infirmi curati sunt. Ibi autem erat quidam contractus de episcopatu Salesberiensi, qui curari non potuit, donec venit feretrum in episcopatum ejus. De Salesberia venerunt ad abbatiam sanctimonialium, quæ dicitur Wiltonia : ubi ostensa est eis sepultura Venerabilis Bedæ presbyteri; juxta quem sepulta est mulier illa versificatrix inclyta. Ibi jacebat quidam longo jam tempore febricitans ad sepulcrum Venerabilis Bedæ presbyteri; quia plures ibi consueverant sanari. Ipsa vero nocte, in cujus crastinum feretrum Laudunense illuc advenit, mulier illa Versificatrix apparuit infirmo, dicens : « Non potes hic modo per Bedam sanari, quoniam beata Dei Genitrix ad nos descendit. » Quod cum Laudunensibus in crastino retulisset infirmus, et ex aqua lotarum reliquiarum bibisset, illico sanatus est. Inde venerunt in provinciam Danavexeriæ : ubi ostenderunt eis indigenæ cathedram et furnum famosi illius regis, secundum fabulas Britannorum, Arturi. Ibi honoravit eos plurimum Algardus clericus, qui fuit postea Constantiensis in Normannia episcopus; qui fuerat Lauduni auditor magistri Anselmi. Ibi apud villam, quæ Bunnia dicitur, puella decennis a nativitate cæca, illuminata est; et juvenis a nativitate surdus auditum recepit. Quidam vero manum habens aridam jurgari cœpit cum uno ex Laudunensium servis pro Arturo, et ideo sanari non potuit. Apud castrum Bannistuplum manebat quidam princeps, nomine Joellus de Totenes; cujus uxor erat Germana Wermundi de Pinquengui. Hic honorifice suscepit Laudunenses cum feretro per triduum, et scyphum argenteum, et calicem pretiosum, et cortinas, et alia ornamenta eis obtulit, et equum qui ea deferret, et alia multa, ad valorem 15 librarum Laudunensis monetæ. In domo ejus erat quædam puella duodennis toto corpore incurvata, quæ quandiu feretrum ibi fuit, sanata non est. Cum autem discedentibus eis magno fletu clamaret : « Heu piissima domina, sancta virgo Maria! ergone sic discedes, et me incuratam dimittes? » Protinus cunctis videntibus sana facta, projectis scabellulis exsiliens stetit, et cucurrit ad feretrum, gratias agens. Ibi similiter curatus est monachus sciaticus de Charitate. Apud Totenes sanatus est senex, a nativitate claudus, germanus præpositi ipsius castri. Quo sanato frater ejus obtulit coram feretro 40 solidos sterlingorum : et post eum populus infinitus multa addidit.

Erant autem ibi tres juvenes ejusdem territorii, carnis consanguinitate propinqui, qui videntes tantam pecuniam deferri ad feretrum, detrahere cœperunt Laudunensibus, dicentes, eos quæstus gratia per magicam artem facere miracula. Quorum unus alios hortatus est, ut secum irent ad feretrum, simulantes se illud osculari, et sic de nummis super altare positis ora sua lambendo replerent. Illis autem hoc facere nolentibus, perfidus ille fecit quod dixerat, et de acervo nummorum, quantum potuit, ore lambendo rapuit, rediensque ad socios, nummos quos rapuerat ostendit, invitans eos secum ire ad tabernam. Quibus eum sequi nolentibus miser ille tabernam introivit, et satiatus exivit. Cæteri duo ad conventum populi redierunt. Ille autem ascenso equo proximam silvam intravit, quæ vix dimidio stadio aberat, et reste lignea collo suo circumligata, ad unius arboris ramum se suspendit. Equus cui insederat, vacuus ad populi conventum rediit. Quem videntes præfati duo juvenes, equi vestigia perlustrando et cursim prosequendo, ad silvam celeriter pervenerunt, eumque suspensum et mortuum repererunt. Solventesque marsupium ejus quod pendebat ad baltheum, invenerunt nummos

quos rapuerat adhuc recenti saliva infectos : quos protinus cum magno ejulatu ad feretrum deportantes, super altare reposuerunt : terraque prostrati, pro anima cognati sui misericordiam Dei Genitricis implorantes, coram omnibus facinus, quia defunctus perpetraverat, retulerunt. Mirati sunt omnes tam celerem Dei vindictam, et pectora sua tundendo ubertim lacrymas effuderunt. Apud urbem Bageam quidam puer in calidis balneis se balneans submersus est annorum 12. Qui a parentibus suis delatus ad feretrum, positus est inter duos ignes, et corpus ejus suspensum est capite deorsum, et pedibus sursum ; et os ejus apertum est, lignum parvum inter dentes superiores et inferiores infixum. Qui cum multam aquæ abundantiam evomuisset, et corpus ejus jam sufficienter calefactum esset, depositus reportatus est ad feretrum, et aqua loturæ reliquiarum lotus, et in ore ejus parum ex eadem aqua distillatum est; qui mox revixit sanus, et domum rediit. Hucusque miracula Laudunensis feretri; quæ facta sunt anno Domini 1114 et 1115 in Francia et in Anglia. Illud vero quod factum est sub Elinando episcopo Laudunensi apud Conciacum, de muliere illa quæ generum suum occidi fecit, quia infamata erat, quasi adulteraretur cum illo, et ideo adjudicata ad cremandum, servata est per beatam Mariam inter ignes illæsa, quia culpam suam vera confessione purgavit; quæ tamen ne malitia mutaret intellectum illius, non nisi triduum supervixit, alterius temporis miraculum est ; quod idcirco a nobis in suo tempore positum non est, quia non satis mihi constat, quo tempore episcopus ille mihi synonimus exstiterit. Fuit autem, ut ex prætaxatis miraculis habemus, ante Baldricum episcopum. Ego autem in hoc opere nihil adnotare decrevi, nisi mihi constet, quo tempore factum sit.

Igitur hoc tempore florebant in Francia apud Laudunum ille magister Anselmus et frater ejus Radulphus. Hoc etiam anno, id est anno Domini 1115, fundatum est cœnobium Clarævallis sub primo abbate sancto Bernardo. Sed et cœnobium Pontiniacense a Masticonensi Hugone, qui postea fuit Autissiodorensis episcopus. Hi duo viri 3 anno a conversione sua abbates facti sunt. Intraverant enim pariter domum Cistercii anno Domini 1113, sicut scribit Guillelmus abbas Sancti Theodorici, et anno a constitutione domus Cisterciensis 15, quamvis Sigebertus in suis chronicis dicat illos 30 socios intrasse domum Cistercii anno 10, a constitutione ejusdem domus, scilicet 1 abbatis Stephani. Erat autem beatus Bernardus annorum 22, quando conversus est; et quando abbas Clarævallis factus est, annorum 27. Qui profectus Catalaunum ad suscipiendam benedictionem suam, quia Lingonensis episcopatus tunc vacabat, susceptus est cum magna reverentia a Catalaunensi episcopo Guillelmo de Campellis. Qui videns juvenem tam macilentum et exesi corporis; toto corpore prostratus in terra, petiit a capitulo Cisterciensi, ut anno uno sub sua cura esset, et obtinuit. In quo spatio sæpe saginem crudum comedit pro butyro, et oleum bibit pro aqua a servitore negligentissimo et nihil sciente per errorem sibi oblata. Tunc enim sensum gustandi perdiderat, quantum ad saporum dignoscentiam, præ nimia abstinentia, ut solam aquam frigidam sibi sapere testaretur. Felix, cui solum illud reputatur ad culpam, quod alii sumere sibi solent ad gloriam. Claravallis autem non longe a fluvio Alba, antiqua fuit spelunca latronum, quæ dicebatur vallis Absinthialis, vel propter copiam absinthii, vel propter amaritudinem incidentium in latrones. Fratres Claravallenses tunc temporis sæpius pulmentaria ex foliis fagi conficiebant. Panis erat similis illi prophetico ex hordeo, et milio et vitia. (*Isa.* XXVIII.)

Vidit tunc temporis beatus Bernardus puerum sibi cum divina claritate astantem, et magna auctoritate sibi præcipientem, ut fiducialiter loqueretur, quidquid ei suggereretur in apertione oris sui; quando non ipse esset, qui loqueretur; sed Spiritus Patris sui qui loqueretur in eo. Quidam frater, quem pro secreta culpa abstinere præceperat a communione in quadam præcipua solemnitate, erubescens quod solus remaneret incommunicatus ivit cum aliis communicare. Quem videns sanctus communionem illi negare noluit ; sed tacite precatus est, ut Deus aliquid melius de tanta præsumptione ordinaret. Ille ergo frater sumptum corpus Domini nullomodo glutire potuit. Post sextam vero traxit sanctum in partem, confitens ei præsumptionem suam : quem increpans sanctus, orando fecit, ut sine difficultate corpus Domini glutiret. Quibusdam militibus euntibus ad torneamentum jussit dari cervisiam quam benedixerat ad bibendum, qui statim conversi sunt. Valcherus de Monte mirabili, cum infantulus oblatus esset ei a matre sua ad benedicendum, quia in ejus domo hospitatus erat, cum inter loquendum sanctus aliquoties manus protenderet, multoties osculatus est manum ejus trahens eam ad os suum. Clericus quidam, nomine Nicolaus, impetravit per eum a Domino gratiam lacrymarum.

1116. Ivo episcopus Carnotensis, qui Philippum regem Franciæ excommunicaverat pro pellice suæ conjugi superducta, obit, vir multarum virtutum simul et litterarum ; qui decreta abbreviavit, et multa alia utilia scripsit. In suburbio Antiochiæ noctu terra dehiscens , domos cum habitatoribus absorbuit. Utrum ille hiatus cum terræmotu vel sine terræmotu contigerit, adnotator iste non dicit. Sed credibilius est, quod cum aliquo terræmotu hoc factum sit. Vix enim terra tam lato hiatu hiare potest, ut integras domos absorbeat, quin etiam tremat. Rationes de naturalibus causis terræmotus superius posuimus, in hujus operis libro 29, in 18 capitulis comprehensas. Ibi ergo requirantur.

1117. Hoc anno nihil inveni adnotatum : sicut et in 4 ante istum præcedente, id est anno Domini

1114. Sed sicut in eo posui miracula feretri beatæ Mariæ Laudunensis facta per Franciam, quæ habui ex auctoritate libelli ecclesiæ Laudunensis, qui eadem miracula describit; sic et in hoc anno adnotanda est mors Balduini regis Hierosolymorum, fratris Godefridi. Qui Balduinus post Godefridum fratrem suum, qui regnavit anno uno, coronatus est in regem, ut Baldricus et Guillelmus scribunt, anno Domini 1101, et ut præfatus Guillelmus scribit, regnavit annis 17. Unde constat, quod hoc anno mortuus sit. Obiit enim ut scribit Guillelmus anno regni sui 7, mense 4. Cui successit alter Balduinus cognatus ejus, dux Edessæ. Hæc Edessa distat ab Euphrate 20 milliariis, ab Antiochia 100. Græci dicunt Edessam, Syri Rothasiam. Non legitur, quot annis Balduinus iste regnaverit. Hucusque Guillelmus Malmesberiensis historiam suam scripsit ad Robertum comitem Normaniæ.

1118. Terræmotus hoc anno accidisse dicitur adeo validus, ut quarumdam urbium partes subrueret; sed non dicitur quarum urbium, nec in qua parte orbis terræmotus iste acciderit : et ideo nimis negligenter adnotatur casus, qui sic adnotatur.

1119. Gelasius II fit papa centesimus sexagesimus sextus, anno uno.

1120. Magister Hugo dicit in chronicis hunc annum 8, Henrici 4 qui intelligendus est de imperio, non regno. Calixtus II papa centesimus septimus, sedit annos 5, mense 10, dies 13. Iste Calixtus, ut domnus Gaufridus Antissiodorensis ait, ex Guidone Viennensi archiepiscopo, factus est papa Calixtus : qui Cisterciensem ordinem primus in territorio Viennensi plantavit, in monasterio Bonævallis; cujus cœnobii primus abbas fuit Joannes Lugdunensis, postea pontifex Valentinus. Cujus dignitatis futuræ præsagium fuit lætissimum pulcherrima quædam visio, quam idem Joannes ante conversionem suam vidit, hoc modo.

Gofridus super Apocalypsin. Cum prima nostri ordinis Cisterciensis jacerentur fundamenta, erat in Ecclesia Lugdunensi clericus honestus et honorabilis Joannes, qui rumore nostri ordinis compunctus, tacitus secum proposuit, in eorum se collegio sociandum. Quid propositum post paucos dies, subeunte alia cogitatione, mutavit, et pro quadam recompensatione talis propositi peregrinationem Sancti Jacobi aggressus est. Qua devote completa rediens, a domesticis gratulabunde susceptus est, et fatigatus ex itinere in cubiculum se recepit. Quiescentique mox adfuit in visu Deus et Dominus noster Jesus Christus, cum duobus beatis apostolis Petro et Jacobo. Quorum Petrus librum manu tenebat, quem præcepit Dominus aperiri. Erat autem scriptus aureis litteris, continens nomina prædestinatorum. Jussus ergo apostolus cœpit legere; et cum ibi legeret nomen Joannis illius : « Tolle, ait Dominus, tolle, dele eum, dele, quia meum se futurum promiserat, et resiliit a promisso. » Accedens autem propius beatus Jacobus, et obsecrans, dicebat : « Domine, meus est peregrinus, ne deleas, obsecro, nomen ejus. » Cui Dominus : « Meus, inquit, non peregrinus, sed civis esse debuerat. Nonne majus est civem meum esse quam tuum peregrinum? » Apostolus autem Jacobus persistens in supplicatione : « Ne deleas, inquit, Domine piissime, ne deleas, obsecro. Ego tibi pro eo fidejubeo, quod faciet, quod proposuerat. » Et Dominus ad eum : « Quando faciet? » Apostolus autem : « Infra dies 15. » Excitus ad hæc verba Joannes, solo prosternitur, et fidejussori suo cum uberrima lacrymarum effusione gratias egit, dicens : « Faciam prorsus, apostole sancte, faciam quod tam misericorditer pro me pollicitus es. » Non multo post fletum magnum iterum obdormivit. Iterumque Dominus cum prædictis apostolis adfuit, jussitque iterum librum aperiri, in quo audivit idem Joannes beatum Petrum legentem : *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento* (*Cant.* I). Mox Joannes surgens et præfixum diem præveniens, adimplevit votum. Hic fuit primus abbas cœnobii Bonævallis, et post Ecclesiæ Valentinæ antistes, cujus vita et mors multis meritis et miraculis claruit. Plane merito Israelitis improperatur, quod corde redierint in Ægyptum (*Act.* VII), quando iste Joannes, qui a Cistercio resiliebat, jussus est deleri de libro vitæ.

Simulque considerandum nobis, quanta devotione sanctorum nobis sint imploranda suffragia, qui tam amicabiliter spondent pro nobis, et tam efficaciter intercedunt. Hoc exemplum apertissime facit contra hæreticos nostri temporis, qui dicuntur Paterini, id est Manichæi, sive Publicani, qui dicunt vanas esse peregrinationes, et vanas esse eorum invocationes; nec nostras preces ad eorum pervenire notitiam, quibus jam nihil sit cum nostra vita commune : cum ipsi sancti cœli sint, de quibus scriptum est : Oratio humiliantis se penetrat cœlos (*Eccli.* XXV). Et in Apocalypsi scriptum est, quod *Angelus stetit ante altare* aureum, *habens thuribulum aureum in manu sua : et data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit*, inquit, *fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu angeli coram Deo* (*Apoc.* VIII). Eadem namque ratione nec ad angelorum notitiam pervenirent preces nostræ, quibus cum vita nostra nil commune est; similiter nec ad Dei, maximeque Christi, qui jam nihil habet cum vita nostra commune; quamvis olim habuerit, sicut ipse dicit : *Ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus* (*Apoc.* I). Sed et Petrus apostolus in Epistola II : *Justum*, inquit, *arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione : certus quod velox est depositio tabernaculi mei. Dabo autem operam frequenter habere vos in memoria post obitum meum* (*II Petr.* I). Ecce apostolus fidenter promittit, se illis, qui per illum

crediderant, etiam post mortem non defuturum in auxilio opportuno.

Dives ille evangelicus in inferno sepultus habebat memoriam et curam fratrum suorum adhuc in carne viventium; et rogabat Abraham, ne venirent in locum tormentorum ubi ipse erat (*Luc.* XVI) : et animæ sanctorum quæ in cœlo recumbunt cum Deo Abraham, et Isaac, et Jacob (*Matth.* VIII), charorum suorum memoriam non habebunt; et preces invocantium se surda aure pertransibunt? Immittit diabolus immissiones suas in corda hominum per angelos malos (*Psal.* LXXVII) : similiter et Deus suas per angelos bonos. Unde : *Angeli eorum semper vident faciem Patris* (*Matth.* XVIII). Utquid enim dicuntur *angeli eorum*, si nihil eis prosunt; si pro eis nihil faciunt? Ad Danielem dicit angelus : *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester* (*Dan.* X). Ad Tobiam dicit Raphael angelus, se ejus orationes et lacrymas et eleemosynas Deo obtulisse (*Tob.* XII) : et ad Cornelium nondum renatum idem dicit angelus, qui ei apparuit (*Act.* X). *Omnes*, sicut ait Apostolus *administratorii spiritus sunt, missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Hebr.* I). Ejusdem autem potentiæ et charitatis sunt animæ sanctorum corporibus exutæ, et angelorum agminibus admistæ, cujus et angeli, sicut aperte legitur in legendis sanctorum. Unde Paulus apostolus postquam decollatus est, Plantillæ matronæ stolam suam reddidit sanguine suo sanctissimo infectam : et sicut Neroni prædixerat « Cum mihi caput abscisum fuerit, tibi vivus apparebo. » Circa horam nonam januis clausis visibiliter stetit ante eum, et ait : « Cæsar, ecce ego Paulus Christi regis æterni et invicti miles. Vel nunc crede, quia non sum mortuus, sed vivo Deo meo. » Plenæ sunt vitæ sanctorum hujusmodi miraculis, quæ demonstrant, quomodo sancti jam carne exuti potenter adjuvant invocantes se viventes in carne. Hic error, qui modo generalis et communis est omnium Paterinorum et Bulgarorum, quos vulgari nomine publicanos appellamus, olim specialis fuit Vigilantii presbyteri, qui dicebat sacrilegium esse orationem facere ad sanctorum reliquias : qui ut ait Hieronymus, cum antiphrasi nomen sortitus est. Nam Dormitantius rectius quam Vigilantius diceretur.

Nimirum respondebat generi suo, ut qui de latronum et convenarum natus est semine : quos consul Pompeius, edomita Hispania, et ad triumphum redire festinans, de Pyrenæis jugis deposuit, et in unum oppidum congregavit; unde et convenarum urbs nomen accepit. Fecerat autem idem Pompeius et in Orientis partibus; ubi Cilicibus et Isauris piratis latronibusque superatis; inter Ciliciam et Isauriam sui nominis condidit civitatem. Huic ergo Vigilantio, imo dormitantio, inter cætera sic respondet Hieronymus : « Sacrilegusne fuit Constantinus imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, Timothæi, transtulit Constantinopolim; apud quas dæmones rugiunt? Sacrilegus dicendus est, et nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore transtulit Thraciam? » Et paulo post : « Proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ a te, tuique similibus legitur; ubi scriptum est, quod post mortem nullus pro aliis audeat deprecari. Quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est, in manus sumere, quod Ecclesia non recipit? » Et post pauca : « Nisi forte in morem gentilium impiorumque Porphyrii et Eunomii, has præstigias esse dæmonum confingis : et non vere clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. » Et post pauca : « Libere proclamabis, te esse aut Mercurium, propter nummorum cupiditatem, aut Nocturninum juxta Plauti Amphitrionem : quo dormiente Jupiter in Alcmenæ adulterio duas noctes copulavit, ut magnæ fortitudinis Hercules nasceretur; aut certe Liberum patrem pro ebrietate et cantaro ex humeris dependente, et semper rubente facie, et spumantibus labiis, effrenatisque conviciis. » Et post pauca : « Quando, inquit, iratus fuero, et malum aliquid in animo meo cogitavero, et me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo, ita totus et animo et corpore pertimesco. » Hæc Hieronymus. O quam melius est audire et legere librum illum II Machabæorum, ubi scriptum est : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (*II Mach.* XII), quam librum illum apocryphum combustione dignum, qui prohibet orare pro mortuis! Sed hæc breviter dicta sunt contra hanc hæresim detestandam. Nunc ad historiam revertamur. Hoc anno dicitur pugnasse Henricus rex Anglorum contra Ludovicum regem Francorum inter Andelejum et Nongejum : sed non dicitur, cui victoria cesserit, nec quæ fuerit causa belli; quod simul adnotari debuisset, ut sciretur, cujus justior causa fuerit.

Hoc anno nil adnotatum inveni, sed ex dictis domni Gaufridi Antissiodorensis, qui scripsit Vitam B. Petri Tarentasiensis archiepiscopi, colligi potest, eumdem Petrum hoc anno sæculum reliquisse, et conversum fuisse in monasterio Bonævallis : qui 20 annos habebat, quando conversus est, et 73 quando mortuus est. Sed mortuus est anno Domini 1174; natus est ergo anno 1102, a quo annus iste vicesimus est. Natus est autem in territorio Viennensi, parentibus secundum sæculum humilibus, sed fide et conversatione apud Deum magnis et ingenuis. Jam enim tunc, cum Petrus iste puerulus litteris traditus est, cœperant abstinentiæ operam dare, et ab opere conjugii ex consensu abstinere. Deputabant meliora fultra pauperibus, ipsi in palea remanentes. Petrus autem puer amator litterarum, et ludorum fugitans, litterarum studia arripuit : unctione magis quam eruditione magistra : ita ut anno primo psalmos omnes Davidicos cordetenus psalleret. Pater ejus cilicio utebatur ad carnem; filiis suis clericis ambo parentes nulla volebant ecclesiastica beneficia dari. Petrus Lamber-

tum germanum suum ab initio conversionis suæ secum traxit : qui Lambertus postea abbas fuit in monasterio Chesiriaco. Petrus quoque non multo post factus est abbas in Stamedio cœnobio, sic dicto, quasi stante medio inter duas provincias et duos comitatus. Ab eo tempore Stamedienses fratres famam magnam liberalitatis et humanitatis cœperunt adipisci. Jam tunc Petrus panis et casei frusta circumferens, in sinu pauperum occurrentium abscondebat. Quod etiam in episcopatu magis exercuit, sociis etiam suis onera pia communicans. Si prandendum esset iter agenti, diverticula quærens, juxta callem publicum residebat : ut mensa ejus tunc etiam esset cum pauperibus et peregrinis. Providerat autem Dominus ulmum congruam huic viti marchionem Italiæ, Sabaudiæ et Mauritaniæ comitem Amedæum.

1122. Terræmotus hoc anno accidisse dicitur in Adventu Domini, IV Idus Decembris; sed non dicitur ubi, nec tamen generalis credendus est fuisse.

1123. Henricus IV imperator moritur : cui succedit Lotharius, qui regnavit annis 22. Turonis orta seditione inter clericos et laicos, ecclesia S. Martini arsit. (1124.) Christiani cum Saracenis pugnant inter Jerusalem et Ascalonem, et cessit victoria Christianis. Calixtus papa moritur, qui scripsit librum *De miraculis S. Jacobi*, compilando in unum volumen quæ sparsim legerat. Quem libellum nunquam potuit perdere; cum a latronibus aliquando omnibus aliis rebus spoliatus sit, et domus in qua hospitatus erat cum omni supellectili sua arserit : et cum ipse in mari naufragium passus sit; libellus ejus semper evasit omne periculum ignis, aquæ et latronum. Ex quo libello pauca ad ædificationem exscripsi. In epistola Leonis papæ scriptum est, quod B. Jacobus anno 11 ab ascensione Domini passus est tempore Azymorum, cum Josia discipulo suo. Qui Josias, ut ait Calixtus, fuisse dicitur dapifer Herodis. Cum autem diu ignota esset dies passionis apostoli, cuidam fideli mihi noto visum est in nocte Annuntiationis beatæ Mariæ, quod dum B. Jacobus in aulam Herodis duceretur judicandus, facta est altercatio magna inter gentes et Judæos pro apostolo. Tandem ab Herode judicatus, extra urbem ducitur et decollatur. Statimque inclytus quidam, qui quasi prælatus erat, lacrymabiliter sic de eo locutus est ad plebem. In aula regia circa tertiam est judicatus, et circa nonam, ut Christus, passus : tali scilicet hora et die, qua magister passus est et discipulus. Hieronymus tamen in Martyrologio, quod ad sanctos episcopos Chromatium et Heliodorum scripsit, VIII Kalend. Augusti passionem ejus celebrandam scripsit; quod et Alexander II papa faciendum scripsit, propter dies Passionis et resurrectionis Dominicæ : qui Alexander catenas S. Petri ab Hierosolymis Romam delatas, aqua et oleo lotas recondidit. Octavo enim Kalend. Augusti B. Jacobus a Syria usque ad Compostellam fertur, et III Kal. Januarii sepulturæ traditum. Hanc solemnitatem celeberrime observabat Adelfonsus rex Galliciæ; quia corpus apostoli III Kal. Januarii susceperat Galecia. In quo die propter honorem 12 apostolorum offerebat super altare S. Jacobi annuatim 12 marcas argenti, et 12 talenta auri; et novos milites faciebat, et convivium generale ad quod vocabantur omnes per præconem et tubam.

Beda refert, quod quidam homo Italicus quoddam magnum peccatum commiserat : quod vix tandem confessus est suo sacerdoti et episcopo. Episcopus misit eum ad Sanctum Jacobum, ut faceret secundum consilium Theodemiri Compostellanensis episcopi, cum schedula, in qua scriptum erat peccatum illud; quam jussit eum ponere super altare, et apostolum Jacobum suppliciter orare, ut intercederet pro se. Factumque est ita. Cumque Theodericus archiepiscopus missam celebraturus invenisset schedulam plicatam, et quæsiisset, quis eam ibi posuisset, ille confessus est cum lacrymis cunctis audientibus quid egisset, et cum episcopus iterum inspexisset in schedulam, inventa est non scripta, sed tota sine litteris; nec ausus est ei archiepiscopus Theodemirus aliam pœnitentiam injungere, nisi tantum ut deinceps omnem VI feriam jejunaret. Magister Hubertus Ecclesiæ Bizuntinæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ canonicus, scripsit, quod anno Domini 1080 triginta homines Lotharingi proposuerunt se visitaturos Sanctum Jacobum, et pactum inter se conservandæ fidelitatis inierunt. Unus tamen ex illo numero hoc sacramento fidelitatis se noluit implicare. Tandem omnes pariter iter aggressi, venerunt usque ad urbem Gasconicam, quæ dicitur Porta clusa. Ibi unus ex illis infirmatus ultra ire non potuit. Qui adjutus est a sociis propter pactum fidei usque ad portum Ciseræ per 15 dies cum gravi labore, quia totum illud spatium in 5 diebus ab expeditis solet transiri. Ibi tandem gravati tædio illum deseruerunt. Remansit autem cum eo ille qui pactum non firmaverat, et in proxima nocte vigilias circa eum exercuit in vico Sancti Michaelis. Mane facto infirmus dixit socio suo, quod tentaret montem ascendere, si adjuvaretur. Ad quod socius : « Adjuvabo te, quandiu vixero. » Postquam montem ascenderunt dies clauditur, et infirmus moritur, cujus socius angustiatus Sanctum Jacobum in auxilium petiit. Qui apparuit ei in specie militis super equum sedentis, dicens : « Da mihi hunc mortuum, et tu post me super equum reside, donec veniamus usque ad locum sepulturæ. » Nocte itaque illa portavit iter dierum 12 usque ad Montem gaudii Sancti Jacobi, ubi illos deposuit; et jussit vivo, ut iret ad canonicos Sancti Jacobi, et rogaret eos, ut adjuvarent eum ad sepeliendum mortuum suum Sancti Jacobi peregrinum.

Anselmus Cantuariensis episcopus scripsit, quod tres milites diœcesis Lugdunensis, de oppido Donezei, euntes ad Sanctum Jacobum, invenerunt mulierculam illuc euntem reculas suas in quodam sacculo deferentem : quæ rogavit eos, ut se alle-

viarent de sarcinula sua. Hujus ergo manticam unus suscepit portandam. Omni autem die ad vesperam mulier milites insecuta, de sarcinula sua necessaria accipiebat : et ad primum gallorum cantum, quando pedites peregrini proficisci solent, manticam suam militi reddebant ; et ita eo lætior, quo expeditior iter suum pergebat : et in hoc miles mulieri serviebat amore Sancti Jacobi. Cum autem adhuc ab urbe Sancti Jacobi 12 dietis distaret, invenit pauperem qui rogavit eum, ut ei equum suum ad equitandum accommodaret, quatenus ad Sanctum Jacobum pervenire valeret. Infirmabatur enim ; alioqui moreretur, quia amplius ire non poterat. Consensit miles, et eum super equum suum imposuit, et baculum ejus in manu sua accepit, et cœpit ire pedes, sarcinulam mulierculæ collo suo portans.

Cumque ita pergeret, lassitudine et calore solis infirmatus est. Quod ubi persensit, recordatus quod in multis Deum offenderat, parcere sibi noluit, sed infirmitatem suam usque ad Sanctum Jacobum sic eundo toleravit. Ubi cum pervenisset, adorato Deo et ejus apostolo, hospitio receptus lecto decubuit. Visitatus est a sociis, et rogatus, ut confiteretur et communicaret, et oleo sancto liniretur. Avertit ille faciem suam. Consternati socii rogabant pro eo sanctum Jacobum. Triduo sine cibo et potu mansit ; tandem suspiravit dicens : « Gratias Deo et sancto Jacobo, quia liberatus sum. Mox, inquit, ut infirmari me sensi, volui confiteri, communicari, et ungi. Sed dum in silentio cogitarem, venit ad me turba dæmonum quæ tantum me oppressit, ut nec signo, ex illa hora potuerim innuere aliquid, quod ad meam salutem pertinuerit. Intelligebam tamen quæ dicebatis, sed non poteram respondere. Nam dæmonum alius mihi linguam stringebat, alii caput et corpus meum quo volebant, me nolente, vertebant. Tandem beatus Jacobus advenit, ferens in sinistra manu sacculum mulierculæ quem tuleram, quasi pro clypeo sibi, in dextera baculum pauperis, cui equum meum accommodaveram, quasi pro lancea ; et dæmones fugavit. Mittite ergo cito ad presbyterum. » Missum est, dumque presbyter venire moraretur, interim publice admonuit unum de sociis suis, dicens : « Amice, noli amodo Girino Calvo domino tuo militare. Veraciter enim damnatus est, et in proximo mala morte moriturus. Quod et factum est. Nam dum ille non multo post militem armis invadendo interficeret, lancea ejus transfossus est. Ipse vero peregrinus de seipso dixit, se in hoc sæculo non diutius permansurum. Qui non multo post confessus et communicatus bono fine quievit. »

Calixtus papa. Anno Domini 1090, quidam Teutonicus cum filio suo ibat ad Sanctum Jacobum. Veniens autem apud Tolosam hospitatus est apud quemdam, qui concupiscens ejus pecuniam, excogitavit, ut in mantica scyphum suum argenteum absconderet, quo posset illos furti arguere. In crastinum eos consecutus est cum armata manu, furti eos arguens. Ad quem illi : « Super quem rem tuam inveneris, juste illum condemnabis. » Inventoque scypho in mantica eorum, bona eorum rapiens, ad publicum judicium traxit. Judex autem pietate motus, jussit alterum dimitti, et alterum suspendi : et cœperunt contendere pater et filius, quis suspenderetur. Tandem filius pro patre, ipso renuente, coegit se suspendi. Pater vero mœstissimus ad Sanctum Jacobum profectus est. Rediens autem post 36 dies divertit ad corpus filii sui adhuc pendentis. Ubi cum ejularet, dicens : « Fili mi, utquid vivo ego videns te suspensum ? » filius consolans patrem suum, respondit : « Noli pater de pœna mea, quæ nulla est, lugere, sed gaude ; quia suavius mihi est nunc, quam unquam in tota vita mea fuit. Nam beatus Jacobus manibus suis me sustentans, omnimoda me refocillat dulcedine. » Audiens hoc pater cucurrit in urbem, et fecit filium suum deponi. Cives ergo intelligentes hospitem eos ex avaritia accusasse, ibidem eum suspenderunt. Anno Domini 1105 in Italia apud castrum Coizanum quidam Bernardus captus et catenatus, in profundum cujusdam turris ab inimicis suis projectus est. Cui die noctuque B. Jacobum appellanti apparuit idem apostolus, dicens : « Veni, sequere me usque Galeciam » : et diruptis catenis ejus, disparuit. Statim peregrinus ille suspensis ad collum boiis, usque ad turris summitatem sine ullo juvamine, præter solius apostoli, conscendit : et de summitate turris usque ad terram unum saltum fecit ; cujus sublimitas erat 60 cubitorum. Anno 1106 miles quidam gulam habens inflatam, a nullo medico sanari poterat. Hic tactu cujusdam crusillæ, quam quidam peregrinus deferebat, sanatus est. Anno sequente quidam negotiator captus a quodam barone, et in carcerem missus propter res suas, inclamavit S. Jacobum ; qui apparuit ei nocte, et imperans ut surgeret, perduxit eum ad summitatem turris ; quæ se tantum inclinavit, quod visa est cacumen suum usque ad terram deponere : a qua sine saltu discedens, solutus abiit. Custodes excitati eum insequentes, venerunt juxta eum : at divinitus excæcati, eum non invenerunt ; qui cum suis catenis quibus ligatus fuerat, ivit ad S. Jacobum.

Comes S. Ægidii, Pontius nomine, cum fratre suo ivit ad Sanctum Jacobum. Quo pervenientes, rogaverunt ædilem, ut permitteret eis ante corpus apostoli vigilare. Consuetudo enim erat, ut post solis occasum januæ ejusdem oratorii clauderentur usque mane. Qui noluit. At illi tristes recesserunt ad hospitia sua : et congregantes omnes peregrinos suæ societatis, paruerunt sibi luminaria quæ tenerent in manibus : et confortati in fide, venerunt ad januas clausas fere ducenti peregrini ; et orantes dixerunt alta voce : « S. Jacobe, si tibi placet nostra peregrinatio, aperi nobis oratorium tuum. » Nondum verba finierant, et ecce januæ cum tanto strepitu apertæ sunt, ut putarent eas in minutias

fractas. Rupta sunt autem repagula, et seræ et catenæ quibus obserabantur. Quidam episcopus de Græcia, Stephanus nomine, relicto episcopatu, venit ad S. Jacobum in paupere habitu: et ibi facta est ei cellula de juncis; in qua die noctuque, jejuniis, et vigiliis, et orationibus intendebat. Cumque oraret quadam die, turba rusticorum juxta cellulam ejus apostolum, sic rogare cœpit: « Beate Jacobe, bone miles, ab instantibus malis nos liberes. » Quod ille audiens, increpans eos, dixit: O stulti rustici, B. Jacobum non militem, sed piscatorem appellate. Eadem nocte B. Jacobus apparuit illi in veste candidissima, duas claves in manu tenens, arma ferens fulgentissima, ut radii solis, quem tertio vocans, ait: « Stephane serve Dei, qui me non militem, sed piscatorem vocari jussisti, ideo taliter tibi appareo, ut scias me Deo militare. Impetravi a Domino, ut omnium adjutor sim qui in me sperant. Et ut firmius hoc credas, cum his clavibus, quas manu teneo, portis Colimbriæ urbis apertis, quæ 7 annis a Fernando rege Christianorum obsidione opprimitur, crastina die intromissis Christianis hora 3, eorum reddam potestati. » Et ita factum est. Ortum est aliquando bellum fortissimum inter comitem Montis Calcariæ, et militem suum, nomine Guillelmum; qui captus est a comite, et ante eum adductus. Quem cum comes decollari jussisset, et miles clamaret: « Jacobe apostole Dei, quem Herodes Jerosolymis gladio occidit, adjuva me, et libera me a spiculatoris gladio; » ter ictum immensum nudo collo erectis ad cœlum manibus sustinuit; et nihil læsus est. Tunc spiculator mucronem fixit in ventrem ejus; quem B. Jacobus sic hebetavit, quod nec ictum ejus sensit. Tunc comes jussit eum in castro suo recludi. Cui beatum Jacobum invocanti mane apostolus ei stans apparuit, dicens: « Ecce adsum, quem invocasti. » Tunc impleta est domus tanta suavitate odoris, quod omnes qui ibi erant putaverunt se esse in paradiso, propter odorem; et propter lucem, quæ immensa ibi apparuit. Tunc in ipso fulgore B. Jacobus eduxit eum coram omnibus manutenens, et perduxit usque ad postremam portam castri, custodibus quasi excæcatis: et apertis januis, ambo pariter usque ad unum milliarium extra muros perrexerunt. Tunc miles amore apostoli accensus, perrexit in Galeciam, ad visitandum corpus apostoli.

Quidam civis de Barcinona perrexit ad S. Jacobum, et nihil aliud ab eo petivit, nisi tantum, ut eum a captione inimicorum suorum liberaret, si forte incideret in eam. Postea contigit, eum tredecies capi et vendi per nundinas et fora. Quicunque autem emebant, tenere nequibant; B. Jacobo catenas ejus, et vincula omnia conterente. Tertio decimo apparuit ei vincto duplicibus catenis a quodam Saraceno, et ait: « Quia dum esses in basilica mea, tantum petisti a me liberationem corporis tui, et non salutem animæ tuæ, idcirco in hæc pericula lapsus es. Sed quia Dominus misertus est tibi, idcirco misit me ad te, ut ab his ergastulis eruam te, » diruptisque catenis ejus disparuit. Exiens ergo ille solutus, tulit secum pro testimonio partem catenæ, quam ostendebat omnibus paganis, quibus obviabat, qui volebant eum capere: et statim quicunque adversarius ejus ab eo fugiebat: et ita per terram Saracenorum securus venit usque ad terram Christianorum. Multa etiam agmina leonum, ursorum, pardorum, draconum, illum per deserta gradientem devorare volebant; sed visa catena quam apostolus tetigerat, mox ab eo fugiebant. Hunc hominem iterum ad Sanctum Jacobum venientem anno 1100, ego Calixtus reperi inter Stellam et Grugnum nudis pedibus et excoriatis, qui hæc omnia mihi narravit. Inter Hispanos apud Vindelionum die festo Sancti Jacobi triticum quidam rusticus excussit in area. Postea cum iret ad balneum, et ibi sederet, pellis dorsi ejus ab humeris usque ad crura balnei parietibus adhæsit, ibique cunctis videntibus spiritum exhalavit. Inter Vascones apud Albinetum plebs festum apostoli servare nolebat. Eadem nocte tota villa succensa est, igne ut aiunt de cœlo misso. In villa S. Damiani, in territorio Montispessulani jussa est quædam rustica facere panem subcineritium. Qui allatus ad mensam et fractus, sanguinem fluxit. Ista tria postrema miracula non sunt de libro Calixti.

1125. Post Calixtum sedit Honorius II, papa centesimus sexagesimus octavus, annos 5 et menses 2. Ad hunc Honorium beatus Bernardus plures epistolas scripsit. Tyrus capta esse dicitur, sed non dicitur a quibus, a Christianis vel Saracenis; quapropter qui hoc adnotavit, brevis esse laborans, obscurus factus est.

1126. Hiems asperrima facta est, et fames valida. In Hasbania monstrum nascitur, ante homo, et retro canis. Carolus comes Flandrorum proditione quorumdam procerum suorum Brugis in ecclesia orans occisus est.

1127. In auctores sceleris acerrime vindicatum est a Ludovico Francorum rege Philippi filio; ita ut etiam nonnulli ad rotam damnati sint. Eorum progenies tota exsiliata est; et multi innocentes quæ non rapuerant exsolverunt. Inter quos fuerunt pater meus Hermanus, et frater ejus Ellebaudus, qui pueri nobiles et pulcherrimi magnis hæreditatibus perditis, de Flandriis in Franciam aufugerunt.

1128. Gaufridus episcopus Rothomagensis obiit: post quem factus est archiepiscopus Hugo ex monacho Cluniacensi, vir religiosus et litteratus; qui scripsit librum elegantem de diversis quæstionibus, ad Matthæum Albanensem, qui similiter de Cluniaco assumptus fuerat. Ad hunc Hugonem scripsit B. Bernardus epistolam, inter cætera sic ei scribens: « Si diei malitia invalescit, non prævaleat. Si turbat, non perturbet. Mirabiles elationes maris, sed mirabilior in altis Dominus. Benigne, si non dissimulas, egit tecum usque adhuc superna mise-

ratio, Pater illustris. Provida namque dispensatione non prius præfectus es malis, quam sociatus bonis: quorum consortio et exemplo bonis fieres: et sic etiam postmodum inter malos vivere bonus posses. Et quidem inter bonos bonum esse, salutem habet: inter malos vero, et laudem. Illud tantæ familiaritatis est, quantæ et securitatis: hoc autem tantæ virtutis, quantæ et difficultatis. Magnum nempe est, tangere picem, et non inquinari ab ea: in igne sine læsione versari, et in tenebris absque caligine commorari. *Habitavi*, inquit David, *cum habitantibus Cedar* (*Psal.* CXIX). Non ait, in Cedar; sed, *cum habitantibus Cedar:* tanquam qui semper habitaret in lumine: licet ipsi fuerit cum habitantibus in tenebris, id est in Cedar, cohabitatio corporalis. Sic cum olim Ægyptii palparent tenebras, tamen ubicunque filii Israel erant, qui certe cum ipsis erant, erat lux. Unde idem Propheta arguit quosdam non veros Israelitas, qui *commisti inter gentes, didicerunt opera eorum, et factum est illis in scandalum* (*Psal.* CV). Sufficiebat olim tibi apud tuos Cluniacenses custodire innocentiam: porro apud Rothomagenses opus est patientia, sicut dicit Apostolus: *Servum Dei non oportet litigare, sed magis patientem esse ad omnes* (*II Tim.* II). Non solum patientem; qui nolit vinci a malo, sed etiam pacificum, qui vincat in bono malum: ut malos portes et quos sustines sanes: in patientia tua possidens animam tuam. Sed sis etiam pacificus, ut possideas tibi commissam. Esto patiens quia es cum malis: esto pacificus, quia præes malis. Habeat charitas tua zelum, sed adhibeat pro tempore modum severitas. Censura quidem nunquam remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit. Sit vigor justitiæ semper fervidus, sed nunquam præceps. Sicut non omne quod libet licet: sic non omne quod licet, statim etiam expedit. Hæc melius me ipse nosti, ideoque supersedeo. Orari pro me incessanter postulo, quia incessanter pecco.»

1129. HUGO FARSITUS. Anno Domini 1129 in pago Suessionensi potestati adversæ concessum est, percutere multos plaga invisibili diversæ ætatis et sexus: ita ut semel succensa eorum corpora cum intolerabili cruciatu arderent. Est autem morbus hic tabificus, sub extenta liventi cute carnem ab ossibus separans et consumens, et mora temporis augmenta dolorum et ardoris capiens, per singula momenta cogit miseros mori; sed desiderantibus mortem non venit, donec depastis artubus ignis ille celer et pestifer invadit membra vitalia; et quod valde mirum est, ignis hic sine calore validus ad consumendum, tanto frigore velut glacie perfundit miserabiles, ut nullis remediis possint calefieri. Item, quod non minus est mirabile, ex quo divina gratia restinctus fuerit, fugato mortali frigore tantus calor in eisdem partibus ægros pervadit, ut morbus cancri eidem fervori persæpe se societ, nisi medicamentis occurratur. Sex diebus mense Septembri

A in ecclesia Beatæ Virginis fuerunt. Ad preces autem populi de aliis ecclesiis, et de majori ecclesia in eamdem ecclesiam concurrentis, adfuit beata Dei Genitrix, trahens secum fortia agmina sanctorum spirituum; ad cujus præsentiam formidaret inferus, et paverent portæ mortis. Cujus adventu præcursor tam magnus tremor Ecclesiam replevit, ut terræmotum esse factum, aut ecclesiam a fundamentis esse concussam arbitrantes, fugerent omnes. Sed ubi nil adesse periculi senserunt reversi omnes ardorem languentium extenuatum, et omnem dolorem consopitum celerrima suavitate collata inveniunt. Aiunt a quibusdam languentibus pridie hujus beneficii cœlitus copiosas claritates per fenestras ecclesiæ vitreas illapsas; quasi quæ-
B dam præconia largitionis subsequentis. Intra 15 dies nominatim adnotati sunt centum et tres ab hoc igne restincti. Sed et plurimi asseverant, stellas miræ magnitudinis tenebrosam noctis caliginem ultra ecclesiam persequendo effugasse.

Mulier quædam, nomine Gendrada, virum habens, nomine Theodericum, commanens in Riparia ultra Axonam fluvium, qui præterlabitur urbem Suessionensem; de villa, quæ dicitur Andignucurtis, inter cæteros venerat ad Ecclesiam: cujus faciem ignis ille depaverat, et nasum, et labium superius, et usque ad mammillas et gingivas, et dentes molares, et exstinctus est ignis a facie ejus. Sed omni occursanti jam molesta et odiosa fiebat, gravis omnibus, etiam suis ad videndum. Itaque
C compulsa est totam faciem præter oculos madenti panniculo velare. Redit ad ecclesiam, Beatæ Virginis, factaque candela quam offerret, ivit dormitum. Eadem nocte maturius evigilans, sensit totatum fluitare panniculum; quem dum restingere, sursumque reducere nititur, et parum proficit, coacta est circumjacentium implorare auxilium. Qui dum morantur, somno vel frigore tardi, illa poscit lucernam accendi, et sibi auxilium ferri: sensitque interim carnem sub digitis et panniculo pressam mollescere; et nesciebat quia caro est labii et nasi reformati: dumque sæpius revolvit pannum, sæpiusque proinde attrectat creaturam noviter plasmatam, clamavit ter voce maxima: «Deus et sancta
D Maria, adjuva:» ad quam vocem exciti et turbati qui aderant, maturius inferunt lumen, et vident nasum et labium noviter formatum. Quidam puer annorum undecim pecorum custos, ardens pedibus a matre sua advectus est: remedioque doloris intra paucos dies accepto ad domum revectus est. Erat autem de Vallibus. Sed dum nutu divino puer idem non immemor tanti beneficii desiderio visendæ domus Beatæ Virginis flagraret, et super hoc quotidie molestus matrem perurgeret, et illa penitus non acquiesceret, «Redeat, inquit, in me infirmitas, ut necesse habeam illuc referri.» Quod et factum est. Relatus igitur illuc a matre ad ingressum processionis matris ecclesiæ excussus a quiete, in gratiarum actionem rupit clamoribus æther. Narravitque

omnibus raptum se fuisse ante Deum, et dominam nostram Dei Genitricem pro populo supplicantem vidisse, ut dignaretur Deus hunc morbum a populo avertere et evertere; et hanc scintillam quæ acciderat auferre; et hoc responsum a Filio suo benigne accepisse: « Mater, tu es maris stella, fiat omnis voluntas tua: » dumque eadem Virgo iterum quæreretur super domo sua, quæ vilis et abjecta præ cæteris erat, audivit a Filio suo, quod de trans mare, et de trans Rhenum pecuniam faceret afferri, de qua domus ejus ædificaretur, et in omnium oculis intuentium claritate magna et gloria illustraret eam.

Populo etiam Suessionensi mala evenire ex parte Dei prædixit; quia suæ Genitricis ecclesiam non reficerent. Et quidem multos ex eadem urbe ignis invasit; quæ et qualia restent, nescimus. Idem puer paulo post se moriturum testatus est, et sic evenit; nec enim mensem supervixit. Mirum autem valde de hoc puero erat, quod ab initio mundi omnem historiam recensens, totam narrationem suam cursim rythmice digerebat: textum Evangelii et actus Domini sic ordine recensebat, tanquam omnia in libro legeret, et dictata ab aliis pronuntiaret. De Joseph viro beatæ Virginis inter cætera ait: « Qui tenet sceptrum florentis virgæ, custos erat gloriosæ. » Hæc narrabat clausis oculis, tanquam lucem transitoriam exosus: laicis et illitteratis vix dignabatur facere verbum, tanquam ignorantiam eorum pertæsus. Ejus mortui corpus tanta gratia perfudit, ut candore et claritate vultus angelicum nescio quid et divinum signaret. Apud villam, quæ dicitur Kala, in territorio Suessionensi, quæ possessio est matris ecclesiæ Beatorum martyrum Gervasii et Protasii mulier ob partus difficultatem laborans, continuis tribus hebdomadibus periclitabatur, persuasaque a convicinis mulieribus, se nudis pedibus ituram ad B. Mariam Suessionis vovens, noviter liberata est, sed ordine stupendo. Nam primum ex utero suo emisit tres lapides, primum in magnitudine ovi anserini, secundum fere in magnitudine ovi gallinæ, tertius non minor aliqua nuce erat. His lapidibus effusis statim sequitur partus infantis; qui et gratiam baptismi accepit, et paucos dies supervixit. Quædam mulier mater familias de Blericurte cæcitate percussa est, quæ villa est prope Cociacum. Hæc adducta est Suessionem, ubi recognita est a majore Austrechiæ cognato ejus, cum illa amplexaretur altare. Qui causam ejus præsentiæ percunctatus, præsente Mathilde abbatissa, « merito, inquit, cognata mea cæcitate percussa es; quia cum sis ancilla dominæ nostræ sanctæ Mariæ, ei Dominum abnegasti; confitere igitur veritatem, si vis a Matre veritatis sanari. » Factum est, et sanata est.

Cœnobium Ursicampi fundatur. Post Honorium sedit Romæ Innocentius III papa centesimus sexagesimus nonus. Contra quem per contentionem ordinatus est Petrus Leonis. Ad cujus schismatis pestem sedendam vocatus a Claravalle S. Bernardus multum laboravit, et multum profecit. Hic cum esset aliquando in urbe Noviomo in domo Simonis episcopi, ad eum adductus est Hervæus de Baugentio, puer admodum gratiosus, ortus ex regio sanguine, et ipsius episcopi nepos; de quo sequenti nocte famulo suo Christus ostendit, quod erat post tempora longa futurum. Siquidem videbatur sibi in missarum celebratione angelo cuidam pacis osculum dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de revelatione, eumdem Hervæum renuntiaturum sæculo, et futurum aliquando devotum Christi famulum promittebat. Quem postea venerabilis Valerannus primus abbas Ursicampi monachum fecit, et angelico functus officio, pacem, quam ex ore patris sancti ipse susceperat, communicavit Hervæo; qui etiam prædicto Valeranno in regimine Ursicampi successit, et novissime obitum suum imminentem sanus adhuc et incolumis, eodem Valeranno sibi per revelationem annuntiante, præscivit atque prædixit.

Innocentii vita, fama, et scientia digna summo sacerdotio habebatur Petrus autem Leonis ad hunc honoris apicem ambiens, a suis fautoribus pretio corruptis nominatus est Anacletus. Congregaverat sane opes innumeras, tam in exactionibus curiæ, quam in legationum negotiationibus, quas ad exspectatas nundinas reservarat: insuper et paterni census ampla congeries eatenus sigillata, modo distributa in populum, ad fas et nefas venalem populum armaverant. Quibus erogatis, donaria regum in ornamentis ecclesiæ ab ipsis evulsit altaribus: et cum calices frangere, crucifixos aureos membratim dividere, ipsi profani Christiani vel erubescerent, vel timerent: quæsiti sunt Judæi, qui vasa sacra, et imagines dicatas Deo audacter comminuerent. Convocato interea apud Stampas concilio, S. Bernardus Innocentium suscipi persuasit. Qui Innocentius Aurelianis honorifice a Ludovico rege Francorum susceptus est. Inde Carnotum deductus est a Gaufrido Carnotensium episcopo, magnarum virtutum viro, ubi occurrit et Henricus rex Anglorum.

1130. Cœnobium apud Bellum montem fundatur sub abbate primo Alexandro, a viro venerabili Roberto de Candoe.

1131. Synodus magna Remis celebratur a papa Innocentio, in qua, multis ad honorem Dei dispositis, regem Ludovicum pro Philippo fratre, quem de equo dejectum porcus occiderat, vivente adhuc patre, coronavit in regem. Idem Innocentius monasterium Sancti Medardi Suessione, quod est trans flumen situm, dedicavit. Adfuit inter cæteros mulier de pago Laudunensi, quæ cum aliis monasterium Beatæ Virginis ingressura processit; sed virtute invisibili ab ingressu repulsa est. Tunc nimio pavore vexari cœpit, et toto corpore tremere. Confessa et absoluta ingressum promeruit.

1132. Synodus magna apud Pisas celebratur ab Innocentio papa, et totius Occidentis episcopis. Soluto concilio ad reconciliandos Mediolanenses de-

minus papa sanctum Bernardum et Guidonem A Pisanum, et Matthæum Albanensem episcopum a latere suo direxit; qui schisma per Anselmum in eadem urbe factum abluerent. Quibus, rogante abbate, adjunctus est Gaufridus Carnotensis episcopus. Ibi sanati sunt multi dæmoniaci.

1133. Eclipsis solis facta est III Nonas Augusti. Lotharius imperator moritur. Sanctus Bernardus et sanctus Malachias florent sanctitate, doctrina et multa miraculorum gloria. Sed et sanctus Hugo Gratianopolitanus episcopus, quem beatus Bernardus visitavit; quem videns episcopus prostratus solotenus adoravit; quod videns sanctus Bernardus corruit et ipse ante eum; et facti sunt deinceps duo illi filii splendoris cor unum et anima una.

1134. Conradus nepos Henrici superioris regnat B post Lotharium. Apud Romanos et Alemannos regnat annis 22. Eo tempore conversus est Mascelinus honestus et honorabilis clericus Maguntinus, et secutus beatum Bernardum apud Claramvallem. Abbas Alexander cum omni conventu suo, annuente rege Anglorum Henrico, venit in forestam de Luins, et in eremitorio, quod dicebatur Mortuum mare, ædificavit monasterium suum. (1135.) Henricus rex Anglorum obit anno regni sui 35, cui successit Stephanus nepos ejus, VIII Kalend. Januarii: qui regnavit annis 19. (1136.) Eo tempore conversus est Gaufridus de Perona, qui postmodum prior Clarævallis effectus est; cujus etiam pater vir nobilis et potens in Claravalle monachus præfectus factus est, et a S. Bernardo sepultus. Laborabat eo C tempore sub schismaticorum oppressione tota Burdegalensis provincia; et non erat in Aquitania, qui posset resistere principi, cujus animam induraverat Deus: qui, persuadente Girardo Engolismensi episcopo, et instillante in cor ejus semina dissensionis, factus fuerat schismatis defensor et auctor. Hic Girardus misit ad Petrum Leonis, ut ei legationem concederet, et ipse ei fidelitate jurata obediret: insuper et principem terræ, et quoscunque posset, ad ejus imperium declinaret. Gavisus homo perditionis locum se invenisse, in quo dilataret malitiam suam, cito annuit, et libenter: et misit ad eum Gilonem Tusculanum cardinalem episcopum, qui solus de Romanis cum Petro Portuensi ei adhæse- D rat. Igitur Girardus, resumptis cornibus, quod ante non fecerat, publice procedebat mitratus. Ab his ergo duobus violenter expellitur a sede sua Guillelmus episcopus Pictaviensis, vir honestus et catholicus: et pro eo alius quidam nobilis genere, sed degener fide, intrusus est. Similiter in Lemovicensi Ecclesia intruserunt Ranulfum quemdam Doratensem; qui non multo post cadens de equo resupinus in via plana, uno tantum lapide ultore, qui ad hoc ibi relictus erat, infixo capiti ejus, et quassato cerebro exspiravit. Audiens hæc et hujusmodi Gaufridus venerabilis Carnotensis episcopus, cui a papa Innocentio Aquitaniæ legatio fuerat commendata, duxit secum S. Bernardum. Venerunt ergo Nannetum. Ibi sanata est mulier per virum sanctum, quæ jam per sex annos ab incubo dæmone fuerat oppressa.

Decanus autem Ecclesiæ Pictaviensis altare, in quo S. Bernardus missam cantaverat, confringere ausus est. Post breve tempus percussus a Deo, cum jam animam exhalaret, vidit domum suam plenam dæmonibus: et se a dæmonio jugulari clamitans, a circumstantibus postulabat cultellum, quem ad dæmonem extrahendum immergeret gutturi suo, et inter hæc verba exspiravit. Archipresbyter vero, qui Petri invasoris Pictaviensis Ecclesiæ denuntiabat synodum, coram ipsis, quos ad conventum perfidiæ invitabat, a diabolo correptus est. Sed et in alios multos, qui in schismate illo ferventiores exstiterant, manus Dei manifestam exercuit ultionem. Tandem principe reconciliato, et episcopis qui expulsi fuerant, in suis sedibus revocatis, Girardus solus perseverans in malis, sine confessione et viatico repente in lectulo suo mortuus inventus est, et enormiter tumidus. Qui a nepotibus suis in basilica quadam sepultus est; sed a Gaufrido Carnotensi episcopo inde extractus est, et alio projectus. Nepotes quoque ejus ab eadem Ecclesia eliminati sunt; et omnis progenies et plantatio a radice avulsa, per extera regna tanti judicii circumferens querimonias exsulavit. Rex Siciliæ Rogerus solus de principibus Innocentio non obediens, misit ad Petrum Leonis, ut Petrum Pisanum sibi a suo latere delegaret, confidens in eloquentia Petri Pisani. Sed abbas sanctus ipsum Petrum Pisanum papæ Innocentio reconciliavit. Post triduum Petrus Leonis impœnitens moritur: cadaver ejus in latebris sepelitur, et usque hodie fovea illa a catholicis ignoratur. (1137.) Abbas Alexander domum Mortui maris conjunxit ordini Cisterciensi; et Valeranus abbas Ursicampi suscepit eam in filiam, et monachos suos illuc transtulit. (1138.) Abbas Alexander abbatis curam dimisit; cui successit Adam, quondam prior Ursicampi. Ludovicus rex obiit anno regni sui 29. (1139.) Ludovicus filius Ludovici, hujus Philippi, qui modo est, pater, regnat apud Francos annis 40. Qui Ludovicus jam ante annos 7 coronatus fuerat in regem. (1140.) Abbatia de Fresmont fundata est sub primo abbate Manasseto. Eo tempore Henricus germanus Ludovici regis apud Claramvallem monachus effectus est; qui non multo post ad episcopatum Belvacensem assumptus est. (1141.) Anglia fame et gladio atteritur, principibus illius terræ inter se discordantibus. (1142.) Eo tempore papa Innocentius apud Aquas Salvias fundavit monasterium S. Anastasii martyris, constructis ibi cœnobialibus mansionibus; et petiit a Claravalle conventum et abbatem. Mittitur illuc cum conventu Bernardus olim Pisanæ Ecclesiæ vicedominus.

Eo tempore fuit Petrus Abælardus magister insignis, celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide perfide dogmatizans. Hujus scripta incendio et

scriptorem silentio condemnavit Innocentius papa. Capitula in libris ejus reprehensibilia adnotavit B. Bernardus in epistola quam de illo scripsit ad Innocentium papam. Libri tamen ejus adhuc a multis curiose servantur, quibus aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. Ego ipse in eis multa reprehensibilia inveni. Hujus Petri aliquando discipulus fuerat Gaufridus Antissiodorensis, qui multo tempore notarius fuit beati Bernardi. Hic inter cætera de eodem Petro dicit : « Ego mihi aliquando magistrum fuisse recordor, qui cum pedibus et intestinis nil amplius de agno paschali aut ipse vorans, aut discipulis exhibens, et se pariter et suos non modica ejus parte fraudabat. Siquidem pretium redemptionis evacuans, nil aliud nobis in sacrificio passionis Dominicæ commendabat, nisi virtutis exemplum et amoris incentivum. Quod enim Scripturæ perhibent de potestate diaboli pretioso illo sanguine humanum genus esse redemptum, in eo solo constare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum est, usque ad mortem pro veritate et justitia certandi; et adhibitum est velut quoddam incentivum amoris : cum ex impenso amore occasio data est redamandi. Quasi vero et hæc duo in mortibus prophetarum pro veritate et justitia occisorum nobis ante exhibita non sint; et quidem magna hæc et vera, sed non sola. Benedictus Deus qui mihi simul et vobis magistrum dedit postea meliorem; per quem prioris redarguit ignorantiam, insolentiam confutavit. Ille enim tanquam verus Hebræus avide prorsus vorabat, et vorandum nobis sollicite commendabat, caput agni cum pedibus et intestinis; sic imitandum prædicans Dominum patientem et sic redamandum amantem, ut principalem hujus sacrificii causam, velut agni caput, redemptionem in eo profiteretur et adoraret humanam. Tria namque specialia nobis in sua passione Christus exhibuit; exemplum virtutis, incentivum amoris, redemptionis sacramentum. Quod tertium evacuanti hæretico nil prodesse cætera poterant. Sine causa enim pro virtute certavit usque ad mortem, patientiæ nobis præbens exemplum : et sine causa exhibuit et commendavit hujus immensæ dilectionis affectum, si non recipit ab olim jam addicta captivitas copiosæ redemptionis effectum. Hæc Gaufridus contra Petrum olim magistrum suum fortiter et catholice scribit. Hujus etiam Petri Abælardi discipulus fuit magister meus, qui me docuit a puero, Radulphus, natione Anglicus, cognomento Grammaticus, Ecclesiæ Belvacensis, vir tam in divinis quam in sæcularibus litteris eruditus.

1143. Cœlestinus II fit papa centesimus septuagesimus.

1144. Lucius II fit papa centesimus septuagesimus primus. Civitas Rothomagi reddita est Gaufrido comiti Andegavensi. Ventus vehementissimus arbores et turres, et domos plurimas subvertit.

1145. Fames magna invalescit in Francia. Sanctus Bernardus in Alemannia multas virtutes facit. A Ubi apud urbem Spirensium tantus erat conventus ut Conradus rex, ne populus eum comprimeret, deposita chlamide eum in proprias ulnas suscipiens, de basilica asportarit. Bernardus abbas Sancti Anastasii in papam Romanum eligitur, et fit papa centesimus septuagesimus secundus, vocaturque Eugenius III. Hic, seditione orta in populo, pulverem pedum in litigantes excussit et, relictis eis, in Franciam venit. In cujus comitatu multa signa fecit sanctus Bernardus. Ad hunc Papam scripsit idem vir sanctus librum multæ subtilitatis et utilitatis, cujus titulus est : *De consideratione*.

1146. Guillelmus puer in Anglia crucifigitur a Judæis die Parasceves in urbe Normico; de quo talis visio legitur : Puer quidam nomine Guillelmus, B annorum 15, dormiens vidit virum splendidum dicentem sibi : Sequere me; et cœpit mox videre umbram tetram a læva, sed ex leni visione ductoris sui confortatus est. Dehinc vallem vidit tenebrosam, habentem hinc ignem, illinc aquam frigidissimam, ubi animæ de uno in aliud semper transibant. Post hæc deduxit ille senior puerum ad alia tormenta, ubi vidit sedilia ignea infinita et plebem innumeram eisdem impelli sedilibus; et dæmones monetam flammeam de sæculis proferebant, et in ora singulorum projiciebant : quam illi per fauces et guttur emittebant, sed dæmones iterum in ora eorum regerebant. Postea vidit a dæmonibus carnes, quæ formam perfecti hominis habere videbantur, in caldarias projici et sub mo- C mento quasi mox nati infantis apparebant. Hæ fuscinulis ignitis a caldariis ejectæ in priorem ætatem transformari videbantur et sic sæpius in caldariis recoquebantur. Ductus inde ad alium ignem, vidit innumeros homines in eum projectos in singulis juncturis dissolvi, et iterum de flamma ejectæ ad loca sua reversæ sunt juncturæ. Postea vidit multos super rotas volubiles affigi, viros per virilia, feminas per membra genitalia; et omnes clamabant : Væ, væ! Post hæc vidit multos super sedes igneas quasi fures in campo suspensos capitibus deorsum : alii frigore morientes, vestes subter positas videbant, sed tangere non valebant. Alii fame cruciati cibos desiderabiles subter positos tangere non poterant; et in quacunque necessitate positis D aliis non subvenerant, in eadem consultationem nullam recipiebant. Postea vidit tartarum apertum, qui videbatur in descensu profundior quam sit longitudo viæ a Dorobernia in Lundoniam. Ibi hostis antiquus sedebat in medio flammæ distentus in sex partes. Cum autem puer staret juxta oram putei tremens, teter spiritus, qui sinistro lateri ejus semper ab egressione domus adhærebat, cœpit eum accusare dicens : « Omnia prava huic puero semper suggessi. » Ea vero quæ puer confessus erat ante Pascha (nam post Pascha hoc accidit), omnino tacebat. Tot tamen et tanta crimina illi objecit, ut ad æternam damnationem sufficere crederentur. Tunc ad admonitionem ductoris cum puer signo crucis se muniret, puteus non comparuit. Ductore vero

illo recedente, puer diu in tenebris stetit tremens. Revertens autem ductor, puerum ad lucidum splendorem duxit; et statim apparuit murus infinitæ longitudinis et latitudinis, in quo nullus patebat aditus. Venientes illuc, in momento ultra se raptos invenerunt. In patria illa desiderabili apparuit domus rotunda, quæ 12 portas habebat, sicut scriptum est : *Ab oriente portæ tres*, etc. (*Ezech.* XLVIII.) Hanc ingressi tam amplam viderunt, ut quotquot in mundo sunt, ipsius partem decimam implere non possent. Ibi multos in magna gloria videbat, sed alios gloriosiores. Tunc vidit decem beatorum catervas. Veniens autem ad orientalem portam, circa medium ostii vidit altare quoddam, circa quod viri splendidi sedebant : qui omnes uni tanquam præstantissimo famulabantur. Ille coronam auream habebat in capite, duodecim crucibus aureis insignem. Puerum in hac visione lætantem alloquitur ductor suus : « Hic tuus locus erit, si bene vixeris : sciasque hunc esse puerum Guillelmum, quem Judæi apud Norinwic crucifixerunt. Hic, licet jam sit in magna gloria pro brevi pœna, longe tamen adhuc majorem habebit. Nondum tamen faciem Redemptoris contemplari meruit, nec socii ejus, quos in tanta gloria cernis. » Iterum digressus ab eo statim rediit, et dixit : « Sequere me, quia illuc te reducam, ubi te cepi, jubente Deo. Venies autem, si bene laboraveris, ad hanc gloriam. » Mox ad corpus licet renitens reversus est. Hic in II feria paulo ante nonam dormire cœpit. In III feria circa tertiam in facie se erigens signavit se ; quando scilicet tartarum vidit apertum. In V feria circa meridiem revixit.

1147. Eclipsis solis facta est V Nonas Novembris die Dominica hora 3. Rex Ludovicus cum Francis aggreditur iter Hierosolymitanum anno regni sui 9.

1148. Remis concilium a papa Eugenio celebratur. In quo concilio publice confutavit beatus Bernardus magistrum Gislebertum, cognomento Porratam; disputando cum eo singulariter, tanquam sui temporis singularis athleta. Hic Gislebertus erat Pictavorum episcopus, in sacris litteris plurimum exercitatus : sed sublimiora se scrutatus ad insipientiam sibi. Siquidem de S. Trinitatis unitate, et divinitatis simplicitate non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, et furtivas propinabat aquas; nec facile quid saperet, imo quantum desiperet, personis authenticis fatebatur. Timebat enim, quod apud Senonas Petrum Abælardum ei dixisse ferunt :

Tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Novissime tamen cum jam fidelium super hoc invalesceret scandalum, cresceret murmur, vocatus ad medium est, et librum tradere jussus, in quo blasphemias evomuerat, graves quidem, sed verborum quodam involucro circumseptas. Sanctus ergo Bernardus primo quidem totum quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, subtilibus interrogationibus eliciens, deinde vero tam suis ratiociniis, quam sanctorum testimoniis biduana A disputatione redarguit. Considerans autem nonnullos ex his qui præsidebant, jam quidem animadvertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam a persona, accensus est zelo, et domesticam sibi Gallicanam seorsum convocavit Ecclesiam. Communi denique consilio a Patribus decem provinciarum, aliis autem episcopis et abbatibus plurimis, dictante viro Dei, novis dogmatibus opponitur symbolum novum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, ut eorum videlicet omnium irreprehensibilis zelus cæteris innotescat. Ita demum apostolico judicio et auctoritate universalis Ecclesiæ error ille damnatur. Episcopus Gislebertus, an eidem damnationi consentiat, interrogatur. Consentiens, et publice refutans quæ prius scripserat B et affirmaverat, indulgentiam ipse consequitur, maxime quod ab initio cautus fuisset ea lege se eamdem disputationem ingredi, ut promitteret sine ulla sese obstinatione pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio correcturum libere opinionem suam. Horum duorum magistrorum, Petri videlicet Abælardi, et Gisleberti Porratæ quidam discipuli nimium zelantes pro ipsis beato Bernardo, et toti Cisterciensi ordini postea detrahere cœperunt. Quorum unus magister Stephanus, cognomento de Alinerra, dixit mihi, seipsum interfuisse illi Remensi concilio, et Bernardum nostrum nihil adversus Gislebertum suum prævaluisse; sed econtrario ipsum Gislebertum opinionem suam rationibus et auctoritatibus C per omnia confirmasse : quosdam vero episcopos et abbates Galliæ privata gratia Bernardi nostri somnium illius sententiæ prætulisse, et papam Eugenium ad ejus damnationem induxisse. Adjiciebat etiam Bernardum nostrum eo tempore magnam confusionem passum fuisse apud Antissiodorum : ubi quemdam mortuum, quem coram omni populo suscitandum prædixerat, post multas orationes incassum fusas suscitare non prævaluit. Erat autem iste Stephanus de clericis Henrici comitis Campaniæ, canonicus Belvacensis ; et Sancti Quiriaci apud Prevignum, et exercitatissimus in omni genere facetiarum utriusque linguæ, Latinæ et Gallicæ; avarissimus tamen; velut qui semper secutus fuerat otium, et cibum alienum : qui eodem anno D quo mihi hæc narravit, mortuus est, credo in ultionem sancti Bernardi, cui detraxerat.

1149. Anno isto S. Malachias obiit, sicut legitur in visione, quam scripsit Marcus quidam G. abbatissæ; de qua quædam in hoc loco excerpenda decrevi. Ait enim : Anno ab Incarnatione Domini 1149, qui fuit annus 2 expeditionis Hierosolymorum Conradi regis Romanorum, et annus 4 Eugenii papæ; in quo anno ipse papa de partibus Galliæ Romam reversus est, in quo etiam S. Malachias in Claravalle mortuus est, visa est hæc visio : Duæ sunt metropoles in Hibernia, Ardinacha septentrionalium Hiberniensium, Caselensis australium; de qua ortus fuit vir quidam, Tundalus nomine, nobilis genere, crudelis actione, forma corporis

egregius, fortitudine robustus, de salute animæ A suæ nihil sollicitus. Graviter ferebat, si quis ei vel breviter de salute animæ loqueretur. Ecclesiam negligebat, pauperes Christi nec videre volebat, mimis et joculatoribus pro vana gloria distribuebat quidquid habebat. Hic cum multos haberet amicos et sodales, inter eos habebat unum, qui commilitonis debito trium e quorum debitor erat. Hic cum statutum præstolaretur terminum, transacto tempore illum convenit. Qui cum bene receptus ab eo perendinaret tribus noctibus, cœpit tractare de certis rebus: cui cum ille responderet se modo ad manum non habere quod petebat, iratus recedebat. Debitor autem illum mitigare cupiens, rogavit eum ut, priusquam recederet, cibum secum sumeret. Resedit, et securi deposita, quam in manu tenebat, B cibum sumere cum illo cœpit; statimque percussus invisibiliter, manum quam extenderat replicare non potuit ad os suum; et clamare cœpit terribiliter, suamque securim quam deposuerat uxori socii commendavit, dicens: « Custodi meam securim, quia ego morior. » Statimque corruit corpus ejus exanime, ac si nunquam vitam habuisset. Adsunt omnia signa mortis; accurrit familia, tollitur cibus, clamant armigeri, plorat hospes, corpus extenditur, pulsantur signa, accurrit clerus, miratur populus, tota civitas boni militis morte turbatur. Ab hora decima in IV feria usque in eamdem horam in Sabbato mortuus sic jacuit; calor tamen modicus in sinistra parte pectoris a diligenter palpantibus C sentiebatur; et ideo eum subterrare noluerunt. Post hæc resumpsit spiritum, et debili flatu quasi per horæ unius spatium respirare cœpit. Mirantibus omnibus debili intuitu circumspicere cœpit. Interrogatus, si vellet communicare, innuit sibi afferri corpus Domini. Quod cum sumpsisset, et vinum bibisset, cœpit in gratiarum actione Deum laudare, et dicere: « O Deus, major est misericordia tua quam iniquitas mea, licet magna sit nimis. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas! et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ reduxisti me. »

Quod cum dixisset, statim sub testamento omnia quæ habebat dispersit, et dedit pauperibus; et se signo crucis signari præcepit, et pristinam vitam D funditus se relicturum vovit: et cuncta quæ viderat, et passus fuerat narravit, dicens: Cum anima mea corpus exueret, et illud mortuum esse cognosceret, reatus sui conscientia cœpit formidare, et quid ageret nesciebat. Timebat quidem, sed quid timeret, ignorabat. Volebat ad corpus redire, sed intrare non poterat; foras exire, sed ubique pertimescebat. Igitur flens et gemebunda, et quid ageret nescia, in nullo confidens, nisi in misericordia Dei, tandem vidit venientem ad se tantam immundorum spirituum multitudinem, ut non solum domum et atrium domus, sed etiam vicos et plateas civitatis implerent; et circumdantes miseram animam dixerunt: « Cantemus huic miseræ animæ debitum mortis canticum; quia filia mortis est, et cibus ignis inexstinguibilis, amica tenebrarum, et lucis inimica. » Et conversi ad eam, stridebant dentibus in eam; et ungulis propriis præ furore nimio genas teterrimas laniabant, dicentes: « Ecce misera, populus, quem elegisti: cum quibus arsura intrabis infernum. Nutrix scandali, amatrix discordiæ, quod et nos amamus, quare non superbis modo, quare non adulteraris, quare non fornicaris? Ubi est vanitas tua, et vana lætitia? Ubi risus immoderatus, ubi fortitudo tua, qua plurimis insultabas? Quare modo non annuis oculis, non teris pede, non digito loqueris, non pravo corde machinaris malum; sicut facere solebas, in levitatibus et lecacitatibus tuis? » Cum hæc et similia dicerent, vidit a longe venientem quasi stellam lucidissimam, in qua statim infatigabiles fixit intuitus, sperans se *aliquod solatium* per eam percepturum. Erat autem angelus ejus. Qui cum appropinquasset, proprio eam salutavit nomine, dicens: « Ave, Tondale; quid agis? » Videns autem illa speciosum juvenem nimis, et audiens se proprio nomine salutatam, præ timore simul et gaudio sic respondit: « Heu, domine Pater! circumdederunt me dolores inferni, præoccupaverunt me laquei mortis. » Cui angelus: « Modo me vocas dominum et patrem, quem semper tecum habebas, et nunquam me tali nomine dignum judicabas. » At illa: « Domine, ubi unquam te vidi, aut ubi unquam dulcissimam tuam vocem audivi? » Ad quem angelus: « Ego semper te sequebar a nativitate tua, quocunque ibas: et nunquam consiliis meis acquiescere volebas. » Et extendens manum in unum immundorum spirituum, qui præ cæteris ei maledicus insultabat: « Ecce, inquit, ille, cujus voluntati et consilio semper obtemperabas. Sed aderit tibi misericordia Dei, quam non meruisti. Esto igitur secura et læta; quia patieris pauca de multis, quæ merueras. Sequere me, et quæcunque tibi monstravero, memoriter tene; quia iterum ad corpus reverteris. » Tunc illa ultra modum perterrita, relicto corpore suo, super quod steterat, accessit propius. Dæmones hæc audientes, et mala quæ minabantur, se non posse inferre videntes, blasphemaverunt Deum, injustum eum esse dicentes; quia non reddebat, sicut promiserat, unicuique secundum opera sua. Et post hæc in semetipsos insurrexerunt, et plagis quibuscunque poterant, se mutuo percutiebant; et nimio fœtore relicto, cum tristitia et indignatione recesserunt. Angelus vero præcedens dixit ad animam: « Sequere me. » Quæ respondit: « Heu domine mi! si præcesseris, isti retro me capient, et æternis ignibus tradent. » Ad quem angelus: « Ne timeas, quia plures nobiscum sunt, quam cum illis. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* (*Rom.*, VIII.) *Cadent a latere tuo mille, et decem millia dextris tuis; ad te autem non appropinquabit. Oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis* (*Psal.* XC). »

His dictis profecti sunt. Cumque longius perge-

rent simul, nullumque præter splendorem angeli lumen haberent, tandem venerunt ad vallem terribilem, et tenebrosam valde, et opertam mortis caligine. Erat autem profunda, et carbonibus ardentibus plena, operculum ferreum habens spissitudinis sex cubitorum, quod ardore nimio ipsos ardentes superabat carbones; cujus fetor omnes quas hucusque passa fuerat anima tribulationes superabat. Super illam laminam descendebat multitudo miserarum animarum; et illic cremabantur, donec ad modum cremii in sartagine liquescerent; et quod erat gravius, per prædictam laminam colabantur, sicut colari solet cera per pannum; et iterum in carbonibus ignis ardentibus renovabantur ad tormentum. Hæc erat pœna parricidarum, fratricidarum, homicidarum, vel facto, vel consensu. « Sed post hanc pœnam, inquit angelus, ducuntur ad majores. Tu autem, quamvis homicida sis, modo tamen istam non patieris. » Post hæc venerunt in montem miræ magnitudinis, et horroris magni, et vastæ solitudinis; qui transeuntibus angustum valde præbebat iter. Ex una parte illius montis erat ignis putidus, sulphureus et tenebrosus : ex altera parte nix glacialis, et ventus horribilis. Et erat mons ille tortoribus plenus, qui furcas habebant ferreas ignitas, et tridentes acutissimos, quibus jugulabant animas transire volentes, et trahebant ad pœnas : et per vices de nive et grandine mittebant eos in ignem, et e converso. « Hæc est, inquit angelus, pœna insidiatorum et perfidorum. » Post hæc anima illa præ timore pedetentim angelum sequens venit ad vallem profundam, et putidam nimis, et tenebrosam; cujus profunditatem ipsa quidem anima videre non poterat; sonitum tamen sulphurei fluminis, et ululatum patientium in eo audiebat. Fumus vero de sulphure et de cadaveribus inde surgebat fetidus, qui superabat omnes pœnas, quas prius viderat. Ibi erat tabula longissima, de uno monte in alium montem porrecta, in medum pontis supra vallem extensa : quæ mille passus habebat in longitudine; in latitudine pedem unum. Quem pontem transire nemo nisi electus poterat. De hoc ponte vidit multos cadere, et unum solum presbyterum illæsum pertransire, qui erat peregrinus, portans palmam, et indutus sclavinia : et primus ante omnes intrepidus pertransibat. Angelus autem timentem consolans animam, dixit : « Ne timeas; ab hac pœna liberaberis, sed aliam patieris. » Et præcedens tenuit eam, et ultra pontem duxit illæsam, dicens : « Hæc est vallis horribilis, et pœna superborum. »

Præcedente autem angelo, profecti sunt per viam tenebrosam, et tortuosam, et difficilem : et cum multum laboraret in eundo per tenebras, vidit anima a longe bestiam incredibili magnitudine et horrore intolerabilem : quæ erat major omnibus montibus, quos prius viderat. Oculi ejus quasi colles igniti, os ejus valde patens et apertum videbatur posse capere 9 millia hominum armatorum. Habe-
A bat autem in ore suo duos parasitos gigantes versis capitibus valde incompositos : quorum unus habebat caput sursum ad superiores dentes præfatæ bestiæ, et pedes deorsum ad inferiores; alius e converso : et erant quasi columnæ in ore ejus, qui os illud in similitudinem trium portarum dividebant. Flamma inexstinguibilis ex ore illo exibat, quæ in tres partes per illas tres portas dividebatur, et contra ipsam flammam animæ damnandæ intrare cogebantur. Fetor quoque incomparabilis ex ore ipso exibat, et planctus multitudinis de ventre ejus per idem os audiebatur. Intus enim erant multa millia virorum ac mulierum dira tormenta luentium. Ante cujus os etiam immundorum spirituum multitudo animas intrare cogentium stabat; eas, antequam intrarent, B multis plagis et verberibus affligentes. Cumque anima Tundali diu aspexisset tam horribile monstrum, nimis exterrita dixit ad angelum : « Domine, quare illuc appropinquas ? » Ad quem angelus : « Iter, inquit, nostrum aliter explere non possumus. Hoc tormentum non possunt vitare, nisi electi. Hæc bestia vocatur Acheron, et devorat omnes avaros. De hac scriptum est : *Absorbebit fluvium et non mirabitur; et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus* (*Job* XL). Hi vero qui in ore ejus et inter dentes apparent contrapositi, gigantes sunt et suis temporibus in nequitia sua diabolo fideles fuerunt. » Et cum hæc dixisset angelus accedens propius antecedebat animam, et stetit ante bestiam. Anima vero licet nolens sequebatur : et cum simul C starent ante bestiam, angelus disparuit, et anima misera sola remansit. Dæmones autem circumdederunt eam ut canes rabidi, et flagellatam traxerunt secum in ventrem bestiæ. Quanta vero ibi passa sit, vultus ejus et morum conversio postea indicavit. Passa est ibi morsus et lacerationes canum, ursorum, leonum, serpentium et animalium aliorum innumerabilium incognitorum et monstruosorum ferocitatem, dæmonum ictus, ardorem ignis, asperitatem frigoris, fetorem sulphuris, caliginem oculorum, fluxum lacrymarum ardentium, stridorem dentium, copiam tribulationum. Ibi se misera anima de præteritis accusabat; et præ nimia tristitia et desperatione genas proprias lacerabat : et cum se D putaret ibi æternaliter damnatam, nescio quo ordine extra bestiam se esse sensit : et cum longius a bestia jaceret debilis, aperiens oculos, vidit prope illum, qui antecedebat, angelum lucis. Tunc illa gaudens, licet afflicta, multum laudavit Dominum de sua misericordia; angelus autem tetigit illam, et confortavit.

Euntes inde, longius viderunt stagnum amplum valde et tempestuosum, cujus fluctus elati non permittebant videre cœlum. Ibi erat plurima multitudo bestiarum terribilium, mugientium ut animas devorarent. Per latum stagni pons multum angustus erat, et longus usque ad duo milliaria. Latitudo ejus erat unius palmi; longior erat et angustior, quam pons superior. Eratque tabula illa plena clavis fer-

reis acutissimis insertis; qui omnium transeuntium A pedes perforabant. Omnesque bestiæ ad illum pontem conveniebant, ut cibum inde sumerent; animas scilicet quæ transire non poterant. Erant autem bestiæ tantæ magnitudinis, ut magnis turribus assimilarentur : de ore ipsorum exibat ignis tam vehemens,, ut stagnum ipsum a cernentibus bullire putaretur. Vidit autem ibi animam quamdam in ponte valde plorantem et se multis criminibus accusantem , eratque magno pondere manipulorum frumenti onustam, et hunc pontem cogebatur transire. et quamvis plantas clavis perforatas nimis doleret, magis tamen timebat in stagnum cadere, et in ora patentia bestiarum. Quærenti Tundalo quid hoc esset, dixit angelus : « Ista pœna specialiter B tibi condigna est, et tui similibus furtum perpetrantibus, vel magnum, vel modicum. Non tamen eodem modo patiuntur qui in minimis, et qui in magnis delinquunt, nisi illud modicum sacrilegium fuerit. Sacrilegii autem reus est, qui vel rem sacratam, vel de loco sacrato aliquid furatur. Maxime vero rei sunt, qui sub habitu religionis delinquunt. Hunc pontem oportet te transire, et vaccam indomitam tecum ducere, et illæsam mihi ultra pontem reddere; quia vaccam compatris tui aliquando furatus es. » Ad quod Tundalus : « Domine, nonne illam reddidi? » — « Reddidisti, inquit, sed quando illam abscondere non potuisti : et ideo plenum non patieris supplicium; quia minus est malum velle quam perficere; licet utrumque malum sit ante C Deum. » Et his dictis ostendit ei angelus vaccam indomitam. Tundalus igitur vellet nollet tenuit vaccam, et eam quibuscunque minis poterat instigare conabatur ad pontem. Bestiæ vero mugientes veniebant, et cibum suum de ponte exspectabant. Tundalus cœpit iter agere. vacca autem nolebat eum sequi : cum staret Tundalus cadebat vacca; et cum staret illa cadebat Tundalus : et sic versa vice modo cadendo, modo stando, venerunt usque ad medium pontis. Cumque illuc venissent, viderunt illum, qui portabat manipulos tritici sibi venire obviam : qui rogabat animam Tundali, quæ vaccam ducebat, ne sibi pontem præoccuparet : et Tundalus similiter rogabat, ut iter suum complere eum sineret, quia D jam medium perfecerat. Neuter non dico reverti, sed nec respicere retro poterat. Sic stantes et plorantes, pontem plantarum suarum sanguine cruentabant. Cumque ita diutius starent, nescientes quomodo, uterque alterum se pertransisse vidit. Tundalus autem angelum suum quem retro reliquerat, ante se vidit. Qui dixit ei : « Bene venias. De vacca amplius non cures, quia nihil amplius ei debes. » Cumque Tundalus ostenderet pedes suos, diceretque quod amplius ire non posset, respondit angelus : « Meminisse debes, quam veloces fuerint pedes tui ad effundendum sanguinem; et ideo contritio et infelicitas in viis tuis. » Et tangens eum, sanavit eum, et sic præcessit.

Et cum diceret Tundalus : « Domine, quo imus modo? » Ait angelus : « Quidam tortor teterrimus nostrum exspectat adventum , cujus hospitium non possumus præterire. Quod hospitium semper est plenum hospitibus, sed hospes ille adhuc alios hospites ad supplicium desiderat invenire. » Cumque iret per loca tenebrosa et arida, apparuit eis domus aperta maxima, quasi quidam mons arduus præ nimia magnitudine, rotunda quasi furnus. Flamma inde exibat, quæ per mille passus animas quas invenire poterat comburebat. Quod videns Tundalus, dixit ad angelum : « Ecce appropinquamus ad portas mortis. Quis me miserum liberabit? » Cui angelus : « Ab ista quidem flamma exteriore liberaberis; sed ipsam domum unde procedit, intrabis. » Et cum propius accederent, viderunt carnifices cum securibus et cultris, et *bis acutis* dolabris, et terebris, et falcibus, et forcipibus acutissimis, et vangis, et fossoriis, et cæteris instrumentis, quibus animas excoriare, vel decollare, vel findere, vel truncare poterant, in medio flammarum stantes; et sub manibus eorum multitudinem animarum hæc omnia sustinentium. Quod videns Tundalus, dixit ad angelum : « Obsecro, domine, si placet, ab hoc solo me libera supplicio. et cæteris quæ post hæc occurrerint, me tradi concede. » Cui angelus : « Hoc est majus supplicium omnibus quæ hactenus vidisti : sed adhuc videbis unum majus. Intra vero istud supplicium, quia canes rabidi te exspectant. » Tundalus autem tremens, et præ angustia deficiens, rogabat ne intraret, sed non profecit. Dæmones autem videntes eum sibi concessum, circumdederunt eum et magnis conviciis exprobrantes, cum supradictis instrumentis in frusta discerpserunt. Dominus hujus domus dicebatur Phistrinus. In qua domo erat gemitus, et tristitia, fletus et stridor dentium; lentus ignis extrinsecus, et intrinsecus vastum incendium. Aviditas cibi inexplebilis ibi erat, nec satiari poterat nimietas gulæ. Venerea loca doloribus cruciabantur permaximis. Pudenda ipsa putredine corrupta videbantur scaturire vermibus : et in ipsa verenda virorum ac mulierum. non solum sæcularium sed etiam religiosorum, diræ quædam intrabant bestiæ.

Ibi anima Tundali se juste pati talia fatebatur. Sed quando Deo placuit, nesciens quo ordine, se extra tormenta esse cognovit. Sedebat autem in tenebris, et umbra mortis : et videns angelum suum, dixit : « Heu, domine mi, ubi est quod audivimus, *Misericordia Domini plena est terra?* » (*Psal.* XXXII.) Respondit angelus : « Hæc sententia multos decepit : Deus enim licet sit misericors, est tamen justus. Multa vindicat, sed plura condonat. Tu juste passus es, quidquid passus es. Sed tunc gratias ages, quando videbis quæ tormenta per misericordiam Dei evaseris. Si Deus cuncta dimitteret, cur homo justus esset? et si supplicia non pertimesceret, quare peccare timeret, vel a voluptatibus suis se averteret? Et quid opus esset,

ut confessi pœniterent, si Deum non timerent? Peccatoribus in corpore pœnitentiam non agentibus misericorditer a Deo parcitur. Sed tamen hi pro suis meritis perimuntur. Justis quoque pro suis excessibus temporale commodum in corpore degentibus juste tollitur, sed bona eis sine fine mansueta misericorditer cum angelis reservantur. Multa mala opera condonat Deus, nullum tamen opus bonum ab eo irremuneratum relinquitur. Nemo liber est a peccato, nec infans unius horæ (*Job* xiv, sec. LXX). Multi tamen liberantur a pœna, ut eos non tangat umbra mortis. Ideo autem justi qui pœnas non patiuntur post mortem, ad videndum tamen illas ducuntur ut, visis tormentis, a quibus per Dei gratiam liberantur, magis inardescant in amorem Dei et in laudem Creatoris sui. Sicut econtrario animæ æternis suppliciis dignæ prius ducuntur ad sanctorum gloriam (49) ut, visis præmiis quæ sponte deseruerunt, magis postea doleant. Nullum enim tam grave supplicium est, quam a Dei et sanctorum consortio sequestrari. Ideo ille presbyter, quem primum pontem secure transire vidisti, ductus est ad supplicium, ut visis pœnis ardentius laudet illum, qui vocavit eum ad gloriam suam. Nam fidelis et prudens servus inventus est : et ideo accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Sed quoniam nondum omnia mala vidimus, properemus. »

Præcedente igitur angelo vidit Tundalus bestiam, cæteris quas ante viderat longe dissimilem, et duas alas habentem, collum longissimum, rostrum ferreum, et ungulas ferreas : de cujus ore flamma inextinguibilis ructuabat. Sedebat autem hæc bestia super stagnum glacie condensum, et devorabat animas, quæ in ventre ejus per supplicia redigebantur ad nihilum ; et iterum pariebat eas in stagnum glacie congelatum ; ibique renovabantur iterum ad tormentum. Prægnabantur vero omnes animæ, tam virorum quam mulierum, quæ descendebant in stagnum, et ita gravidæ tempus præstolabantur ad partum ; intus autem mordebantur in visceribus more viperino a prole concepta ; sicque vegetabantur miseræ in unda frigida Mortui maris glacie concreta : cumque tempus esset, ut parerent, clamantes replebant inferos ululatibus, et sic serpentes pariebant. Pariebant autem non solum feminæ, sed etiam viri : et hi non solum per membra quæ natura constituit tali officio convenientia, sed etiam per brachia simul et pectora : exibantque erumpentes per cuncta membra bestiæ habentes capita ardentia, et ferrea, et rostra acutissima ; quibus ipsa unde exibant corpora dilaniabant. Bestiæ namque illæ volentes exire, cum caudas suas non possent secum trahere, in ipsa corpora unde exibant rostra sua ardentia et ferrea retorquere non cessabant, donec usque ad nervos et usque ad ossa arida consumerent ; et sic simul conclamantes stridor glacierum inundantium, et ululatus animarum ferventium sustinentium talem pœnam, et mugitus bestiarum exeuntium ab eis perveniebant ad cœlum. Erant enim in omnibus diversis membris et digitis diversarum bestiarum capita, quæ ipsa membra mordebant usque ad nervos et ossa. Habebant autem linguas vivas in modum aspidum, quæ totum palatum et arterias consumebant usque ad pulmones. Verenda quoque ipsorum virorum et mulierum erant in similitudine serpentium, qui inferiores partes ventris lacerabant ; et ipsa viscera inde studebant abstrahere. Tunc ait angelus : « Hæc est pœna monachorum, canonicorum, sanctimonialium, cæterorumque ecclesiasticorum, qui mentiri Deo per tonsuram et habitum noscuntur : qui linguas suas exacuerunt sicut serpentes ; et membra sua non cohibuerunt ab immundis operibus. Hanc pœnam sustinebunt, qui immoderata luxuria se polluunt, et ideo istam sustinere te oportet. » His dictis rapuerunt eam dæmones cum impetu, et dederunt bestiæ devorandam.

Cum autem post prædicta tormenta esset in partu viperarum, adfuit ei angelus lucis, et tangens eam sanavit et se sequi præcepit. Præter fulgorem autem angeli nullum lumen habebant, pergebantque per loca terribilia, et multis præcedentibus diriora, via valde angusta, et quasi de cacumine altissimi montis tendente in præcipitium. Quanto autem plus descendebat anima illa, tanto minus reditum ad vitam sperabat. Dixit autem ad angelum : « Domine quo imus? » Respondit angelus : « Hæc via ducit ad mortem. » Et anima : « Quid est igitur, quod scriptum est : *Lata et spatiosa est via, quæ ducit ad mortem ; et multi sunt, qui intrant per eam* (*Matth.* vii), cum neminem præter nos hic videamus? » Respondit angelus : « Non de hac via dictum est hoc ; sed de impudica, et illicita, et sæculari vita, quæ ducit ad istam. » Euntes autem longius, et ultra modum laborantes, venerunt in vallem fabrorum : ibique viderunt fabricas, in quibus maximus audiebatur luctus. Tunc ait angelus : « Tortor iste vocatur Vulcanus, per cujus ingenium corruerunt plurimi, et ab ipso cruciantur. » — « Domine, inquit anima, si debeo pati ejus supplicium? » — « Debes, » ait. Qui ductor præcedebat eam. Illa autem plorans, sequebatur eum. Et ecce tortores cum ignitis forcipibus, angelo sancto nil dicente, ceperunt illam, et projecerunt in caminum ignis ardentis ; et sic sufflantes follibus, sicut solet ferrum in fornace examinari, ita examinabant eam, donec ad nihilum redigerentur animæ, quæ ibi patiebantur. Cumque ita liquefierent, ut nil aliud nisi aqua apparerent, jugulabantur tridentibus ferreis : et positæ super incudem percutiebantur malleis, donec vicenæ, vel centenæ in unam massam redigerentur, et tamen

(49) Caute lege.

quod est gravius, nec sic perirent; desiderabant enim mortem, et invenire non poterant. Loquebantur autem tortores ad invicem dicentes : « Nunquid sufficit? » Et alii in alia fabrica respondebant: « Projicite nobis, ut videamus si sufficit; et projiciebant, et alii capiebant eas in forcipibus ferreis, antequam terram tangerent, et sicut primi, ita et ipsi eas ignibus tradebant : et ita misere modo huc, modo illuc projiciebantur, et ubique comburebantur, donec simul pelles et carnes, et nervi et ossa in favillam redigerentur, et flammam ignis. Post multas passiones adfuit. Tundalo advocatus suus, et apprehendens eum de medio favillæ, dixit : « Quomodo vales? Nunquid tibi tam dulcia fuerunt carnis oblectamenta, ut pro eis tot et tanta mala debeas sustinere? » Iste penitus respondere non poterat; quia post tantum supplicium non habebat vires ad loquendum. Tunc angelus : « Confortare, quia Dominus deducit ad inferos, et reducit. Quamvis enim magna sint, quæ hucusque passa es, majora tamen sunt, a quibus per Dei misericordiam liberaberis. » Et addidit : « Omnes quos superius vidisti, judicium Dei exspectant. Sed hi qui adhuc sunt in inferioribus, jam judicati sunt. Adhuc enim non pervenisti ad inferos inferiores. Et more solito tangens eam et confortans, præcessit.

Cumque simul pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce subitus horror, et frigus intolerabile, et fetor intolerabilis, et tenebræ prioribus incomparabiles. Tribulatio et angustia animam Tundali invaserunt, ita ut omnia fundamenta terræ viderentur sibi contremiscere, et angelo præcedenti compulsa est dicere : « Heu, domine mi, quid est, quod præ solito stare non possum? » Quo dicto non potuit se movere præ formidine : et ecce angelus cito disparuit, et eum amplius videre non potuit. Et statim cœpit desperare. Non est enim scientia, nec opus, nec ratio apud inferos, quo illa properabat (*Eccle.* IX). Audivit autem clamores et ululatus miræ multitudinis, et tonitruum tam horribile, ut nec parvitas nostra potuerit capere, nec lingua ejus enarrare. Circumspiciens ergo, si quomodo videre posset unde venerat, vidit fossam quadratam, et quadrangulam quasi cisternam. Qui puteus putidam flammæ et fumi emittebat columnam; quæ columna extendebatur usque ad cœlos; et in ipsa columna erat multitudo maxima animarum et dæmonum more favillarum cum flamma ascendentium; et ad nihilum redactæ iterum cadebant cum dæmonibus in fornacem usque in profundum. Quo viso anima Tundali volebat se retro trahere, sed non valebat a terra pedes levare : et dum hoc sæpius tentaret, et facere non posset, nimio furore repleta in semetipsam exarsit, et genas suas unguibus lacerans clamavit : « Væ mihi; quare non morior? Quare non morior? Quæ me decepit dementia? » Audientes hoc dæmones, qui cum flamma ascendebant, circumdederunt eam cum instrumentis, quibus animas ad tormenta rapiebant, dicentes : « O

A misera anima pœnis et cruciatibus digna, unde huc venisti? Nihil adhuc experta es, adhuc videbis dignum operibus tuis tormentum, de quo nec exire poteris, nec in eo perire; sed semper in cruciatu vivens, ardebis sine refrigerio, sine lumine, sine consolatione, sine omni auxilio. Nullam deinceps misericordiam sperare poteris. Appropinquasti usque ad portas mortis, et infernis inferioribus sine mora præsentaberis. Qui te huc adduxit ipse te decepit : liberet te, si potest, de manibus nostris, non videbis eum amplius. » Et ad invicem loquebantur : « Quid amplius moramur? Trahamus eam, et demus eam Lucifero devorandam. » Et sic arma vibrantes, minabantur illi mortem æternam.

B Ipsi autem immundi spiritus erant nigri, sicut carbones, oculi eorum ut lampades ignis ardentes : dentes eorum nive candidiores; caudas habebant ut scorpiones, ungues ferreos valde acutos, alas ut vulturis.

Interea adfuit angelus Domini qui, fugatis spiritibus tenebrarum, consolatus est ream suam, dicens : « Gaude et lætare, filia lucis, quia misericordiam et non judicium consequeris. Pœnas quidem magnas videbis, sed eas non patieris. Veni ergo et ostendam tibi pessimum humani generis inimicum. » Et præcedens ad portas inferi, dixit : « Veni, et vide. Scito tamen quod nullum lumen his qui huc deputantur, lucet : sed tu poteris eos videre, et ipsi non videbunt te. Appropians autem

C anima vidit principem tenebrarum, et profundum inferni. Quæ autem et qualia ibi viderit inaudita tormenta, si centum capita, et in unoquoque capite centum linguas haberet, enarrare nullomodo posset. Ibi visus est princeps diabolus, qui magnitudine præcellebat omnes bestias, quas ante viderat : cujus corporis quantitati ipsa quæ viderat anima nil sciebat comparare. Erat illa bestia nigerrima sicut corvus, formam habens humani corporis a pedibus usque ad caput : excepto, quod plurimas habebat manus et caudam. Erant ei non minus mille manibus, in longitudine quasi centum cubiti, in grossitudine decem. Unaquæque manus digitos vicenos habebat, et digiti ejus centenas palmas in longitudine, denas in grossitudine : un-

D gues lanceis militum grossiores et longiores, et ipsos ferreos; in pedibus totidem. Rostrum ejus nimis longum et grossum, cauda asperrima et longa, et ad nocendum animabus aculeis acutissimis præparata. Jacet autem illud horrendum monstrum super cratem ferream, suppositis ardentibus prunis ab innumerabili multitudine dæmonum follibus sufflantium. Circumdat autem ipsum tanta multitudo animarum et dæmonum, quantam nulli credibile esset mundum tot annis parere potuisse a principio. Ligatus est autem ille hostis antiquus per singula membra, et per singulas juncturas catenis ferreis et æreis, ignitis et valde grossis : cumque sic versatur in carbonibus, et undique comburitur, nimia excandescens ira, vertit se de

uno latere in aliud latus, et omnes manus suas in multitudinem animarum extendit, easque repletas animabus constringit, sicut rusticus sitiens racemos comprimit, ut inde vinum eliciat : intantum, ut nulla ibi sit anima, quæ tali constrictione non privetur capite, vel pedibus, aut manibus : et tunc suspirans sufflat et spargit animas in diversas partes gehennæ; et statim eructuat puteus ille, de quo prædiximus, fetidam flammam : et cum retrahit anhelitum suum dira illa bestia, retrahit ad se omnes animas, quas ante sparserat, et cum fumo et sulphure in os ejus cadentes devorat. Sed et quæcunque manus ejus effugiunt, ne stringantur, illas cum cauda suá percutit : et sic misera illa bestia percutiens semper percutitur ; et tormenta animabus inferens, in tormentis omnibus super omnes cruciatur.

Tunc ait angelus ad animam: « Hic est Lucifer principium viarum Dei, qui versabatur in deliciis paradisi. Qui si solutus fuerit, cœlum simul et terram usque ad inferos cuncta perturbaret. Hi autem quicunque cum eo sunt, partim sunt angeli tenebrarum, partim filii Adæ; et jam judicati sunt, et multos alios exspectant, qui vel Christum negarunt, vel negantium opera fecerunt. Passi sunt autem ea quæ vidisti prius minora tormenta, et post ducti sunt ad ista : de quibus tormentis nullus qui ea semel intraverit, amplius exire poterit. Hi sunt prælati et principes mali, de quibus scriptum est : *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI); qui non bene usi sunt potentia sibi a Deo data. Tunc ait anima ad angelum : « Quare potentia non bonis datur, ut bene præsint? » Respondit angelus : « Aut subditorum culpæ hoc exigunt, ut bonos rectores non habeant, aut ipsis bonis in hoc parcitur, ut saluti animarum suarum melius provideant. Hic autem infelix princeps tenebrarum dictus est; non propter potentiam quam habeat, sed propter primatum quem tenet in tenebris. Omnes autem aliæ pœnæ, quamvis maximæ sint, respectu tamen hujus pro nihil computantur. » Ad hoc anima : « Verum certe est. Nam videre tantummodo istum locum magis me conturbat, et fetorem ejus sustinere plus me gravat, quam pati omnia, quæ ante patiebar. Unde rogo, si potest fieri, ut hinc me subtrahas cito, et hic me cruciari amplius non permittas. Hic enim video multos cognatos et sodales, et notos meos, quos mecum in sæculo gaudebam habere socios; quorum hic consortium multum abhoresco. Scio autem pro certo, quod nisi mihi divina succurrat misericordia, meritis meis exigentibus, non minus ista patiar, quam ipsi. » Ad quem angelus : « Veni, o felix anima, convertere in requiem tuam; quia Deus beneficit tibi. Non enim hæc patieris ; nec amplius, nisi promerueris, ista videbis. Hucusque vidisti inimicorum Dei carcerem : amodo videbis gloriam amicorum ejus. » Conversa anima sequebatur angelum præcedentem ; et cum non longe pergerent, fetor evanuit, destructisque te-

A nebris lux apparuit, fugatoque timore securitas rediit, et deposita tristitia anima illa repleta est gaudio et lætitia ; ita ut se tam cito mutatam miraretur, et diceret : « O domine, quomodo tam cito mutata sum? » Cui angelus : « Benedicta sis. Ne mireris, hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Per aliam viam redire debemus in regionem nostram. Tu ergo, benedic Deum, et sequere me. » Euntes autem viderunt murum nimis altum, et infra murum ex illa parte qua venerant, erat plurima multitudo virorum ac mulierum, pluviam et ventum sustinentium, et erant valde tristes, famem et sitim sustinentes : lumen tamen habebant, et fetorem non sentiebant.

Tunc ait angelus : « Isti quidem mali fuerunt, sed B non valde; honeste vixerunt, sed bona temporalia pauperibus non sunt largiti; et ideo per aliquot patiuntur annos pluviam et ventum, famem et sitim; sed post ducentur ad bonam requiem. » Et euntes paululum, venerunt ad portam, quæ ultro aperta est eis. Quam cum intrassent, viderunt campum pulchrum odoriferum, floribus plenum, lucidum et satis amœnum ; in quo multæ animæ erant utriusque sexus, exsultantes : et nox ibi nunquam fuit, nec sol illis occidit, et est ibi fons aquæ vivæ. Tunc ait : « Hic habitant boni, sed non boni valde : qui de cruciatibus erepti, nondum merentur sanctorum consortio conjungi. Fons iste vocatur vivens. Si quis ex hac aqua gustaverit, vivet in æternum, nec sitiet ultra. » Et procedentes paululum, viderunt C laicos sibi notos, inter quos erant Cantaber et Donatus reges. Quibus visis, ait anima ad angelum : « Domine, quid est hoc? Isti duo viri erant in vita sua nimis crudeles, et inter se invicem multum inimici. Quo ergo merito huc venerunt? » Respondit angelus : « De hac inimicitia ante mortem pœnituerunt. Cantaber autem diu languit, et votum vovit, quod si vixisset, monachus fieret. Donatus autem per multos annos in vinculis religatus, omnia quæcunque habuit dedit pauperibus : et ideo justitia ejus manet in sæculum sæculi. Et tu narrabis viventibus omnia hæc. » Cum autem modicum procederent, viderunt domum mirabiliter ornatam, cujus parietes et omnis structura ex auro et ar- D gento erat, et ex omnium lapidum pretiosorum generibus. Sed fenestræ ibi non erant, nec ostium; et tamen omnes qui intrare volebant, intrabant. Erat autem intus tam splendida, ac si non dico unus sol, sed quasi ibi multi splenderent soles. Eratque nimis ampla et rotunda, et nullis columnis fulta : et totum etiam ejus vestibulum auro et lapidibus pretiosis erat stratum. Circumspiciens autem Tundalus vidit unum sedile aureum cum gemmis et serico, et omnibus ornamentis ornatum, et regem Chormarcum in ipso throno sedere, vestitum mirabilibus vestimentis, et pretiosissimis, supra omne pretium terrenum. Et cum staret admirans, venerunt plurimi in domum illam cum muneribus ad regem, et offerebant singuli cum gaudio munera

sua. Et dum staret Tundalus diutius ante dominum suum regem Chormarcum, erat enim dominus suus in sæculo, venerunt multi sacerdotes et levitæ induti, sicut ad missam cantandam, cum sericis casulis et aliis ornamentis valde pretiosis : et ornabatur undique domus illa regia mirabili ornamento. Ponebant scyphos et calices aureos et argenteos, et pyxides eburneas super paxillos et tabulas; et sic domus illa ornabatur, ut si major in regno Dei gloria non esset, ista posse sufficere videretur. Omnes ergo illi, qui ministrabant, ante regem venientes, et genua flectentes, dicebant : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit* (*Psal.* CXXVII). Tunc Tundalus ait ad angelum : « Miror, Domine, de tot ministris, inter quos nec unum de sua familia recognosco. » Ad hoc angelus : « Non sunt isti de sua familia, sed pauperes Christi, et peregrini, quibus rex bona sua largiebatur; et ideo per manus eorum merces retribuitur æterna. » Tunc ait Tundalus : « Domine, passusne est dominus meus aliqua tormenta ? » — « Passus est, inquit, et adhuc quotidie patitur, et adhuc patietur. Exspecta paululum, et videbis. » Et cum paululum exspectasset, obscurata est domus, et omnes habitatores ejus illico consternati sunt; et rex contristatus exivit cum fletu. Quem cum Tundalus sequeretur, vidit hanc multitudinem quam ante intus viderat, expansis in cœlum manibus devotissime deprecantem Deum, et dicentem : « Domine Deus omnipotens, sicut vis, et sicut scis, miserere servi tui. » Et respiciens vidit regem in igne usque ad umbilicum; et ab umbilico sursum cilicio indutum. « Hanc pœnam, inquit angelus, quotidie patitur per tres horas, et per horas viginti et unam requiescit. Et hoc ideo quia legitimi conjugii maculavit sacramentum. Ideo patitur usque ad umbilicum. Cilicium vero portat, quia jussit interfici comitem juxta S. Patricium, et prævaricatus est jusjurandum. Exceptis his duobus, cuncta ei crimina dimissa sunt. Sed jam ascendamus. »

Et cum paululum processissent, viderunt murum nimis præclarum. Erat enim argenteus totus, splendidus valde et decorus. Et cum nulla ibi porta appareret, Tundalus tamen nesciens quomodo intravit, et circumspiciens, vidit choros sanctorum exsultantium, et dicentium : « Gloria tibi, Deus Pater; gloria tibi, Deus Fili Dei; gloria tibi, Spiritus sancte Deus. » Erant autem viri et feminæ vestiti candidis vestimentis et pretiosissimis; sine macula et ruga, jucundi et hilares, gaudentesque, et sanctam Trinitatem laudantes. Candor autem vestimentorum, sicut nix recens erat, percussa solis radio. Voces vero consonantes, quasi musicum melos reddebant sonos, claritas autem, jucunditas, amœnitas, hilaritas, pulchritudo, honestas, sanitas, æternitas, unanimitas, omnibus erat æqualis, et charitas. Odor illius campi in quo erant isti, superabat omnia aromata et odoramenta. Tunc Tundalus ait ad angelum : « Obsecro, Domine mi, in hac requie maneamus. » Ad quem angelus : « Bene tibi sit, adhuc majora videbis. Hæc sunt gaudia conjugatorum, qui fidem conjugii servaverunt, et familias suas in timore Dei bene et juste rexerunt; et bona sua pauperibus et peregrinis, et ecclesiis Christi communicaverunt; qui in judicio audituri sunt : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). Tundalus autem multum rogabat, ut ibi remaneret; sed non obtinuit. Post hæc profecti sunt. Videbatur autem ei nullus labor in ambulando, et quacunque pertransibant, inclinatis capitibus et lætis vultibus cum ingenti gaudio occurrebant, et eam proprio nomine salutabant, et Deum, qui eam liberavit glorificabant, dicentes : *Laus tibi, Domine, rex æternæ gloriæ, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXI); qui secundum misericordiam tuam ab inferni cruciatibus animam istam eripere dignatus es, et sanctorum tuorum consortio sociare. Cum autem sic plurimas turbas pertransissent, apparuit alius murus tam altus, ut primus; sed de auro purissimo et præclarissimo, ita ut magis delectaretur quæcunque illum vidisset anima, in solo nitore metalli, quam in omni gloria quam ante viderat. Cumque simili modo intrassent illum ut primum, apparuerunt illis plurima sedilia de auro, et gemmis, et universis lapidum pretiosorum generibus constructa, et pretiosissimis ornamentis cooperta : in quibus sedebant seniores viri et feminæ, vestiti sericis et stolis candidis et variis, et universis ornatibus; qualia nec ante viderat, nec cogitare poterat : et erat facies uniuscujusque splendida sicut sol splendens in meridie; et capillos habebant auro simillimos, et coronas aureas iisdem gemmis ornatas. Sed et lectoria posita erant coram eis aurea, quibus superpositi erant libri aureis litteris scripti, et cantabant Domino Alleluia in novo cantico, et tam dulci melodia, ut cunctorum præteritorum oblivisceretur anima quæ semel audiret voces eorum.

Tunc ait angelus ad Tundalum : *Isti sunt sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, et in sanguine Agni laverunt stolas suas* (50) : et continentes, qui de sæculari vita ad Dei servitium conversi sunt, et qui semetipsos cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes, sobrie, et juste, et pie vixerunt. Cum autem Tundalus curiosus circumspiceret, vidit quasi castra et papiliones plurimos, purpura et bysso, auro et argento et serico mira varietate confectos. In quibus chordas et organa, et citharas cum organistis et cymbalis canentes. Cætera quoque omnium musicorum genera suavissimis sonis audivit concinentes : et quæsivit, quæ hæc essent. Cui angelus : « Ista est religiosorum requies, monachorum, conversorum, canonicorum

(50) Antiphona Ecclesiæ.

et sanctimonialium; qui promissam obedientiam his qui præsunt, hilariter et devote impendunt: et qui magis gaudent subesse, quam præesse; qui voluntatem propriam relinquunt, et alienæ obtemperant; qui dum sunt in corpore, cœlestia sapiunt; qui refrenant linguas suas non solum a malis, sed etiam a bonis propter taciturnitatis amorem.» Tunc ait Tundalus: «Domine, si tibi placet, volo propius accedere, et eos qui intus sunt videre.» Placet, inquit, ut videas eos et audias: sed non intrabis ad eos. Isti namque fruuntur præsentia S. Trinitatis, et qui semel ad eos intraverit, omnium immemor præteritorum, ulterius non disjungitur a consortio sanctorum, nisi forte virgo fuerit, et conjungi mereatur choris angelorum. Et accedentes propius viderunt intus utriusque sexus animas, quæ B assimilabantur angelis: quarum splendor et odor delectabilis, et sonus suavissimus, omnem gloriam quam ante viderant, superabant. Sed hanc omnem dulcedinem superabant voces ipsorum spirituum, quibus nullus labor erat in exaltatione vocis, nec labia videbantur moveri, nec manus ad instrumenta musica levare curabant, et tamen ad libitum cujusque melos reddebant. Firmamentum quod erat super capita eorum multum splendebat, de quo catenæ pendebant auri purissimi virgulis argenteis intermistæ, pulcherrima varietate contextæ: de quibus scyphi et phialæ, et tintinnabula, et cymbala, et lilia, et sphærulæ pendebant aureæ. Inter quas multitudo maxima versabatur angelorum volantium, et aureas alas habentium; qui leni volatu inter catenas volantes suavissimum atque dulcissimum audientibus reddebant sonum. Cum ergo Tundalus nimis delectatus vellet ibi stare, dixit ei angelus: «Respice.» Et respiciens vidit unam arborem maximam et latissimam frondibus viridissimam, floribusque pulcherrimam, omniumque fructuum generibus et frugum fertilissimam. In cujus frondibus aves multæ diversorum colorum, et diversarum vocum generibus cantantes et organizantes morabantur. Sub cujus ramis lilia et rosæ, et cunctarum herbarum specierumque odoriferarum genera oriebantur; et sub eadem arbore viri multi et feminæ in cellis aureis et eburneis, semper benedicentes et laudantes Deum pro universis beneficiis suis et donis suis; et habebat unusquisque coronam auream in capite suo mirabiliter ornatam, et sceptrum aureum in manu sua; et vestiti talibus vestimentis, quibus ante visi monachi.

Tunc ait angelus ad Tundalum: «Hæc arbor typus est sanctæ Ecclesiæ; hi qui sunt sub ea, sunt constructores et defensores Ecclesiarum; et pro beneficiis quæ sanctæ Ecclesiæ largiti sunt, fraternitatem ipsorum consecuti sunt; quia per illorum commonitionem sæcularem habitum reliquerunt, et religiose vixerunt.» Cumque profecti fuissent, viderunt murum altitudine, pulchritudine et splendore cæteris dissimilem. Erat namque ex omnium lapidum pretiosorum generibus constratum, variis coloribus metallis interpositis, ita ut aurum videretur habere pro cæmento; lapides ejus erant crystallus, chrysolithus, beryllus et jaspis, hyacinthus et smaragdus, sapphirus et onychinus, topazius et sardius, chrysoprassus et amethystus, turchatus atque granatus. His et similibus splendebat murus valde, et mentes intuentium multum in se provocabat. Ascendentes igitur murum, videre procul dubio, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II; *Isai.* LXIV). Viderunt ibi novem ordines angelorum, et beatorum spirituum cum illis mistorum; audierunt ibi verba ineffabilia, quæ non potest homo, nec licet homini loqui. Et dixit angelus ad animam Tundali: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum* (*Psal.* XLIV). Ecce patet quanta sit amœnitas, jucunditas, dignitas, sublimitas, interesse sanctorum choris angelorum et omnium sanctorum: et quod omne præcellit gaudium, eum qui panis est angelorum, et vita omnium, sentire clementem et pium. Ab illo autem loco, in quo tunc stabant, non solum omnem quam ante viderant gloriam, verum et prædicta supplicia videbant, et quod magis mirandum est, ipsum orbem terrarum quasi sub uno solis radio videbant, sicut scriptum est: *Cernent terram de longe* (*Isai.* XXXIII). Non enim potest creaturæ visum obtundere, cui semel concessum est omnium Creatorem videre. Et miro modo C cum starent in eodem loco, in quo prius steterant, non se vertentes in aliquam partem, cunctos tamen ex eodem loco ante et retro positos videbant. Non solum autem visus, verum omnium rerum scientia dabatur insolita, ita ut non esset ibi opus interrogare amplius aliquem; sed omnia sciebat ibi Tundalus aperte et integre quæcunque volebat. Cum autem ita esset ibi Tundalus, adfuit ei sanctus Ruadanus confessor, cum magna lætitia salutans eum, et amplectens, intimæ charitatis visceribus, ait: *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum* (*Psal.* CXX). Ego sum Ruadanus patruus tuus, cui jure debitor es sepulturæ, et cum hoc dixisset, stetit, nil amplius dicens.

D Tundalus autem respiciens vidit sanctum Patricium Hiberniensium apostolum, cum magna turba episcoporum; inter quos quatuor sibi notos vidit, id est Cœlestinum, qui fuit archiepiscopus Ardinachæ, et Malachiam, qui Cœlestino successit: qui Romam veniens tempore Innocentii papæ, legatus et archiepiscopus ab ipso est constitutus; qui omnia quæ habere poterat, sanctis et pauperibus dividebat. Hic constructor exstitit 44 cœnobiorum monachorum, canonicorum, sanctimonialium, quibus omnia necessaria providebat et nihil omnino sibi retinebat. Ibique vidit Christianum Lundunensem episcopum, fratrem prædicti Malachiæ uterinum, miræ continentiæ virum et voluntariæ paupertatis amatorem, et Neemiam Cluanensis civitatis

antistitem, virum simplicem atque modestum, sapientia quoque et castitate præ cæteris fulgentem. Illos quatuor cognovit episcopos. Eratque juxta eos unum sedile mirabiliter ornatum, in quo nemo sedebat; et dixit Tundalus: « Cujus est istud sedile, et quare sic vacat? » Respondit sanctus Malachias: « Cujusdam de fratribus nostris, qui nondum migravit a corpore; et cum migraverit, hic sedebit. » Cum autem in his omnibus anima Tundali valde delectaretur, adfuit angelus Domini, qui eam antecedebat, et blande illam alloquens, ait: « Vidisti hæc omnia? » Et illa: « Video, domine. Obsecro, sine me hic esse. » Cui angelus: « Debes ad corpus tuum redire, et omnia quæ vidisti ad utilitatem proximorum memoriter retinere. » Quo audito, anima tristis et flens respondit: « Domine, quid tanti mali egi, ut relicta tanta gloria ad corpus redeam? » Et ille: « Ad hanc non merentur intrare, nisi virgines, qui corpora sua ab immundo tactu, et corda sua ab omni immundo affectu custodiunt; et aduri magis pro tanta gloria, quam coinquinari aliqua turpi concupiscentia volunt: quod tu noluisti facere, et verbis meis credere; et ideo non poteris hic manere. Revertere ergo ad corpus tuum, et abstine ab his quæ ante faciebas. Consilium meum, et auxilium tibi non deerit: sed præsentialiter atque fideliter tibi manebit. » Et cum hæc dixisset angelus, conversa anima statim sensit se mole corporis esse gravatam. Nullum intervallum nec ullum temporis intercessit momentum; sed in uno eodemque temporis puncto in cœlis loquebatur ad angelum, et in terris se sensit induere corpus suum. Tunc ipsa debilis corporales aperuit oculos: et suspirans, nihilque dicens, respexit clericos circumstantes, et sumpsit corpus Domini cum gratiarum actione; et omnia quæ habuit dispersit, et dedit pauperibus: et signum sanctæ crucis vestimentis suis quibus vestiebatur, superaffigi jussit. Cuncta quæ viderat, quæ retinere potuit, nobis postmodum recitavit, bonam vitam nos ducere monuit, verbumque Dei, quod ante nescierat, cum magna devotione et humilitate ac scientia prædicabat. Nos autem, qui vitam ejus imitari non possumus, hæc saltem ad utilitatem legentium scribere studuimus. Auctor. Hucusque de visione Tundali quæ contigit anno quo mortuus est S. Malachias: cujus Malachiæ vitam miraculis gloriosam et virtutibus plenam S. Bernardus veraci et eleganti stylo digessit. Nunc ad historiæ seriem redeamus.

1150. Eo tempore florebat multa miraculorum gratia Petrus Tarentasiensis episcopus. Cujus virtutum fama cum ad civitatem Lausennam pervenisset, tres viri ibi in carcere clausi, custodibus suis ante ostium carceris obseratum ludentibus, flentes et lugentes, cœperunt nomen ejus suppliciter et fideliter invocare. Adest continuo pontifex invocatus, solvit compeditos, manum porrigit, aperit ostium, jubet ut exeuntes sequantur se. Sic manifestus apparens illis, et a multis aliis visus, extrahit eos et deducit. Cumque nulla foret opportunitas divertendi, sequentes prævium ducem suum desuper tabulas quibus custodes ludebant, inter illos medios pertransibant. Nec mirum; si videri præsentes ab hostibus ipsi non poterant: qui sic videre sibi videbantur absentes. Nec ab eis pontifex ante disparuit, quam evasisse pericula, et ad locum sese cognoscerent pervenisse securum. Unde et voto sese obligantes, non gustavere cibum, donec ad sui liberatoris præsentiam accederent, nova et mira Dei magnalia prædicantes. Implacabiles inimicitias, et odia inveterata frequenter exstinxit, et gravia admodum bella compescuit. Desperatas reconciliationes inter maximos etiam principes *Domino cooperante, et sermonem* ejus *confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI), effecit. Inter principem suum comitem Imbertum, et Raymundum comitem Tolosanum in regione Gratianopolitana eo tempore dominantem, non sine multis incendiis, et homicidiis guerram diutius agitatam multo labore sedavit. Cujus occasione negotii ad Henricum regem Anglorum vehementer desideratus accessit: in quo itinere miraculum singulare divina virtus per eum perfecit apud S. Symphorianum, quod est castrum Lugdunensis Ecclesiæ, paucis ab urbe leucis distans. Ibi erat vir fidelis Petrus de Fraxineto, notus et honoratus inter convicaneos suos, virorum religiosorum officiosus sedulusque susceptor, magnæ conversationis pariter et opinionis: qui virum sanctum ad hospitium suum aliquando, quasi vim faciendo, pertraxit. Huic filia juvencula erat, miserabili incommoditate laborans.

Egerat enim mulier quædam malefica per nequitiam invidæ socrus inducta, ut languore tabesceret desperato, nec viri sui præsentiam, nec aspectum ullatenus toleraret. Affectione autem muliebri genitrix persuasa, ut Satanas Satanam ejiceret, famosum quemdam maleficum accersivit. Adfuit, exploravit, agnovit, et juvenculam asserens inferratam, terit arborum cortices: pocula verbis et herbis infecta propinat. Mordet etiam propriis dentibus brachium miseræ mulieris in duobus locis circa fontem brachii; ita ut utraque morsura superior et inferior distaret a fonte brachii quasi palmo uno. Res nova, res mira. Ab illo quidem languore convaluit: sed interdum velut ex corde sentiens acus procedere, cruciabatur atrociter, donec per superiorem morsuram brachii, quam nulla cicatrix, sicut nec inferiorem, obduxerat, acus educeret vis occulta. Plures jam in hunc modum per temporum intervalla quam triginta acus prodierant: quædam, ut vulgo dicitur, excapsatæ, quædam admittendis idonea filis foramina, præferentes. Exhibetur ergo viro sancto a patre filia cujus lugubrem explicat tragœdiam: et ecce mox juvencula sentiens acum, gemebunda deplorat. Quam accedens unus de fratribus laicis viro Dei serviens cruentam extraxit, annis pluribus ad te-

stimonium conservandam. Orat sanctus, et locum vulneris tangens, in virtute fidei pollicetur, nec ferrum, nec chalybem ultra processurum. Factumque est ita : sed mutata materia malitia nondum penitus exstincta, per alteram brachii inferiorem morsuram, quam vir sanctus non tetigerat ; quia necdum inde aliquid exierat, cœperunt sudes lignei parvuli, quos vulgo brochas vocant, ex quercino robore, vel fraxineo, pro ferreis acubus egredi, grossiores spinis, et modico longiores, nec tamen unius omnes longitudinis vel grosssitudinis ; sicut nec acus fuerant. Sexdecim jam infra annum et paucos menses ex muliere ligna prodierant. Adfuit deinde reverendus antistes Petrus, cui divinitus servabatur tanti miraculi plenitudo. Offertur mulier missarum solemnia celebranti, sicut præceperat vespere præcedenti. Eadem hora septimum decimum ex carne mulieris lignum egreditur : quod sub oculis omnium capellanus extraxit. Confitentem itaque mulierem præsul absolvit, et sacramentum ei tradens eucharistiæ, ab omni deinceps cujuscunque materiæ progressu jubet eam esse securam. Sic ab omnibus præstigiis liberata adhæsit viro suo, liberosque procreavit ; virtutem viri sancti postea multis annis prædicavit, quam in seipsa meruit experiri.

Hujusmodi malefici dicuntur vultivoli, qui ad affectus hominum imitandos, in molliori materia, sicut cera vel limo, eorum quos pervertere nituntur, effigies exprimunt ; cujus illusionis Virgilius in *Pharmaceutria* meminit, dicens (*Ecloga* VIII) :

Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit.
Uno eodemque igni ; sic nostro Daphnis amore.

Naso quoque in libro *Heroid.* (*Epistola* VI) :

Devovet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Horum malitia, etiam cum plurimum nocent, artificio levi, ut aiunt quidam, dissolvitur, si qui suspecti sunt conventi ab aliquo crimen inficientur ; aut si confessi fuerint, rogentur maleficium revocare. Sed si hoc verum est, quomodo famosus ille maleficus, qui maleficium primus agnovit, tam facile remedium non adhibuit ?

1151. Assidua et diutina pluviarum inundatio messionem tardavit et impedivit. Sanctus Bernardus tertiam processionem Ascensionis Dominicæ in ordine nostro constituit. Nam antea nonnisi duæ præcedentes, Purificationis scilicet et Dominicæ in Ramis Palmarum, fiebant. Sed dignum duxit esse vir ille sanctus, ut Christum redeuntem de terris ad cœlos prosequeremur : sicut angelum illum fuerant prosecuti, venientem de cœlis ad nos : et in libro *Ordinis Romani* ea die intitulatur statio ad sanctam Jerusalem.

1152. Relictam Ludovici regis Francorum uxorem duxit Henricus comes Andegavensis, et dux Northmanniæ, postea rex Angliæ. Unde guerra orta est inter eos. Hanc reliquit Ludovicus, propter incontinentiam ipsius mulieris, quæ non sicut regina, sed fere sicut meretrix se habebat.

1153. Post Eugenium tertium, qui sedit annis 8, sedit Anastasius papa centesimus septuagesimus tertius, anno uno. Eodem anno sanctus Bernardus moritur.

1154. Stephanus Blesensis rex Anglorum moritur anno regni sui 19, Ludovici regis Francorum 16. Adrianus natione Anglus fit papa centesimus septuagesimus quartus. Obiit Adam secundus abbas Mortui maris ; cui successit Stephanus prior Ursicampi. Huic Adriano papæ familiaris fuit Joannes Salesberiensis, et ipse Anglicus natione, qui de eodem Adriano talia refert : « Audivi papam Adrianum dicentem, quod Romano pontifice nemo miserior est, conditione ejus nulla miserabilior. Fatebatur enim se in eadem sede tantas miserias invenisse, ut facta collatione præsentium tota præcedens amaritudo jucunditas et felicitas fuerit. Spinosam dicebat cathedram Romani pontificis, mantum acutissimis usquequaque consertum aculeis, tantæque molis, ut robustissimos terat, et comminuat humeros, coronam et phrygium clara merito videri, quoniam ignea sunt. Seque nunquam a natali solo Angliæ malle exisse, aut in claustro beati Rufi apud Valentiam perpetuo latuisse, quam tantas intrasse angustias : nisi quia divinæ dispensationi reluctari non auderet. Hoc etiam mihi sæpissime adjecit, quod cum de gradu in gradum a claustrali clerico per omnia officia in summum pontificem ascendisset, nihil unquam felicitatis, aut tranquillæ quietis vitæ priori adjectum est ab ascensu : et, ut verbis ejus utar : In incude, inquit, et malleo semper dilatavit me Dominus : sed nunc oneri, quod infirmitati meæ imposuit, si placet, supponat dexteram, quoniam importabile mihi est. Nonne miseria dignus est, qui pro tanta pugnat miseria ? Sit ditissimus, qui eligitur, sequenti die pauper erit, et infinitis fere creditoribus tenebitur obligatus. Ambire ergo ad summum pontificium, et non sine fraterno sanguine ad illud ascendere est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in ovibus pascendis. Bene ergo dicitur, nec tam nuncupative quam substantive, summus pontifex servus servorum. Serviat enim servis avaritiæ Romanis necesse est, adeo ut nisi servierit, fiat aut expontifex, aut exromanus.

(1155.) Henricus Henrici Superioris ex filia nepos (fuit enim filius Mathildis imperatricis, cujus pater fuit Henricus filius Guillelmi Nothi, qui Angliam acquisivit, et frater Guillelmi Rufi, qui in venatione sagitta percussus est a milite), regnat in Anglia annis 35. Abhinc nil inveni de temporibus imperatorum Alemanniæ : et ideo pro eis adnotandi sunt anni regum Franciæ. Florebat hoc tempore Theobaldus Cantuariensis archiepiscopus de Beccensi monasterio assumptus : vita per omnia laudabilis, et magnificus, et tam in sæcularibus quam in ecclesiasticis negotiis experientissimus.

(1156.) Signum crucis apparuit in luna. Albericus

miles Belvacensis pro fide Christi martyrium passus est. Non dicitur, ubi, vel quomodo passus sit : ideo hoc negligentissime est adnotatum.

1157. Tres lunæ visæ sunt, et in media signum crucis. Thomas archidiaconus Cantuariensis per industriam archiepiscopi Theobaldi factus est regis Henrici cancellarius.

1158. Filia Ludovici regis Francorum datur filio Henrici regis Anglorum, ut pax inter eos firmetur. (1159.) Nonis Septembris tres soles visi sunt in parte occidentali; sed duobus paulatim deficientibus, sol diei, qui medius erat, remansit usque ad occasum.

1160. Hujus temporis sunt miracula beatæ Mariæ de Rupe Amatoris. Eo tempore quidam Britannus quadam nocte mortuus est in principio noctis; et mane revixit. Hic narrabat : Quidam pulcher angelus in veste nitidissima duxit me in vallem profundissimam, quæ ex una parte plena erat igne magno, ex altera parte nive, grandine et glacie. Ibi plures animæ per vices alternas transibant ab aquis nivium ad calorem maximum, et e converso : cumque cogitarem, quod ibi esset infernus respondit angelus cogitationi meæ : « Non est hic infernus, ut tu putas, adhuc aliud videbis. » Et duxit me ulterius, et cœperunt ante nos tenebræ inspissari, ita ut nil videre possem præter fulgorem vestis angelicæ. Et ecce cœperunt mihi apparere magni globi flammarum, qui de quodam puteo ascendebant usque ad nubes; et iterum recidebant in puteum illum. Tunc angelus qui me ducebat reliquit me in illa densitate tenebrarum, in qua vidi magnam multitudinem animarum in modum favillarum ascendentium et recidentium in puteum cum globo flammarum tenebroso : et de ore illius putei exibat fetor immensus et intolerabilis. Et ecce audivi magnos ululatus animarum plorantium, et magnos cachinnos dæmonum illas ad tormenta trahentium. Erant autem animæ quinque. Unus attonsus ut clericus, altera femina, tres laici. Tunc nigerrimi spiritus exibant de inferno, jactantes flammam sulphuream per nares suas, tenentes forcipes, per quas me volebant trahere ad se, et non poterant. Cumque me circumdarent, circumspiciebam, si forte mihi alicunde veniret auxilium. Et ecce apparuit mihi claritas cujusdam stellæ : quæ cum appropinquasset, illi tetri spiritus abscesserunt. Et apprehendens me angelus, reduxit versus orientem, et venimus ad murum quemdam altum et longum, in quo nullus apparebat introitus; et subito fuimus super illum. Intra quem erat campus quidam pulcherrimus, floribus odorantissimis plenus; per quorum odorem liberatus sum a fetore inferni, quem passus fueram. Ibi magna claritas erat, plusquam solaris, ut videbatur. Ibi erant magni greges candidatorum sedentium super sedilia pulcherrima. Et cum cogitarem ibi esse regnum Dei, respondit angelus cogitationi meæ : « Non est hic regnum Dei. » Post hoc ulterius progredimur, et vidi claritatem centuplo majorem quam prius : et ibi audivi angelos et animas ineffabili melodia cantantes. Cumque putarem me ibi esse intraturum, ductor meus restitit; et me per viam, per quam duxerat, reduxit, usque ad locum prioris claritatis, et dixit : « Scis tu, quæ sunt, quæ vidisti? » Anima : « Nescio, domine. » Ait : « Vallis illa plena ardore, et nive, et grandine, locus est animarum se purgantium; quæ confessionem et pœnitentiam peccatorum suorum distulerunt usque ad mortem. Sed quoniam tunc saltem pœnituerunt, in die judicii per Dei misericordiam liberabuntur. Possunt tamen interim alleviari a pœnis per preces et eleemosynas fidelium, et maxime per celebrationem missarum. Puteus ille est os infernalis abyssi. Campus iste floridus locus est animarum sanctarum, quæ in bonis operibus exierunt de corpore, et regnum Dei exspectant cum magna lætitia et exsultatione : quem et tu ipse, qui ad corpus tuum reversurus es, si de salute animæ tuæ sollicitus fueris, cum illis beatis spiritibus recipies. » Cumque rogarem eum, ut ibi me remanere permitteret, quia nolebam ad corpus reverti, subito me inter homines hic viventem inveni. Hic homo post hanc visionem conversus est in domo Cisterciensis ordinis, quæ dicitur Malros, juxta quam erat quædam aqua decurrens : in qua, ut carnem suam domaret, sæpe stabat in frigore hiemis usque ad mentum : et quando aqua illa glacie durabatur, frangebat crustam glaciei, et cum veste sua ibi stabat, quandiu sufferre poterat. Inde exiens vestem non mutabat, sed sinebat eam in suo corpore desiccari. Qui autem videbant eum, compatientes ei, dicebant : « Quomodo, frater, tantam asperitatem frigoris tolerare potes? » Qui respondebat : « Asperiora ego vidi. »

1161. Eo tempore fuit in Anglia vir quidam magnarum virium corporis, et propter illas vires magni nominis. Hic post multa peccata reprehensus a sua conscientia proposuit ire Jerosolymam, ut ibi vires suas expenderet in servitio Dei, juxta illud : *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal.* LVIII); et de hoc voto consuluit abbatem quemdam Cisterciensis ordinis : qui persuasit ei ut crucem religionis acciperet, et ad cœlestem Jerusalem properaret. Et fecit sic : et cœpit esse valde fervens in religione. Postea tentatus a Satana mutavit propositum; et proposuit se corporaliter iturum in Jerusalem, sicut prius voverat. Sed quia tunc abbas præsens non erat, distulit recessionem contra voluntatem suam usque crastinum. Eadem nocte cum de necessariis ad lectum suum rediret, vidit supra quamdam trabem dormitorii dæmonem sedentem in specie simiæ : et cœpit cogitare quod diabolus esset, quia in illo ordine tales bestiæ non nutriuntur. Diabolus autem sentiens se cognitum, desiliit de trabe super illum, et verberavit illum tam fortiter, quod sanguis de naribus ejus et ore exibat. Et hoc facto evanuit. Illo clamante fratres exterriti sunt :

et videntes illum novitium tam graviter læsum, portaverunt in infirmitorium. Qui jacuit exsensis in lecto suo tribus diebus, et videbatur magis mortuus quam vivus, apertisque oculis nihil videbat. Qui cum ita jaceret, apparuit ei sanctus Benedictus, dicens : « Benedicite. » Et ille : « Dominus. » Quæsivitque, dicens : « Qui estis, domine? » — « Ego sum, inquit, frater Benedictus : sequere me. » Et secutus est eum in spiritu ; et cœperunt ascendere sublimes gradus, et erant in singulis gradibus duo dæmones, qui incantabant ascendentes, et in singulis gradibus percutiebant illum novitium. Qui defatigatus ab ictibus dæmonum vix jam sequi poterat ductorem suum. Respiciens autem post se sanctus Benedictus, posuit manum suam super caput novitii, et confortavit eum. Post illos gradus ascensos vidit novitius locum magnæ claritatis et viriditatis in regione puri ætheris : et vidit ibi capellam in aere pendentem, tam perviam, ut miraretur, ad quid tam parva capella facta erat. Ad quem sanctus Benedictus : « Noli mirari forinsecam capellæ angustiam ; quia nescis, quam lata et ampla, quam alta et pretiosa sit intus. Mortalis homo non debet mirari opera Dei, qui scit solus rationem operum suorum. » Intrans autem sanctus Benedictus, jussit novitium stare post ostium. Ibi erat quidam candidatorum grex, sedentes in circuitu interiori capellæ : et sedebat inter eos Mater misericordiæ, resplendens sicut sol inter stellas. Ad quam accedens S. Benedictus, ait : « Benedicite. » Et illa : « Dominus. Domina, inquit, ecce novitius, quem adduci jussistis. » Et illa : « Facite illum coram venire. » Qui cum accessisset, dixit ad eum domina : « Vis morari in domo mea mecum, ad serviendum mihi, sicut promisisti ? » Ait : « Etiam, domina. » — « Ergo, inquit, jura mihi super illud altare, et vove, quod mihi servies semper, et opera Domini facies et custodies. » Qui cum jurasset, dixit domina nostra ad S. Benedictum : « Reducite eum, unde adduxistis. » Tunc S. Benedictus posuit eum post ostium, dicens : « Aspice diligenter, et retine firmiter quod visurus es, quia utile tibi erit hæc vidisse. » Tunc S. Benedictus accepit pelvim, et linteo præcinxit se, et dedit pelvim dominæ nostræ : et cœpit illa lavare pedes omnium ibi sedentium per ordinem, et S. Benedictus post eam extergebat flexis genibus.

Facto illo mandato sanctus Benedictus reduxit novitium per loca florida et delectabilia, et suaviter redolentia : et ecce multitudo monachorum et novitiorum occurrerunt eis. Ex quibus quidam pulchras coronas habebant in capitibus suis; alii nondum habebant in capitibus, sed cum fiducia exspectabant. Inter quos erat quidam monachus, qui per signum petiit a sancto Benedicto licentiam loquendi cum illo novitio, et accepit. Qua accepta, dixit ad novitium : « Frater Gunthelme, ego fui monachus de domo tua. Precor ut dicas abbati tuo et meo ex parte mea, quod frater Matthæus mona- A chus quondam suus mandat ei, ut corrigat se, sollicitiusque se habeat, quam hucusque habuit, custodiendo ordinem suum. His intersigniis credat, quod cum ego migrarem de corpore, vidi quamdam coronam descendentem de cœlo, quam putavi meam fore, sed data est cuidam monacho, qui ante me mortuus est ; pro qua re contristatus fui, invidens bono fratris mei. De qua re eidem abbati confessionem feci, et pœnitui. Teipsum admoneo ut in proposito tuo permaneas humilis et obediens, honores fugiens, et tuam propriam voluntatem nunquam facere delecteris, et semper Deum timeas. »

Post hæc verba sanctus Benedictus jussit sancto Raphaeli, ut duceret novitium, quo ducendus erat. Tunc S. Raphael duxit eum in paradisum : et cum B appropinquarent, vidit novitius civitatem quamdam ex auro, cujus porta immensæ pulchritudinis erat. Quam cum miraretur, angelus misit eum intra portam; et vidit intra paradisum herbas et arbores pulcherrimas, et aves cantantes. Sub una arbore erat fons limpidissimus, cujus rivi per mediam civitatem fluebant. Cumque novitius vellet pausare juxta fontem, duxit eum angelus ad aliam arborem miræ altitudinis et pulchritudinis : super qua erat homo pulcherrimus, et prægrandis staturæ quasi gigas, vestitus veste diversorum colorum a pedibus usque ad pectus. « Hic est, inquit angelus, primus pater humani generis protoplastus Adam, per sanguinem Jesu Christi Filii Dei redem- C ptus. Vestimentum ejus est vestis illa gloriæ, qua spoliaverat eum humani generis inimicus per transgressionem divini mandati. Ab Abel filio suo primo justo cœpit ipse recuperare vestem suam per bona opera filiorum suorum et filiarum. Quando totus vestitus erit, erit sanctorum numerus consummatus, et finem habebit sæculum. » Post hæc venerunt angelus et novitius ad regionem umbræ mortis, et terram tenebrosam; et vidit novitius quasi turres horribiles, et putavit quod ibi esset infernus. Sed angelus dixit : « Non est. Illæ autem turres sunt camini infernales, per quos fumus et flamma ignis æterni exeunt. » Post hæc vident hominem in ardente cathedra sedentem, ante quem stabant quasi pulchræ feminæ, quæ tenebant cereos ardentes, D quos impingebant in faciem ejus et in os, et retrahebant similiter ardentes per ejus interranea, et semper hanc pœnam patiebantur. Hic homo, ait angelus, amicus fuit carni suæ et inimicus animæ suæ, gulosus et luxuriosus. Cathedra significat quod potens fuit in malitia. Amavit mulieres; et ideo maligni spiritus in tali specie torquent eum. Post hæc vident hominem, quem nigerrimi spiritus excoriabant vivum, et fricabant cum sale, et super craticula eum assabant. Hic, inquit angelus, potens fuit, et crudelis in subditos. Post hæc vident hominem super equum ardentem; clypeum igneum gerentem, et super collum equi capram tenentem, et ad caudam equi sui trahebat habitum monachi. Hic, inquit angelus, pauper homo fuit,

sed de rapina vivens. Capram unam rapuit a quadam paupere femina. Circa finem vitæ voluit fieri monachus, non vere pœnitendo, sed ut ignominiam suam parumper tegeret. Nam si viveret, cogitabat se rediturum ad priorem vitam : et ideo trahit habitum religionis, sicut quam parvam æstimabat. Capra et clypeus igneus sunt tormenta damnationis suæ. Post hæc vident diversas personas religiosas monachorum, monialium, episcoporum : quorum quidam ridebant et cachinnabantur, alii convitiabantur, alii studebant gulæ satiandæ, alii libidini explendæ : non quod istæ voluptates post mortem sint, sed ad majorem confusionem et excruciationem, similitudines præteritorum peccatorum in ipsis suis cruciatibus repræsentant, dæmonibus ad hoc eos cogentibus : qui etiam postea eos percutiebant de fustibus per media capita usque ad excussionem cerebrorum, et ejectionem oculorum, et hoc incessabiliter.

Post hæc angelus Raphael duxit novitium usque ad profundum inferni; ubi vidit rotam horribilem igneam et hominem extentum desuper : et dum rota volveretur, quædam vox dixit ad novitium territum: « Vides rem terribilem; sed adhuc terribiliorem videbis. » Et ecce rota tam rapido cursu descendit usque ad profundum inferni, et tam magnum farsum fecit in cadendo, ut totus mundus cecidisse videretur, cœlum, terra, mare. Et dum rota caderet, omnes animæ captivæ quæ ibi erant, omnesque dæmones pulsabant illum hominem, et maledicebant ei, et excommunicabant eum. Hic erat Judas traditor. Et dum inde redirent angelus Raphael et novitius, apparuit eis angelus, qui gubernabat solem in humani generis servitutem. Post hæc dixit sanctus Raphael ad novitium : « Oportet te redire ad corpus tuum. Visionem istam nulli narres, nisi abbati tuo, et hoc in confessione. » Tunc novitius revixit, qui tribus diebus jacuerat mortuus : et cœpit oscitare, et gemitus et planctus dare; et oblitus præceptum angeli, cœpit statim narrare quæ viderat, dicens circumstantibus et quærentibus quid vidisset : « Vidi infernum, vidi paradisum. » Et cum hoc diceret, sanctus Benedictus venit cum baculo ante eum, et percussit os infirmi inobedientis. Infirmus autem opponens manum ictui, percussus est graviter in digito: et quærens causam percussionis, audivit a sancto Benedicto, quia inobediens fuisti; et si læsus es in carne, scito quia magis læsus es in anima; et quia peccasti loquendo, loquelam perdes 9 diebus, et injuncta ei pœnitentia disparuit. Per illos 9 dies graviter infirmatus est, et manus ejus intumuit. Post 9 dies sanus factus est, et dixit abbati suo soli, quæ viderat. Abbas autem, qui præceptum tacendi non acceperat, ad ædificationem audientium et legentium visionem revelavit.

1192. Eo tempore quidam Cenomanensis, nomine Christianus, juvenis conversus est in eremitorium quoddam in archiepiscopatu Turonensi, quod dicitur Gastine. Ubi dum fortiter tentaretur a carne sua, affligebat se. In Quadragesima jejunabat abstinens ab omni potu, præter unum diem in septimana. In hieme stabat vestitus in aqua frigida usque ad collum. Disciplinam sibimet dabat usquequo virgæ dirumperentur. Quod cum quadam die faceret, et se cecidisset usque ad sanguinem, audivit vocem a parte occidentis dicentem : « Nil prodest tibi, quod facis. Iste Deus, quem inclamas, non dabit tibi quod petis. Sed convertere ad me, et auxiliabor tibi. » Quod ille audiens, intellexit vocem esse inimici. Et cum orasset Deum, ut auxiliaretur sibi contra tentationes, proposuit aggredi peregrinationem ad diversos sanctos, et ita finire vitam suam in peregrinando. Et cum diu hoc cogitasset, accepto baculo egressus est nudis pedibus : et cum venisset ante quamdam ecclesiam, flexis genibus rogavit Deum, ut daret ei bonum consilium. Vix ab oratione surrexerat, et ecce sensit fetorem magnum; per quem intellexit diabolum prope astare, qui ei suggerebat relinquere habitum religionis, et locum suum; gratias agens Domino de tali signo, reversus est ad fratres suos. Hic aliquando in festo sancti Stephani dormiebat ad matutinas, et cum legeretur illa lectio, ubi legitur : *Et lapidabant Stephanum* (*Act.* VII), expergefactus ad hoc verbum, reprehendit se de somnolentia, dicens : « Væ mihi, qui sic obdormio ad obsequium Dei. Iste sanctus non dormiebat, quando lapidabatur : et ego miser rogare debueram istum sanctum martyrem ut oraret pro me. » Et post hæc cœpit intentissime vigilare, et rogare sanctum Stephanum, ut oraret pro se. In crastino cum esset in refectorio, antequam aliquid gustasset, venit ad eum vox, dicens : « Tu intendis ad accipiendas terrenas escas; et non cogitas de glorioso protomartyre, qui orat pro te. » Tunc aperti sunt oculi ejus, et levans oculos in cœlum, vidit martyrem orantem pro se, sicut vox ei dixerat. Quod cum vidisset, statim surrexit, et petiit locum secretum, in quo oraret, et dixit : « Sancte Stephane, quas tibi gratias agam de hoc tanto beneficio tuo? Nihil habeo proprium, quod tibi dem; sed tamen hoc do tibi, quod pro amore tui non induar lineis, sed laneis tantum; » quod et fecit. Hic cum postea moneret cæteros, ut in bono proposito perseverarent, narrabat, dicens : « Eram aliquando in Gastineto jacens in lecto pleno paleis in solario quodam, et cum vellem repausare, sentiebam nescio quid, quod se movebat sub renibus meis. Dixi hoc magistro meo, sed illa motio non quievit. Quadam die inspirante mihi Domino cœpi evertere paleam lecti mei : et eversa palea cum nihil invenirem, levavi unum de asseribus solarii sub quo inveni unum pedulem veterem, et in eodem magnam massam denariorum. Quos cum invenissem, relictis illis cucurri ad magistrum nostrum, et confessus sum quid invenissem. Ille jussit mihi ut afferrem illos ad se. Quod cum fecissem omnes fratres

jussit congregari; qui omnes excommunicaverunt illum, qui hoc fecerat. Quod cum audisset carpentarius quidam, dixit se hoc fecisse: et petivit veniam humiliter, correctionem promittens. Magister autem indulsit ei, et injunxit pœnitentiam; sed denarios male acquisitos retinere noluit, imo divisit eos pauperibus. Post hæc idem frater Christianus audiens famam de ordine Cisterciensi, cœpit admonere socios suos, ut ad illum transirent. At illi noluerunt, sed statuerunt inter se, ut qui vellent de ipsis ad ordinem Cisterciensem transire, transirent: et eumdem Christianum miserunt ad abbatiam de Eleemosyna; cum quo ivit prior suus cum uno socio. Post annum probationis expletum spiritus maligni sæpe apparebant eidem Christiano in visione noctis, minitantes ei, quod eum expellerent de domo illa; et in vanum laborare illum dicebant, quia non duraret in ordine illo. At ille recurrebat ad orationem. Et dum hoc bellum haberet cum dæmonibus, quadam die facta est ad eum quædam vox a capite lecti sui, dicens: « Memor esto hujus versiculi de Psalterio: *Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me* (*Psal.* LIII). » Quod audiens ille recitavit et ad omnes tentationes diaboli semper postea de isto versiculo, tanquam clypeo sese munivit. Cum autem dæmones viderent eum habere fiduciam in isto versu, dicebant: « Stulte, hoc nos te docuimus, hoc volumus ut dicas. » Tunc ille in dubio positus, utrum hunc dicere deberet, an non, quia simplex erat et illitteratus, quæsivit a clericis, quid hæc vox significaret. A quibus cum audisset hoc esse principium cujusdam psalmi, totum illum psalmum per gratiam Dei didicit; et in hac pugna contra dæmones diu fuit. Quadam nocte dum fratres in hieme post vigilias sederent, et legerent ad lumen in capitulo, ille remansit in claustro orans. Et cum oraret, dixit ad eum vox de cœlo: « Illi boni homines, quos vides in capitulo, sunt martyres Dei. » Eodem anno vidit idem Christianus omnem conventum circumdari a dæmonibus; qui tantæ multitudinis erant, ut tegere viderentur quidquid erat inter cœlum et terram. Quod cum ille videret, et diceret: « Domine Deus, quid hoc potest esse: quis poterit evadere pericula ista? » Audivit vocem dicentem sibi: « Qui humilitatem habere potuerit, ab omnibus his laqueis liberabitur. » Non multo post venit quædam claritas ab oriente: quam cum præsentirent maligni spiritus, evanuerunt; et illi gloriosi spiritus qui erant in illo lumine, appropinquaverunt, et illum locum ubi erant sancti illi homines solari claritate repleverunt, et in eadem claritate apparuit regina angelorum. Quam cum ille aspiceret et diceret intra se: « Deus bone, quo vadit domina nostra, advocata nostra, salvatrix mundi? » respondit ei eadem Domina: « Venio succurrere huic loco qui meo indiget auxilio. Venio auxiliari huic pauperi abbatiæ et aliorum pauperum locis qui confidunt in me. »

1163. Stephanus abbas Mortui maris revocatus est ad curam abbatiæ Ursicampi: cui Gaufridus successit in abbatia Mortui maris.

1164. Hugo episcopus Rothomagensis obiit, cui Rotholdus Ebroicensis episcopus in archiepiscopatu successit. (1165) Philippus Ludovici filius, qui modo regnat, nascitur, anno regni patris 27. Tarentasiensis episcopus venit apud Calvum montem, qui est in confinio Franciæ et Normanniæ, pro pace reformanda inter reges Ludovicum et Henricum: ubi multas virtutes per eum operatus est Dominus in præsentia duorum regum, et Henrici junioris regis Angliæ, et Philippi comitis Flandrensis. In Capite jejunii imposuit cineres benedictos capiti regis Angliæ apud Mortuum mare. Eodem anno Thomas Cantuariensis archiepiscopus exsul ab Anglia aufugit in Franciam, et venit Senonas ad papam Alexandrum III, afferens secum consuetudines regis Angliæ scriptas, propter quas exsulabat. Eas igitur tenens in manibus chartam explicatam et expansam ante pedes ejus posuit, dicens: « Ecce, pater, sacræ, imo sacrilegæ consuetudines regis Angliæ; canonibus et decretis, et etiam ipsorum terrenorum principum legibus adversæ, pro quibus exsilium sustinere cogimur: ut eas sanctæ paternitati vestræ ostenderemus, advenimus. Jubeat igitur sanctitas vestra, si placet, eas legi et audiri. Quisquis enim ista audierit, mirum est, si non tinniant ambæ aures ejus; audiens a Christianis contra legem Christianitatis agi: et damnatis sanctorum Patrum venerandis institutis novas et inauditas veterum tyrannorum præsumptas abusiones in Ecclesiam introduci. » Hæc cum, flexis genibus, dixisset, jubente papa, surrexit, stetitque in medio circumstante eum turba clericorum suorum. Cumque ad præceptum domini papæ consuetudines illæ legerentur, et qui legebat primum pronuntiasset capitulum, cœpit venerandus antistes contra propositum capitulum mirabiliter disserere, et regis intentionem plenius elucidare ac detegere: ostendens et convincens et decretis et legibus, in quibus, et in quantis, quod pronuntiatum fuerat, sanctorum Patrum canonibus obviaret: quantumque discrimen Ecclesiæ immineret, si rex quod intendebat, obtineret. Similiter fecit ad singula capitula, domino papa eum libenter audiente, et assertiones ejus diligenter per singula notante. Cardinales tamen, qui, accepta a rege pecunia, partem ejus fovebant, multam vexationem beato viro in sua causa præstiterunt, præcipue Guillelmus Papiensis, qui præ cæteris regi erat amicior et familiarior. Hic enim beatum virum modis omnibus impedire satagens, ad singula insurgebat, seque ei objiciebat: multa ei proponens, multa inquirens, quæ vir venerabilis ut fila aranearum sine difficultate et hæsitatione vel solvebat, vel convincebat. Putabat enim idem Guillelmus, quod archiepiscopus oratione uteretur aliena, et non propria; et quia, si posset eum a tramite sui sermonis deflectere, continuo cum ludibrio et confusioni habendum. Sed et ipse sanctus intelligens

Guillelmum sibi ex directo obniti, aliquoties eum reciproco sermonis excursu ita suis intricavit et illaqueavit objectionibus, ut omnibus manifestum fieret, quod non solum propriis uteretur viribus et disertitudine, verum etiam, quod insuperabilis esset ingenii et eloquentiæ.

Cumque tam in expositione causæ suæ, quam in contentione cum adversariis magna pars diei consumpta fuisset; erant enim 16 capitula consuetudinum illarum ad quæ stando responderat, admirans tandem dominus papa ejus sapientiam, magnificentiam atque præstantiam, vocavit eum ad se, jubensque eum sedere juxta se, dixit: « Bene veneris, frater charissime, » cumque ei congaudens, eum bene venisse sæpius repetiisset, gratias ei agere cœpit, quod tantum onus tamque arduum negotium suscepisset; et quod Ecclesiam Dei tam periculosis temporibus contra tyrannorum assultus tueri præsumpsisset, ipse quoque venerandus antistes cum debito honore et reverentia domino papæ multiplices gratias retulit, quod eum tanto honore dignatus fuerit. Tunc dominus papa consuetudines illas perpetuo damnavit, et observatores atque exactores earum æterno anathemati subdidit. Vir igitur Domini aliquanto tempore in curia demoratus, tandem cum licentia et consilio domini papæ Pontiniacum se contulit, ibique ferme per biennium fuit. Ibi inter cætera sanctæ æmulationis studia, etiam habitum monachilem concupivit et accepit. Misso autem ad dominum papam tunc Senonis commorantem secretius nuntio, habitum religionis sibi ab eo fieri, benedici et transmitti postulavit et impetravit; domino papa inter cætera ita rescribente: « Misimus tibi, frater dilecte, habitum, non qualem voluimus, sed qualem habuimus. » Cognoscens igitur rex Anglorum in quanto honore venerandus pontifex a domino papa susceptus esset, et quod in Pontiniaco locum sibi mansionis elegisset; cum jam in ipsum desævire non posset, in suos inaudito crudelitatis genere debacchatus est; præcepitque ut, ubicunque aliquis de cognatione ejus vir aut mulier inveniri potuisset, exhæredatus et spoliatus bonis propriis a regno pelleretur; exacto prius ab eo sacramento, quod Pontiniacum contristandi archiepiscopi gratia proficisceretur, et se ei præsentaret. Tunc expulsi sunt senes et juvenes ad cognationem ejus pertinentes; sed et mulieres cum pueris lactentibus, et quædam gravidæ.

Hoc anno ab adventu Anglorum in Britanniam majorem 1850, a baptismate eorum 634, ab introitu Normannorum 100, hoc anno in Ruthenensi pago quædam tempestas gravi flagello castigavit populum Dei. Nam lupi feroces ab uberibus matrum parvulos rapiebant, et duris morsibus devorabant. Mulier autem quædam, nomine... phane de Veuere, cujus frater tam perniciosa clade jam succubuerat, matre brachium a corpore pueri evulsum duntaxat retinente, vigilia Assumptionis beatæ Mariæ hortum intravit, ut spicas colligeret. Nebulosum quippe tempus erat. Et ecce duo lupi cum tanto strepitu, ut putarentur equites advenisse, accurrerunt; quorum unus illam per guttur, alius sublevatis ad umbilicum vestibus diversis et lethalibus vulneribus sauciatam, non villæ recto tramite, quo frequenter fugari solebant, a canibus, sed trans muros duos, et sæpe tres velut nihil projicientes, ad silvam pertraxerunt. Silva vero per dimidium milliare ab oppido distabat. Mulier autem adhuc spirans spiritum exhalatura supremum, in virtute Spiritus sancti et benignitate virginis Mariæ feris præcepit ferocibus, ne corpus suum ulterius lacerarent; et ne diutius in eam grassarentur, inhibuit. Mox ab ejus laceratione desistunt, corpus exsangue supervenientium infestatione ferarum diligenter conservantes. Interea cum canibus requirebatur; et sequenti die, cum detecta sub algore noctis pernoctasset, inventa, ad villam relata est. Adeo autem erat lacerata, quod vix in ea agnosci poterat forma humana. De lacero corpore vermes et sanies ebulliebant: aspectu terribilis erat, etiam sanguine propinquis. Qui etiam eam immisericorditer repulerant. Plectrum linguæ non movebatur ad aliquod verbum formandum: victualia ori infusa per foramina gutturis et pectoris exibant, incorporato tenui vel modico sapore. Nervorum contractione et membrorum læsione genua pectori adhærebant; et vulnera, de quibus non modica caro detracta fuerat, cute superduci non poterant. Hanc igitur parentes sui impositam vehiculo nocte ad remotam villam detulerunt: quæ dimissa præ foribus monstrum ab introeuntibus putabatur; et ne diutius apud eos moraretur, ligatam asino quasi truncum procul duci fecerunt. Descendens autem asinus quoddam montis præcipitium, bibiturus de torrente, qui rapidus deferebatur in vallem, caput deposuit, mulierque quæ laxe vincta fuerat, in aquam lapsa est. Sed beata Maria non passa est eam mergi, imo eam super undam evectam fluminis in ripa constituit. Abstracta de flumine in horreo cujusdam nobilis, cujus Dominus cor tetigerat, ab hominum sequestrata consortio solitaria jacebat; quia præ fetore ejus et vulnerum immanitate gravabantur intuitus assistentium, et olfactus. Miles autem curam ejus agens, vulneribus vinum et oleum infundi jubebat. Mulier interim cura medentium et adminiculo ciborum reformabatur, sed modice: et semper Genitricem Dei in mente ruminabat, per eam sanari se sperans; signisque et nutibus, et quibus poterat verbulis ad Rochemador se ferri precabatur. Ad quam ecclesiam tandem miseratione multorum delata est. Ubi cum incurvata sursum respicere non posset, persistens in oratione, et cordis contritione exaudiri meruit et sanari.

1167. Ea tempestate Henricus Belvacensis episcopus transfertur in archiepiscopatum Remensem.

1168. Cui in episcopatu Belvacensi successit Bartholomæus. (1169.) Henricus rex Angliæ majorem

filium suum Henricum generum Ludovici regis Francorum in odium S. Thomæ archiepiscopi Cantuariensis fecit consecrari in regem a Rogero Eboracensi episcopo : quod solum ad Cantuariensem pertinebat archiepiscopum.

1170. Eo tempore in partibus Orientis, et in terra promissionis, exigentibus peccatis hominum, terræmotus multas urbes, ecclesias, oppida et villas subruit, et innumera populorum millia hians terra deglutivit, et ædificiorum casu mortuos operuit. Inter cæteros, qui tam repentino cadebant excidio, Hermannus quidam, genere Viennensis, educatus Antiochiæ, cum esset in castro Cæsareo, quod est de jure patriarchatus Antiocheni, in ecclesia B. Petri dum videret coruscationes, fulgura et tonitrua; et hiatus terræ ex his duntaxat, qui erant in ecclesia, plusquam 140 vivos deglutisset, ipse quoque collotenus jam delapsus, piissimam Matrem Domini apud Rochemador patrocinantem invocavit; et preces suas exaudiendas continuo sensit. Nam cum circumquaque morientes rugirent, et ad inferiora terræ ruerent, hic licet coarctaretur a terra, et pene suffocaretur, auxilio Reginæ virginum a terra extractus evasit vivus. In Natali apostolorum Petri et Pauli contigit hoc opus horrendum. (1171.) Henricus rex Angliæ, sicut domino papæ et A Ludovico regi Francorum promiserat, pacem facturus cum archiepiscopo Cantuariensi, fecit missam cantari pro fidelibus defunctis, sciens quod ad eam pax non daretur, nolens pacem sumere ab archiepiscopo. Unde et idem S. archiepiscopus eodem anno in ecclesia, et pro Ecclesia martyrium passus est.

1172. Robertus præpositus de Arca episcopatus duos regebat, Atrebatensem et Tornacensem, filius fabri cujusdam rustici Carnotensis : qui, ut aiunt, familiari dæmone utebatur : per quem ad tantos honores venerat. (1173.) Civitas Rothomagi obsessa est a Ludovico rege Francorum, et Henrico novo rege, et Philippo comite Flandrensi.

B 1174. Obiit S. Petrus Tarentasiensis episcopus : obiit et Gaufridus IV abbas Mortui maris, cui successit Richardus I abbas de Valacia. (1175.) Præpositus de Arcs a ribaudis occiditur : procurante, ut aiunt, necem ejus Jacobo de Avenes inclyto milite. (1176.) Non multo post, imo eodem anno mortuus est Henricus Remensis archiepiscopus. Fuerat autem invidia magna inter eos de potentatu ; quia ille dominabatur Flandriæ, iste Franciæ, et ambo in brevi exstincti sunt. (1177.) Eclipsis solis hora sexta facta est Idibus Septembris.

LIBER XLIX.

—

1178. Philippus Ludovici regis filius coronatur in regem anno regni patris sui 40, vivente adhuc patre, qui eodem anno mortuus est.

1179. Igitur anno Henrici regis Anglorum 7, regnat Philippus Ludovici filius, qui anno præcedente coronatus fuerat in regem Remis a Guillelmo Remensi archiepiscopo Kalendis Novembris. Qui videlicet Guillelmus de archiepiscopatu Senonensi in archiepiscopum Remensem translatus erat. Post Richardum fit abbas 6 Mortui maris Guillelmus Anglicus, 2 abbas de Valacia.

1180. Philippus filius Roberti de Brena, nepos Ludovici regis Francorum, et cognatus hujus Philippi qui nunc est, qui per industriam patrui sui Henrici Remensis archiepiscopi electus est in episcopum Belvacensem, rediens a via Hierosolymitana, 4 anno electionis suæ consecratur.

1181. Obiit Alexander III papa centesimus septuagesimus quintus. Qui cum aliquando a quodam appellaretur bonus papa, respondit : « Bonus papa essem, si scirem prædicare, judicare et pœnitentiam dare. »

1182. Lucius fit papa centesimus septuagesimus sextus.

1183. Obiit Henricus rex Anglorum junior, et Rotholdus Rothomagensis archiepiscopus : cui successit Galterus de Constantia.

C 1184. Florebat hoc tempore Petrus monoculus abbas Claraevallensis, qui sublimitatem generis sui semper, quantum potuit, dissimulatione celavit, Igniaci novitius factus est. In cibo nil unquam præter commune sumpsit, de ipso communi multum et sæpe sibi subducens. Cucullam tantum habebat et tunicam. In hieme præter solitum unam cucullam, vel unam tunicam habebat. Botis nunquam usus est, nec pedulibus, nisi simplicibus. Vigiliis et jugiter et pertinaciter interfuit. Vilis volebat videri, non humilis prædicari. Gratias sæculares nec habuit, nec habere quæsivit; ut politum eloquium, venustatem personæ, industriam in negotiis sæcularibus, favorabilem largitatem. Bona intima possidebat. In exterioribus se obscurum esse D gaudebat. Nec sic obscurus et vilis erat, ut putabat; sed apud recte judicantes multum venerabilis et amabilis erat. Nocte quadam antequam veniret Igniacum vidit in visu noctis, quod aulam ingrederetur pulcherrimam, in qua sedes erat posita, et super sedem sedens quædam domina, vultus admodum reverendi. Ingredienti aulam occurrebant canes nigri et horribiles, qui impetu facto in eum, lacerare eum volebant. Sed domina illa magna et venerabilis canes auctoritate sua magnifice fugavit, et Petrum ad se vocatum blandis manibus, et dulci demulcens alloquio, securum esse jussit. Erat sem-

per in eodem statu : a quo cum quidam abbas familiaris ejus quæreret, quomodo idem semper esse posset, respondit : « Cum essem novitius quidam spiritus sensibiliter visus est in me intrare. Ex tunc usque nunc spiritus ille, vis illa, vel affectio mihi quodammodo dominatur, regit me, et deducit velut ovem Joseph : sparsum per inferiora frequenter introrsum colligit, aliis volentem intendere ad orationem cogit. Ea quæ oculis ingrediuntur, aut auribus obstrepunt, facit aliquoties non sentire. » Sicut dicit Gregorius : « Quem perfecte æternæ vitæ charitas absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. » Cum adhuc novitius esset in ordine, aliquando vigiliis intereral, aliisque psallentibus ipse stans in choro dormiebat; sensitque quasi tactum alicujus, qui pulsans eum suaviter excitabat. Putavit priorem esse, et evigilans, apertis oculis, neminem vidit. Cumque ei sæpe contigisset, et sæpius excitatorem non videret, intellexit divinam esse virtutem : et ægre ferebat, quod se ei offerebat, et non se ei ostendebat. Quadam igitur nocte cum solitum excitatorem sensisset, excitus oculos cito aperuit, et intentus vidit sibi astare juvenem splendidum et decorum; et quasi aureos habentem capillos. Qui statim ab illo discedens, per medium chorum ibat, morose et manifeste incedens. Qui postquam ita diu apparuerat, disparuit. Media nocte Dominica fratres psallebant, et ipse cum illis. Tunc dolor capitis eum invasit, tam vehemens, ut chorum egredi cogitaret : et cum se propter hoc moveret, audivit vocem dicentem sibi : *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero* (*Psal.* XVII). Hac voce confortatus remansit : et post modicum invalescente iterum dolore, iterum egredi disponebat, et iterum insonuit vox præmissa. Tota illa nocte et sequente Dominica usque ad finem conventualis missæ non cessavit conflictus ille doloris, et confortatio vocis. Cumque in ordine suo accessisset ad cornu altaris, ut communionem acciperet, in ipsa inclinatione visum est ei, quod lapis magni ponderis de capite suo corrueret, et protinus se erigens, et sanctam communionem sumens ab omni illo dolore sanatus est. Quidam religiosus ejus familiaris aliquando tentatus de nostræ fidei ratione, quæsivit ab eo in confessionem ne sua, si unquam talem tentationem sensisset. Qui ait : « Non inficior, me plerumque tali cogitatione pulsatum; sed multiplex experimentum fidei omnem meam talem infirmitatem firmavit. » Quæsivit ille, quod esset experimentum. « Multa, inquit, de Deo sensi, et aliquando tale aliquid, quod cum sentire desii, gravius tuli, quam si in clibanum ardentem projiceret. »

Factus est prior Igniaci, deinde abbas Vallis Regis. Quam electionem talis visio præcessit : Videbatur abbati, qui tunc præerat Igniaco, candelabrum ardens et lucens ante altare majus positum subito per majorem vitream exire : post modicum electus est. Quidam de mercenariis Vallis Regis mercedem A suam a cellerario exigens habere non poterat, cellerario asserente, de jure ei reddendam non esse. Quod cum mercenarius ad abbatem referre vellet, qui tunc ægrotabat, non poterat, quia cellerarius eum introire non sinebat. Furens igitur ille ad unam de grangiis finitimis accessit, ferens prunas ardentes in cacabo, ut eam incenderet. Hoc eo cogitante, ecce adfuit abbas, et quid vellet agere, inquisivit. Expavit ille viso abbate stupore vehementi; et totum propositum causamque propositi confessus est. Cui abbas : « Ne facias hoc, cras ad me in infirmitorium veni, et mercedem tibi jubebo restitui. » Fecit ille, ut sibi fuerat imperatum. Emissoque homine cum spe certa mercedis habendæ, dixit abbas servienti sibi fratri Nicolao : « Vere frater, si nos de Domino cogitaremus, Dominus cogitaret de nobis. » B Conjiciens ille frater aliquid eum magni *vidisse*, insecutus est hominem abeuntem, prudenter et ingeniose pollicens se et celare consilium, et accelerare negotium; rei gestæ narrationem extorsit. Morbus, quem fistulam dicunt, eum molestabat. Ille morbum celabat, sed se morbidum celare non poterat, transivitque per locum illum monachus quidam de Claravalle, celebris in arte medicinæ. Suggesserunt ei fratres de morbo abbatis, et ipse suasit et persuasit abbati, ut morbum inspiceret. Vidit, et fratribus fistulam esse respondit, et eo loci, quo secari, ac per hoc sanari non possit, et adjecit. « Homo iste, si Pascha viderit, nunquam amplius morietur. » Iste tamen convaluit; *multisque postea* vixit C annis. Vocatus ibat ad electionem abbatis Igniacensis, cum Roberto quodam monacho Igniaci, religioso et litterato, quem secum habebat, utpote familiarem, ad suam consolationem. Orabat autem intente Dominum, ut sibi inspiraret, ad cujus electionem aspirare deberet. Hæc eo cogitante et orante, audivit vocem dicentem sibi : « Cum ad illum locum veneris, quod requiris agnosces. » Jam locum illum contingebat, et nondum voti compos erat. Orante illo attentius, vox iterum dixit : « Interroga monachum illum, qui tecum vadit; ipse tibi dicet, quis futurus sit abbas. » Accersito statim Roberto, dixit ei abbas : « Pergimus Igniacum; et credo, quod ex me plurimum pendebit electio. Vos, D qui fratrum mores cognoscitis, dicite mihi, quem digniorem hoc officio judicatis. » At ille incunctanter : « Nullum vobis digniorem judico : ideo vos futurum abbatem prædico. » Cui abbas : « Scio quod promotionem meam velletis; sed hoc non est positum in vestra potestate. Volo, ut alium quemcunque eligi dignum nominetis. » At ille : « Nullum, inquit, alium nominabo. Vos desiderant universi, vos eritis abbas. » Ventum est Igniacum; et unanimi consensu omnium absque ulla contradictione electus est in abbatem.

Porro antequam eligeretur, quidam frater religiosus, nomine Nicolaus, qui diu functus est officio cantoris, precabatur jugiter Dominum, ut eis idoneum provideret abbatem. Cui aliquando oranti vox

manifeste sic ait : « Nicolae, habebis abbatem, et ille ostendet tibi, quid te oporteat facere. » Ostensurus enim erat omnibus veræ religionis, et sancti fervoris exemplum. Cumque Petrus factus fuisset abbas, Nicolaus supra communem ordinem aliquid attentare volebat; sed quia delicatus et debilis erat, nequaquam præsumebat. In hac fluctuatione positus audivit aliquando vocem dicentem sibi : « Nicolae, nunquam formides pœnitentiam agere. » Quidam religiosus familiaris ejus aliquando cum illo comedens, cum videret pisces coram se positos non gustantem, et eum nimiæ parcitatis argueret, respondit : « Imo parcius comederem, nisi corpori meo parcerem. » De illo dicere solebat Gislebertus abbas Fusniaci : Neminem unquam vidi, cui de singularitate minus male contigerit. Plurimisque eum intime nescientibus simplex videbatur et hebes, quia tardiloquus erat; et cum loquebatur, quasi laicus. Omnia enim bona sua occultabat. Balduinus miles clarus genere, et dives valde, nihil mali relinquebat, nisi quod facere non poterat, Petrum tamen abbatem Igniaci valde diligebat, et res ejus a quibuslibet injuriis tuebatur, cum aliis domibus multa mala inferret. Infirmatus vocavit abbatem; qui audita ejus confessione monuit eum, ut renuntiaret sæculo; annuit ille, sed licentiam a conjuge habere non potuit. Reversus est abbas ad monasterium. Non multo post ille desperatus de vita a parentibus suis ad monasterium adductus est, deputatur in cellam, vestitur sacro habitu, et ei custodes deputantur. Eadem nocte tabula pro eo pulsata excitati fratres accurrunt; persolvit abbas officium, dicuntur etiam 7 psalmi, sed nondum migrat. Recollocant se fratres.

Interim duo ex fratribus super infirmo duas visiones vident. Unus videbat, quod totus conventus ante infirmum stabat, inclinatoque humiliter eo, pacis osculum ei dabat. Alter videbat, quod infirmus jacens in lecto vellet de lecto surgere, sed non posset. Cumque ei adesset, ut adjuvaret eum, dicebat infirmus : « Noli me adjuvare, opera tua non indigeo. Nam beatus Benedictus adjuvat me, qui etiam mandat abbati, ut ipse mihi coronam faciat. » Nec mora, secundo pulsatur tabula; adsunt fratres, migrat infirmus, et portatur in chorum. Vigilatur circa eum, abbas vadit pausatum, qui tunc paulisper ægrotabat. Qui jacens in lecto, et adhuc vigilans, cœpit cogitare, et secum dicere : « Domine Deus, quid erit de homine isto, quem tantorum astringunt vincula peccatorum? Quid ei prodest, quod mala sua confessus est, et quod in extremis pœnituit, et quod habitum religionis sumpsit? Ubi est modo : bene illi est, an male? » Hæc cogitans audivit vocem dicentem : « Ipse multum indiget auxilio. » Hoc audiens abbas statim ad ecclesiam ivit in spiritu, et quasi genua flectens ante singula altaria sanctorum, quæ ibi erant, tota devotione qua poterat, eorum patrocinia implorabat, quatenus illi a Domino misericordiam impetrarent. Hoc facto clauduntur abbatis oculi, et subito labitur in somnum. Moxque ut dormire cœperat quasi grandi mole sensit se gravari : intellexitque, quod malignus spiritus esset, qui sic eum opprimebat, qui etiam dicebat : « Quid est, quod facere conaris? » Respondit abbas . « Quid est, quod facere intendo ego? » Et diabolus : « Putas te Balduinum posse auferre mihi, qui in peccatis suis usque ad finem vitæ permansit? » Cui abbas : « Nonne peccata sua confessus est : nonne in extremis pœnituit, et ad Dei misericordiam confugit? Etsi cætera omnia taceam, nescis, quia sanguis Christi pro peccatoribus effusus est in remissionem peccatorum? Per pretiosum illum sanguinem, qui de latere dormientis in cruce manavit, te conjuro, maledicte, ut hinc protinus abscedas, et in illum nullam potestatem habeas » Victus et confusus diabolus aufugit, et abbas de victoria exhilaratus, *Te Deum laudamus*, cantare cœpit, et cantavit dormiens, usque ad illum locum, *Tu Rex gloriæ Christe* : et evigilans totum hymnum in Dei laudem persolvit : et cum adhuc in ore haberet versum illum, *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum*, horologium cecidit. Surgit abbas ad vigilias, vocis illius memor, quæ ei dixerat, Balduinum auxilio indigere. Oravit tota nocte pro illo. Mane fratribus in capitulo congregatis, injunxit singulis tricenale pro eo, quod et ipse facere statuit. Per illos dies 30 Balduinus sæpe apparuit in specie supplicantis, tanquam auxilium postulans, et tunc maxime, quando abbatis devotio tepida erat et languens.

Quadam die ibat abbas ad grangiam, et ea die missam cantare non potuit. Apparuit ei Balduinus in via, multo tristior quam soleret. Tricenario evoluto die sancto Parasceves ante Pascha cum legeretur secunda lectio, vidit abbas duos homines vestitos purpura, speciosos nimis, venientes ad medium chori, qui fratrem Balduinum vestitum isembruno medium deducebant. Cumque adduxissent eum ante abbatem, in loco quo sedebat, præsentaverunt eum illi dicentes : « Hic est Balduinus. » Cogitante autem abbate, quid de eo essent facturi, ducunt eum ad altare, et sic eum offerunt. Quo facto visio non comparuit. Post hæc Balduinus abbati non apparuit. Intellexit autem abbas in oblatione illa, quod Balduinus erat reconciliatus; sed in nigra veste, quod adhuc pœnæ subjacebat. Paulo autem ante quam Balduinus iste moreretur, miles quidam in extremis positus, mandaverat abbati, ut se visitaret. Veniens abbas confessionem ejus audivit, et ei consuluit ut sæculo renuntiaret; et in Valle Regis, quæ domui ejus erat vicinior, habitum religionis sumeret, quod et fecit. Abbas reversus Igniacum, cogitare cœpit dicens : « Quid proderit militi isti religionis habitus sic assumptus? » Et audivit vocem dicentem : « Multum proderit ei; et scito quod in isto et in quolibet, qui in ordine Cisterciensi moritur, nullam habiturus est diabolus potestatem, donec data fuerit de eo sententia. »

Henricus comes Campaniæ precatus est aliquando servum Dei, ut pro se Dominum precaretur. Celebravit ille missam, intercessurus pro eo. Expleto mysterio, cum ille dicturus extremam collectam ad suos se convertisset ministros, apparuit ei comes absens, signum crucis habens in veste, sicut habere solent, qui Hierosolymam ire proponunt. Nondum tamen, ut comes postea professus est, sibi signum crucis aptaverat; sed eo die post multam fluctuationem hoc se facturum indubitanter firmavit. Sedebat aliquando in capitulo vir beatus, et erat dies annua obitus cujusdam fratris. Cantor, ad cujus officium hoc pertinebat, suggessit ei, ut fratrem illum, sicut erat consuetudo, absolveret. Abbas autem respondit : « Indiget absolutione. » Quo dicto absolvit eum.

Quidam autem de senioribus, nomine Joannes, non procul ab eo residens, notavit verbum illud : et causam sermonis ab eo data opportunitate quæsivit. Qui respondit : « Nuper mihi vigilanti visibiliter apparuit : interrogatusque a me, an adhuc Dominum videret, respondit : Nondum est tempus. Quo dicto disparuit. » Testabatur autem idem Joannes, quod diu et religiose conversatus fuerat in ordine, biennio ante mortem suam molestissimo morbo, et ut ipse putabat, purgatorio fuerat fatigatus. Sed nimirum non solum arcta, sed et longa est via, quæ ducit ad videndum Deum (*Matth.* VII); et *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Sed quis gloriabitur mundum se habere cor? *Per multas tribulationes*, hoc est purgationes, *oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV). Ad hoc opus est longo limæ labore. Orabat aliquando sanctus in quadam ecclesia; et oranti astiterunt sanctus Bernardus et sanctus Malachias. Conversus ad ipsos suam orationem et intentionem direxit. Cui unus eorum dixit : « Tu eris abbas Clarævallis. » Quo dicto disparuerunt, et ille territus remansit; quia nunquam hoc fieri voluisset. Non multo post abbas Gerardus Clarævallis Igniacum venit; ubi tunc erat Hugo de Basochiis, qui graviter in ordine deliquerat : cujus offensam præfatus Gerardus regulari severitate vindicaverat. Et erat ille Hugo cum fratribus ægris corpore, mente jacens infirmus. Et cum abbatem disponeret occidere, sedebat in vestibulo domus infirmorum frater quidam religiosus, Haymo nomine, natione Remensis. Tunc vidit ille Haymo duas horribilis formæ personas introire in infirmitorium. Abbas autem Gerardus nocte illa vigiliis interfuit; et dum iret propter necessitatem in dormitorium, Hugo in insidiis positus ferro ad facinus præparato illum lethaliter vulneravit; qui vixit usque in diem sequentem. Circa vesperum positis coram ipso fratribus dixit : *Dirige me, Domine, in veritate tua, et doce me : quia tu es, Deus, salvator meus, et te sustinui tota die* (*Psal.* XXIV). Et hoc dicto obdormivit in Domino. Cujus corpus Petrus usque Claramvallem deduxit, valde timens, ne abbas fieret. Sed tunc abbas factus est Henricus quidam, vir po-

A tens opere et sermone : qui post modicum in episcopum cardinalem assumptus est.

Tunc erat prior Clarævallis Gislebertus, qui postea fuit abbas Fusniaci, qui cogitabat Petrum ab Igniaco transferre Claramvallem. Ad quem ita cogitantem frater quidam ait : « Videbatur mihi, quod nuntiabatur nobis, ad hanc domum Christum Dominum advenire. Occurrebamus obviam ad fores monasterii. Videbamus eum non habentem speciem, neque decorem; statura brevem, habitu pauperem, aspectu despicabilem. Nulli tamen erat dubium, quin ipse esset Dominus Jesus Christus. » Audiens hoc Gislebertus intellexit Christum in forma Petri apparuisse. Petrus autem ad electionem citatus aufugit; qui tamen absens electus est. In eodem

B itinere cum monachi Clarævallenses deferrent corpus abbatis Gerardi Claramvallem, et *venissent* cum corpore apud Catalaunum, et Petrus tristis deduceret corpus, idem Gerardus apparuit Petro abbati Igniaci, dicens : « Noli contristari de morte mea; quia cum Domino nostro Jesu Christo sum. Cum veneris apud Claramvallem, facies obsequium meum, et sepelies me. » Cum ergo idem Petrus rogatus ab aliis abbatibus cantaret missam pro defuncto, et esset in canone missæ, apparuerunt ei sanctus Bernardus et sanctus Malachias : unus ex una parte altaris, et alius ex alia, dicentes : « Noli dubitare quod abbas Gerardus sit socius angelorum et in gloria æterna. » Cum igitur lateret Petrus, ne fieret abbas Clarævallis, quæsitus inventus est in

C quadam grangia, inter conversos conversans, et ea die fena in pratis versans. Inde ductus Igniacum, precibus vinci non potuit; sed ordinis auctoritate coactus regimen suscepit. Crastino die cum proficisci deberent, Gislebertus febre correptus est. Ad quem abbas : « Quare me in necessitate relinquitis? » Ait : « Quia febricito. » Cui abbas : « Surgite, eamus hinc, febris vobis ulterius non nocebit. » Surrexit ille, et post paululum sanatus est. Post aliquod tempus visitabat abbatias Clarævallis, et Gislebertus cum eo; qui sedebat in equo suaviter portante, sed sæpius offendente. Quod videns abbas arguit eum, quare tam periculoso equo uteretur. At ille : « Quia, inquit, invidiosus non est, et

D suaviter portat. Sed si mihi metuitis, rogate Dominum, ut amplius hoc vitio non laboret. » Ad quem abbas : « Nunquid de jumentis cura est Deo? Attamen oro Deum, ne ita corruat, ut vobis malum faciat. » Usus est eo postea Gislebertus multis annis. Mox autem ut factus est abbas Fusniaci, equum et Boherias deseruit. Sed quidam Boheriarum frater equum illum ascendit, sub quo, imo super quem equus ille tam graviter corruit, quod frater ille crus fregerit.

Papa Romanus audita ejus fama, vocavit eum, et peccata sua ei confessus est, et sanctam eucharistiam de manu ejus suscepit; et etiam habitum Cisterciensis ordinis suscepisset, si vir Dei permisisset; sed sumptus necessarios dedit ei ad faciendam unam illius ordinis abbatiam. In quadam Ec-

clesia Gallicana orta est dissensio inter clericos de electione pontificis. Præsens erat cardinalis Romanus. Compromiserunt in eum clerici, quod de duobus, quos illi nominaverant, illum eligerent, quem ille nominaret. Cardinalis virum sanctum consuluit, quis de duobus melior illi videretur, qui respondit: « In duobus falsis denariis melior inveniri non potest. » Cum adhuc esset in Valle Regis abbas, ex violentia morbi capitis alter a duobus oculis ejus totus liquefactus effluxit, et factus est monoculus. Qui postea jocando dicere solebat, unum se de inimicis suis evasisse, et se a residuo magis quam a perdito formidare. Quod ad solatium damna corporis ægre ferentium dicebat, eos per compassionem in se transformans, seque eis per humilitatem similans. Nam a sensibus suis corporeis vir jam consummatissimus non metuebat. Dum adhuc esset abbas Igniaci, fratres aliquando priorem non habebant; cumque differret eum constituere, senior quidam causam dilationis ab eo inquisivit. Qui respondit: « Super hoc Dominum rogare non cesso, nec aliquod ab eo responsum accipio. » Nominavit autem ille senior unum, quem idoneum æstimabat. At ille: « Non vult hunc Dominus. » Ex hoc satis liquet, quam familiaris erat Deo. Ferebat equitando scapularia peditum puerorum, cappa pendula, et vetusta indutus. Dixit ei aliquando quidam religiosus familiaris, equitans juxta eum: « Præcedamus eos qui nos præcedunt, ut procellam hujus pulveris evadamus. » Qui respondit: « Si præcedimus, erunt ipsi in sorte in qua sumus, et pœna reversura est in caput ista suum. » Quodam messionis tempore, exierat cum fratribus ad laborem. Dum ergo monachi pausarent in silentio, vidit abbas tres mulieres pulcherrimas venientes inter fratres, quarum una cæteris mirabiliter præcellebat. Tunc abbas ivit obviam illis, et ait: « Certe multum audaces estis, quæ sic venitis inter nos. Nonne bene scitis quod mulier non debet venire inter nos, inter fratres scilicet de ordine nostro? » Tunc illa præclarior cæteris: « Ego bene debeo venire inter meos. Ego enim sum mater Domini Jesu Christi Maria, quæ venio visitare messores meos; et ista est Maria Magdalena, et ista est Maria Ægyptiaca. » Quo audito cecidit abbas ad pedes ejus; quos cum vellet amplecti, evanuit. Eo mortuo, quidam frater unum de dentibus ejus pro reliquiis extrahere cogitavit: putans hoc se facile facturum, quia mortuus os apertum habebat. Cumque se ad hoc faciendum præpararet, os ita clausum et obstructum reperit, ut propositum implere non posset. Quidam monachus prior cujusdam cellulæ virum sanctum frequentare solebat. Qui gravi tentatione pulsatus, et peccatorum vinculis irretitus, ejus consilium et auxilium expetebat; jusserat autem eum bonam spem divinæ consolationis habere. Qui audiens illum mortuum, valde contristari cœpit. Post mortem apparuit ei sanctus in somnis, consolans eum; et asserens quod ab omni tentatione sua sanatus esset. Evigilans ille somnium credidit, et sponsionis exitum exspectabat. Post paucos dies persona quædam, cujus amore ligabatur illicite, et qua vivente se sanari posse non sperabat, defuncta est. Quo audito gavisus est ille dicens: « Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. »

1185. Eodem tempore multa sanctitatis gratia florebat Hugo venerabilis abbas Bonævallis, qui juvenis relinquens sæculum conversus est in domo Cisterciensis ordinis, quæ dicitur Maceriæ; et cœpit valde religiose conversari. Et post hæc tentatus valde, cogitabat ad sæculum redire. Et hoc cogitans, intravit templum ut oraret. Et oravit cum lacrymis, et flexis genibus tetendit manus in cœlum, et oculos lacrymis plenos levavit in cœlum. Et vidit super altare Matrem misericordiæ vestitam lumine sicut vestimento: et visum est ei, quod videret Jesum Filium ejus juxta eam; et quomodo annuntiatus fuerat ab angelo, et de Virgine natus, et pastoribus annuntiatus; et quomodo circumcisus et captus a Judæis, et flagellatus, et illusus, et crucifixus, quomodo resurrexit tertia die, et quadragesima ascendit in cœlum. Cum hæc omnia videret, dixit ei Domina nostra: « Viriliter age, et confortetur cor tuum in Domino: et certus esto te amodo talibus tentationibus non pulsandum. » Post hæc cœpit nimiis abstinentiis se affligere, ita ut pene sensum et memoriam perdere videretur. Interea sanctus Bernardus, qui tunc adhuc vivebat, venit ad eum per Dei providentiam, et jussit eum mitti in infirmitorium, et ut ei singulis noctibus vigiliæ cantarentur, priusquam cæteris infirmis; quatenus postea satis posset dormire; et ut haberet generalem licentiam loquendi ubi vellet; et ita per Dei misericordiam in brevi convaluit. Tunc cœpit in eo religio multa fervescere. Nec multo post abbas factus est Bonævallis. Sub hoc sancto viro factus est quidam juvenis novitius valde fervens in suis principiis. Qui postea tentatus valde cogitabat ad sæculum redire, et hanc cogitationem confessus est abbati. Qui cœpit ei suadere ut remaneret, sed nihil profecit. Nam ille affirmabat omnimodis se recessurum. Tunc abbas: « Fili, miserere animæ tuæ, placens Deo, et non perdas gloriam tibi paratam. Ego enim spondeo tibi, et fidejussorem hujus sponsionis me statuo, quod si tu remanseris, sanctorum angelorum æternus socius eris. » Ad hæc verba confortatus ille in Domino perstitit, et optime postea conversatus est. Qui duobus annis antequam moreretur gravissima infirmitate laboravit, intantum, ut ei fratres valde compaterentur, videntes dolorem ejus nimium. Ad quem confortandum missus est sanctus Job cum maxima claritate, qua ortum infirmitorium repletum est. Cumque infirmus de tanta claritate miraretur, dixit ei sanctus Job: « Scis tu quis sum ego? » Et ille: « Nescio, domine. » — « Ego, inquit, sum Job, quem Pater misericordiarum et Deus totius consolationis misit ad consolandum te. Sicut ego in tali infirmitate

patiens fui, sic et tu: et ideo mecum florebis in A gloria mea, et cras eris mecum, et metes quod seminasti. » Quod et factum est.

Non multo post apparuit abbati suo in gloria magna, reddens ei gratias, quod per ejus admonitionem in ordine perstiterat. Sub eodem viro sancto facti sunt novitii clericus unus, et miles unus perfidus et dolosus; qui in eodem anno castella duo tradiderat et destruxerat. Huic militi dormienti videbatur in visu noctis, quod in puteum caderet tam profundum, ut tres dies consumeret in cadendo, donec in fundum perveniret. Quod cum abbati sancto retulisset, ille interpretatus est puteum abyssi infernalis, in quem casurus erat, si ordinem relinqueret; et ideo monebat eum, ut remaneret. At ille noluit, sed recessit; et tertia die ab inimicis suis interfectus est. Clericus tentatus, sed non victus confessus est abbati tentationem suam; quem consolans abbas, promisit ei, quod si remaneret, Regina mundi pro anima ejus veniret, et duceret eam in requiem suam, quod et factum est. Nam pridie quam moreretur, apparuit ei Domina nostra, dicens se venire propter eum, et quod in die crastina futurus esset in requie æterna; et ita contigit. In Annuntiatione beatæ Mariæ cum idem abbas excitaret fratres in choro ad vigilias, vidit diabolum in medio choro stantem in forma horribili, ita ut ipse abbas præ timore caderet. Qui levatus a fratribus signavit se, et rediit ad sedem suam. In crastino narravit abbas in capitulo, quid viderat, et dixit aliquem de fratribus esse in criminali, propter quem diabolus venerat. Quo audito omnes timuerunt; sed qui reus erat celavit conscientiam suam. In altero crastino iterum dixit abbas adhuc diabolum esse inter illos: et tunc fratres omnes confessi sunt, et acceperunt singuli disciplinas, precantes Dominum, ut rei conscientiam revelaret abbati; quod et factum est. Tunc abbas reum traxit in partem, et dixit ei peccatum suum. Quo audito ille cecidit ad pedes ejus, rogans veniam sibi dari, et pœnitentiam secundum voluntatem abbatis sibi injungi. Quo facto diabolus ultra non comparuit.

In quadam filia Bonævallis abbas quidam genere nobilis, sed moribus degener, dignis ex causis ab hoc sancto viro depositus est, et alius dignior in loco ejus substitutus. Cumque post hoc factum sanctus Hugo discederet, quidam garrulus familiaris depositi cœpit ei detrahere, et publice dicere, quod propter invidiam magis quam propter justitiam eum deposuerat. Quo audito, sanctus Hugo, manibus extensis in cœlum, rogavit Deum ut manifestaret se pura et recta intentione hoc fecisse: et mox ille garrulus insaniens cœpit discurrere per totam curtem abbatiæ, et comedere stercora pecorum, quæ ibi erant. Quo viso misertus ejus vir sanctus, oravit pro eo, et sanatus est.

In domo Bonævallis erat quidam monachus fervens, qui cum esset debilis corpore, semper tamen tenebat conventum. Tandem incidit in paralysim, et diu languit in infirmitorio. Ibi erat magister novitiorum, Joannes nomine, infirmus usque ad mortem; ad quem Joannes ait: « Frater Benedicte, audis quæ ego audio? » Cui ille: « Nihil audio: quid auditis? » — « Audio, inquit, voces angelorum psallentium, tanquam vocem citharœdorum multorum, qui veniunt pro anima nostri paralytici: et ego cras eum sequar. Festina pulsare tabulam; quia anima ejus multum festinat egredi. » Tunc frater Benedictus cucurrit pulsare tabulam; et antequam fratres omnes essent congregati, migravit ille paralyticus: in crastino Joannes. Quidam famulus cellerarii Bonævallis infirmatus est usque ad B mortem, et confessus est peccata sua monacho confessori pauperum: et dixit ille quoddam peccatum, quod monachus timuit recipere, et injunxit infirmo, ut hoc confiteretur abbati: quod ille concessit, si viveret. Interim famulus ille mortuus est. Abbas autem cum rediisset de via post completorium, et sederet in lecto suo, volens se discalceare, vidit illum mortuum ascendentem gradus dormitorii: qui veniens ante illum cecidit ad pedes ejus, veniam petens: rogans humiliter, ut suam confessionem audiret, dicens se missum ad eum propter hoc. Et confessus est cum tanta lacrymarum abundantia, quod etiam abbas motus est ad lacrymas, et ploraverunt ambo intantum, ut manica cucullæ abbatis valde humectaretur. Post absolutionem C mortuus rogat humiliter abbatem, ut oraret pro se, quia in magnis tormentis erat. Et dum abbas vellet tactu probare, utrum in corpore esset, an in spiritu, mortuus evanuit.

In crastino abbas quæsivit a confessore pauperum, si mortuus illi tale crimen confessus fuisset; cui respondit: « Etiam. Et quomodo illud nostis? » — « Ab ore, inquit, ejus audivi. »

Quidam juvenis monachus in eadem domo nuper decesserat: cujus mater postea, viso abbate, cœpit anxie flere de filio suo. Quam ille consolans ait: « Noli flere; certa esto quod filius tuus in magna gloria est. Ego scio, qualiter vixerit, et quam sancte. » Quo audito mater ejus recepit consolationem. Non multo post cum idem abbas oraret, apparuit D ei monachus ille in vultu clarissimo, et salutavit eum; quem abbas recognoscens, ait: « Quomodo tibi est, fili? » — « Bene, inquit, domine, ut videtis. Nonne pridie dixistis matri meæ, quod in magna gloria eram? Certe verum dixistis. » Et hoc dicto evanuit. Quidam conversus de alia domo propter culpam suam missus fuerat Bonamvallem, ubi infirmatus est usque ad mortem. Abbas autem visitans eum, rogavit, ut secure confiteretur peccatum suum, de quo infamabatur: quod ille nunquam confiteri voluerat, nec etiam abbati proprio. Ille autem negavit totum; et petiit sibi dari corpus Domini. Abbas autem Hugo suadebat ei, ut non præsumeret corpus Domini accipere, nisi bene confessus fuisset. At ille dicens se bene con-

lessum, instituit, ut sibi afferretur corpus Domini: quod cum presbyter attulisset, et in os ejus posuisset, ille statim cœpit clamare: « Quid faciam, miser, quid faciam? » Tunc presbyter abstulit ab eo corpus Domini, quod super linguam tenebat, et mox ille exspiravit. Idem abbas aliquando infirmatus intravit in infirmitorium, et vidit columbam nive candidiorem super humerum monachi infirmarii, quam cum idem monachus vellet apprehendere, illa volans, venit ad abbatem, et intravit in sinum ejus: et postea exivit per aperturam tunicæ, et fixit rostrum suum in aurem abbatis, dicens ei verbis humanis: « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: para te, para te, para te. Mandat tibi sanctus Bernardus ut vadas facere pacem inter papam et imperatorem. » Quam ille postea fecit.

1186. Urbanus III fit papa centesimus septuagesimus septimus. (1187.) Obiit apud Parisius Gaufridus comes Britanniæ, tertius filius regis Anglorum. (1188.) Salahadinus totum sibi subjicit Orientem. Hoc anno constituta est, et descripta forma visitationis, quæ legitur hodie in visitationibus per singulas domos Ordinis nostri. Rex Philippus Turonum cepit. (1189.) Henricus rex Anglorum obiit apud Cenomanum, anno regni sui 35, post quem filius ejus regnat. (1190.) Rex Francorum Philippus, et rex Anglorum Richardus vadunt Hierosolymam, uterque cum magno comitatu: et apud Messanam civitatem Apuliæ, sive Siciliæ, inimicitias inter se contrahunt. (1191.) Rex Francorum subjugat sibi Accaronem, quæ alio nomine dicitur Ptolemais, civitas maritima. Rex Richardus invidens gloriæ Philippi regis Francorum, subtrahebat se ab omni auxilio opportuno, et munera accipiebat a Salahadino. Philippus comes Flandriæ in expeditione Hierosolymitana moritur. Philippus autem rex Francorum timens dolum Richardi regis Anglorum, magisque, ut aiunt, cupiditate ductus terræ Flandriarum, contra voluntatem omnium fere procerum Francorum a terra Hierosolymitana revertitur, confirmans prius juramento Richardo, quod infra 40 dies, postquam reversus esset in Franciam, terræ ejus non noceret. (1192.) Rex Philippus subjugare incipit sibi Normanniam. Rex Richardus rediens a via Hierosolymitana captus est et incarceratus a duce Austriæ, et Henrico imperatori traditus, missus est in custodiam apud Spirim. In qua custodia cum idem Richardus peccata sua cuidam episcopo confessus, proposuisset se continere de cætero; non multo post quidam episcopus Angliæ visitans eum, et gratiam ejus captans, suadet ei, quasi pro salute corporis conservanda... sicque miserum in sua nequitia confortavit. Retulit hoc mihi quidam episcopus Hispaniæ familiaris meus, vir religiosissimus: qui id audierat a quodam alio episcopo, cui idem Richardus in extremis confessus est, se ab alio episcopo sic fuisse deceptum. (1193.) Cum Salahadinus sciret sibi mortem imminere, signiferum suum vocavit, dicens: Tu, qui soles deferre vexilla mea per bella, fer vexillum mortis meæ panniculum vilem per totam Damascum super lanceam, clamitando: Ecce rex Orientis moriens non feret secum, nisi hunc pannum vilem. Et sic mortuus est. (1194.) Rex Richardus spoliatis ecclesiis Angliæ et Normanniæ calicibus aureis et argenteis, ac cæteris ornamentis, redimit se a captivitate: plus quam ducenties mille marcis imperatori et cæteris baronibus partim datis, partim sub obsidibus promissis. (1195.) Rex Richardus recuperare incipit terram Normanniæ. Idem rex tam muneribus quam promissis omnes fere proceres Galliæ sibi obligat, et Philippo regi Francorum omne robur militiæ suæ subtrahit. (1198.) Innocentius III papa centesimus octogesimus primus. Richardus rex sagitta percussus interiit. Post quem regnat frater ejus Joannes. Obiit Guillelmus abbas Mortui maris. (1199.) Facta est hiems asperrima per tres menses et amplius continuata: unde secuta est maxima mortalitas animalium; et maxime ovium ac vervecum silvestrium ex rigore frigoris, et fames secuta. (1200.) Civitas Rothomagi cum tota Normannia subjugata est Philippo regi Francorum. Rex Anglorum Joannes fugit in Angliam, territus, ne a baronibus traderetur in manus Philippi regis. Civitas Constantinopolis a Francis capitur (1204).

EXCERPTA

Ex Helinandi poemate, Gallico idiomate conscripto, cui titulus: *De morte*.

(*Hist. litt. de la France*, t. XVIII, Paris, Firmin Didot, 1835, in-4., p. 100, etc.)

—

Sæculo se valedixisse innuit auctor.

Mors, qui m'as mis muer en mue,
En tel estuve où li cors sue
Che qu'il fist au siècle d'outraige.

. . . .

Por ce ai-je cangié mon coraige,
Et ai laissié et giu et raige:
Mal se mouille qui ne s'essue.

. . . .

IV.

Mortem alloquitur auctor, et ut amicis suis inducias concedat precatur.

Mors, je t'envoi à mes amis,
Ne mie comme à anemis,
Ne comme à gent que je point hace;
Ains proi Dieu qui el cuer m'a mis,
Ke ce lor soille k'ai pramis,
Qu'il lor doinst longe vie, et grace
De bien vivre tot lor espace.
Mais tu qui joes à la cache
De chiaus où Dex paor n'a mis,
Moult fais grans biens par ta manache;
Car ta paors purge et saache
L'ame, aussi com par un tamis B

. . . .

XVI.

De episcopo Bellovacensi (51).

Mors, va à Biauvais tot corant
A l'évesque qui m'aime tant,
Et qui toz jors m'a tenu chier;
Di li qu'il ert sans contrement
Un jour à toi, mais ne sai quant.
Or se paint dont d'espeluchier
Sa vie, et sa nef espuisier,
Et de bones muers aluchier, etc.

. . . .

XVII.

De Noviomensi (52) *et Aurelianensi* (53) *episcopis.*

Mors, qui les haus en prison tiens,
Aussi comme uns povres chiens,
Ke li siècles a en despit,
Salue deus évesques miens,
Celi de Noyon et d'Orliens [*al.* d'Amiens];
Di leur qu'ils ont mainz de respit
Ke en lor faces n'est escrit:
Tu fais de lonc terme un petit.
Or se gardent de tes engiens.
Tu prens le dormant en son lit,
Tu touls au riche son délit,
Tu fais biauté devenir fiens.

(51) Philippum de Drogis (*de Dreux*) intelligit, qui Ecclesiæ Bellovacensi ab anno 1175 ad annum usque 1217 præfuit.

(52) Stephano de Nemore. 1188-1221.

(53) Henrico de Drogis, episcopi Bellovacensis fratre, anno 1199 defuncto. Quod si *d'Amiens* legas, tunc intellige Theobaldum de Heilly, qui anno 1169-1204 sedem Ambianensem rexit.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

GUNTHERUS CISTERCIENSIS MONACHUS.

LIBRI TREDECIM DE ORATIONE, JEJUNIO ET ELEEMOSYNA.

HISTORIA CAPTÆ A LATINIS CONSTANTINOPOLEOS.

GUNTHERI LIGURINUS, sive de rebus gestis Friderici imperatoris Augusti, cognomento Ænobarbi, libri decem.

LIGURINUS.

HELINANDUS FRIGIDI MONTIS MONACHUS.

HELINANDI SERMONES.

FINIS TOMI DUCENTESIMI DUODECIMI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.